This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Tappan Presbyterian Association
LIBRARY.

Presented by HON. D. BETHUNE DUFFIELD.
From Library of Rev. Geo. Duffield, D.D.

Geo Duffield

1830



Geo Duffield

CAMPEGII VITRINGA

OBSERVATIONUM

S A C R A R U M

LIBRI SEX,

DUOBUS VOLUMINIBUS
COMPREHENSI.

[557] 208. V8

CAMPEGII VITRINGA

Theol. & Hiſt. Sacr. Profeſſoris,

OBSERVATIONUM

SACRARUM

LIBRI SEX,

IN QUIBUS

De Rebus varii argumenti, & utiliſſimæ inveſtigationis, *Critice* ac *Theologice*, diſſeritur; *Sacrorum* imprimis *Librorum* Loca multa obſcuriora nova vel clariore luce perfunduntur.

TOMUS I.

Libri Primi Editio *quarta*; Secundi & Tertii *tertia*; Quarti *altera*. Auctor ſingulos denuo recenſuit; quibuſdam locis emendavit; aliis auxit, & *Marginalibus* inſtruxit.



FRANEQUERÆ,

Ex Officina WIBII BLECK Bibliopolæ,

MDCCXII.

Dictum Κυριακὸν aut Αποστολικὸν in
Monumentis Veteris Eccleſiæ
conſervatum:

ΓΙΝΕΣΘΕ ΔΟΚΙΜΟΙ ΤΡΑΠΕΖΙΤΑΙ.

Pappan Pres. Univ.
4-3-24

ILLUSTRISSIMO. CELSISSIMOQUE.

PRINCIPI.

HENRICO. CASIMIRO.

DEI. GRATIA. NASSAVIÆ. PRINCIPI. ETC.
CATTIMELIBOCI. VIANDÆ. DIETZÆ.
SPIEGELBERGÆ. COMITI. ETC. BARO-
NI. LIESVELDIÆ. DOMINO. BIELSTEI-
NII. ETC. LIBERÆ. FRISIORUM. REI-
PUBLICÆ. DOMI. MILITIÆQUE. PRÆ-
FECTO. HÆREDITARIO. UT. ET. GRO-
NINGÆ. OMLANDIÆ. DRENTIÆQUE
GUBERNATORI. ET. CAPITANEO. GE-
NERALI. ETC. ACADEMIÆ. FRISIO-
RUM. CURATORI. HONORARIO.
MAGNIFICENTISSIMO.

CAMPEGIUS VITRINGA.

DEDICATIO.

QUando illuſtre Nomen tuum ante aliquot annos in fronte hujus Libri poſui, & nunc denuo inſcribo, CASIMIRE Princeps, non præſumpſi, eo vel Tuum augere velle ſplendorem, vel meis conciliare auctoritatem ſcriptis, ſed argumentum dare devoti gratique, quo Te proſequor, animi. Auguſtæ Familiæ Tuæ, Tuumque, Princeps, tantum decus tantuſque ſplendor eſt ex antiquitate proſapiæ & claritate Tua Majorumque Tuorum, ut illi ex laudationibus, quas nos in muſæis noſtris concipimus, nulla fieri poſſit acceſſio: Mei vero Scripti ea ratio eſt, ut auctoritas illi nulla conciliari poſſit; nullam quoque illi conciliari velim, quam ex ipſis illius argumentis, ſi quæ forte in eo bene feliciterque tractata illuſtrataque fuerint; ea etiam tenuitas eſt, ut ſi præ me ferre velim Tuæ dignitatis titulis illud munire, illuſtri Nomine tuo haud leviter abuterer. Sed hoc convenire exiſtimo, ut qui in Civitate natus ſum, quam Tu Tua moderaris prudentia & defendis virtute; qui partem facio Academiæ, cujus Tu Magnificentiſſimus Curator vocaris; qui præterea quam in illa Academia dignitatem tueor, Tuo in cæteris ſingulari favore conſequutus ſum: evidenti exemplo demonſtrem, me, qua decet animi ſubmiſſione, Te venerari, ut Dominum meum; ſuſpicere ut Curatorem otii mei; & denique colere & amare (patere, ut hoc reverenter addam:) ut Patronum meum. Neque eſt quod exiſtimem, hanc audaciam, quam conſcientia officii & fiducia de Tua clementia mihi pepererunt; Tibi nunc minus placituram, quam ante. Sane qui in bello milites tropæa reportant ab hoſtibus, eaque ad Imperatores ferunt, quorum auſpiciis militiam exercent; comi excipiuntur vultu, meritiſque decorantur laudibus. Hanc ſi in ſago conſuetudinem imitaris,

taris, Princeps Sereniſſime, cur negligeres in toga? Quæ cauſſa exiſtimandi, minus Tibi grata munera eſſe, quæ calamo parantur, quam quæ enſe; quæ ex Athenæis feruntur, quam quæ ex acie; quæ ingenio & induſtria acquiruntur, quam quæ virtute & audacia? Conſtat equidem, Parentes Tuos Illuſtriſſimos hac via graſſatos eſſe ad laudem immortalem, ut domi primo ſtabiliverint, dein foverint diſciplinas ſcientiarum, quibus purior Religio; & Pacem, qua Reſpublica muniebatur; foris vero pro iis tuendis fortiter pugnaverint, ſuperatis feliciter ingentibus diſcriminibus, in quæ ſive dolo, ſive etiam potentia aut numero hoſtium ſuorum & veræ Religionis, ſæpe perducti ſunt. Admiranda res eſt, eos domi conſtituiſſe Scholas bonarum artium, quando foris militem conſcribebant, prœlia inſtruebant, obſidiones parabant, urbes muniebant, & infinitis ad omnem caſum agitabantur curis. Iiſdem his inſtitiſti veſtigiis, Princeps, à quo tempore ad gubernandam Rempublicam noſtram admotus es. Edidiſti in bello, quod noſtra recordatione in turbatiſſimo Patriæ ſtatu geſtum eſt, ſpecimina animi, qualis ille Principum Naſſaviæ eſſe ſolet, prorſus invicti & ad quævis pro aris focisque Patriæ noſtræ ſubeunda pericula paratiſſimi: Quo terminato, ſic ſerio animum Tuum applicuiſti ad artes ſcientiaſque nobiliores in Patria noſtra excitandas promovendaſque, ut in Athenæo, quod ſacris his ſtudiis conſecratum eſt, novus omnino nunc appareat vigor, nova ſit conſpicua vita, ad invidiam uſque Muſarum vicinarum. Quæ ſi primitiæ ſint: quam Tu nobis paraturus es meſſem ampliſſimam, ſi Divina clementia Te nobiſcum velit conſervare? Sic meum quidem his diebus votum eſt, quibus Deus res in mundo & Eccleſia novas videtur moliri, hoc eſt, vel nova nobis præparare mala ad fidem & ſpem noſtram in adverſis exercendam; vel, quod ex animo ſperamus & precamur, molliora tempora, quibus liberati

berati à contemptu hoſtium noſtrorum erecta cervice ad laudem glorioſi Nominis ipſius feramur & excitemur ; etſi ſane mores hujus ætatis huic beneficio minime poſſint putari pares eſſe. Quid multa apud Te Verba fundo, Princeps? Sæculum vivimus, cui nullum fuit ſimile, à quo tempore inter homines apparuit Filius Dei. Cognitionis & ſolidæ ſcientiæ rerum divinarum tanta ſunt incrementa, ut poſt deceſſum Apoſtolorum humani ingenii induſtria per operationem Spiritus Sancti eo uſque provecta non ſit ; & charitatis infucatæ tamen, quæ inter virtutes Chriſtianas princeps eſt, tanta decrementa, ut ſi ex hoc ſymbolo dignoſcere volueris hodie veros Chriſti diſcipulos, noſtri Tibi cœtus daturi ſint perpaucos. Sed de eo commodius eſt alibi quam apud Principem diſſerere. Tu vero, Princeps Illuſtriſſime, qui hoc rerum ſtatu ad magnæ virtutis & prudentiæ experimenta vocaris, ſuſcipe ſub præſidio Chriſti defenſionem cauſſæ veritatis & Eccleſiæ, conſtanti fortitudine & pari felicitate. Eo es ſatus ſemine, illum in venis Tuis ſanguinem nutris, ut non poſſis non amare Eccleſiam Chriſti, pro cujus ſalute Majores Tui fortunas vitamque ſuam devoverunt. Sed ages etiam hoc, me non ſuadente. Vale, Sereniſſime Princeps, meamque apud Te in dicendo fiduciam æqui bonique conſule. Franekeræ. MDCLXXXVIII. A. D. VI. Kal. Nov.

Pietas juſſit hanc Tabulam, quam ſuperſtiti & florenti Principi ſuſpenderam, Glorioſæ Memoriæ Ejus, duro fato nobis erepti, dicatam relinquere.

PRÆ-

P R Æ F A T I O.

LECTORI BENEVOLO

CAMPEGIUS VITRINGA.

QUod *Opus* SACRARUM OBSERVATIONUM & DISSERTATIONUM *tuo nunc committo favori & judicio, Benevole Lector, in uſum Eccleſiæ mea cura adornatum, partim veteris, partim recentioris eſt diligentiæ. Tres enim illius Libri priores, tibi forte non prorſus ignoti, jam ante aliquot annos lucem viderunt. Quartus novus eſt, & priorum veluti acceſſio quædam. Et quidem* Primus *eorum à me primo editus eſt, quando juvenili admodum ætate accingebar ad Publicum Munus Doctoris in Academia Patria obeundum; hoc potiſſimum conſilio, ut meum qualemcunque in melioribus Literis pro ætatis ratione profectum, vel potius proficiendi ſtudium atque conatum, Doctis Viris commendarem: quippe quod tum temporis è re mea eſſe ducebam. Illi diſtracto, & typis denuo deſcribendo, poſt aliquod tempus junxeram* Alterum, *mox etiam* Tertium, *paratos ex Diſſertationibus in Athenæo noſtro publice ventilatis: quibus tamen eundem præſcripſi titulum* Obſervationum, *quia materiæ in iis pertractatæ non è trivio petitæ, ſed mea maximam partem induſtria elaboratæ erant. Probe novi, ſuis illos non caruiſſe nævis atque ἐλλείμμασι: etiamſi multis hominibus æquæ & ſanæ mentis, quibus ſtudia eruditionis cordi ſunt, non omnino diſplicuerint, eorumque faventiæ etiam, quæ proſtant, tulerint judicia. Horum exempla vero, inter homines diviſa, cum nunc ab aliquo tempore publice deſiderari cœperint: conſilium ſumpſit typorum Magiſter omnes ſimul prælo rurſus ſubjiciendi: à me jure poſtulans, ut illos recenſerem, & ubi occaſio me ad id invitaret, acceſſionibus quibuſdam locupletarem atque illuſtrarem. Subii itaque hunc laborem, licet ſatis moleſtum, ut publicæ rei prodeſſem, cujus commodis me conſecratum habeo: ſimul iis adjunxi* Librum Quartum *ejuſdem tituli, & ex non diſſimilis generis materia congeſtum. Nec ſpero futurum eſſe unquam ut hujus laboris me pœniteat. Argumenta enim hujus mei Operis, in quibus deſudavi,*

inſtituto noviſſime facem multis prætulit in noſtro hoc Belgio Celeberrimæ ſuo merito & laudatiſſimæ memoriæ Vir, Johannes Coccejus, etſi forte eas in Propheticis ad ſingulares quaſdam Divini Verbi pericopas ſecundum aliquorum judicia ſubinde anxie nimis & quæſite allegarit; ſive etiam quis ex Literatura Sacra aut Profana, quæ varii & diverſiſſimi generis eſt, Scripturæ Sacræ orationem & Doctrinam, Ejuſque & Eccleſiæ Hiſtoriam, variis fœcundam caſibus, explanare laboret, fere ut noſtro hoc ævo plures inſtituerunt Præclari Viri, ex quibus citra invidiam forte hic appellari à me poterunt, Dallæus, Henricus Valeſius, Bochartus, Marshamus, Huetius, Stillingfleetus, Pearſonus, Pagius, Caveus, eoſque tempore prægreſſi, Gerardus Joh. Voſſius, Uſſerius, Sirmondus, Seldenus, & qui de phraſi Biblica optime meritus eſt, Hugo Grotius, ἐν τοῖς μὲν δόγμασιν οὐ λίαν ἀκριβὴς, ſed eruditionis & limati cætera judicii reſpectu haud dubie poſt Eraſmum ἐν τοῖς Belgarum ἀρίστοις cenſendus. Et ſane ſi Juventus, Deo ſacra, in animum ſuum induceret hujus generis exempla ſibi in ſtudiis ſuis tractandis ob oculos ponere; poſſet ſibi inde Eccleſia certos, eoſque præſtantes, polliceri fructus. Primo enim dediſcerent Juvenes, in Academicis ſpatiis verſantes, ſtudia ſua arctis adeo circumſcribere cancellis, ut multi faciunt: ſed potius conſiderantes vaſtitatem & copiam eruditionis, cujus mens humana, rite exculta, capax eſt, neutiquam quieſcerent, antequam illius ſaltem deguſtaſſent delicias eruditionis, quæ excellentiſſimi ingenii Viris tanto conſtitit labore: cum nunc contra ſæpe accidat, ut non pauci eorum qui ſacrarum ſcientiarum ſtudium profitentur, per integram vitæ ſuæ ætatem in ipſis hæreant principiis, & nunquam veniant in notitiam eximiorum illorum ſolidioris doctrinæ incrementorum, quibus Deus noſtra beavit tempora. Deinde etiam prorſus mihi perſuadeo, non parum id collaturum eſſe ad factiones & ſtudia partium, quæ inter ordinis ſacri homines facile naſcuntur, & facilius forte in hoc noſtro Belgio (venia ſit dicto:) quam alibi, extinguenda eorumque ſemina ſuffocanda. Obſervaſſe enim mihi videor, diſſidia & factiones in cauſſa Religionis ob minoris momenti quæſita non raro ab ejuſmodi foveri hominibus, qui ſive quod occaſio ipſis non obtigerit, ſive etiam à generoſiore animo inſtincti eam non quæſiverint, nunquam fere egrediuntur circulos, quibus ſe à Præceptoribus ſuis paſſi ſunt includi, & ad majora & altiora non feruntur, quam quæ ſua forte ætate in Academicis Scholis contentioſis Doctorum diſputationibus ventilari intellexerunt: tam ſæpe, ſi partium ardorem & æmulationem hic exceperis, in ſe nullius ponderis, & tam exiguæ utilitatis, ut poſteritas eorum nullam admodum, vel certe non magnam, habitura ſit rationem.

tionem. Omnis Eruditio, ſi Divina eam comitetur gratia, animum *veluti ampliat &* dilatat, *mores emollit, motuſque homini inſpirat nobiliores moderationis & prudentiæ in ferendis diſsentientibus circa quæſita levioris argumenti, modeſte diſcuſsa: modo abſit petulantia, & non convellantur τὰ ἐπάναγκες Chriſtianæ Religionis Fundamenta. Tum denique cenſeo, immodeſti & protervi ingenii homines nulla alia commodiore & certiore via ad ſe redituros eſſe quam ſi præſtantium & de Eccleſia præclare meritorum Virorum labores prius diſcant cognoſcere, inſpicere, æſtimare, & mirari etiam, quam eos contemnant & negligant. quod aliqui nimis ſane faciunt oſcitanter. Scripſerunt illi ut à nobis legerentur: perinde ut nos qui ſcribimus ab aliis quoque legi cupimus. Cum autem eorum plurimi nos ingenio, eruditione, & diligentia, longe ſuperarint: ipſa jubet æquitas, imo & pietas, & noſtræ exigit cum maxime ratio utilitatis, ut quæ ab ipſis in uſum poſteritatis elucubrata ſunt opera egregia, videantur, legantur, expendantur, tum ut noſtrum ex iis inſtruamus penu; tum etiam, ut ſi animus nobis ſedeat de iiſdem vel affinibus argumentis in uſum Eccleſiæ commentari, optimos ſequamur duces & auctores. Legere vero & inſpicere eorum ſcripta nemo poteſt, niſi illorum ſtupeat tam ingenii capacitatem & cultum, quam diligentiam ſingularem, quæ credi poſset humanas excedere vires, niſi exempla ipſa contrarium ejus evincerent: cum quibus quiſquis noſtrum ſuam contulerit mediocritatem & paupertatem, diſcet, niſi pravæ ſit indolis, modeſte de ſe ſentire ac ſapere, & criſtam, quam ob levem in ſcientia progreſſum erigere cœperat, illico deponet. Et vero ſi rem ipſam æqua mente hic ponderare velimus: quid tandem pulchrius eſt, & magis è decore Theologi, quam ut ſe inſtruat facultate de quibuſcunque rebus, quæ ad eam quam tractat, diſciplinam pertinent, recte ſolideque judicandi? Quod enim Philoſophus non optimus optime dixit:*

Nihil egregius quam res ſecernere apertas
A dubiis.

Hic primus & certiſſimus fructus eſt, quem ex omni literarum tractatione percipimus. Tantum intereſſe oportet inter Doctum & rudem Literarum Virum, ut perite de rebus ſuæ diſciplinæ præſtantioribus judicare, & de iis apte poſſit diſſerere. Judicandi autem illam facultatem nemo ſibi unquam comparaverit mortalis, (ſi extraordinariam Spiritus S. Gratiam hic exceperis:) niſi diligentiſſima exercitatione & labore. Si Theologiam profiteremur, quæ ex ſolis peti poſſet Rationis & Conſcientiæ principiis: ſufficeret nobis hic Cultus mentis, ex ſaniore aliqua comparatus Philoſophia, qui inſcitiam detergeret,

animumque præpararet ad accipiendos ſatus: *quam ego laudem illi lubens cum* Cicerone *tribuo: ſed cum vel maxime, quà Chriſtiani ſumus Theologi, Doctrinam veræ Sapientiæ ac Religionis ſalutarem ex Sancto Codice Divinæ Revelationis neceſſe habeamus haurire; ſic ſtudia noſtra componenda eſſe putem, ut hic potiſſimum videri velimus ſapere. De ſenſibus autem Divini Verbi tanto quis doctius & felicius arbitrabitur, quanto illud legerit & meditatus fuerit diligentius, atque in omni ſacra & ſæculari eruditione ſe felicius exercuerit. Huc nimirum pertinet, Linguas intelligere, quibus Sacri illi Libri editi ſunt; eorum compoſitorum, & in alias Linguas converſorum, hiſtoriam noſſe & fata; quarumlibet rerum naturam & ingenium, quarum mentio in Sacris illis Libris data opera fit, & præcipue Ritus Antiquitateſque tum Populi Hebræi tum aliarum Gentium, quarum pariter memoriæ in Eccleſiaſticis illis Monumentis conſervatæ ſunt, quantum vetuſtatis ratio permittit, inveſtigare; tempora Mundi & Eccleſiæ ex Hiſtoria Sacra & Profana rite digerere, eaque inter ſe conferre; eaſdem illas Hiſtorias diligenter applicare ad Prophetias, quæ abſque iis prorſus mutæ ſunt; tum denique labores Præſtantium Virorum, qui in Divinis illis Libris illuſtrandis, inter Hebræos & Chriſtianos, impigre ac feliciter deſudarunt, aut de argumentis quibuſcunque aliis, hanc diſciplinam ſpectantibus, docte & utiliter ſcripſerunt, noſſe, iiſque ſtatuere poſſe pretium. Per has exercitationes ſentiemus judicium noſtrum inſtrui atque expoliri, &* Criticam *recte diſcemus tractare* Artem, (non illam dico, quæ in ſyllaba ætatem trahit, verum quæ Scriptorum omnium Judex arbitraque jure ſuo ſedet, *ut mea hic faciam Præcellentis Viri*, Jacobi Gothofredi, *verba:*) *qua in omni ſtudiorum genere nulla eſt utilior & majore cum delectatione exercetur; noviſſimis hiſce ſæculis in omnibus utilibus ſcientiis, quæ temporum noſtrorum felicitas eſt, ad magnum evectam gradum perfectionis. Nec eſt quod alicui hæc via longa videatur, & difficilis. Licet enim hic pedetentim, & per partes, progredi, modo viam ineamus rectam, & peritos nanciſcamur duces. Nec putabimus etiam operam luſiſſe, ſi magnorum Virorum progreſſus in Literis noſtra non æquaverimus induſtria. id enim non nego eſſe difficillimum. Proderit nobis ſemper eorum exempla in alto poſita contueri, & pro facultate ac otii noſtri ratione ad qualemcunque etiam profectum noſtrum imitari. Tandem etiam nemo cum ratione exiſtimet, diffuſius hoc ſtudii literarii genus inimicum eſſe pietati, mentemque diſtrahere ab arctiore commercio cum Deo in Chriſto per exercitationem veræ fidei & meditationum piarum, cujus vel maxime homini Theologo in vita ſua habenda eſt ratio. Scio ſane eſſe qui*

hoc

hoc ſibi perſuadeant, vel ſegnitiei ſuæ obtendant, abuſos etiam auctoritate ſummi Apoſtoli Pauli, qui in Priore ſua ad Corinthios Epiſtola, ſcientiam ait inflare. Si ita eſt; fateor, negligendas eſſe Literas, & fugiendas ſtudiorum omnium ſeveriorum occupationes. Sed credin' ſerio ita eſſe, qui ad rem ipſam probe attendis? Nonne liquet nobis ex iiſdem illis Paulinis ad Corinthios Literis, Deum extra ordinem per Gratiam ſingularem Spiritus S. in Apoſtolos & Prophetas in ipſis Novæ Eccleſiæ natalibus contuliſſe donum Γνώσεως, hoc eſt, Eruditionis? Γνῶσις enim certe hic id ipſum eſt quod nos Eruditionem vocamus, ſive potius Scientiam neceſſariam quarumcunque rerum, abſque qua Criticam, hoc eſt, ſolidum judicium in ea qua verſamur diſciplina ſacra in univerſum feliciter exercere integrum non eſt. Non poterant Apoſtoli hoc dono gratiæ carere. Cum enim maximam partem rudes eſſent Linguarum, Literarum, Hiſtoriarum, & Doctrinæ Secularis, nec ipſius forte Hebrææ Dialecti ſatis periti: (Chaldæa enim tum temporis paſſim uſu obtinebat inter Judæos in Palæſtina:) quo modo vel Sacras Literas recte potuiſſent interpretari, vel Prophetias explicare, vel Judaiſmi & Paganiſmi errores refellere, niſi inter alia principiis τῆς ἔξωθεν παιδεύσεως fuiſſent imbuti? Supplevit igitur hunc in illis defectum Spiritus S. ſua gratia. Fecit illos abſque labore non ſapientes tantum ſed & eruditos. Donavit illos ſcientia Linguarum, quas nunquam didicerant; hiſtoriarum, quas nunquam legerant; rerum, de quibus nunquam iis in mentem venerat cogitare, omnique utilis Doctrinæ apparatu illos perfectiſſime inſtruxit. qui idem Spiritus דעת Eruditionis, teſte Jeſaia, ſupra modum exornaverat magnum diſciplinæ noſtræ Auctorem, Chriſtum Jeſum, κατὰ σάρκα etiam omnium rerum utili cognitione abunde ad exemplum Salomonis, Protypi ejus, inſtructum, inter alias mirabiles dotes, quibus ὐκ ἐκ μέτρȣ ſupra menſuram inter fratres ſuos excelluit. Quæ gratia Sancti Spiritus ſi in Apoſtolis & Prophetis primi temporis, eorumque ac noſtro pariter Duce, Domino, & omnium Doctorum vero exemplari, conſiſtere potuerit cum perfectione omnis virtutis atque exercitatione ſolidiſſimæ pietatis, eoſque ſimul excellenter condecoraverit: an fieri poteſt ut illa duo hoc tempore inter ſe pugnent, ac hominibus, uſibus Dei atque Eccleſiæ conſecratis, inſigne non adferant decus? Poteſt enim & debet in omnium ſtudiorum tractatione illud adhiberi temperamentum & moderatio ab homine vere Chriſtiano, ut in iis non ſuæ ſed Divinæ litare velit Gloriæ, & vera Dei imbutus reverentia, omne ſuum ingenium, diligentiam, & labores, (quæ utique in donis Dei cenſeri debent:) Deo conſecret; & Eccleſiæ quoque, in cujus ſpecioſiſſimo ornatu ipſa

Dei & Chriſti Jeſu Gloria agnoſcitur & celebratur. Deſiit equidem Deus, fateor, labentibus ſæculis illud donum Doctoribus Eccleſiæ per miraculum extra ordinem impertiri, (etſi tempore Tertulliani *adhuc ſuperfuerit :) non ideo vero quod id Eccleſiæ deinceps minus utile ac neceſſarium eſſet, ſed quod Doctoribus ſequentium temporum non deeſſent occaſio & otium ſuo labore atque induſtria ſibi illud comparandi. Non vult enim Deus ut miracula ſerviant pigritiæ & torpori hominum, ſed neceſſitati temporum. Ut paucis defungar in ampliſſimo argumento: Doctorum atque Prudentium Virorum eam rationem eſſe docet Apoſtolus in Civitate Chriſtiana, quæ* Oculorum *eſt in Corpore humano.* Oculi *autem ut in eodem Corpore non pugnant cum* manibus: *ſic utique inter Doctrinam & qualemcunque Exercitationem Chriſtianæ Pietatis & Charitatis optime ſemper conveniet, modo quæque officia ſuis locis temporibuſque à nobis abſque perturbatione prudenter adminiſtrentur. Quin ut* Oculi *ſunt neceſſarii Corpori; ſimul decus illi & ornamentum conciliant maximum: ſic plane ſe res habet cum Literarum & Eruditionis ſtudiis. Corpus Chriſtianæ Societatis abſque iis ſibi quoad partes ſuas non conſtat; nec dicere poteſt,* χρείαν ὑμῶν ἐκ ἔχω. *Quantum decus illatum eſt in Eccleſiam; quam pulchre in his Mundi plagis Chriſtiana fulſit Religio, à quo proximis ſæculis diſpulſa ſuperiorum temporum barbarie, quæ cum craſſa ſuperſtitione Scholas & Eccleſiam tota occuparat, Humanitatis, & cum iis Sacrarum Literarum Studia, ſecundum Judiciariæ Artis Canones excoli cœperunt? Ipſi Chriſtiani homines tum facti ſunt, quod mihi dicere hic liceat,* humaniores. *Primis quidem Chriſtianiſmi temporibus, quæ Apoſtolorum fata exceperunt, Eruditio aliqua viguit in Chriſtianiſmo, magnis acquiſita & herculeis laboribus, qualis illa fuit Alexandrinorum Catechiſtarum,* Clementis, *&* Origenis: *ſed erat illa vaga nimis &* ἀμέθοδος. Africanus *quidem, &* Lucianus *Martyr, egregii Viri, hujuſque inter plures alios diſcipulus Doctiſſimus,* Euſebius *Cæſarienſis, tum etiam* Hieronymus, Origenis *æmulatus diligentiam & laudes, &* Theodoretus, *ſtudia ſua magis adſtrinxerunt ad Leges* Artis Judiciariæ, *eamque ipſi multis in caſibus ad magnam Eccleſiæ utilitatem ſatis feliciter tractarunt. Fuerunt tamen illi cum aliis, quibus idem placuit ſtudii genus, pauciores numero. Ars Declamatoria regnum ubique obtinebat in Scholis & Cathedris Chriſtianorum, & per eam uſque adeo teneriore ætate corrumpebantur Juvenum ingenia, ut deinceps per vitam eos fere defecerit facultas ordine ac* μεθοδικῶς *ratiocinandi, &* κρίσιν *ſacram callide exercendi. Quod vitium ſi ipſi quoque non adhæſiſſet* Hieronymo: *potuiſſet ſe ipſe longe ſuperare. Nec emendabatur illud facile*

per

per Philoſophiam Platonicam, quæ juxta Declamandi illam Scientiam per illam Eccleſiæ ætatem colebatur. Illa enim ut multis locis vel obſcura eſt vel imperfecta; ſic paſſim imperfecte à Doctoribus ſive Chriſtianis ſive Paganicis tradebatur: utique minime purgata à dogmatibus, quæ habebat, Rationi & Chriſtianiſmo contrariis. Inde poſt decurſum aliquot ſæculorum cum omnis generis ſtudia Literaria politiora extra Cœnobia, *Francorum Imperatorum ſingulari quadam cura & liberalitate fundata, in Occidente fere jacerent: (niſi forte* Heſychium, *Auctorem Commentarii in* Leviticum, *&* Iſidorum, *Hiſpalenſem Epiſcopum, qui medio tempore in his Literis aliquid conati ſunt, licet admodum imperfecte, hic exceperis:) atque adeo Occidens hanc laudem ſoli fere relinqueret Eccleſiæ Orientali, in qua poſt* Procopium Gazæum *& κριτικώτατον* Photium *complures Viri critice & Grammatice Docti ad recentiora uſque tempora floruerunt, ſepulta deinceps etiam ſtudia in Occidente reſuſcitaturi: corripuit ſubito Europæos, maxima circa eam tempeſtatem hominum copia exundantes, incredibilis quidam in Literas ardor. Concurſus in Academias Europæ celebriores, Pariſienſem, Oxonienſem, Colonienſem, Bononienſem, aliaſque illius ævi Scholas, tantus fuit, ut fere fidem ſuperet. Sed cum in tanta tot hominum contentione paſſim ingenia efflorescerent, ſcientiarum capaciſſima, & laboris patientiſſima: ad infelicitatem illorum temporum referendum eſt, quod vera diſciplinas ſacras tractandi methodus Doctores publicos fefellerit. Detrudebantur & compingebantur illa in piſtrinum Philoſophiæ Peripateticæ, ex impuris fontibus hauſtæ, & negligebatur interea Doctrina Judiciariæ Artis, quæ omnibus cujuſcunque generis ſtudiis modum præſcribit ac terminum; ſive potius cultius Studium Divinarum Scripturarum, & Scientiarum quoque, ad verum clarumque earum intellectum ducentium. Progreſſum non nego Eccleſiam tum feciſſe in arte ratiocinandi non mediocrem; & laudo inſuper proboque vel maxime, Scientiam rerum Divinarum in ordinem & σύϛημα quoddam compactam, in Scholis rite tradi & exponi cœpiſſe: Ruditas tamen & ſqualor, quæ ingeniis hominum ab unguiculis adhærere ſolent, per immenſos illos Literatorum hominum labores neutiquam deterſa ſunt; & inde tandem factum, ut Scholaſticorum illa ſtudia mox deflexerint ad ſteriles atque inutiles, & ſæpe etiam ineptas atque blaſphemas, diſquiſitiones* metaphyſicas, *(quæ dicebantur, ut vere erant μετὰ καὶ παρὰ τὴν φύσιν:) quæ tandem illa in omnium odium adduxerunt & faſtidium: cujus nunc videmus eſſe conſequens, ut vaſta illa opera & volumina, immenſo compoſita labore & multis elucubrata vigiliis, quorum Auctores ſuo tempore veluti ſupra humanam evecti ſortem ut* Seraphici *&* Cherubici *in ſpatiis Academicis celebrabantur,* grande *videlicet* mercati

& inſanum ſophôs; *& quæ vere non contemnendum produnt acumen ſubtilitatemque ingenii, ita nunc jaceant ut elegantiorum hominum nemo ea terat aut tractet. In noſtra igitur & Patrum noſtrorum tempora Deus duo contulit eximia rei literariæ ſubſidia & ornamenta, quæ ſimul Religioni noſtræ magnum conciliarunt nitorem atque claritatem.* Politior eruditio, *& quæ ei inſerviunt inſtrumenta, per cultiſſimi ingenii Viros undique producta ſunt in lucem; & principia ſanioris & certioris* Philoſophiæ (*cujus ſtudium, ſi modeſte excolatur, nemo negare poteſt Eccleſiæ eſſe utiliſſimum:*) *abſque farragine ſpinarum & ineptiarum felicius inveſtigari cœperunt; tum etiam omnes aliæ artes & ſcientiæ, ex quibus humanum genus emolumentum aliquod percipere poteſt, ad notabilem eductæ ſunt perfectionem & cultum: unde nunc infinita indoctis etiam patent, quæ olim Doctiſſimi ignorabant. Quæ beneficia noſtrorum temporum qui non agnoſcit: næ is ingratus & in Divinam benignitatem injurius eſt. Neque enim cenſeri debet Deus hanc tantam lucem accendiſſe alio fine, quam ut ea Sanctuarium ſuum tum colluſtraret tum exornaret. Id enim habet, & ea in re ſe jactat Religio Chriſtiana, quod Lucem Cultæ Rationis & veræ Eruditionis Literariæ non metuat & fugiat, ſed utramque illuſtret ipſa ac ab iiſdem viciſſim illuſtretur: ſecus ac in omnibus aliis accidit Religionibus, quas Orbis terrarum novit. Quare tandem ut eo redeat unde digreſſa eſt oratio: γνῶσις illa, quam Paulus hominem* inflare *ait, haud dubie vel eſt γνῶσις ψευδώνυμος,* falſo ſic dicta *appellataque* Scientia, *juncta præſidenti judicio de magna amplitudine* Libertatis *illius, in quam Chriſtus Jeſus Eccleſiam ſuam vindicavit: quam* Scientiam, *ſive potius* judicandi præſidentiam, [a] *Paulus in ſequente contextu à ſua & Sanctorum* Scientia *curioſe diſcernit; vel etiam qualiſcunque* Eruditio, *menti commiſſa pravæ, & per gratiam Spiritus S. à vana ambitione aliiſque cupiditatis vitiis hactenus non purgatæ. quæ itaque culpa non eſt* Eruditionis, *rei ſane præclaræ & præſtantiſſimæ, ſed hominum, eruditione ad ſuam perniciem abutentium: ut ſolet optimarum rerum abuſus eſſe peſſimus. Sic fere ut Paulus ad* Romanos *ſcribens,* Legem, *ſaluberrimum Religionis Judææ inſtrumentum, quæ data erat* ad vitam *& ſalutem Iſraëlitarum, eos* interemiſſe *dicit. Dona Dei vero non ſunt æſtimanda ex eorum abuſu, ſed ex ſua natura & indole. Sic nemo ingenium, eloquentiam, divitias, dignitates, aliaque ejus generis beneficia, quibus Deus humanum genus locupletat, propterea ſpernit quod inverſæ indolis homines iis ferociant: cum contra videamus ad Eccleſiam ex his naturæ muneribus aut beneficiis, ſi quis iis recte utatur, non exiguum redundare emolumentum. Ego vero etiamſi* Eruditionem Literariam *per ſe magni faciendam cenſeam,*

ubicun-

a Verſ. 7.

ubicunque tandem deprehendatur; nullam tamen hic laudaſſe velim doctrinam quam ſolidam, quæ cum ſapientia, pietate, & modeſtia conjungitur, & ſecundum Leges Artis Judiciariæ culte ac polite, non indigeſte & ῥαψῳδῶς, exercetur. Vera autem & ſolida eruditio in iis, qui Gratiæ Spiritus S. expertes non ſunt, ab his virtutibus vix ſejungitur, & alias etiam raro extra prudentiam, modeſtiam, & moderationem animi, conſiſtit. Faſtus & arrogantia cadunt fere in indoctos, vel potius ſemidoctos, qui facultates ſuas æquo judicio non metiuntur, & cum aliarum rerum ſcientia ſuam non excolunt conſcientiam: quod in omni ſolida doctrina primum eſt; & vere ſunt vulgarium, & non erectorum animorum, vitia. Recole tecum memoriam excellentium hominum in ipſo etiam Paganiſmo, quos ingenii elegantia & literarum cultus poſteritati commendarunt, ut, ſi exempla petis, Polybii, Ciceronis, Attici, Plutarchi, Pliniorum, Marci Aurelii, & facile mihi dabis tam illos procul abfuiſſe à faſtu, arrogantia, & inſolentia, quam è contrario omnia illorum judicia & rationem vitæ adminiſtravit quædam prudentis ac bene conſulti atque modeſti animi moderatio, ejuſque motuum temperantia, quæ rationalis ac civilis ſapientiæ præſtantiſſimam facit partem. Vera itaque & maſcula eruditio criſtam non facit, ſed ſpuria, adulterina, & ψευδώνυμος γνῶσις, ſive ἡ δοκησισοφία ſciolorum. Sentio nimium me dare luxurianti ſtylo in hac Præfatione: quare illi actutum modum pono. Tantum, Benevole Lector, ſi in his Libris forte non niſi modicum offendas cultum & bonarum rerum apparatum: ne puta hoc ipſo Proœmio tuæ illuſum eſſe expectationi. Agnoſco ultro, me, ut facultas eſt, præſtare mediocria; in hoc maxime Opere, cujus potiorem partem ea ſcripſi ætate, quæ per ſe excuſationi locum facit: ſic tamen ut ſinceræ voluntatis meæ inclinatione in optimum ſtudii genus propendeam, & ad majora & meliora contendere nunquam deſinam. quo in conatu ſpero Dominum Jeſum, omnis perfectionis auctorem & inſtauratorem, prudente conſilio & conſtante Gratia ſui Spiritus me ad finem vanæ illius & ærumnoſæ vitæ, quam in his terris ducimus mortales, adjuturum eſſe. Tu fave labori, & Vale. Scripſi Franekeræ A. D. III. Id. Jan. CIↃ IↃCC. Hiſce, ante hoc Decennium ſcriptis, nihil nunc addo, niſi quod gratias ſupplex agam Domino pro benedictione, qua tenuem hanc opellam meam benigne hactenus proſequutus eſt, deſiderata quidem, ſed expectatione ſuperiore: cujus gratiæ porro me meaque humiliter commendo. Vale. Scripſi A. D. XI. Kal. Oct. CIↃ IↃ CCXI.

LEMMATA
CAPITUM
HUJUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

DISSERTATIO PRIMA
DE
CONFUSIONE LABII.

Cap. I.

Diſquiritur, an Hiſtoria Moſaica de *Confuſione Labii*, qua Deus ultus eſt inepta Conſilia humani generis in ſtruenda Turre Babylonica, commode explicari poſſit, ut vulgo fit, de *Origine aliarum ab Hebræa Linguarum:* Cui ſententiæ cum fundamenti loco ſubſterni ſoleat, ſolius *Semi* Familiam poſt illud tempus Hebræa Lingua uſam eſſe; ea quidem hypotheſis convellitur, & docetur, *Poſteros Chami*, qui turrim Babylonicam exſtruxiſſe creduntur, Hebrææ Linguæ uſum & conſuetudinem longo tempore, poſtquam facinus hoc commiſſum fuit, retinuiſſe.

Cap. II.

Adſtruitur cum ex *hiſtoriis* tum ex *nominibus*, quæ in *primo* Moſis *Libro* paſſim occurrunt, Orientales Populos omnes longe poſt diſperſionem Gentium eadem vel valde affini uſos fuiſſe dialecto.

Cap. III.

Diſputatur contra *Hugonem Grotium* & *P. Danielem Huetium* variis rationibus, quod *Nomina propria*, quæ in Scriptis Moſaicis occurrunt, ab Hiſtoriographo Moſe ex Lingua, ut volunt, Vetere in *Linguam*, nunc dictam *Hebræam*, converſa non ſint.

Cap. IV.

Eadem diſputatio de Nominibus à Moſe Hiſtoriographo paſſim non mutatis continuatur; inprimis vero de *Libro Geneſis*, ut à Moſe compoſitus eſt, paulo liberius, attamen modeſte, diſſeritur.

Cap. V.

Tollitur difficultas, quæ ſententiæ hactenus demonſtratæ objici cum ſpecie poteſt ex *Gen.* XXXI. 45, 46. & quæ pro-

producitur illius loci interpretatio, illuſtratur & confirmatur.

CAP. VI.

Aliæ rationes & cauſſæ evidentes mutationis atque Originis variarum Linguarum notantur, quales ſunt, *Populorum* Diviſio; Fundatio *Imperiorum & Rerumpublicarum*; hinc nata *Legum* & *Conſuetudinum diverſitas*; *Gentium*, jam diviſarum, *commercia*; *rerum novarum inventio*, *pronunciationis cura*, *&c.* Exemplum vero primum datur in *Ægyptiis*, quorum *idioma* omnium primo mutatum fuiſſe conjicitur, ſic tamen, ut liquido oſtendi poſſit, Linguam hanc ad Hebræam originem duci poſſe.

CAP. VII.

Linguarum *Græcæ* & *Latinæ* origines libera oratione indagantur. Qua occaſione de *Phœnicum* & *Ægyptiorum* expeditionibus in Græciam diſputatur, proferunturque teſtimonia & exempla, ex quibus conſtare poteſt, *Latinam Gentem* & *Linguam* ex *Græca*; *Gentem* vero & *Linguam Græcam* tam ex *Phœnicia* quam ex *Scythica*, ortum trahere.

CAP. VIII.

De *Perſis*, *Scythis*, horumque progenie, Populis Septentrionales regiones incolentibus, diſſeritur, eorumque Linguarum convenientia mutua inter ſe, & origo ex una Hebræa Lingua oſtenditur. Proferuntur etiam ad calcem exempla modorum loquendi integrorum, qui *Hebræis* ac *Belgis* communes ſunt.

CAP. IX.

Exhibetur tandem duplex explicatio contextus Hiſtoriæ Moſaicæ, Cap. XI. I. 6. 7. quarum neutra videri poſſit abs re eſſe. *Altera* fert, hiſtoriam Moſis de *animorum diſſenſione in Conſiliis & Opere*, quæ cauſſa eſt Diſſipationis populorum in varias terræ plagas, ac proin *Originis Linguarum variarum*, intelligendam eſſe: *Altera* vero, Moſen loqui de *Vitio Linguæ* aut *Labiorum in pronunciatione*, quæ conditoribus turris, quando animi ſui cogitata aliis exponerent, illo tempore extra ordinem evenerit judicio Divino, modo prorſus ſingulari.

DISSERTATIO SECUNDA *DE* SEPHIROTH KABBALISTARUM.

CAP. I.

Diſſertationi de SEPHIROTH KABBALISTARUM quædam præmittuntur neceſſaria præcognitu tum de ipſa voce KABBALA, tum de *Doctrina Judaica*, quæ hoc nomine ſolet notari, tam *recentiore*, quæ cum Pythagorica vel Platonica Philoſophia comparatur, quam *antiqua* & vera *Prophetarum* & *Sanctorum* ſub OEconomia Vetere, quæ adſtruitur & illuſtratur.

LEMMATA CAPITUM.

Cap. II.

Sephiroth Decem, Antiquæ Kabbalæ compendium, recenſentur & deſcribuntur, tradita illius notionis genuina ſignificatione. Qua occaſione de *Recentiore* Judæorum *Kabbala*, quæ omnino eadem eſt cum Philoſophia Pythagorica & Platonica, illiusque Doctrinæ myſteriis; tum etiam de Doctrina & Arcanis Gnosticorum, qui vere fuerunt Chriſtiani ex Judæis, Kabbaliſtarum Dogmatis imbuti, diſſeritur, examinatis Eruditorum quorundam ſententiis. Tandem hypotheſis nova περὶ τῶν *Sephirôth* proponitur, eaque in genere illuſtratur.

Cap. III.

Novem Sephiroth, ſive Attributa *Meſſiæ*, *Regis Eccleſiæ*, ſecundum hypotheſin, in ſuperioribus jactam, in Meſſia demonſtrantur, & tum ex aliis Divini Verbi partibus, tum præcipue ex *Apocalypſi*, illuſtrantur.

Cap. IV.

Diſquiritur, quid antiqui Doctores Judæi potuerint intelligere per ultimam *Sephiram* מלכות *Regnum*. Porro indagatur, quid intellexerint per שכינה *Habitationem Divinam*, cujus frequens apud eos eſt mentio; necnon, an שכינה *Habitatio Divina* apud eos idem ſit, quod רוח הקדש *Spiritus Sanctus*. Qua occaſione Hebræorum ſententia *de quinque Defectibus Templi ſecundi*, excutitur, & celebre dictum Lev. xvi. 2. illuſtratur.

DISSERTATIO TERTIA *AD* LOCA QUÆDAM S. SCRIPTURÆ.

Cap. I.

Lux affunditur tribus difficilioribus ſententiis, quarum *prima* Gen. xlix. 4. rationem continet, propter quam *Rubeni* negata ſunt privilegia Primogenituræ; *ſecunda* Exod. iv. 6. cauſſam atque originem detegit calumniæ, quod populus Judaicus propter *Lepram* pulſus ſit ex Ægypto; *tertia* vero 2 Sam. i. 18. *Saulis* & *Jonathanis*, defunctorum, elogium comprehendit.

Cap. II.

Duo expenduntur dicta S. Scripturæ, 2 Sam. vi. 2. Pſ. xxii. 17. In quorum *altero non exigua* tollitur difficultas, quam lectio textus Hebræi cuique parit ad eam attendenti; In *alterius* autem expoſitione ratio redditur, cur כארי in lectione vulgata textus hebræi legatur pro כרים: qua occaſione comprobatur, literas אוי Hebræis Veteribus inſerviiſſe loco *punctorum vocalium*, poſtea adinventorum.

Cap. III.

Quinque loca, quæ in Vaticiniis *Jeſaiæ* reperiuntur, *Cap.* vii. 6. & 9. xii. 3. xiv. 4. & 8. diſtincte enarrantur, explicantur, & illuſtrantur, verſionibus aliorum modeſte collatis.

Cap.

LEMMATA CAPITUM.

Cap. IV.

Inquiritur in veram interpretationem Tituli מדבר ים *Deſerti maris*, vaticinio contra Babelem, apud *Jeſaiam* Cap. XXI. I. præfixi, adjecta obſervatione alia ad locum inſignem *Zachariæ* Cap. III. 9.

Cap. V.

Ex Evangelio *Matthæi* pauca deſcribuntur teſtimonia, quibus lux aliqua affunditur. Inprimis vero genuina notatio vocabuli Ναζωραῖος eruitur ex ſignificatu vocabuli נצר / & inquiritur in rationem, cur Judæi ***monumentum ſepulchrale*** ſoleant appellare נפש / quod proprie *animam* notat.

Cap. VI.

Alia quædam teſtimonia ex *Cantico Zachariæ*, *Actis Apoſtolorum*, & Epiſtolis ad *Galatas* & *Theſſalonicenſes*, adducuntur, iiſque ex quibuſdam ad ea obſervatis lux affunditur.

Cap. VII.

Duo Loca ex Epiſtolis *Pauli* ad *Timotheum* notantur; quorum alter exponitur, alter illuſtratur. Ex Epiſtola item ad *Hebræos* producitur monitum *Pauli*, cum quo comparantur dicta quædam Doctorum Judæorum ex *Pirke Avoth*. Poſtea docetur, quid in *poſteriore Epiſtola* Petri intelligendum ſit *per vocationem* διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς *per gloriam & virtutem*. Coronidis loco additur obſervatio ad vocem φαιλόνιος.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

Genuinus ſenſus celebris Loci *Amoſi*, Cap. V. 25, 26. in medium profertur; adſtruiturque variis argumentis, quod in eo traditur de Cultu Idolorum ***Molechi*** & ***Remphan***, quo ſe Iſraëlitæ in *Deſerto* polluiſſent, non ***figurate*** ſed vere & ***quoad literam*** eſſe intelligendum. Quam in rem alia quoque producuntur Sacræ Scripturæ Loca & illuſtrantur, quæ affinem continent ſententiam.

Cap. II.

Vulgata ſententia Doctorum, quæ fert, ***Sacerdotium olim fuiſſe inter Prærogativas Primogenitorum***, modeſto ſubjicitur examini, ac refellitur: & quæ pro ea facere creduntur teſtimonia ex Scripturis Divinis petita, explicantur.

Cap. III.

Rationes aliæ varii generis producuntur, quibus probatur, ***Sacerdotium*** neque ante neque poſt Exitum Iſraëlitarum ex Ægypto ad ***Prærogativas Primogenitorum*** pertinuiſſe.

Cap. IV.

Phraſios, שבת לימין *Sedere ad dextram*, depromptæ ex Pſ. CX. I. quam Scriptores Sacri N. T. perquam familiariter adhibent ad ea deſignandam ***ſummam gloriam Mediatoris***, veræ ſignificationis genuina origo indicatur, varieque illuſtratur.

Cap. V.

Variis probatur & clariſſimis argumentis, Sacros Scriptores per phraſin ***Sedendi ad dextram Dei***, intelligere *Com-*

Communionem Regni, in quam Filius Dei, Chriſtus Jeſus, à Patre aſſumptus eſt.

Cap. VI.

Inquiritur in rationem vel *fundamentum* receptæ conſuetudinis, qua *Infantes*, *Credentibus* in Chriſtum Parentibus ſati, in Eccleſia Chriſtiana *baptizantur*. Quid ſtatuendum ſit de *Fœdere externo* ſub OEconomia Novi Teſtamenti, quod huic dubio ſolvendo quibuſdam Theologis commodum videtur, diſputatur. Alia tandem certiora *Pædobaptiſmi* fundamenta indicantur.

Cap. VII.

Solvendum ſumitur Dubium: *Cur Credentibus in Chriſtum ſit moriendum?* Quem in finem *primo* id agitur, ut momentum hujus quæſtionis oſtendatur; *dein* probatur, *mortem temporalem* omnino habendam eſſe pro *pœna peccati*; ac *tandem prima theſis*, ad expediendam difficultatem hanc ex Scripturis adducta, qua *credentibus mors negatur*, ex mente Chriſti & Apoſtolorum explicatur.

Cap. VIII.

Continuatur diſſertatio de eodem argumento, & evincitur, *Interitum corporis*, ut nunc eſt rerum conſtitutio, *promovere vitam* Credentium; *eſſe fructum mortis Chriſti*; *ſummopere illuſtrare Dei gloriam*, neque *repugnare illius Juſtitiæ*; quæ plurimum faciunt ad hoc quæſitum illuſtrandum.

Cap. IX

Demonſtratur ex *Vaticiniis Veteris Teſtamenti*, notatu digniſſimis, Supplicium Crucis, à Chriſto Jeſu ferendum, in iis clare & perſpicue eſſe prædictum ſignificantiſſimis vocibus & phraſibus, quales; חלל / הקיף / כור / נבל / מוסר / דקר / חפשי / מחולל / quarum genuina notatio in lucem producitur, variiſque exemplis confirmatur.

Cap. X.

Typi *Crucifixionis Chriſti*, qui in Lege & Prophetis extant, incipiunt proponi & explicari. Inter quos primo loco cenſetur *Iſaacus*, ad aram oblatus, cujus rei geſtæ myſteria aperiuntur; & *Paſchalis Agnus*, ad ignem *ſuſpendendus* atque ASSANDUS.

Cap. XI.

Serpens Æneus in medium producitur, ut figura Crucifixionis Chriſti futuræ. imprimis vero expenditur Celeberrimi cujuſdam Theologi ſententia de figurata per hunc *Æneum Serpentem*, *in pertica erectum*, pugna Chriſti cum Diabolo in cruce, eaque variis argumentis confirmatur.

Cap. XII.

Lex Divina de *Iſraëlita Suſpendendo* ex Moſe profertur, & attente conſideratur, collatis Hebræorum Interpretum explicationibus, & temperamentis, quæ ad eam ſolent producere. Speciatim expenditur eorum ſententia de illa Moſaicæ orationis phraſi, qua *Suſpenſus* dicitur קללת אלהים *Maledictio Dei*, quæ hic ſingularem animadverſionem meretur, eaque variis rationibus refutatur. Tandem vero comparatur *Suſpenſus Iſraëlita* cum *Chriſto Crucifixo* in omni parte ac circumſtantia, ad illuſtrandum præclarum Teſtimonium Paulinum in Epiſtola ad *Galatas* Cap. III. 13.

Cap.

Cap. XIII.

Crux Chriſti quæritur in *Sacris diurnis* Religionis Judaicæ, hoc eſt, *Sacrificiorum Præparatione* & *Oblatione*, qui *Ritus*, quod ad rem præſentem attinet, explicantur. Præſertim vero finitur quæſitum, ſatis famoſum, an *Ara* fuerit σύμβολον *crucis Chriſti*; expenſis rationibus, quæ in utramque partem adferri ſolent.

Cap. XIV.

Poſtquam ſuppoſitum probatumque eſt, *Aram* certo reſpectu & modo præfiguraſſe *Crucem* Chriſti: inveſtigatur convenientia, quæ inter utramque eſt; qua occaſione de ratione & modo, quo *ligna* ſunt impoſita altari, ex Hebræorum Conſtitutionibus diſſeritur.

Cap. XV.

Celebris locus *Ezech.* IX. 4, 6. quem multi inter Veteres & Recentiores Interpretes explicant de *obſignatione* per literam *Thau*, excutitur, quæriturque, an in ea lateat argumentum *pro Cruce Chriſti*; nec non, an litera *Thau* apud Samaritanos ad formam *crucis* olim ſcripta ſit? Porro agitur hac occaſione de *unctione Sacerdotum*, quam Doctiſſimi Viri jecerunt factam eſſe *ad formam crucis*, cujus conſuetudinis ratio aliunde indagatur. Ad finem quædam adjiciuntur de *agitatione victimarum*, in qua pariter quibuſdam viſum eſt latere arcanum futuræ *crucifixionis* Chriſti.

Cap. XVI.

Inveſtigatur ex *Joſepho*, *Abarbanele*, aliiſque rerum Judaicarum Scriptoribus, quænam SIGNA Populus Judæus in Meſſia vero deſideret, & olim in Chriſto Domino deſideraverit præter illuſtria illa miracula, quæ ab ipſo edita ſunt, ad intelligentiam quorundam S. Scripturæ locorum.

LIBER TERTIUS.

Cap. I.

COpioſe diſquiritur, quid Paulus Apoſtolus intelligat per τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ *Teſtimonium Chriſti*, ejuſque βεβαίωσιν *Confirmationem* in Credentibus, cujus meminit 1 Cor. 1. 6. Qua occaſione non tantum varia alia Scripturæ S. loca explicantur, quæ de Chriſto, ut *teſte*, agunt, ſed & Hebræorum conſtitutiones de modo *teſtimoniorum*, *juridice* & ſolenniter *confirmandorum*, adducuntur, diſcuſſa *Cl. Petiti* de hoc argumento ſententia.

Cap. II.

Comprobatur teſtimoniis atque exemplis variis, Operationes Spiritus Sancti tempore Œconomiæ Legalis ut plurimum relatas fuiſſe ad certas quaſdam Perſonas, quæ ſe commendabant *Dignitatibus*, *Officiis*, & *Prærogativis externis*: Inter quas quæ habita ſit peculiaris ratio *Divitiarum*, diſquiritur ad locum Paulinum, 1 Cor. 1. 26, 27.

Cap. III.

Diſputatur modeſte, in Pſ. LXVIII. 28. per *Benjaminem Parvum* PAULUM

Apoſtolum intelligi poſſe, quæ *Hieronymi*, *Theodoreti*, aliorumque Interpretum celeberrimorum ſententia fuit. Quod ut feliciter procedat, *primo* difficiliora textus verba, רודם & רגמתם / exponuntur; *dein* ἐπίθετα *Benjaminis* & צעיר *Parvi*; *tandem* etiam titulus רודה *Præceptoris* aut *Imperatoris*, Paulo variis modis applicantur. In quibus uſu venit, de ſignificatione vocum קטן & μικρὸς; de *Samuele Parvo*, ejuſque denominationis ratione; nec non de nomine *Paulus*, & cur id *Saulo* datum ſit Apoſtolo, quantum è re eſt præſenti, diſquirere.

Cap. IV.

Præclarum votum *Pauli* Apoſtoli, quod in priore Epiſtola ipſius ad *Theſſalonicenſes* extat, cap. v. 22. illuſtrandum ſumitur, eo præcipue conſilio, ut vera diſtinctio, quæ eſt inter vocabula ψυχὴ *anima* & πνεῦμα *ſpiritus*, probe percipiatur. Quem in finem *Kabbaliſtarum* dogmata de triplici animæ parte, נשמה *mente*, רוח *ſpiritu*, & נפש *anima* prolixe explicantur, & cum ſcitis *Platonicorum*, & *Peripateticorum Philoſophorum*, eo tempore à Judæa Gente receptis, conferuntur; quæ tandem omnia ad hoc dictum Pauli applicantur.

Cap. V.

Obſervatur, Scriptores Sacros, & præcipue quidem *Paulum* Apoſtolum, *vitioſitatem*, cum qua homo poſt peccatum naſcitur, vocare ſolere ἐπιθυμίαν Concupiscentiam. *Cujus* nominis quæ *ratio*, & *genuina ſignificatio* ſit, indicatur. Verum, ut res tota, quæ digniſſima conſideratione eſt, è primis principiis ſuis quam clariſſime intelligatur, *primo* quidem explicatur indoles Concupiscentiæ Bonæ, ſive *Appetitus Recti*.

Cap. VI.

Concupiscentia Prava deſcribitur, ejuſque *Objecta*, *Species*, & *Effecta*, notantur & explicantur.

Cap. VII.

Cauſſa, cur vocabulum Concupiscentia in Scriptis N. T. ſumatur pro *prava voluntate peccatoris*, ſive pro *primis*, iiſque *inordinatis* pravæ voluntatis *propenſionibus*, petitur ex *Interdicto decimo* Decalogi, quippe in quo voces חמד & אוה / ex interpretatione *Pauli*, eodem ſumuntur ſenſu. De quo ut liquidius conſtet, *Hebræorum Doctorum commentarii* ad hoc præceptum, eorumque ſententiæ de *cogitatione mala*, & *deſideriis primis pravæ voluntatis*, recenſentur, excutiuntur, & quantum à Pauli interpretatione diſtent, indagatur. Sunt vero in his multa, quæ faciunt ad illuſtranda verba Chriſti, *Matth.* v. 28. & Pauli *Rom.* vii. 7.

Cap. VIII.

Περιφράσεις Concupiscentiæ Pravæ, quæ in Scriptis Apoſtolorum occurrunt, repetuntur, atque ex iis proponitur *dubium*, an omnis *Concupiſcentia*, ſive *prava voluntas* peccatoris, ſecundum *mentem* Sacrorum Scriptorum ſit arceſſenda ex *Corpore*? Probatur autem idoneis argumentis, hanc eſſe genuinam *Veterum* æque ac *Recentiorum Judæorum* ſententiam; ſimul etiam (quod *dubii* ſolvendi *difficultatem* auget:) illos de *vitioſitate humanæ indolis* differentes *iiſdem phraſibus* uti ſolere, quibus *Apoſtoli*, &

& *Paulus* præſertim *Apoſtolus*, in *Epiſtolis* ſuis.

Cap. IX.

In tranſitu fit, ut diſſenſus doctrinæ Judaicæ de *vitioſitate indolis humanæ* & ſententiæ Eccleſiæ noſtræ in quibuſdam partibus notetur. quo pertinet, quod Judæi Concupiſcentiam carnis (יצר רע) *corpori*, & quidem *omni corpori* ſtatuant adeſſe *natura*, quodque *humani arbitrii libertatem* eadem fere explicent & propugnent ratione, qua olim *Pelagius*. Refertur autem origo *opinionis Judaicæ* ad eam *Philoſophorum Veterum*, ne *Stoicis* quidem exceptis, quos & ipſos *libertatem humani arbitrii* aſſeruiſſe, licet id ipſorum ſyſtemati adverſum videatur, & MATERIAM ſtatuiſſe neceſſariam MALI CAUSSAM, obſervatur.

Cap. X.

Expeditur tandem *dubium*, in præcedentibus motum, redditurque ratio, cur Sacris Scriptoribus placeat, *Concupiſcentiæ* ſedem dare *carnem* ſive *corpus*. In *Regenitis* etiam quo pacto ſe hæc res habeat, explicatur.

Cap. XI.

Oratio transfertur ad EFFECTA & ſigna CONCUPISCENTIÆ VITIOSÆ, in quibus potiſſimum cenſentur AFFECTUS: in quo tamen argumento tractando in anteceſſum ſupponitur & probatur, *affectus*, in ſe ſpectatos, nihil habere vitii. Porro duæ *difficultates*, quæ huic doctrinæ opponi poſſunt, è medio removentur. 1. Quo modo *affectus* poſſint eſſe *effecta concupiſcentiæ*, cum mens *affecta* non agat, ſed *patiatur*? 2. Cur, cum *affectus* in ſe nihil vitii habeant, *peccator* tamen deſcribatur per ψυχικὸν *deditum affectibus*? Illuſtrantur duo loca, Hoſ. VII. 4. 1 Cor. 11. 14.

Cap. XII.

Sophiam, quæ olim in Græcia floruit, ab Auctoribus ejus ſic traditam conflatamque eſſe, ut *Concupiſcentiæ Affectibus* inſervierit, certis argumentis comprobatur. Inprimis in id inquiritur, quid Philoſophi docuerint de *ſanctitate Dei*, & quid de ea docendum eſſe *ratio* ſuadeat, non occupata *affectibus* & *præjudiciis*.

Cap. XIII.

Non obſcuris evincitur argumentis, *Doctrinam Practicam* antiquorum *Philoſophorum* non minus fuiſſe ſubordinatam *Affectibus* ſive *Concupiſcentiæ*, quam *Theoreticam*, cum ratione *materiæ* & *formæ* verarum *virtutum*, tum ratione *finis*.

Cap. XIV.

Loci S. Scripturæ, in quibus *Maſorethæ* pro לא NON præceperunt legendum eſſe לו IPSI, quæ magni momenti variatio eſt, recenſentur ex Fragmento *Maſoræ*. Porro qui inter illos *primus* eſt Exod. XXI. 8. recitatur, variæ illius *verſiones* expenduntur, recepta interpretatio examini ſubjicitur, & genuinus profertur ſenſus, laudata *Maſoretharum* diligentia. quæ fere in hanc reſolvuntur ſententiam, *Herum*, qui *ſervam hebræam* emerat, non neceſſario fuiſſe obligatum ad *eam* uxorem ducendam, vel *filio ſuo* elocandam.

Cap. XV.

Recenſitorum ex *Maſora* Locorum *quartus*, 1 Sam. 11. 2, 3. relegitur, explica-

**** 2

plicatur, & illuſtratur, laudata rurſus Maſoretharum induſtria.

Cap. XVI.

Celebris, idemque difficilis locus, 2 Reg. VIII. 10. qui in *recenſione Maſorethica* ordine *ſextus* eſt, novis curis ſubjicitur; varii veterum atque recentiorum, Hebræorum & Chriſtianorum, commentarii in eum allegantur, & examinantur, addita eorum ſingulis ἐπικρίσεις; denique, quæ optima difficultatis tollendæ ratio videatur, ſubjungitur.

Cap. XVII.

Lectionem *Maſorethicam* in *ſeptimo* eoque celebri loco *Jeſ.* IX. 2. præferendam eſſe *textuali*, contra Doctiſſimos *Belgas*, *Coccejum*, alioſque diſputatur; ſcrupuli, qui Cl. de *Dieu* morati ſunt, removentur; accidit denique, ut ratio detur, cur LXX Interpretes in commate *quinto* hujus *Capitis* verba hebræa; פלא יועץ אל־ גבור verterint; Μεγάλης βȣλῆς ἄγγελος.

Cap. XVIII.

Pro *Maſoretharum* lectione majore cum fiducia diſputatur ad textum *octavum* (Jeſ. LXIII. 9.) quam *nonum* (Pſ. C. 3.) ſupra recenſitos; quorum genuinus ſenſus breviter inveſtigatur. Præclara quoque, licet obſcuriora, verba *Jeſaiæ*, ex cap. XLIX. 5. in quibus eadem lectionis לא & לו variatio occurrit, referuntur, & juxta *marginalem lectionem* exponuntur; excuſſa inprimis gloſſa *Hieronymi*.

Cap. XIX.

Inquiritur in *cauſſas Lectionum variantium* לא & לו / quæ arceſſuntur tum ab *incuria Librariorum*, tum à *ſuperſtitione* & κρίσει excellentium *Doctorum* Judææ Gentis, refutata ſententia, quæ *Moſen* & Prophetas ipſos harum *variantium Lectionum* auctores facit. In his vero paulo prolixius diſſeritur de celebri illa Judæorum atque Chriſtianorum quorundam Doctorum *hypotheſi*, quæ S. Scripturæ omni loco *duplicem* affingit *ſenſum*, nec non de cura, qua Judæi Doctores verſati ſunt circa ſcriptionem *Codicum Sacrorum*, præſertim *Legis Moſaicæ*, in Synagogis prælegendæ.

Cap. XX.

Quid intelligendum ſit per τὰ ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, à *Paulo* Apoſtolo *audita* in *Paradiſo* (2 Cor. XII. 4. cum aliqua cura indagatur. Rejicitur autem interpretatio, quæ ponit, VERBA, à *Paulo audita*, INEFFABILIA *fuiſſe*, & ab ipſo *non potuiſſe enunciari*. Imo adſtruitur, *Paulum* in *cœlis* audiviſſe *verba*, non *ineffabilia* quidem, ſed *non dicta* hactenus, & *nulli homini enarranda*; laudato paſſim *Camerone*, hujus expoſitionis Patrono, & illuſtrata variis exemplis vera ſignificatione Græcæ vocis ἄῤῥητος. Porro tentatur, an per conjecturam ſtatui poſſit, *cujus generis verba* veritateſque à *Paulo* in *Cœlo ſupremo audita* ſint.

Cap. XXI.

Probabili ratiocinatione evincitur, Eccleſiam *Corinthiacam* olim ſub nominibus PAULI, APOLLO, CEPHÆ, & CHRISTI, non *figurate* ſed *vere* diſtractam fuiſſe in partes. Porro quæ fuerit cujuſque harum ſectarum *materia*, quæ *cauſſæ*, quæ fomenta, inveſtigatur. Potiſſimum vero huc transfertur, quod de ſecta *Philoſophorum*

Ale-

Ἀλεξικακῶν, qui hebræis ſimili nomine מדברים cogniti ſunt, alibi traditur.

Cap. XXII.

Quid ſibi velit Phraſis Scripturæ Novi Teſtamenti, Baptizari in nomen alicujus; necnon, *Baptizari* in *Perſonam*, *Statum* vitæ, aut *Beneficium*, quæritur; tentata illius explicatione ex ſimili loquutione, Hebræis Auctoribus uſurpata, ubi de *Proſelytorum* vel *Servorum Baptiſmo* loquuntur.

Cap. XIII.

Inquiritur in verum ſenſum obſcuri, ut videtur, & difficilis loci Gen. XXXIII. 20. in quo *altare*, à Jacobo erectum, *inſignitum* fertur *titulo*; אל אלהי ישראל *Dei*, *Dei Iſraëlis*. Inter cætera expendendum datur, an abſurdum ſit ſtatuere, *ipſum hoc altare* vere dictum eſſe *Deum Iſraëlis*; ſic tamen, ut præter hanc expoſitionem alia adducatur, & illuſtretur, quæ minoribus incommodis preſſa & cavillationi minus obnoxia eſt.

Cap. XXIV.

Implicita verba, quibus *modus inſtitutionis Cœleſtis* traditur; *Pſ.* XIX. 4. אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם diſcutiuntur, eorumque genuinus inveſtigatur ſenſus; addita cenſura interpretationum variantium.

Cap. XXV.

Græca phraſis, ἐν βάρει εἶναι, 1 *Theſ.* II. 6. explicatur & illuſtratur.

LIBER QUARTUS.

Cap. I.

Studioſe & cum cura inquiritur, unde deſumpta ſit ſpecies auguſti illius Viſi, quod objectum eſt *Ezechieli* Prophetæ, Quatuor novæ & admirandæ formæ Animantium, totidem Rotis junctarum, Divinæ Majeſtatis Thronum *ſuſtinentium*, & *vehentium*. Commendantur autem hic, cæteris excuſſis & neglectis, duæ ſententiæ Doctiſſimorum Theologorum Hiſpanorum, *Hectoris Pinti*, & *Hieronymi Pradi*, quarum Altera ſpeciem hujus imaginis petit ex *Baſibus* Luterum Templi Salomonici, ſtructuræ elegantiſſimæ, quæ *Animantes Cherubum*, *Rotis* junctas & ſubjectas, habuerunt: Altera eam refert ad *Arcam*, ſedem Divinæ Majeſtatis, quam *Rotis* ſuffultam fuiſſe, ſupponit, & demonſtrare nititur.

Cap. II.

Ipſum indagatur *myſterium*, quod Deus ſub emblemate Animantium & Rotarum apud Ezechielem intellectum voluit: quæ cum in hac Viſione occurrant ut *Inſtrumenta*, Throno Dei ſuppoſita, eumque fulcientia & quaquavorſum circumferentia, colligitur, per *Animantes* & *Rotas* præcipue hic deſignari *Miniſtros* Extraordinarios, quorum opera Deus utitur in Regno Gratiæ ſtabiliendo & promovendo ſub OEconomia Novi Fœderis. Sententia illa adſtruitur, atque illuſtratur; ſimul Celebriorum Doctorum Judæorum & Chriſtianorum myſti-

myſticæ Interpretationes hujus emblematis diſcutiuntur atque examinantur.

CAP. III.

Phraſis uſitatiſſima in Scriptis N.T. ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, exponenda ſuſcipitur, indicata tum differentia, quæ eſt in uſu hujus dictionis apud Scriptores Sacros & Profanos; tum genuina ejus ſignificatione, quæ ſupponit, Deum, quod ad Juſtitiam ejus Vindicantem, ad homines quoque habere χώραν *Creditoris*, & non ſolum *Principis:* qua de re adverſus *Grotium* plenius & fuſius diſputatur.

CAP. IV.

Cum hactenus in genere diſputatum ſit de vi & genuina ſignificatione phraſis, Ἀφέσεως ἁμαρτιῶν; *ſpeciatim* nunc diſſeritur de *Remiſſione Peccatorum*, ut obtinet ſub OEconomia Nova, quæ in Scriptis N. T. ſingulari quadam ratione appellari ſolet Ἄφεσις ἁμαρτιῶν, illuſtraturque id Beneficium Gratiæ ſecundum Rem & Phraſin ex More שמיטה REMISSIONIS DEBITORUM, qui ſecundum Moſaicam Diſciplinam ſolenniter obſervabatur *Anno* quolibet *Septimo*, LXX Interpretibus ΑΦΕΣΙΣ dicto.

CAP. V.

Demonſtrandum ſuſcipitur ad veram intelligentiam Oraculi Jacobæi Gen. XLIX. 10. *Sceptrum tempore nati Chriſti nondum à Juda ablatum*, ſed omnino adhuc ſuperſtes fuiſſe in *Herode Magno*, Judæorum Rege, refelliturque quæ adverſus hanc ſententiam *prima* inferri ſolet ratio ex ſtatu Regni Judaici ſub *Herode Magno* Romanis obnoxii. Quæ tamen demonſtratio cum ſupponat, tum Judæ Tribui in Oraculo illo Jacobæo promitti *Sceptrum* uſque ad Adventum τοῦ Schilo, tum *Schilo* illum eſſe Chriſtum: neceſſaria, quæ ad has hypotheſes fulciendas faciunt, ipſi illi Demonſtrationi præmittuntur.

CAP. VI.

Ad *Alteram* reſpondetur Objectionem, quæ moveri ſolet adverſus ſententiam de *Sceptro Judæ* ſuperſtite in *Regno Herodiano*, petitam ex *Genere* & *Gente Herodis*, evinciturque, ortum & natales *Herodis* non obſtare quominus in ipſius Regno quæri poſſit *Regnum Tribus Judæ*, modo ille, quod res ipſa tulit, Regnum ſuum teneret atque adminſtraret *nomine Judæorum*.

CAP. VII.

Eccleſiam Chriſtianam illo Intervallo Temporis, quod lapſum eſt à NERONE ad TRAJANUM, laboraſſe, & de zelo ac fervore ſuo in cauſſa Dei & Religionis non parum remiſiſſe; tum etiam decrementum notabile feciſſe, multis Societatem Chriſtianam deſerentibus, aliis eam turbantibus, aliis vero ſuis ſententiis moribuſque eam dehoneſtantibus; adſtruitur, & quæ huic hypotheſi ſerviunt argumenta ex antiquis Hiſtoriæ Monumentis, in medium proferuntur.

CAP. VIII.

Eadem hypotheſis de *Eccleſia Langueſcente* ſub NERONE & *Reſtituta* ſub TRAJANO confirmatur ex Monumentis tam Propheticis quam Hiſtoricis Divini Verbi, quibus conditio Eccleſiæ hujus temporis manifeſte depingitur: ſolutis ad calcem objectionibus,

nibus, quæ adverſus hanc ſententiam inferri poſſent.

Cap. IX.

Inquiritur in Hæreses, quæ Ævo Apoſtolico in Eccleſia Chriſtiana natæ ſunt, earumque tam *Hypotheſes* quam *Auctores*: affuſa paſſim luce variis locis Epiſtolarum ad *Corinthios* & *Timotheum*; tum præcipue *Poſterioris Petri*, & *Judæ*. Speciatim de *Bileamitarum* ſive *Nicolaitarum* (myſtici nominis) Hæreſi diſſeritur.

Cap. X.

Præcipua Hypotheſis, cui Paulus ſuperſtruxit præcellentia Religionis Chriſtianæ Dogmata in *Epiſtola* ad *Romanos*, ex ejuſdem illius Epiſtolæ Cap. III. 20. producitur, & producta illuſtratur, inquiſito demonſtratoque vero ſenſu ſententiæ: Ex Operibus Legis nullam justificari carnem coram Deo.

Cap. XI.

Difficultates, quæ ſententiæ Paulinæ, modo expoſitæ, qua *omni homini Juſtificatio negatur ex Operibus Legis*, objici poſſunt, notantur, & quæ Docti Viri ad eas expediendas protulerunt, examinantur. Tum deinde docetur, Paulum ſententiam hanc intelligi velle ſecundum *hypotheſes Judæorum*, quibuſcum diſputabat: quæ referuntur, & fuſius explicantur.

Cap. XII.

Nomen & Natura *Arboris Scientiæ* Boni & Mali, cujus fructu Deus Primis humani generis Parentibus interdixit, inveſtigantur; evinciturque poſt excuſſas alias *Nominis* hujus Arboris interpretationes, *Scientiæ Boni & Mali Arborem* ſecundum Hebrææ Linguæ uſum dicendique conſuetudinem id ipſum eſſe quod nos appellaremus Arborem Prudentiæ.

Cap. XIII.

Inquiritur in *Rationes* Interdicti, de *Arbore Prudentiæ* à Deo editi, & demonſtratur, Deum prudenti conſilio hominis erga ſe affectum & obedientiam per *hanc Arborem* voluiſſe explorare; ſimul totum genus humanum *ſymbolice* per eam res magni momenti docere.

Cap. XIV.

Notabiles & animadverſione digniſſimæ Hiſtoriæ duæ, quæ in *Libro Judicum* leguntur de Angelo Sacerdote, qualis apparuit duobus illuſtribus Viris, Gideoni & Manoæ, recenſentur & illuſtrantur, & ex illis omnino probandum ſuſcipitur; tum vere *Angelum Jehovæ* in duobus illis caſibus ſacrificium feciſſe Deo, & in flamma ſacrificii oblati in cœlos evectum eſſe; tum etiam, *Angelum* illum *Jehovæ* fuiſſe verum *Jehovam* Filium Dei, hoc nomine *κυρίως* inſignitum in Hiſtoria Populi Hebræi.

Cap. XV.

Myſterium, quod latet ſub duobus illis notabilibus Caſibus *Victimarum*, ab ipſo *Angelo Jehovæ oblatarum*, explicatum datur, & evincitur, duo hæc *ſacrificia* figuram geſſiſſe illius *Sacrificii perfecti*, quod Filius Dei, olim inter homines appariturus, Deo Patri ſuo *vere* offerret pro ſalute humani generis: ipſe in *flamma hujus hoſtiæ*; hoc eſt, virtute ſacrificii ſui *Deo placituri*, aſcenſurus in Cœlum ad occupan-

cupandam gloriam, ſibi à Patre decretam.

Cap. XVI.

Certis evincitur rationibus, Petrum Apoſtolum in *Epiſtola* Ejus *Poſteriore Capite tertio*, adſtruentem quendam Domini Adventum ad ſupplicium de impiis ſumendum PER IGNEM, non eſſe intelligendum de *Excidio Hieroſolymorum* per Romanos: quæ Britannorum quorundam Theologorum eſt ſententia: ſed de *Adventu Chriſti noviſſimo ad omnes judicandos mortales*, & *Conflagratione hujus Mundi ſpectabilis*, cum conſequutura.

C. VITRINGA
OBSERVATIONUM
SACRARUM
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.

Diſquiritur, an Hiſtoria Moſaica de Confuſione Labii, *quâ Deus ultus eſt male ſana Conſilia humani generis in ſtruenda Turre Babylonica, commode explicari poſſit, ut vulgo fit, de* Origine diverſarum ab Hebræa Linguarum: *Cui ſententiæ cum fundamenti loco ſubſterni ſoleat, ſolius* Semi *Familiam poſt illud tempus Hebræâ Linguâ uſam eſſe; ea quidem hypotheſis convellitur, & docetur,* Poſteros Chami, *qui turrim Babylonicam extruxiſſe creduntur, Hebrææ Linguæ uſum & conſuetudinem longum tempus, poſt quam facinus hoc commiſſum fuit, retinuiſſe.*

MAjoribus noſtris eam debemus reverentiam, ut, quæ tradita ab ipſis poſteritati ſunt, ante non rejiciantur, quam diligenter & accurate expenſa fuerint: Quo tamen officio ſi quis probe defunctus ex certiſſimis nihilominus argumentis colligat eos erraſſe, tum exiſtimamus, viliſſimi ac ignobilis animi eſſe, vel in iiſdem cum ipſis erroribus pertinaciter perſeverare, vel eos quovis modo velle palliare. Præfatio de reverentia, quæ Veterum ſententiis debetur.

Applicatur ad præſentis operis inſtitutum.

II. Noſtra certe ſic eſt ſententia, ubi hanc de *Linguarum Confuſione* Diſſertationem conſcribere aggredimur. Perſuaſi ſumus apud animum noſtrum, Interpretes ſacri textus hanc *Confuſionem Labii*, cujus apud Moſen Lib. 1. Cap. XI. mentio eſt, exponentes *de variarum dialectorum ortu*, ejuſmodi communiter ad illum locum edere commentarios, qui in certam & manifeſtam veritatem de *Origine Linguarum* incurrunt. Inde homines ἐμπαῖκται & ἀστήρικτοι occaſionem captant veriſſimam Moſis hiſtoriam ſugillandi: quod non modo inter recentiores *Mericus Caſaubonus*, ſed & inter Veteres *Philo* Judæus obſervavit in Libro, quem hujus fecit tituli. † Cogitavimus itaque de hac re paulo liberius, & putavimus tandem, nos rem acturos non inutilem, ſi mentem noſtram applicaremus ad inſignem hanc hiſtoriæ Moſaicæ partem illuſtrandam; quippe quod nobis æque licere arbitrati ſumus ac aliis. Recte Iſocrates:

In Panegyrico.

Αἱ μὲν γὰρ πράξεις αἱ προγεγενημέναι κοιναὶ πᾶσιν ἡμῖν κατελείφθησαν· τὸ δὲ ἐν καιρῷ ταύταις καταχρήσασθαι καὶ τὰ προσήκοντα περὶ ἑκάστης ἐνθυμηθῆναι καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὖ διαθέσθαι τῶν εὖ φρονούντων ἴδιόν ἐστι.

Ordo in Diſſertatione de *Confuſione Labii* obſervandus.

III. Commodum vero viſum eſt nobis hunc in diſputando ordinem obſervare, ut *Primo* quidem loco oſtendamus, communem ſententiam ſublеſto niti fundamento; *Dein* variis rationibus, abſque delectu propoſitis, doceamus, diverſas Linguas aut Dialectos, quæ in mundo ſive nunc ſunt ſive fue-

† Philoſophi Gentiles paſſim *Linguas* mox à primis rerum originibus *varias* in terris extitiſſe docuerunt, quando homines exculta ratione in Societates conceſſerunt. Diod. Sic. Lib. 1. p. 8. Τοιούτων δὲ συστημάτων γινομένων καθ᾽ ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, οὐχ ὁμοφώνους πάντας ἔχειν τὴν διάλεκτον, ἑκάστων, ὡς ἔτυχε, συνταξάντων τὰς λέξεις· διὸ καὶ παντοίους τε ὑπάρξαι χαρακτῆρας διαλέκτων. *Sed cum per totum orbem hujuſmodi cœtus coirent, & quique, ut ſors dabat, verba connecterent, non eâdem omnes loquelâ utebantur. ideoque variæ omnisque generis Linguarum formæ extiterunt.* Reprehenderunt itaque in Moſe, tam quod *varias Linguas* diu poſt ortum humani generis natas eſſe, quàm quod *cauſſam modumque originis variarum Linguarum* traderet, perceptu difficiliores. Julianus apud Cyrillum Lib. IV. ex Edit. Spanh. p. 134. Ὁ μὲν γὰρ Μωσῆς αἰτίαν ἀποδίδωσι κομιδῆ μυθώδη τῆς περὶ τὰς διαλέκτους ἀνομοιότητος. *Moſes ſiquidem cauſſam valde fabuloſam attulit Varietatis Linguarum.* Sic impurum illud os, cum Moſen non recte intelligeret, aut potius, ſane ut intelligeret, animum inducere non poſſet.

fuerunt olim, minime potuiſſe ortas eſſe eo tempore, quo Deus conſilia conditorum turris Babylonicæ turbavit, cujus hiſtoria à Moſe commendata eſt poſteritati; ſed Linguas, ab Hebræa variantes, ſequentibus demum temporibus poſt homines per orbem diſperſos pro communi naturæ fato ex eadem illa Hebræa natas eſſe; ac proinde, *Confuſionem Labii* apud Moſen alio modo eſſe exponendam, ac vulgo ab Interpretibus fit: *Poſtea* vero monſtremus, contextum Moſaicæ hiſtoriæ huic opinioni minime contrariari, eumque in finem verum illius ſenſum ſtudioſe indagemus, cujusque vocabuli, quod ad rem facit, expensâ poteſtate.

Communis ſententia de *Confuſione* ſive Origine *diverſarum Linguarum* ſecundum hiſtoriam Gen. XI. 1. ſeqq. exponitur.

IV. Quod ad *prius*: Communis ſententia ſtatuit, mortales omnes uſque ad ſtructam molem Babylonicam *Hebraâ* uſos eſſe *Linguâ*, quam omnium ſupponit primam & antiquiſſimam. ab eo tempore mutata eſſe orbis fata. *Chamitas* nimirum, & *Japhetitas* quoque, molitos eſſe ſtructuram *Turris*, & *Urbis*, in planitie Agri Babylonici, cujus capti erant amœnitate, ne per *Orbem diſpergerentur*. id cœptum diſplicuiſſe Deo, qui Orbem terrarum totum inhabitari, & humanum genus per eum diſſeminari cupiebat. intervenientem igitur illum & obicem poſiturum audacibus his & male conſultis moliminibus, *confudiſſe* illorum *labium*: h. e. feciſſe, ut alienati ab Hebræa Lingua, quâ hactenus cum cæteris mortalibus uſi fuerant, aliis deinceps loquuti ſint Linguis & Dialectis. *Semitas* autem, qui in partem hujus conſilii non venerant, ab hac noxa immunes fuiſſe, & *ſolos* deinde gaviſos eſſe prærogativâ *Linguæ* illius *Primæ*, quâ Deus mortales fari docuerat, & Patriarchis hactenus ſuæ voluntatis arcana expoſuerat. Sic ſolent Docti Viri inter Judæos & Chriſtianos meditationes ſuas paſſim de hoc argumento componere & digerere. quas fateor non admodum male cohærere, modò hypotheſes, quibus hæc ſententia & Moſaici textus interpretatio nititur, cum Verbo Dei & Experientia recte poſſint conciliari. Sunt autem hypotheſes illæ, ut quisque facile advertit, tres.

Illius *hypotheſes*.

1. Linguam Hebræam eſſe Primam illam & antiquiſſimam Linguam, quæ humano generi uſque ad Phalegi ætatem uſui fuit. 2. *Chami* poſteros ſe præcipue inter Noachidas obſtrinxiſſe facinore con-

condendæ Urbis Babylonicæ: *Semi Poſteros* hâc culpâ vacuos fuiſſe. 3. Linguam Hebræam poſt molimina Babylonica à Deo turbata apud *ſolos Semipoſteros* eſſe conſervatam; *Chamitas* illius uſu deinceps caruiſſe. Ex his hypotheſibus & ſecundum has lineas mihi nunc primo adverſus vulgatam Moſaicæ narrationis interpretationem placet diſputare. quarum *duas priores* etiamſi ut probabiles & rationi conſentaneas admittam: *tertiam* tamen, quæ ſolis Semi poſteris Hebrææ Linguæ uſum & prærogativam vindicat, *certa experientia* variis modis contrariari, evincam. Faciet tamen ad rem meam, ut de duabus illis *prioribus hypotheſibus*, quibus ad ſententiam meam demonſtrandam indigeo, pauca præmoneam.

Quæ ſubjiciuntur examini.

V. 1. *Linguam Hebræam* Linguarum omnium primam eſſe & antiquiſſimam, dudum à Doctis, & fuſe à Buxtorfio [a], eſt adſtructum. Certe enim cum in Oriente ſati à Deo ſint primi homines, probabile eſt, *Linguæ alicui* Orientali inter alias omnes *primatum eſſe deferendum.* Cui autem potius quam huic? Eſt enim inter Orientales ſimpliciſſima, & Nominum Propriorum, quibus homines Ante-Diluviani inſigniti ſunt, ex hac Lingua commodiſſima & facillima ratio dari poteſt. Tum præterea accedit, quod Radices aliarum Linguarum, quæ ab hac Lingua procedente tempore deflexerunt, in hac Lingua, quatenus illa nobis ex Codice Veteris Inſtrumenti cognita eſt, omnium clariſſime demonſtrentur.

Et quidem *Prima* hypotheſis, quæ infert *Linguam Hebræam* eſſe omnium antiquiſſimam, admittitur.

VI. 2. *Chamitas* præcipue inter Noachidas operam dediſſe ſtruendæ Turri Babylonicæ, vulgata eſt opinio, quæ optimos Moſis Interpretes quà Judæos quà Chriſtianos, dudum inſedit. Joſephus † pro hac ſententia clariſſime ſcribit, & reliquo-

Altera, quæ *Chamitas* præcipuos facit ſtructores Turris Babylonicæ; pariter non rejicitur.

a Diſſert. Sacr. 1. Confer Full. Miſc. Sacr. Lib. IV. Cap. IV.

Antiq. Lib. 1. Cap. V.

† Joſephus: Ἐξῆρε δὲ αὐτοὺς πρὸς τὴν ὕβριν τοῦ Θεοῦ καὶ καταφρόνησιν Νεβρώδης, υἱωνὸς μὲν ὢν Χάμου τοῦ Νώχου, τολμηρὸς δὲ καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος, ἔπειθεν αὐτοὺς μὴ τῷ Θεῷ διδόναι τὸ δι' ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι· καὶ περιΐστα δὲ κατ' ὀλίγον εἰς τυραννίδα τὰ πράγματα. μόνως οὕτως νομίζων ἀποστήσειν τοὺς ἀνθρώπους παρὰ τοῦ Θεοῦ, εἰ χρώμενοι τῇ αὐτοῦ δυνάμει διατελοῖεν, ἀμυνεῖσθαί τε τὸν Θεὸν ἠπείλει τὴν γῆν ἐπικλύσαι θελήσαντα. πύργον γὰρ οἰκοδομήσειν ὑψηλότερον ἢ τὸ ὕδωρ ἀναβῆναι δυνηθείη. *Excitabat autem illos ad hanc in Deum contumaciam, illiuſque contemptum Nabrodes,*

liquorum Hebrææ Gentis Doctorum teſtimonia peti poſſunt ex Buxtorfio [a]. Fatendum quidem in Hiſtoria Moſaica id non admodum explicate tradi, ſed eam potius (ſi quis literæ nimis inhæreat:) hoc facinus ad omnes referre Noachidas. Quod ſi tamen quis ad verba Moſis diligentius attendat: obſervabit illum caute ſcripſiſſe, & auctores hujus operis *Chamitas*, à Semitis diſtinguendos, non obſcure indicaſſe. Vocat auctores hujus moliminis בני אדם Filios hominum [b], quo nomine apud Moſen inſigniri ſolent homines animi profani & terrenis intenti, atque à Sanctis, apud quos fides promiſſorum gratiæ vigebat, alieni; cujus generis fuerunt Chamitæ. Tum etiam recte monet Bochartus [c], *veriſimile non eſſe*, Noam, aut Semum, aut Arphaxadum, aut Heberum, ad quos pertinebat foedus, conspirasse in tam insanæ substructionis fabricam. Neque enim probabile eſt, *Noacho* & *Semo*, quos merito ut *Prophetas* & *ſanctos Viros* veneramur, perſpectam non fuiſſe hujus † *conſilii carnalis* imprudentiam. Si quis tamen omnino exiſtimet, totum genus humanum hujus temporis in hæc conſpiraſſe molimina: id noſtram demonſtra-

a Diſſert. 11. de *Confuſ. Ling.* §. 31. b Verſ. 5. c Phaleg. Lib. 1. Cap. x. Vide etiam Buxtorf. Diſſ. 11. de *Confuſione Linguæ Heb.* & Heideg. Hiſt. Patr. Exercit. xxi. §. v.

des, (Nimrod:) *qui, nepos Chami Noæ Fili, audax verò & manu promptus, ſubinde jactabat præſentem felicitatem illos non Deo, ſed propriæ debere virtuti: Atque ita paulatim rem trahebat ad tyrannidem, exiſtimans, fore, ut homines ad ſe deficerent à Deo, ſi ipſius uterentur ope; pollicitus ſimul, auxilium ſe illis laturum adverſus Deum, ſi Diluvio rurſum inundare vellet orbem: Turrim enim ſe ædificaturum, cujus ſuperficiem undarum vis ſuperare non valeret.*

† *Conſilium carnale* voco quod Moſes in hac hiſtoria, verſ. 4. נעשה שם *parare ſibi nominis celebritatem auctoritatemque:* quam genuinam illius dictionis interpretationem eſſe, dudum à Doctis obſervatum & nobis perſuaſum eſt. cui non obſtant ſequentia; *Ne diſpergamur per ſuperficiem univerſæ terræ*, ut inter Eruditos aliqui ſibi perſuadent. Pertinent enim illa verba præcipue ad priorem partem *pericopæ præcedentis*, quâ Moſes couſilium horum hominum expoſuerat, non ad *poſteriorem*, licet cum ea ἀμέσως cohæreant. Sic igitur legamus textum, & facilia erunt omnia: *Agitote*, extruamus *nobis* Urbem, & Turrim, cujus fastigium pertingat ad coelos, [& *paremus nobis nominis celebritatem*] ne dispergamur per terram.

tionem non conturbabit. Suffecerit nobis, *Chamæas* hic non excludi, ſed omnino veniſſe in horum conſiliorum partem. nec putem ea de re nobis controverſiam ab ullo mortalium motum iri.

An Nimrod, Chami nepos, venerit in partem horum conſiliorum; & de eo ſententia Bocharti.

VII. Bochartus [a] equidem de *Nimrodo* diſſentit, cui tamen primas hic tribuit Joſephus: hac præcipue motus ratione, quod Nimrod in ipsa Moſis hiſtoria [b] dicatur *regnaſſe Babele*; quod Vir eruditiſſimus ſibi perſuadebat futurum non eſſe, ſi Nimrod jam tum adultus & horum conſiliorum cum cæteris fuiſſet particeps. *Nimrod* (ait:) *etiam non videtur ex illorum fuiſſe numero, qui turrim extruxerunt, ſive tum puer fuerit, aut nondum natus. alioqui enim cladem communem non evaſiſſet, atque illi cum cæteris fuiſſet alio migrandum; nec diceretur, principium regni ejus fuiſſe Babylon, quâ nondum extructâ conditores vi θεηλάτῳ diſſipati fuere. Puto igitur, poſt illam cladem terram Sinhar aliquot annis jacuiſſe deſolatam, recenti memoriâ tantæ diſſipationis omnes homines absterrente ab illa invadenda; donec Nimrod, homo pervicax, eo ſe conferre auſus eſt cum Chuſæorum magna manu, ut opus dudum interruptum continuaret, & perduceret ad umbilicum.* Neſcio tamen num cauſſam habeat ſuæ opinionis ſufficientem Vir eruditus. Si enim omnia illa, quæ apud Moſen extant, ſub examen revocentur atque ſecum invicem conferantur: omnino videbitur exiſtimandum, vel conſilii hujus fuiſſe participem, vel ſaltem adultum tum temporis fuiſſe Nimrodum. Liquet ſane ex *Capite* x. 25. *Hebero* natum eſſe *Phalegum*, à פלג / quia *diviſa diebus ejus eſt terra*. Ætatem vero omnem, quæ à *Semo* ad *Phalegum* fluxit, ſi repetamus ex *Capite undecimo*, comperiemus fuiſſe annorum centum: adeo uti centeſimo primo anno à mundi recentis cultu per Noachum extructam colligere poſſimus Babylonicam turrim civitatemque. Quibus ſuppoſitis, obſervandum eſt, quo intervallo Moſes *ætatem* Patriarcharum illius temporis ante τεκνογονίαν circumſcribere ſolitus ſit. quod videmus ſtare intra triginta & quod excurrit, annos. unde itaque facile colligimus, centum annos tres diſtinctas dare poſſe γενεάς. quod omnino nobis in hoc negotio ſufficit. ferè ut † Herodotus ait,

Quæ ſequuntur, probaturque, Nimrodum omnino potuiſſe participem eſſe horum conſiliorum, & videri; fuiſſe.

a Geogr. S Lib. 1. Cap. x. b Gen. x. 10.

† Verba Herodoti ſunt Hiſt. Lib. II. p. m. 163. Καὶ δὴ [illegible] ἀνδρῶν

ait, *Ægyptios* à longo jam tempore in computu, quem per *γενεὰς ætates* inſtituebant, *très γενεὰς* cenſuiſſe *annis centum*, quarum proinde *ætatum* quæque *triginta trium annorum* ſpatio deſcripta fuit. Sumam igitur, *Cuſchum* productum à *Chamo* anno *ſecundo* vel *tertio* poſt diluvium: neque enim cogitare debeo, ſerius eum natum eſſe, cum *Semus* ſecundo poſt diluvium anno *Arphaxadum* produxerit, uti liquet ex *commate decimo* Capitis *undecimi: Nimrodum* vero procreatum à *Cuſcho* anno poſt renovatum orbem quadrageſimo, aut quinquageſimo; tum facile patebit, *Nimrodum* tempore ſtructæ Civitatis Babylonicæ annorum quinquaginta vel ſexaginta fuiſſe hominem, adeoque ad adultam jam perveniſſe ætatem.

Et reſpondetur ad rationem in contrarium à Docto Viro allatam.

VIII. Neque ſane tanti habemus difficultatem à Viro erudito motam, quod *Nimrod cladem cæteroquin communem non evaſiſſet*; uti propter eam deſerere ſententiam noſtram neceſſe ſit. Neque enim credendum, eo uſque ſeſe illam extendiſſe cladem, ut omnes Babylonicæ turris Conditores inde per univerſam terram pulſi fuerint ex vindictæ Divinæ ſententia, cum ſacro contextui omnino ſatisfiat, ſi ſtatuamus, conſilia & molimina Conditorum Turris Babylonicæ eo uſque fuiſſe turbata, ut præcipui illius operis inſtitores poſt illud tempus animis & locis diviſi fuerint; plurimis eorum illas ſedes derelinquentibus, in quibus tamen pauci alii potuerunt ſubſiſtere. Quibus accedit, nihil nos dicturos contrarium vel Moſaicæ narrationi vel humano genio, qui ſemper in vetita ruere proclivis eſt, ſi dicamus, Nimrodum cum quibuſdam ſociis reverſum fuiſſe in illum eundem locum, ex quo pulſus fuerat. † Hoc mihi primo erat ſupponendum. Liceat nunc pedem promovere in probatione mea conficienda.

IX. Si

ἀνδρῶν γενεαὶ δυνέαται μύρια ἔτεα· γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστι: *Trecentæ autem generationes decem millia annorum valent. nam* TRES *Virorum* ÆTATES *faciunt* CENTUM ANNOS. Loquitur autem de Ægyptiis.

† Doctiſſimus Jeſuita Abramus in *Pharo* V. T. Lib. v. §. VIII. IX. contendit, *Regnum* illud, quod Hiſtoria Moſaica *Nimrodo* tribuit in *Babele*, Cap. x: 11, 12 intelligendum eſſe de *Imperio*, quod Nimrod in illa Regione obtinuit ante Gentes per orbem diſperſas. Nimrod enim ſecundum ipſum, tanquam præcipuus *ἱεροθύτης*, non potuit elabi manus Dei

Tertia hypotheſis vulgatæ ſententiæ: *Linguam primigeniam Veterem* apud ſolos *Semitas* eſſe conſervatam; *Chamitarum* & *Japheticarum confuſas eſſe Linguas.*

IX. Si itaque certum ſit ex illorum Virorum ſententia, qui cæteroquin noſtræ adverſantur opinioni, Chamum, Canaanem, eorumque poſteros præcipuos extitiſſe Babylonici Ædificii Conditores, colligendum inde eſſet, Japhetitas, & præcipue *Chamitas*, potiſſimum incurriſſe in illam *pænam*, quâ Deus in hos homines animadvertit: quæ pœna ſi ſit *immutatio Dialecti Primigeniæ Hebrææ in alias quaſcunque dialectos aut Linguas:* conſequi hinc debebat, *Chamitas* maxime cum Japhetitis hanc Linguæ ſuæ mutationem experiri debuiſſe; *Semitas* autem, & quidem *omnes Semitas*, ab hac pœna fuiſſe immunes, ac proin *Hebrææ Linguæ uſum* illibatum in ſuis familiis conſervaſſe & transmiſiſſe ad poſteritatem. Nec ſane qui in hac ſunt ſententia Docti Viri, hanc conſequutionem reſpuunt. Audiamus omnium nomine Buxtorfium[a], rationem redditurum, quare Semitę immixti non fuerint Conſiliis Conditorum Babylonicę turris: *Quod*, inquit, *à pœna, opus hoc conſecuta, poſteritas Semi & Heberi immunis fuerit.* ILLI ENIM LINGUAM HEBRÆAM INVIOLATAM IN LINGUARUM CONFUSIONE RETINUERUNT. Bochartus[b] ad idem exemplum: *Aliorum enim Linguis confuſis*, HI (omnes, qui Fœderis erant participes, & pręſertim *Abrahami Proavi uſque ad Noam:*) *propriam retinuerunt, id eſt, antiquiſſimam illam, quæ ab Hebero dicta eſt Hebræa, quia ſarta & tecta manſit apud Heberi poſteros.*

Sed experientia hanc hypotheſin vane evertit.

X. Nec tamen experientia his hypotheſibus favet, ut debebat: ſed potius eas funditus ſubvertit. Illa nos docet, 1. Non omnes *Semi* poſteros ſibi reſervaſſe *uſum Linguæ Hebrææ*, ſed illos variationem Dialecti procedente tempore ęque ac

a Diſſ. II. §. XXX. b l. c.

Dei Vindicis, Conditores Babelis diſpergentis. quam ſententiam amplexus quoque eſt Cl. *Heideggerus*, Exerc. XXIII. Sect. II. §. XXVIII. XXIX. ſed vere nulla idonea ratio nos ita ſentire cogit. Quomodo potuit *Nimrod* regnaſſe *Babele*, antequam *Babel* condita fuit? atqui condita non fuit ante Gentes judicio divino per orbem ſparſas. Multo itaque probabilius, Nimrodum, ſi ipſe cum aliis judicio Divino pulſus fuerit è *terra Sinear*, quo tempore Deus *Labium* Humani generis confudit, non multo poſt tempore eaſdem ſedes repetiiſſe, & in illis *Regnum* aliquod fundaſſe. Hiſtoria Sacra nihil habet quod huic ſententiæ obſtat. Abrami autem illa fere nititur conjecturis, ſpecioſis equidem illis, ſed incertis.

ac *Chamitas* expertos eſſe. 2. Ipſos quoque *Abrahami* poſteros, qui ex hypotheſi præcipue hac gaudere debebant prærogativâ, tandem *amiſiſſe uſum Linguæ Hebrææ*. 3. *Chamitas* quoſdam, h. e. *Canaanitas*, ex Chami improbo Filio *Canaane* oriundos, longe poſt exſtructum ædificium Babylonicum vere uſos adhuc eſſe *eâdem* illâ *Linguâ*, quam illi Auctores mecum credunt *Primigeniam*. 4. Omnium Populorum Orientalium *ratione immutatæ* cum tempore *Dialecti* unam fere eandemque fuiſſe conditionem; h. e. Linguas eorum à Lingua quidem primigenia aliquantum deflexiſſe, ſed tamen magnam inter ſe deinceps etiam habuiſſe cognationem & affinitatem: cum tamen Oriens inter Semitas, Japhetitas, & Chamitas ita fuerit diviſum, ut *hi* Meridionalia, *illi* Aquilonaria, & *iſti* Mediterranea Orientis tenuerint. Quę jecimus, ſingula repetemus & adſtruemus.

XI. 1. *Non omnes Semi poſteros ſervaſſe uſum Hebrææ Linguæ*, res eſt certiſſima [a]. Quis neget, Joctanis, Heberi Filii, poſteros Arabice loquutos eſſe? Alios autem, & plurimos, ex Semi progenie Chaldaice? Syri, Aſſyrii, & Arabes ex Joctane, Semum agnoſcunt Parentem. Illorum vero Populorum idioma procedente tempore deflexiſſe ab idiomate Hebræo, quis ignorat? Si vero tota Familia Semi fuerit extra culpam facinoris Babylonici: quę cauſſa, quod Hebrææ Linguæ prærogativa in *una* tantum ex Familiis Semi, non in omnibus Semitarum Familiis, perennaverit? Recte hactenus Waltonus [b]: *Quæ enim de Hebero ſupponunt, reliquis Semi poſteris æque convenire poſſunt: nec de Hebero magis quam de Semo & Arphaxade, Sala, Peleg, Reu, vel Serug, quicquam probant: cum nil ſingulare de Hebero magis quam de ipſis ſcriptum legimus.* Si itaque *immutatio Linguæ* vere ſit pœna, quam Deus inflixit Conditoribus Turris Babylonicæ; non video, quo modo Semi aliqui poſteri pœnam poſſint ferre delicti, quod ab iis commiſſum non eſt: neque intelligo etiam rationem, cur Linguæ Hebrææ uſus apud ſolos Abrahamidas, ex Teracho ortos, conſervatus fuiſſet; ceteræ autem Semitarum Familiæ hoc tanto beneficio, quantum eſſe ſtatuitur Hebræa Lingua, privatæ ſint.

Primò enim res certa eſt per experientiam, non omnes *Semi* poſteros ſibi ſervaſſe uſum *Linguæ Hebrææ*.

B XII.

a Vide Cler. Diſſ. I. de Ling. Hebr. §. III. in Proleg. b Diſſ. de Ling. Hebr. §. XXI.

Secundò, ipſos quoque *Abrahami poſteros* poſtea uſum hujus Linguæ amiſiſſe.

XII. 2. *Ipſos Abrahamidas cum tempore amiſiſſe uſum Linguæ Hebrææ*, experientia non minus clare docuit. Quando Abrahami poſteri cum Chaldæis & Syris familiarius coluerunt commercium & iiſcum commixti ſunt, Chaldæorum & Syrorum dialectum ſibi adſciverunt, Linguæ Patrum ſuorum obliti. ſive id jam acciderit, quando reduces fuerunt ex Exilio Babylonico, ſive quando Reges Syriæ, ubi cum Regibus Ægyptiis de *Cæle-Syria* bella geſſerunt, illos ſibi habuerunt obnoxios. Res ipſa extra dubium eſt poſita: quę tamen recta incurrit in vulgarem de *Lingua Hebræa* ſententiam. Si enim Heberi poſteri ex Abrahamo oriundi Linguâ Hebræâ gaudere debuerint tanquam prærogativâ quâdam prę Chamitis & Japhetitis, ex qua tanquam ex certo argumento conſtaret, illorum majores non fuiſſe participes Conſiliorum Babylonicorum: quæ obſecro, cauſſà, quod hoc beneficio in perpetuum fruiti non ſint; ſaltem tamdiu non ſint gaviſi, quamdiu Deo fœdere juncti fuerunt uſque ad Meſſiam ab iis rejectum?

Tertiò, Chami quoſdam Poſteros, hoc eſt, *Phœnices*, uſum Linguæ Hebrææ cum aliis communem habuiſſe.

XIII. 3. *Quoſdam ex Chami poſteris, nimirum, Canaanitas*, longe poſt deſtructa molimina Babylonica, *uſos eſſe eâdem illâ Linguâ, quam Viri Docti Primævam eſſe mecum credunt*, hoc eſt, *Hebrææ*, extra controverſiam poſitum eſſe deberet, poſtquam Bochartus [a] hanc ipſam ſententiam datâ operâ erudite, ut ſolet, adſtruxerit adverſus † Nicolaum Fullerum [b], qui in *Miſcel-*

a De Serm. & Colon. Phœn. Lib. II. Cap. I. b Miſc. Sacr. Lib. IV. Cap. IV. Cap. XIX. 19.

† Scaliger, Gerh. Joh. Voſſius, Grotius, Seldenus, aliique inter Doctos cum Bocharto, favent ſententiæ, quam hac theſi propugno. Nomina & argumenta eorum videre licet apud Waltonum. Poſt quos Doctiſſimos Viros ſingularem diligentiam in hac hypotheſi adſtruenda collocavit Joh. Vorſtius, Vir ſcientiâ Literaturæ Hebrææ eruditus, cujus Diſſertatio de hoc argumento cultiſſima comparet in *Miſcellaneis Philologicis*, quæ *Roterodami* nuper emitti cœperunt. Rationes ipſius videntur eſſe ſolidæ & omnem exceptionem vincere. Aliud tamen placuit Cl. Viro, qui abhinc triennio *Exercitationes ſuas de Lingua Primæva* ejuſque *Appendicibus* cum Erudito orbe communicavit. Licet ſalvâ amicitiâ, quam cum Cl. Viro colo, illius hypotheſes recenſere, & modeſtam ad eas adſcribere ἐπίκρισιν. Negligere enim non debeo, quæ, ſi tam vere quam ſtudioſe ſunt cogitata, meam hypotheſin ſubvertunt.

Diſſert. de Ling. Hebr. Ant. §. XIII. XIV.

Faſc. V. Synt. Miſc. Acad. Cap. VI. Stephan. Morin. Exercit. de Ling. Cap. XI.

Sen-

Miſcellaneis ſuis *Sacris* id ipſum ſerio oppugnaverat. Inter alia argumenta, quæ adfert validiſſima, non neglexit locum Jeſaiæ [a], in quo *Hebræa Lingua* vocatur שפת כנען *Lingua Canaan.* Verba habent: ביום ההוא יהיו חמש ערים בארץ מצרים מדברות שפת כנען *Illo die erunt quinque Civitates in terra Ægypti, loquentes lin-*

a Cap. xix. 18.

Sententia Cl. Viri eſt, *ſine ratione, aut ſaltem ſolido antiquitatis teſtimonio, affirmari Linguam Hebræam uſurpaſſe Chananæos, illamque cum Heberi poſteris communem habuiſſe.* Diſputat itaque primùm, Grotium, Seldenum, & Bochartum immerito referri in catalogum Eruditorum, qui Linguam Hebræam *eandem* crediderint cum Canaanæa, cum potius Viri illi Docti ſtatuerint, *Linguam Canaanæam Ebraicæ valde fuiſſe affinem.* Imo certe ſecundum Bochartum Canaanæi & Iſraëlitæ fuerunt ὁμόγλωττοι; ipſa *Lingua Hebræa* vocatur apud Jeſaiam *Lingua Canaan*; *Lingua Phœnicia* eſt *Dialectus Linguæ Hebrææ*; & non major eſt differentia inter *Dialectum Canaanitarum* & *Hebræorum*, quam inter Dialectum *Galilæam* & *Hieroſolymitanam*; unde ſatis, ut opinor, liquet Bochartum non immerito hic in partes vocari. Verbo expediam: Vide Lib. Bochartus omnino Canaanæorum & Hebræorum Linguas pro iiſdem 1. de Col. habuit, ut ex univerſa ejus Diſſertatione facili negotio colligas: ſed Phœn. Cap. ad declinandam invidiam, quâ ſententia illa gravata erat à Fulleto, 1. & l. c. maluit dicere, *Hebræam* & *Chananæam Linguam ſibi admodum eſſe affines.* Grotius & Seldenus idem voluerunt.

Pergit dein Vir Cl. tam ſuam ſententiam de caſtimonia *Linguæ Hebrææ* apud ſolos Heberi poſteros conſervata argumentis adſtruere, quàm ad rationes adverſæ ſententiæ reſpondere: in quibus cum moleſtum ipſi eſſet ex hypotheſi ſua explicare, quo modo Abrahamus ejuſque Domeſtici & Poſteri ubique in terra Canaan, & in ipſa quoque Chaldæa, abſque Interprete agere & verſari potuerint, inter alia tandem hæc in medium profert: *Quamobrem convenit exiſtimare, eandem ferè fuiſſe* p. 86. *rationem Linguarum Chananææ, Phœniciæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & forſan etiam Ægyptiacæ, in primo mutationis exordio, atque tantam cum Hebræa conſervaſſe ſimilitudinem, ut Hebræi cum Gentibus, quæ iis utebantur, potuerint agere, & utilia habere colloquia, providentiâ Divinâ id permittente, ut Eccleſia ejus inter ipſas aliquandiu hoſpitaretur.* Sed vero, pace Cl. Viri, quomodo hæc conſiſtere poſſunt cum Hiſtoria *Confuſionis Labii* apud Moſen: *Ecce deſcendamus & confundamus ibi* Cap. xi. 7. *Labium eorum,* אשר לא ישמעו איש שפת רעהו UT NEMO ALIUM INTELLIGAT LOQUENTEM? Ad reliquas pleraſque Cl. Viri exceptiones ſæpius reſponſum eſt.

Sequitur Viri Cl. commentarius de *Lingua Phœnicia*, ex cujus quæ Cap. xii. ſuper-

Quod inter alia adſtruitur ex dictione, *Lingua Canaan.*

linguâ Canaan. Nemo dubitat, quin hic ea intelligatur lingua, quâ myſteria Religionis Deus genti Iſraëliticæ revelaverat. Illam enim noſſe, atque hac ratione ad æternæ ſalutis ſuæ cognitionem pervenire, unice conſolari poterat Ægyptios, quorum dialectus ab hac diſtincta erat. Illa vero lingua, quæ Iſraëlitarum erat,

ſuperſunt reliquiis Eruditi Viri, quos in ſuperioribus laudavi, probant, *Linguam Chanaanæam* eandem eſſe quæ *Hebræa.* Ad cujus argumenti, vere validiſſimi, elevandum pondus, diſcedendum ſibi eſſe putavit ab hypotheſi, nunc fere ab omnibus recepta, quod *Phœnices*, h. e. *Zidonii* præcipue & *Tyrii*, origine fuerint *Canaanæi:* amplexus autem eſt ſententiam Veterum quorundam non infimæ auctoritatis Hiſtoriographorum, Herodoti, Trogi, Diodori, aliorumque, à Bocharto jam notatam & refutatam, quæ ſtatuit, Phœnicum origines repetendas

Boch. Phal. Lib. IV. Cap. XXXIV.

eſſe ex Arabia: *fuiſſe*, nempe, *illos olim Rubri maris accolas, ſed terræ motu vexatos, Aſſyrium ſtagnum primò; mox maris mediterranei littus incoluiſſe.* Cæterum cum aliunde nunc ſatis conſtet, *Eſavi*, ſive *Edomi* poſteros, *Mare Rubrum* accoluiſſe & illi hoc nomen dediſſe: cenſet Vir Cl. Phœnices ortum traxiſſe ab *Idumæis*, quos proinde ex Abrahamo prognatos, mirari non licet uſos eſſe *dialecto*, quæ ad *Hebræam* proxime acceſſit. *Proptereaque*, inquit, *Phœnicia Lingua merito Hebrææ præ ceteris habetur affinis, quia Phœnices ab Eſavo orti, fratres illius beneficio fuerunt Iſraëlitarum ab Jacobo prognatorum, & eandem Linguam in domo Abrami & Iſaci initio didicerant.* At ego exiſtimo, hoc ipſo

p. 117.

clariſſime conſtare cauſſam noſtram eſſe optimam, quod Viri Docti ad adverſam opinionem defendendam producere cogantur ejuſmodi exceptiones, quæ non minus cum Ratione pugnant quam cum Scriptura. Quâ enim, quæſo, veri ſpecie ſtatuemus, *Zidonios*, & *Tyrios*, florentiſſimas Syriæ Phœniciæ Gentes, alterius eſſe originis quam *ipſos Canaanitas*, inter quos habitabant & quorum illi partem conſtituerunt nobiliſſimam? Quando illud factum, quomodo, quo caſu, & quomodo illud commode fieri potuit, ut Idumæi, Palæſtinam trajicientes, in extrema Phœniciæ ora conderent urbes totius Phœniciæ numero hominum, artificiis, & commercio præſtantiſſimas? Antiqua enim Tyrus fertur fuiſſe in continente. Vel quis tandem Prophetarum, qui in *Idumæos* vaticinatus eſt eorumque prænunciavit fata, nos commonefecit, Idumæos apud *Tyrum* & *Zidonem* quærendos eſſe? Sed, ne fruſtra prolixus ſim, ipſa Scripturæ Sanctæ Hiſtoria nos abſque ullo circuitu docet, *Zidonios* ortum ducere ex *Canaanitis*, his quidem clariſſimis verbis:

Gen. X. 15. וכנען ילד את צידן בכרו ואת חת *Et* Canaan genuit Zidonem, *Primo-*

Jeſ. XXIII. 12. *nitum ſuum. Tyrus* autem ex *Zidone nata* בת צידן dicitur. Ad quæ verba dum Vir Cl. excipit, fieri poſſe, ut ambæ urbes illæ, *Tyrus* & *Zidon*, licet omnium primò conditæ & occupatæ à Canaanitis, *tandem in Idumæorum*,

erat, appellatur שפת כנען: non profecto aliam ob rationem, Ubi locus
quam quia *Canaanitæ* ea loqui conſueverant, pari modo, atque *Jeſ. xix. 18.*
Lingua Germanica, vel Germaniæ, ea dicitur, quâ *Germani*; explicatur.
Galliæ, quâ *Galli*; Angliæ, quâ *Angli* utuntur. Neque enim,
ſi forte Galli Germaniam occuparent & in ea ſedes ſuas fige-

B 3 rent,

macorum, *ſive Phœnicum*, *venerint poteſtatem*, *antequam Iſraëlitæ ex*
Ægypto egrederentur: longius adhuc videtur recedere à ratione. Si enim
urbes illæ occupatæ fuerint ab Idumæis, vel illud factum oportuit jure
Belli, vel jure donationis, aut liberæ ceſſionis. Poſterius forte eligeret
Vir Cl. qui putat dici poſſe, *illas Eſavo à Canaanæis datas in dotem* Gen. xxvi.
uxorum, *quas ab illis obtinuit*. Sed mirandum profecto, *Eſavum*, tam 34.
potentium urbium Dominum & Principem factum eſſe per conjugia
cum Canaanæis, & illud prorſus reticeri in Hiſtoria Sacra. Mirandum
quoque, Eſavum, Dominum harum urbium, derelictis montibus
Seir, hanc ſuam dotem, fixis Sidone ſedibus, ſibi non vindicaſſe. Mi-
randum inſuper & illud eſt, potuiſſe Eſavum ex uxoribus *Chittæis*, qui
auſtralia Canaanitidis inhabitabant, habere dotem urbes Phœniciæ Sep-
tentrionales, Tyrum & Zidonem. Et quid ſi illas urbes nomine uxo-
rum Eſavus accepiſſet in dotem: (quæ tamen ſententia vix eſt ut ſeriò
diſputari poſſit:) an Canaanæi, qui illas occupaverant, hoc ipſo illis
urbibus fuerunt exacti, vel exigendi? an eædem mox repletæ fuerunt
novis incolis Idumæis? an Canaanitæ, ſi ex illis pulſi non fuerint, pro-
pterea quod novum Dominum accepiſſent Eſavum, Linguam etiam
ſuam mutarunt? Plura non addo, ne videar huic ſententiæ invidiam
conflare velle. Argumenta, quæ Vir Cl. pro ea adduxit, inſtituti mei
ratio non permittit ut recenſeam omnia & excutiam. Præcipuum inter
ea eſt, quod Vir Cl. obſervet, *totam Canaanæam* Iſraëlitis à Deo pro-
miſſam eſſe, nec licuiſſe Iſraëlitis cum *Canaanitis* fœdus percutere:
nunquam tamen ipſos *Tyrum* & *Zidonem* occupaſſe; imo Davidem &
Salomonem cum *Tyriis* & *Zidoniis* fœdus feriiſſe: non videri itaque Ty-
rum & Zidonem ad Canaanæam pertinuiſſe. Reſpondeo brevibus:
1. *Totam Canaanæam* ab Abrahami poſteris poſſidendam fuiſſe ex promiſ-
ſione divina ſecundum limites terræ Canaan ab ipſo Moſe deſcriptos,
qui ad Septentrionem ponuntur in *Agro Zidoniorum*. 2. Debuerunt Gen. x. 19.
Iſraëlitæ ex Divino mandato exſcindere omnes *Canaanæos*, quos tem-
pore Joſuæ, dum Regionem illam occupabant, in Palæſtina offende-
bant: ſed poſt illud tempus ipſis licuiſſe, ſi id occaſio flagitaret, eos Joſ. xix. 28.
in vita conſervare, ex clariſſimo liquet exemplo Salomonis. 3. Etiamſi 1 Reg. ix.
clare probari nequeat, *Zidonem* Tribui Aſeri in hæreditatem ceſſiſſe: 20, 21.
magis tamen id imputandum ignaviæ Aſeritarum, quod Zidonios bello
auſi non ſint laceſſere, quam quod id juris ipſis à Deo non fuiſſet con-
ceſſum, ut patet ex *Libro Judicum*. Atque hæc hactenus. Nolim ta- Jud. i. 31.
men

rent, eorum lingua inde nuncupanda eſſet *Germanica*, ſed perſeveraret dici *Gallica*. Ad idem prorſus exemplum quod Iſraëlitæ poſtmodum tenuerint Canaanitarum regionem, lingua eorum, ſi à Canaanitarum illa diverſa fuiſſet, appellari non potuit Lingua Canaan: quod tamen Doctiſſimus *Fullerus* inique contendit ex *Lirano*. Melius Aben-Eſra, cujus hæc eſt animadverſione digna hujus loci expoſitio: שפת כנען / מזה נלמוד כי הכנענים בלשון הקדש היו מדברים *Hinc diſcamus, quod CANAANITÆ LOQUUTI FUERINT LINGUA SANCTA.* Sed vero quid ſupereſſe poteſt exceptionis ad graviſſimas illas rationes, quas Cl. Bochartus, & qui eum ſequuti ſunt Docti, produxerunt tam ex antiquiſſimis nominibus *Canaanæis*, quæ extant in Hiſtoria Moſaica, *pure Hebraicis*, quam ex reliquiis *Phœnicum*, qui iidem fuêre homines cum *Canaanitis*, & quorum tamen Lingua ab ea, quam nos Hebræam nunc vocamus, nihil diſtulit. Patet illud ex infinitis, iiſque certiſſimis monumentis, quę adhuc ſuperſunt; ſeu Scripta intueare Veterum, qui Phœnicia vocabula, & Punicos quoque Sermones, retulêrunt; ſeu conſideres Civitatum, locorum, quin imo regionum plurimarum appellationes, in quę ſuas deduxere colonias, quæ-

Eiuſque vera interpretatio vindicatur, adverſus Fullerum.

Tum etiam ex ipſa *Phœnicum Dialecto* quæ eadem eſſe arguitur quæ *Hebræa.*

men diffiteri, Cl. Virum in hac ſua Diſſertatione pro hypotheſi ſua defendenda probabilius diſputaſſe quam τὸν πάνυ Bochartum. Nempe Bochartus vere ſtatuit, plures Linguas, ab Hebræa diverſas, ortas eſſe in *Confuſione Labiorum Babylonica*: & Hebrææ Linguæ uſum in Familiis Semi conſervatum eſſe. Idem nihilominus Ille Vir Eruditus ſtatuit, *Canaanæos* æque ac Abrahamidas longe poſt hoc tempus uſos eſſe Linguâ Hebræâ, vel Dialecto ad Hebræam proximè accedente. Quæ nullâ ratione inter ſe videntur cohærere. Videamus tamen, quomodo Vir Magnus ſe hic expediat. *Reſpondeo*, ait, *in Confuſione Babylonica hoc fuiſſe Dei conſilium, ut ſingulis familiis, aut tribubus propria eſſet Lingua, quam nemo alius intelligeret, qui non eſſet ex eodem familia, vel tribu. Cui conſilio nihil obſtitit, quod in omni numero una aliqua familia aut tribus ſervavit uſum Linguæ Veteris.* Quam id minime veriſimile! Omnium conditorum Babylonicæ Turris Labia eum in modum eſſent confuſa, ut ſingulæ fere familiæ diverſa poſt id tempus uſæ fuiſſent Linguâ: ſoli ex illis Canaanis Filii aut nepotes Linguam retinuiſſent Primigeniam, quæ magni beneficii loco reputatur. Imo vero nego, *Canaanitarum* dici poſſe *confuſum eſſe Labium* ſecundum hypotheſin Bocharti, ſi Canaanitæ uſum Hebrææ Linguæ eo tempore non perdiderint.

De Col. Phœn. Lib. II. Cap. I.

quæque ſuis replevere incolis atque artificiis Phœnices; ſeu etiam attendas ad Nomina Illuſtrium Virorum, quę ex Punica lingua antiquiſſimi etiam tranſpoſuerunt Auctores. Neque adeo ſane hæc clare paterent, niſi in hiſce omnibus funditus eruendis operam ſuam inſigniter locaſſet *Samuel Bochartus.* Unicum modò ex eleganti opere, quod huic demonſtrandæ ſententiæ dedit, tranſcribam paragraphum [a]. *Sanchoniaton*, inquit, ζωφασήμιν *explicat cœli Contemplatorem*, Βεελσήμιν *Cœli Dominum*, Μὺθ *mortem* aut *Plutonem. In Heſychio* Ἄδωνις *redditur dominus*, Βάκχος *luctus*, Γάδειρα *ſepes. In Plutarcho Thor & Alpha Bos. In Stephano Ber puteus. In Etymologo Suſa, lilia. In Porphyrio* Μάλχος *Rex. quin in Athenæo*, νάβλα, *& in Suidâ* κινύρα *Muſicis Phœnicum organis accenſentur.* Quę ſane voces Hebraïcas / צפרה / שמים / בעל / מות / ארון / בכרה / באר / שושן / סלן גדר / תור / כנור / נבל / מלכא / אלפא tam perfecte exprimunt, ut non poſſint clarius & evidentius. Atqui ſi illud verum ſit, quod à nobis nunc eſt demonſtratum: tum corruit penitus communis hypotheſis, quâ *Confuſio Labii*, quæ accidit apud Babelem, explicatur de *Lingua Hebræa* cum aliis *Linguis*, aut *Dialectis*, commutata. Si enim quidam *Chamitæ* retinuerint uſum *Linguæ primævæ*; qui tamen non fuerunt extra culpam facinoris Babylonici: ſequitur, vel omnes Turris Babylonicæ Conditores non tuliſſe pœnam *Confuſionis Labii*: quod nequaquam eſt probabile; vel *Confuſionem Labii* apud Moſen non videri directe exponendam de *Origine* plurium Linguarum, ab Hebræa diverſarum.

XIV. 4. *Omnium Populorum Orientalium ratione immutatæ cum tempore Dialecti fere unam eandemque olim fuiſſe rationem*, non minus videtur eſſe certum & clarum, cum ſatis conſtet, varias illas Dialectos, quæ obtinent in Oriente, non ita ab invicem diſtare, ut non facile harmonia & cognatio, quæ eſt inter varias illas Dialectos, à peritis illarum Dialectorum demonſtrari poſſit. Quod cum jam à Doctis ſæpius præſtitum & alias ſatis notum ſit: ſufficiat id confirmatum dare eleganti teſtimonio Strabonis, qui id ipſum quoque obſervaverat. Apud Strabonem [b] ſic legimus: Τὸ γὰρ τῶν Ἀρμενίων ἔθνος, καὶ τὸ τῶν Σύρων,

Quandò obſervatur, Populorum omnium Orientalium *reſpectu immutatæ Dialecti* unam eandemque fere fuiſſe rationem.

a l. c. b Geogr. Lib. 1. p. m. 28.

Ubi *Strabonis* producitur locus.

ρων, καὶ τῶν Ἀράβων, πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει κατά τε τὴν διάλεκτον, καὶ τοὺς βίους καὶ τοὺς τῶν σωμάτων χαρακτῆρας, καὶ μάλιστα καθὸ πλησιόχωροι εἰσί. δηλοῖ δ' ἡ Μεσοποταμία ἐκ τῶν τριῶν συνεστῶσα τούτων ἐθνῶν. μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἡ ὁμοιότης διαφαίνεται. εἰ δέ τις παρὰ τὰ κλίματα γίνεται διαφορὰ τοῖς προσβορίοις ἐπιπλέον πρὸς τοὺς μεσημβρινοὺς, καὶ τούτοις πρὸς μέσους τοὺς ὅρους, ἀλλ' ἐπικρατεῖ γε τὸ κοινόν. καὶ οἱ Ἀσσύριοι δὲ καὶ οἱ Ἀριανοὶ, καὶ οἱ Ἀρμένιοι παραπλησίως πῶς ἔχουσι καὶ πρὸς τούτους καὶ πρὸς ἀλλήλους· *Nam Armeniorum, Syrorum, & Arabum multum cognationis præ ſe ferunt nationes,* SERMONE, *vitâ, corporum formâ, maxime ubi degunt in viciniâ, idque oſtendit Meſopotamia ex tribus hiſce conflata populis: maxime enim in his ſimilitudo eſt illuſtris. Quod ſi qua eſt varietas pro eo atque aliæ partes aliis magis ad ſeptentrionem aut meridiem vergunt, aut in medio ſunt ſitæ, nihilominus tamen communis affectio obtinet. Aſſyrii quoque, Ariani, & Armenii ſimiles ſunt & inter ſeſe & illorum reſpectu.* Quod ita ſi habet: neutiquam probabile eſt, *variantes* illas *Orientalium Populorum Dialectos* uno eodemque tempore ſubito *ortas eſſe*, ſed potius illas cum tempore, ut humana omnia mutationi obnoxia ſunt, & quidem per partes & gradus & articulos temporum natas eſſe.

Removetur difficultas, quæ ſuperioribus objici queat de *Lingua Hebræa*, an ea verè ſit *Lingua* primæva Patriarchalis, aliarum mater?

XV. Sic ſtat primum argumentum, quod adverſus communiorem ſententiam de *Origine Linguarum* produxi: nec video, quicquam in mundo ſupereſſe, quod ad illud labefactandum proferri poſſit, quam forte, *Linguam Veterem Canaanæam*, ſive *Phœniciam*, aut ſi mavis *Hebræam*, non *eſſe Linguam illam primigeniam*, *quâ uſi fuerint mortales ante tempus moliminum Babylonicorum*, quod tamen à nobis in hac Diſſertatione ſuppoſitum eſt. Et vere ſunt Viri præclare eruditi, qui ſtatuunt, *Veterem* illam *Linguam*, quâ primus Mundus loquutus eſt, poſt Populorum diviſionem *periiſſe*, & illius rudera non in una aliqua *Dialecto Orientali*, ſed in omnibus Orientalium Gentium Linguis abſque diſcrimine extare: Abrahamum autem, hominem Chaldæum, cum prius uſus fuiſſet Dialecto Chaldæâ, Phœniciam deinceps Dialectum in ipſa Palæſtina verſantem didiciſſe, eâque ſolâ deinceps poſteros ejus uſos eſſe. Sic fere mentem ſuam explicant Grotius [a], Huc-

a Grot. ad Gen. XI. I.

Huetius [a], Vorſtius [b], & nuper quoque elegantioribus literis cultiſſimus Vir, Joannes Clericus [c]. Ego vero etſi opus non habeam huic exceptioni occurrere, quia Docti illi Viri, adverſus quos in hac Diſſertatione diſputavi, plerumque credunt, *Linguam Hebræam vere eſſe antiquiſſimam illam Linguam, quâ mundus uſus eſt ante diſperſionem Babylonicam:* è re tamen mea eſſe putem, nihil quicquam à tergo relinquere, quod mihi negotium faceſſere queat. Quod igitur ad hanc Cl. Virorum attinet ſententiam de *Lingua Hebræa*; ego fateor lubens, ſi probari poſſet, Abrahami ætate Dialectos Orientalium Populorum uſque adeo jam ab invicem variaſſe, ut alius alium intelligere non potuerit loquentem; probabilem maxime & ſpecioſam videri *illam partem ſententiæ* Cl. Virorum, quæ ſtatuit, Abrahamum, qui Linguâ Chaldæâ in Meſopotamia uſus erat, Phœniciam, quæ nunc Hebræa dicitur, à Canaanæis didiciſſe: ſed vero neutiquam concedo in *illam partem ſententiæ* Cl. Virorum, quæ ſtatuit, ipſam Linguam Hebræam non eſſe habendam pro Lingua Mundi prima & antiquiſſima. Ego certe ita perſuaſus ſum, Hebræam Linguam eandem illam eſſe Linguam, quâ Patriarchæ primævi uſi ſunt. Eſt haud dubie inter Orientales ſimpliciſſima, & ex illa omnium optime ratio reddi poteſt ἐτυμολογίας eorum *Nominum* tam Propriorum quàm Appellativorum, quæ occurrunt in Hiſtoria rerum ante Babylonicam Confuſionem geſtarum. Nec putem ad has rationes hactenus pro rei merito reſponſum eſſe. Ne dicam, nihil admodum cauſſæ in medium proferri poſſe, quare Lingua Hebræa non ſit dicenda eſſe Antediluviana Vetuſtiſſima. Concedam licet, Abrahamum Canaanæam Dialectum ab ipſis habuiſſe Phœnicibus: quod concedere velim, ſi demonſtrari poſſit Orientales Populos jam fuiſſe Abrahami ætate Linguis diſtinctos: concedam, inquam, illud licet, non tamen mox inde ſequetur, *Canaanæorum Linguam* non fuiſſe omnium antiquiſſimam. Si enim dicas, probabile non eſſe, dum reliquorum Orientalium Lingua à primæva Lingua deflexiſſet, ſolos Phœnices

Et an non Abraham fortè hanc Linguam didicerit à Phœnicibus?

Adſtruitur itaque ſententia, quæ hanc Linguam ſtatuit *primigeniam Patriarchalem.*

C Vete-

a Huet. *Dem. Ver. Rel. Ch.* Propoſ. IV. Cap. XIII. p. 243. b Vorſt. *Syntag. Miſc. Acad.* Cap. VI. c Cleric. *Diſſert.* I. *de Lingua Hebr. Com. in Pentat. præmiſſa*, §. II. & IV.

Doceturque, non eſſe abſurdum creditu, verum uſum Hebrææ Linguæ diutius perſeveraſſe apud Phœnices quam alios Orientis Populos.

Veterem illam Linguam ſibi conſervaſſe integram: eſtne illud, quæſo, magis mirandum, Canaanæos Linguam primævam ſibi conſervaſſe integram, dum eadem apud Chaldæos, Syros, & Arabes magis magisque corrumpebatur, quam Molqueranos in hac noſtra Friſia per tot ſæcula ſolos ſibi fere incorruptam ſervaſſe Linguam Veterem Anglo-Saxonicam, dum interea eadem illa Lingua apud reliquos Friſios, Saxones, & Anglos in Britannia, non parum mutata & inflexa eſt? vel etiam, Germanos illos, qui Tauricam incolunt Cherſoneſum, Gothicam, ſive Germanicam Veterem, per complura etiam ſæcula abſque magna variatione retinuiſſe, dum à Tataris obſidentur, & cum iis in pluribus caſibus neceſſe habent verſari? [a] Phœnices inter Veteres Orientales Populos fuerunt politiſſimi. Iidem literas, ſcientias, & artes diligentius excoluerunt. Traditiones Hiſtoricæ antiquiſſimæ ætatis ab iis ut plurimum ad alias Gentes dimanarunt. Quid miramur itaque, illos incorruptiorem ſervaſſe ſermonem Veterem, quam reliquas Orientis Gentes? Sed vero etſi illa duo inter ſe non pugnent, ut dicamus Canaanæos ſolos fere ex Orientalibus Populis Sermonem Veterem integrum ſervaſſe; Abrahamum autem eadem illa dialecto uti demum cœpiſſe, quando venit in Canaanæam: ego tamen aliud nunc in promptu habeo, quo hæc duo inter ſe facile componam. Mihi veriſimile videtur, Orientales Populos diu poſt tempora *Confuſionis Babylonicæ* non uſque adeo variaſſe Dialectis, ut alius alium ſua Dialecto intelligere non potuerit differentem. Lingua illa, quam nunc Hebræam vocamus, licet poſt diviſionem Babylonicam jam aliquantum deflectere inceperit à ſua puritate, Abrahami tamen ætate non videtur hactenus uſque adeo eſſe immutata, ut Populi Orientales inter ſe colere non potuiſſent commercium ſermonis; nec videntur Dialecti, Chaldæa, Arabica, & Perſica, jam tum ad illam perductæ eſſe perfectionem, & diverſitatem, ad quam procedente tempore devenerunt. Quod ſi probatum dedero: non parum conferet ad communem ſententiam de *Origine Linguarum* in Babylonica Confuſione refellendam.

Rectius tamen tenetur, immutationem *communis Linguæ* apud Orientales ſerius factam.

CA-

a Vide Busb. *Epiſt.* IV. p. 242.

Caput II.

Adſtruitur cum ex hiſtoriis *tum ex* nominibus, *quæ in* primo *Moſis* Libro *paſſim occurrunt, Orientales Populos omnes longe poſt diſperſionem Gentium eadem vel valde affini uſos fuiſſe dialecto.*

Adſtruitur diſertius ex Hiſtoria Moſaica, Populos Orientales longum tempus *affini* vel *cognata* uſos eſſe *dialecto*.

SI paulo attentius perpendamus eas narrationes, quę paſſim in Moſe occurrunt: videtur abſque omni dubitatione ex illis colligendum, gentes omnes, quæ tunc temporis unicam terræ plagam orientalem occupabant, neque occidentales vel ſeptentrionales ſedes adhucdum quæſiverant, diu poſt Civitatis Babylonicæ extructionem unâ eademque uſas fuiſſe linguâ, & dialectis admodum affinibus. Hujus vero axiomatis certitudinem ſi dederimus demonſtratam: (dabimus autem, tum, quia alibi argumentum hoc tractatum eſſe non occurrit; tum, quia exinde patebit, *Semi* atque Japheti poſteros eandem nactos ſortem eſſe cum populis ex *Chamo* oriundis, cæteriſque Gentibus Orientalibus, quod & probaveramus ex Strabone, & ulterius nos probaturos eramus polliciti:) eam ſimul, quam intendimus, veritatem demonſtraverimus. Attendamus igitur primo loco ad illam rem geſtam, quæ commemoratur *Gen. Cap.* XXIV. cujus hoc compendium eſt. *Abrahamus ſenex veritus, ne Filius Iſaac virginem duceret ex Canaanitarum gente prognatam, quæ à vero Numinis cultu ipſum abduceret, juramento obſtrinxit Elieſerem Damaſcenum, famulitio ſuo præpoſitum, ut in Meſopotamiam profectus virginem peteret Iſaaco Filio in matrimonium ex patria ſua ſtirpe oriundam. Ipſe rem aggreſſus eſt, atque ad proſperum perduxit exitum. Primo autem occurſu, egreſſa Rebecca ad fontem implevit hydriam ſuam & ſe paravit ad abeundum: quando* וירץ העבר לקראתה ויאמר הגמיאיני נא מעט מים מכרך ותאמר שתה אדוני *cucurrit ſervus ille* (Elieſer) *in occurſum ejus, & dixit, da mihi, quæſo, bibendum parum aquæ ex hydria tua? Illa vero dixit: Bibe Domine mi.*

Quod primo demonſtratur ex hiſtoria Gen. XXIV. 1, 2.

II. Nos vero antequam ex hac hiſtoria conceptam mente noſtra veritatem ſumus adſtructuri, quædam ut certa ſuppo-

 nemus.

nemus. Supponimus vero *primo*, de quo nemo facile dubitaverit, *Bethuelem*, illiuſque liberos, & domeſticos, non alia loquutos fuiſſe lingua, quam quæ illius regionis hominibus erat familiaris. Incolebat ille *civitatem*, quod patere poteſt ex verbis [a]: וילך אל ארם נהרים אל עיר נחור *Et abivit in Meſopotamiam in Civitatem Nachoris.* & [b] ובנות אנשי העיר *Et Filiæ Virorum Civitatis hujus egrediuntur ad hauriendam aquam.* Dubium itaque non eſt, quin ipſe, cæteris concivibus familiariter uſus, fuerit loquutus ea lingua, qua illius regiouis atque Civitatis incolæ loquuti fuere. Converſatos autem illos fuiſſe cum regionis illius hominibus conſtare nobis poterit ex ſequentibus [c]: ויאסף לבן את כל אנשי המקום ויעש משתה *Et congregavit Laban omnes Viros illius Civitatis, & inſtruxit convivium.* Ex qua converſatione mutua linguæ communitas ſequatur, neceſſe eſt.

Quæ hiſtoria per certas collectiones, inde ductas, ad rem præſentem applicatur.

III. Supponimus *ſecundo*, Abrahamo cum univerſa familia eam uſui fuiſſe Linguam, quam nos *hebræam* dicimus, quo tempore *Eliezer* in Meſopotamiam profectus eſt. Arguunt id nomina ישחק & ישמאל / quæ *Filiis ſuis* impoſuit. Utique ejus poſteri hac ipſa uſi fuerunt lingua, quam non ab aliis, quam Parentibus; hi vero à Parentum ſuorum ſuæque gentis Principe Abrahamo didicerunt. Supponimus *denique*, ſervum hunc ab Abrahamo in Meſopotamiam legatum, fuiſſe *Abrahami vernam*, בן משק ביתו *Filium Procuratoris ejus*, ut habet ſacer textus [d]. Erat itaque in Abrahami Familia natus & educatus: eademque cum reliquis Domeſticis uſus eſt Lingua. Inde vero nunc liceat hanc facere collectionem. Si Præfectus Familiæ Abrahami, in Abrahami educatus familia, ubi nullam audiverat Linguam niſi hebræam, in Meſopotamiam profectus, homines illius regionis intellexerit loquentes, ipſe quoque viciſſim ab ipſis fuerit intellectus, abſque Interprete, ut ex Hiſtoria liquet: conſequitur manifeſte, Meſopotamitas & Canaanitas, ſeu potius Hebræos, eadem tunc uſos fuiſſe dialecto: vel ſaltem, Linguas eorum adeo non variaſſe, ut intelligere ſe invicem nequiverint.

Objectiones, quæ adverſus collectiones

IV. Sunt tamen, fateor, quæ ad hoc argumentum excipi poſſunt. Et *primo* quidem, ſi quis forte ſupponeret, Abrahamum

a Verſ. 10. b Verſ. 13. c Cap. XXIX. 10. d Gen. XV. 3.

mum jam ante in Meſopotamia Chaldæo ſermone uſum eſſe, & eam Linguam illum non mox mutaſſe poſtquam ipſe in Canaanæam ex mandato Divino conceſſit: potuiſſet utique hic Abrahami Servus Eliëzer idioma Chaldæum, ſive Syrum, didiciſſe in ipſa Abrahami domo, ac projn illud in ſermone habito abſque Interprete cum Rebecca uſurpare. Sic eſt: fateor, id fieri potuiſſe. Obſervari tamen velim. 1. Nos nunc potiſſimum adverſus illos diſputare, qui ſupponunt, Abrahamum domi non alia uſum eſſe Lingua, quam Hebræa. 2. Abrahamum eo ipſo tempore, quo Eliezerem in Meſopotamiam miſit, in Canaanæa jam *ſexaginta* & *quinque annos* triviſſe. quo ſpatio temporis hand dubie Familia ejus Linguæ Chaldæę uſum mutavit, ſi ea olim uſus fuiſſet. 3. Nomina *Abrahami*, *Saræ*, *Iſmaëlis*, *Iſaaci*, & hujus ipſius Vernæ *Abrahami* אלי עזר / *Eliezer* (quod eſt pure Hebraicum [a]:) tum etiam celebris loci באר שבע *Berſeba*, ſatis videri evincere, *Hebræam Linguam*, vel Dialectum, illi affinem, ſemper uſu obtinuiſſe in Familia Abrahami. Nomina enim hæc nihil minus ſapiunt quam *Syriaſmum*, aut *Chaldaiſmum*. Concipienda itaque videtur hypotheſis, ſecundum quam hæc duo ſimul poſſint conſiſtere, 1. Abrahamum ſemper uſum eſſe Dialecto affini Linguæ Hebraicæ. 2. Eundem tamen Abrahamum ejuſque Domeſticos, illa utentes Lingua, cum Chaldæis, Syris, & Phœniciis abſque Interprete potuiſſe verſari: ut videmus factum in Hiſtoria Sacra. Quæ ex nulla hypotheſi commode videntur poſſe ſolvi, quam quâ ſtatuitur, in Dialectos Populorum Orientalium circa tempora Patriarcharum nondum eam inductam eſſe variationem, quam ſequentia ſæcula attulerunt.

noſtras inferri poſſunt, proponuntur & diluuntur.

Et quidem primo, *Uſum Sermonis Chaldai* non fuiſſe alienum à domo Abrahami.

V. *Secundo* video objici mihi poſſe, Servum hunc Abrahami fuiſſe *Syrum Damaſcenum*; in Syrorum itaque verſatum Lingua ſermones facile ſerere potuiſſe cum *Meſopotamitis*, qui & ipſi ſecundum Scriptores Sacros & Profanos *Syriæ* accenſebantur. Sic ait Strabo [b]: Σύρων ὄνομα διατείνειν ἀπὸ μὲν τῆς Βαβυλωνίας μέχρι τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου, ἀπὸ δὲ τούτου μέχρι τοῦ Εὐξείνου τὸ παλαιόν. *Syrorum nomen tendere à BABYLONE uſque ad Iſſicum Sinum, & ab hoc olim uſque ad Euxinum.* Et rurſum [c]: οἱ δὲ ἱστοροῦντες τὴν Σύρων ἀρχὴν,

Altera, ſervum *Abrahami fuiſſe Syrum.*

a Gen. xxi. 31. b *Geogr. Lib.* xvi. c p. m. 507.

ὅταν φῶσι, Μήδους μὲν ἀπὸ Περσῶν καταλυθῆναι Σύρους δὲ ἀπὸ Μήδων, οὐκ ἄλλους τινὰς τοὺς Σύρους λέγουσιν, ἀλλὰ τοὺς ἐν Βαβυλῶνι, καὶ Νίνῳ κατεσκευασμένους τὸ βασίλειον. *Qui autem de Syrorum imperio ſcribunt, cum Medos à Perſis everſos dicunt, Syros autem à Medis: nullos alios Syros intelligunt, quam eos, qui BABYLONE, ac Nini regiam conſtituerunt.* Atqui ego non nego, Syris Damaſcenis & Meſopotamitis unam eandemque fuiſſe Linguam: ſed ad animum revocari velim, *Eliezerem* hunc fuiſse natum in ipſa Abrahami familia, quod jam in ſuperioribus obſervavimus. Vocatur itaque is *Damaſcenus*, non quod ipſe Damaſci natus, ſed Parens forte inde oriundus eſset. ut adeo inde non ſequatur, illum in alia verſatum fuiſse Lingua, quam qua reliqui Abrahami Domeſtici uti conſueverant.

Alterum exemplum pro *communione Lingua* ex hiſtoria Jacobi perducitur.

VI. At verò quid hæremus diutius apud Eliezerem? Habemus in eadem hac Hiſtoria Sacra ſimile exemplum in *Jacobo*, qui ipſe quoque, ex Palæſtina profectus in Syriam Meſopotamenam, commercium ſermonis libere coluiſſe dicitur cum Meſopotamitis abſque ullo ſubſidio Interpretis. Verba Hiſtoriæ hæc ſunt[a]: ויאמר להם יעקב אחי מאין אתם ויאמרו מחרן אנחנו: *Et dixit illis* (Paſtoribus congregatis ad puteum) *Jacob: Fratres mei, unde vos eſtis? Illi autem dixerunt: Nos ſumus ex Charan. Et dixit illis Jacob: Fratres mei, noſtisne Labanem Nachor? Dixerunt autem, cognoſcimus. Ille vero, Pax illi eſt? Regeſſerunt: Pax. Et ecce Rachel filia ejus accedit una cum grege.* quæque plura ſequuntur. Habes igitur hic integrum *Jacobi* ex Canaanitide & Patria familia, ubi Linguam modo Ebræam didicerat, recentis, atque omni Interpretis ope deſtituti, diſcurſum cum Meſopotamenis, quorum ille nunquam viſitaverat regionem. Unde omnino colligendum, tum temporis Chaldæorum atque Ebræorum dialectum adeo non variaſse, ut inter ſe colere non potuerint ſermonis commercium. Oportet igitur tum majorem fuiſſe convenientiam inter Linguas Hebræam & Chaldæam, quam erat tempore Hiskiæ[b], quando Judæi *Syros* non bene intellexerunt. quod id ipſum erat, quod nunc cuperemus demonſtrare.

Eadem hypotheſis ad-

VII. Verum quamobrem idem etiam hic non tentamus in nomi-

a Cap. XXIX. 1, 2, 3. b 2 Reg. XVIII. 28.

nominibus, quod modo tentavimus in nomine אליעזר / atque bene nobis, ni fallimur, ſucceſſit? Non opinamur nos, nominum omnium rationem vel inquirendam eſse, vel inquiri etiam poſse, quandoquidem caſus, qui ut plurimum imponendis nominibus occaſionem præbent, adeo ſæpe rari ac inſoliti ſunt, ut eos divinando aſsequi nemo valeat, etſi linguæ peritus ſit. Nos vero non adeo id agimus, ut nominum omnium, quæ nobis in Hiſtoria occurrunt Moſaica, ſolidam ſignificationis rationem demus, quam quidem, ut oſtendamus, illa ex Lingua Hebræa eſse exponenda; vel ſaltem neutiquam flexa eſse ſecundum terminationem Chaldaicam. quippe quod ad ſcopum noſtrum ſufficit. Capiamus, obſecro, experimentum. Avunculi Jacobi, quem ipſe Jacob in Meſopotamia offendebat, nomen fuit לבן *Laban.* לבן *album* notat, λευκὸν, quod mere hebræum eſt nomen, quodque Filius *Laban* à Parente נחור *Nachor* mutuatus eſse videtur. נחור enim *album* & *candidum* ſignificat. Ita חור occurrit in vaticiniis *Jeſaiæ*[a]: פניו לא יחורו *Facies ejus non albeſcet.* id eſt, *expalleſcet.* Hinc חרים λευχείμονες, quos *albatos* diceret Horatius. Quæ ſane nomina infantibus commode tribuuntur. *Rebecca* (רבקה) vero nominis origo à pluribus, quam una, radicibus devolvi poteſt. Sive id referamus ad antiquam & obſoletam vocem רבק (unde מרבק *ſaginarium*) ſive רבקה dictum putemus pro רפקה ac ad uſitatius etymon רפק recurramus, habebimus, ubi figamus pedem. Infanti enim aut à *pinguedine*, aut ab eo quod *Matris* adhæreat *uberibus*, nomen dare, non poteſt videri eſse abs re. Sed nec cætera nomina hinc recedunt. *Milca* מלכה ipſiſſimum hebræorum מלכה eſt, quod ipſis *Regina.* Orientis enim gentes in imponendis nominibus amarunt ὑπερβολήν. Sic *Abrahami* uxor שרי id eſt, *mulier Princeps* nuncupata eſt. Confirmant quoque ſententiam noſtram Filiæ utriuſque inſignia. *Lea* לאה *defatigationis* atque *moleſtiæ* vocabulum eſt, ſeu quod cum ipſam eniteretur admodum debilitata & defatigata ſit genitrix; ſeu quod communem תלאה *moleſtiam*, κόπον, atque *laborem* vitæ hujus deſignare voluerint per hoc nomen Parentes, uti factum videtur in תרח / pro טרח / quod *moleſtiam* quoque & *laborem* notat, quo inſignitum legimus

ſtruitur ex *Nominibus*, in familia *Labanis* & *Nachoris* uſurpatis.

a Cap. xxix. 12.

mus nomine Abrahami Patrem. *Rachel* רחל *ovem* ſignificat *fæminam. Belg:* **Een Oylam.** Locus extat apud *Jeſaiam*[a]: וכרחל לפני גזזיה נאלמה *Et ut* ovis *coram vulſoribus ſuis obmuteſcens.* Quo nomine tenera & amabilis infantis conſtitutio quam eleganter expreſſa eſt?

Et pariter in familia Jacobæa, in *Nominibus* Liberorum, ab *Uxoribus* ejus formatis.

VIII. Favet inſuper cauſſæ, eſtque dignum animadverſione, *Labanis* filias liberis ſuis hebraica plane nomina impoſuiſſe. Occurrunt nobis varia illius rei ſpecimina in eadem hac Hiſtoria. ut Ex. gr.[b]. *Et concepit Lea, & peperit Filium* ותקרא שמו ראובן / *Et vocavit nomen ejus* RUBEN. ראובן autem eſt ex ראה & בן *Videte Filium.* ſic לוי à לוה / יהודה ab הודה / דן à דין / שמעון à שמע / quæque cætera ibi reperiuntur nomina, mere Hebraica. Non opinor fore qui excipiat, aliam Labanis familiæ, ac aliarum Familiarum Syrarum fuiſſe rationem, quod Lingua Ebræa in illius familia magis fuerit conſervata, quam in aliis Chaldæorum Domibus. Nam præterquam, quod ante huic obviam iverimus dubio, eſtne ut opinemur, Deum *linguæ*, ejuſque certa quadam in familia conſervandæ, habiturum curam, cum ejuſdem familiæ ſalutis curam pene nullam, quin imo nullam omnino habeat? Perpendamus modo ea, quæ Joſua nobis revelavit in ſua ad gentem Judaicam Oratione de ſtatu Semitarum, ſive Majorum Abrahami[c]: *Et dixit Joſua toti populo: Sic dicit Dominus Deus Iſraëlitis:* בעבר הנהר ישבו אבותיכם מעולם תרח אבי אברהם ואבי נחור ויעבדו אלהים אחרים *Trans flumen habitarunt Parentes veſtri olim; Therach, Abrahami & Nachoris Pater; &* SERVIERUNT DIIS ALIENIS.

Occurritur interim præjudicio communi, quod uſus *Linguæ Hebrææ* pro ſingulari prærogativa haberi debeat.

Si gentem ex *Semo* oriundam impenſe adeo amavit Deus, ut linguam ille primigeniam in illa conſervari voluerit; quidni potius voluntatem ſuam illi patefecit clarius atque evidentius? quam ob rem permiſit Deus, uti Semitæ à ſe deſciſcerent, & idololatriæ implicarentur crimine? Quid, quæſo, Lingua primigenia, quam *Ebræam* putas, plus habet ſanctitatis cæteris omnibus cultioribus Aſiæ & Europæ Linguis? & quam, cedo, ob cauſam, illa beatior gens aut familia eſt, quæ *Ebræa*, quam quæ Chaldæa aut Arabica, aut alia aliqua utitur dialecto? Vocabula omnia ſigna rerum ſunt per illa ſignificata-

a Cap. LIII. 7. b Cap. XXIX. 30, 31, 32. c Cap. XXIV. 2.

ficatarum. Num igitur felicior eſt, qui rem hoc deſignat vocabulo, quam qui alio, modo vocabula ad res ſignificandas apta & parata ſint? Hebræi id, quod ratione percipimus & ore proferimus, exprimunt per דבר/ Græci per λόγον, Latini per *ſermonem*. Omnes unam eandemque rem ſignificant. Num feliciorem exiſtimas *hebræum* quod דבר dicat, quam Græcum, qui λόγον, & Latinum, qui *ſermonem* dicit? Hebræus *verba* exprimit per דברים / *Chaldæus* per דברין. Num beatior Hebræus eſt, qui דברים / Chaldæo, qui דברין pronunciat? Adeo ludicrum eſt hiſce & ſimilibus, quæ Doctiſſimi etiam Viri perſuadere nobis voluerunt, inhærere. Quinimo, ſi Lingua Ebræa fuerit ſuperſtes in familia *Labanis*: quam ob cauſam deprædicas felicitatem Abrahami, quod *Ebræa Lingua* ille fuerit hæres; cum æque pura extiterit in domo *Labanis*, quam in ea *Abrahami*? Neque eſt ſane probabile, Fœminas haſce, quæ ipſæ liberis ſuis nomina impoſuiſſe dicuntur, ope mariti ſui *Jacobi* ad Linguæ hujus perveniſſe notitiam: quia neutiquam ſimile eſt vero, hominem advenam, qui nuper in familiam adoptatus erat in ora ſibi peregrina, mutationem inducturum in illius familiæ dialectum, qua hactenus uſa erat. Intrabat *Jacobus* & Chaldæorum regionem & Chaldæam familiam; diſcere igitur potius debuit & regionis & familiæ illius linguam, quam ſuam alios docere, ſi diverſa eſſet.

Caput III.

Diſputatur contra Hugonem Grotium & P. Danielem Huetium *variis rationibus, quod* nomina propria, *quæ in Scriptis Moſaicis occurrunt, ab Hiſtoriographo Moſe ex Lingua, ut volunt, veteri in* Linguam, *nunc dictam* Hebræam, *converſa non ſint.*

Est veró in proclivi excipere ad ea, quæ ſuperiori *Capite* diſputata ſunt de *nominibus*, quod nomina illa, quæ ſacrum in Codicem à *Moſe* relata ſunt, non ita nobis referantur, uti tunc temporis illas inter gentes fuerunt uſurpata, ſed in idioma hebræum converſa & ſecundum Linguæ hebrææ genium

Producitur exceptio ad ſuperius argumentum, ex nominibus productum; *eſſe illa ex Lingua Primæva*

in Hebræam converſa. Ubi proferuntur verba Grotii.

genium flexa ſint; maxime poſtquam illuſtres & eruditi Viri ſic præiverunt. Audiamus Hugonem Grotium, cujus hoc de argumento extat diſcurſus in *Annotationibus* ad Geneſin [a]. *Nomina autem propria*, ait, *Adami, Evæ, & cætera hebraico ſermone à Moſe expreſſa Hebræorum cauſa ſunt eodem ſignificatu, qui in primæva lingua fuerat. Sic Curtius milites quoſdam ait à Perſis vocatos* immortales; *aditum Ciliciæ ab incolis* Pylas *dici*; qui ſingulis *militum millibus præerant, eos vocatos à Perſis* Chiliarchos; *anguſtias alias à Perſis* Suſidas Pylas *vocari. Multaque ejus generis paſſim apud Hiſtoricos occurrunt. Euſebius ſerpentes quoſdam à Phœnicibus ait vocari ἀγαθὺς δαίμονας; Venerem ab Afris οὐρανίαν Herodianus.* In Africa *Pithecuſæ* & *Ampeluſiæ nomina ſunt in Græcum ex Punico tranſlata, teſte Diodoro* Lib. XX. *Mela* Lib. I. *Sic quæ* aſpis *Græcis*, clupea *Latinis. Athenæus* Lib. VI. κελτοὶ περιάγονται καὶ μεθ᾽ ἑαυτῶν, καὶ πολεμοῦντες συμβιωτὰς, οὓς καλοῦσι παρασίτους. *id eſt, appellant eos gallica voce quæ paraſitos ſignificat. Gibbus Marcellino eſt, quem Procopius* κυρτὸν vocat. *Et nos Latinè ſcribentes urbem Brabantiæ vocamus* Sylvam Ducis. *Et Græci Interpretes ſacrorum Librorum locorum nomina haud pauca Græce ponunt*, ut δρῦν, ὑψηλὴν, βάλανον πένθους, πόλιν γραμμάτων, σταγόνα. Grotium ſequutus eſt eruditiſſimus Vir, Petrus Daniel Huetius, qui plura hujus generis alia produxit [b]. *His addo*, inquit, *Vulgati Scripturæ Interpretis exemplum, qui iſtud exponens:* Hæc vocabitur אשה / quoniam מאיש ſumpta eſt; *eandem originationem nominibus Latinis expreſſit:* Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro ſumpta eſt. *Iſaacum, cujus nomen Ebraice* riſum *ſonat*, γέλωτα *appellat Alexander Polyhiſtor. Eſau, cui* & Edom, *hoc eſt* Rufo *nomen fuit*, Erythras *à Græcis dictus eſt.* Og, *qui fuit Rex Baſan, & id nomen habuit ab uſtione ſeu coctione, juxta nonnullos Græcos* Typhon *eſt appellatus; quæ dictio ejuſdem eſt ſignificationis.* Qui Cephas *à Chriſto nomen habuit*, Petrus *à Græcis eſt nuncupatus*; πλοῦτων *Latinis nominatur* Dis; Carthago *Græcis* Cænepolis. Picti *vocati ſunt à Romanis*, *qui* Britanni *à ſuis.* & quæ ſequuntur alia. Addo, Doctiſſimum Clericum nuper quoque eandem profeſſum eſſe ſententiam [c].

Et P. D. Huetii.

II. Non

a Ad Cap. XI. I. b *Demonſt. Evang.* Propoſ. IV. p. m. 246. c *Proleg. in Pentat. Diſſ.* I. *de Ling. Hebr.* §. II.

Quæ ſententia Doctorum Virorum ſæpe ventilata & diſcuſſa, rurſus ſubjicitur examini.

II. Non eſſet vero admodum neceſſe, ut nos huic diſputationi, ſatis moleſtæ, immiſceremus, quippe quæ dudum præſtantiſſimos Viros cum Judæos tum Chriſtianos occupatos tenuit, ac proinde abſque opera noſtra videri poſſet terminata eſſe vel terminanda. Atque ita res eſt, apud Buxtorfium Filium, Virum Doctiſſimum, in *Diſſertatione* de *Origine & Antiquitate Linguæ Hebrææ*, in contrariam partem referuntur ſententiæ perplures variæque Doctorum hominum ſive ex Judæis ſive ex Chriſtianis, in quibus hæc hypotheſis oppugnatur. Inter cæteras vero, (quis enim vitio vertat, nos Judæis ſuam non denegare ingenii atque induſtriæ laudem?) offendimus egregiam Abarbanelis digreſſionem ad hoc argumentum, quæ nobis quidem cæteris omnibus palmam videtur præripere, ſolaque huic liti finiendæ ſufficere. Ecquid tamen prohibet poſt alios in nobili adeo quæſito, à cujus deciſione omne judicium de *Veterum Patriarcharum Lingua*, ut & de argumentis, pro noſtra opinione hactenus ex nominibus productis aut deinceps producendis, dependet, aliquid tentare? ſi modo operam demus, ne inani repetitione eorum, quæ ab aliis ſcripta ſunt, lectorem fatigemus.

Obſervatur itaque primo, probabile videri, aliqua ſaltem nomina à Moſe non eſſe ficta, quippe expoſitu obſcuriora.

III. *Primo* itaque velim ſcire, ſi dicendum ſit, Moſen antiqui ævi nomina tranſpoſuiſſe: an Moſes omnia tranſpoſuerit nomina, an vero quædam? An bonorum & proborum Virorum ſolorum nomina reddiderit poſteritati, an vero etiam improborum? Dein, quem in finem Moſes, cum aliis Hiſtoriographis id in more minime fuerit poſitum, moleſtum hunc laborem in ſe ſuſceperit?

IV. Dicere, omnia nomina propria à Moſe eſſe transfuſa in Linguam aut Dialectum Canaanæam: quod illi Autores videntur dicere velle, quoniam diverſitatis nulla ab ipſis reddi poteſt ratio: non exiguam involvit difficultatem. Ubi enim attendimus ad nomina, quemadmodum promiſcue à Moſe referuntur, facile videmus, omnium non eſſe unam eandemque rationem. Quorundam enim origines abſque moleſtia, aliorum difficulter reperiuntur. Quod ſi vero in animum tuum inducas credere, Moſen nomina Veterum tranſtuliſſe in notiones communes & perceptu facillimas: non video, quæ dari poſſit

ratio, cur nomina omnia adeo non feciſſet intellectu facilia, ut eorum ſignificatum abſque ulla opera poſſit ſcire, qui Linguæ peritus eſt, & ad illa recte intelligenda debitam adfert attentionem.

Petitur exemplum ex nomine Arphacſchad.

Scire enim velim, ſi hoc non fecerit Moſes, quorſum operam impenderit nominibus ex una Lingua in aliam transferendis? Sumamus exemplum ex nomine ארפכשר *Arphaxad*, Filii Semi. Negari ſane nequit, eſſe illud inter multa alia faciliora intellectu difficilius. Philo Judæus [a] illud Græce vertit: *Συνετάραξε ταλαιπωρίαν Conturbavit ærumnam*. Hieronymus, ſive quis alius Auctor fuerit Libri de *Nominibus Hebraicis*, ſenſu non valde diſſono [b]: *Arphaxat. Sanans depopulationem.* Clarum eſt, Hieronymum cenſuiſſe compoſitam eſſe vocem ex שר *vaſtatio*, *deſolatio*, *calamitas*, & רפא *ſanare*: Philonem ex vocibus שר & רפף. Lxx enim Interpretes vocabulum שר frequenter tranſponere ſolent per Gręcum [c] *ταλαιπωρία*: & רוף ſive רפרף Chaldęis ac Syris notat *commovere*, *agitare*, *concutere*. quo ſignificatu extat quoque in Libro Jobi [d]. Reſpici vero ad ſignificationem Chaldæę vocis, liquet ſatis ex ſequente Philonis contextu, quo hanc ſuam etymologiam explicat: Καλὸν γε ἔγγονον ψυχῆς, κλονεῖν καὶ συγχεῖν καὶ διαφθείρειν τὴν ταλαίπωρον καὶ γέμουσαν κακῶν ἀδικίαν· *Præclarus certè fœtus animi, eſt* EXAGITARE *& confundere, & profligare ærumnoſam & malis refertam Injuſtitiam.*

Cujus variæ interpretationes producuntur.

Κλονεῖν idem eſt quod κινεῖν & τινάττειν *agitare*, *quatere*, *turbare*. Quis tamen non videt, utramque illam etymologiam eſſe frigidam, nec convenire etiam regulis Grammaticę? Quorſum enim referas *radicalem literam* כ / quę in hac etymologia prorſus negligitur? Druſius [e]: *Ut mihi quidem videtur, nomen eſt compoſitum ex duobus, videlicet* ארף / *ſive* ארפא / *&* כשר / *unde* כשרים *Chaldæi*. Sed ne ſic quidem nominis ſignificatio nobis innoteſcit. Ne dicam, nomina כשר *Filii Nachoris*, & כשרים *Chaldæorum*, ſcribi cum ש *leni* כֶּשֶׂר & כַּשְׂדִּים: literam vero

Iiſque ſubjicitur alia, quæ videri poſſet commodior.

ש in אַרְפַּכְשַׁד eſſe adſpiratam. Mihi quidem in mentem venit, an non forte cauſſa facilioris pronunciationis: ארפכשר dictum ſit pro ארפקשר / quoniam literæ כ & p facile permutantur.

a Tract. de *Nominum Mutatione*, p. m. 31. b De *Nominibus Hebr.* Tom. ult. Librorum Epiſtol. p. m. 300. c Jer. VI. 7. XX. 8. d Cap. XXVI. 11. e In *Notis Major.* ad Geneſ. X. 22.

tantur. Sic קהה & כהה ſecum invicem conveniunt. כהה *hebeſcere* ſignificat. כהה תכהה *hebeſcendo hebeſcet* apud Zachariam[a]. כהתה כל רוח *hebeſcet omnis animus* apud Ezechielem[b]. Simile eſt קהה quod Belgice: Stomp worden. שני בנים תקהינה *Dentes Filiorum ſtupent*, in Vaticiniis Jeremiæ[c]. Ita coincidunt קור & כרה. Utrumque vocabulum *fodere* notat[d]. אני קרתי ושתיתי מים *Ego fodi & bibi aquas*. בור כרה ויחפרהו *Puteum fodit, & excavavit eum*. Ita veteres Interpretes כפים retulerunt ad קבין/ quando illud per σύνδεσμον οἰκοδομῆς & σύνδεσμον τοῦ ξύλου tranſtulerunt. Sic vero nomen ארפקשר compoſitum eſſet ex רפק & שר. רפק vero notat *inniti* atque *incubare*, ut *in Cantico*[e]: מתרפקת על דודה *Innixa dilecto ſuo*. Eadem ſignificatio in Arabica Dialecto ſuper eſt. רפק enim *ſocium*, & *commilitonem* ipſis denotat. רפקה *Pulvinar*. Intelligamus id ex *Salomone Jarchio*: מתרפקת על דודה מתחברת על דודה: רפק בלשון ערבי רפקתא חבורה *Illud* (inquit) *Mithrappecheth al dodah idem eſt ac aſſociata dilecto ſuo. Raphak autem ex Arabica Dialecto exponenda eſt, in qua Raphakta notat ſocietatem.* שר autem *mammam* ſignificat. Sic ארפכשר tantundem eſſet ac *Adhærens mammæ*: quod tenero infanti non incommode imponi potuit nomen. Sic quidem aliquando luſi: nec tamen tam certam habeo hanc etymologiam, ut in ea ſecure conquieſcam. Utique obſcuritas, quæ ineſt in vera ſignificatione hujus nominis, argumento videtur eſſe poſſe, hoc nomen ita à Moſe traditum eſſe poſteris, quemadmodum à Patriarchis fuit uſurpatum. Clarius enim forte tradidiſſet Moſes & explicatius, ſi illud ad notionem aliquam Hebræis familiariorem tranſtuliſſet. Nec tamen inde quis mox colligat, nomen ארפכשר non eſſe originis hebrææ. Sæpe enim accidit, ut nomina propria ex duabus notionibus compoſita, ἀνωμάλως componantur, vel compoſita diverſimode temporis ſucceſſu flectantur. Exemplum ſit in nomine שמואל. Tulit hoc nomen Propheta Samuel[f], quia erat שאול מאל *petitus à Deo*. Manifeſta in eo eſt literarum tranſpoſitio, quę illius interpretationem redderet difficiliorem, ſi ipſa Sacra Hiſtoria nobis hic non præiviſſet. Nomen שמואל/ ſi in Hiſtoria abſque addita interpretatione occurreret, facile

In tranſitu etiam explicatur nomen *Samuel*.

 quis

a Zach. XI. 17. b Ezech. XI. 7. c Jer. XXXI. 29. d Jeſ. XXXVII. 25. Pſ. VII. 16. e Cap. VIII. 5. f 1 Sam. I. 20.

quis latine verteret: *Nomen ejus eſt* אל *Deus fortis.* Sed ex hiſtoria intelligimus שמואל dictum eſſe pro, שאולמאל / & vertendum; *Rogatus à Deo.* Et pluribus id probari poſſet exemplis, ſi res tanti eſſet.

Secundo probatur, Moſen nomina paſſim invariata tradidiſſe, ex ipſa hiſtoria.

V. Secundo obſervari velim, Moſen in hiſtoria ſua referentem *Nomina Locorum*, manifeſtis indiciis prodere, ſe Locorum illorum Nomina ita referre, ut verè antiquitus uſurpata ſunt, tanquam oppoſita appellationibus eorundem illorum locorum recentioris ævi, ac proin notioribus & uſu vulgatioribus. En exemplum ex Geneſi clariſſimum [a]: *Reverſi autem ſunt & venerunt*, אל עין משפט *Ad* EEN MISCHPATH, היא קדש / *quæ* KADESCH *eſt*, *& ceciderunt omnem agrum Amalekitarum*, *atque etiam Emoritam habitantem in* חצצן תמר *Chatſetſon Thamar. Egreſſus autem eſt Rex Sodomæ*, *& Rex Gomorræ & Rex Adamæ & Rex Tſeboim*, & *Rex* בלע הוא צער BELÆ, *quæ eſt* TSOAR. Sane ſi hæc verba æqua mente perpendantur, ſola mihi terminandæ huic liti ſufficere videntur. Dici enim non poteſt, nomina עין משפט / חצצון תמר / & בלע tranſpoſita à Moſe eſſe Hiſtoriographo, quia totidem verbis ipſe dicit Moſes, ſe illorum locorum nomina ita referre, uti uſurpata fuerant Veteribus. Neque enim φϱάσις illa בלע הוא צער aliud quid ſignificare poteſt, quam locum illum, qui poſtmodum appellatus eſt *Tſoar*, antiquiorum temporum hominibus dictum eſſe *Bela.* Ita in ſequentibus [b]: אל עמק שוה הוא עמק המלך. *Ad vallem* SCHAVE, *quæ eſt* VALLIS REGIS. על פני ממרא היא חברון בארץ כנען *E regione* MAMRÆ, QUÆ EST HEBRON *in terra Canaanis* [c]. ויקרא חשם המקים ההוא ביתאל ואולם לוז שם העיר לראשנה *Et appellavit nomen loci illius* BETHEL, *cum ante nomen illius Urbis fuerit* LUZ [d]. חצצן תמר היא עין גדי CHATSETSON THAMAR, *quæ nunc appellatur* ENGEDI. An poſſet Hiſtoriographus clarius loqui, quam hic locutus eſt Moſes, ſi voluiſſet, nos de eo ſecuros reddere, quod nomina *Locorum*, ac proin *Perſonarum* & *Populorum*, immutata reliquerit in Hiſtoria?

Tertio idem adſtruitur ex Monumentis

VI. Tertio: Doctiſſimi quoque Viri, qui Literaturam Profanam inſtituerunt comparare cum Sacra, & alteram ex altera illu-

a Cap. XIV. 7, 8. b Cap. XXIII. 19. c Cap. XXVIII. 19. d 2 Chron. XX. 2.

illuſtrare, obſervarunt, Nomina *Perſonarum*, & *Locorum* ſingularium, quæ ex vetuſtiſſima traditione Patriarchali apud Gentes conſervata ſunt, commode poſſe conferri cum *Nominibus Propriis Perſonarum* & *Locorum*, quæ memorantur in Hiſtoria Moſaica: quod argumento eſt, Nomina illa in Divinis Literis extare invariata; ut mox clariſſime patebit. Ipſe Grotius & Huetius hanc tenent hypotheſin ut certiſſimam. Producemus ex utroque ſpecimen. Grotii hæc ſunt ex Libris de *Veritate Religionis Chriſtianæ* [a]: JAPHETUS *Europæorum Genitor & inde* JON, *aut ut olim eloquebantur*, JAVON *Græcorum*, *Afrorum vero* HAMMO, *nomina ſunt*, QUÆ APUD MOSEN QUOQUE APPARENT, *ſicut & cæterorum veſtigia in Gentium locorumque vocabulis Joſephus & alii obſervant.* In *Annotatis* autem, quæ ſane erudita ubique ſunt, hæc habet: *JAPHETUS eſt ipſa vox* יפת. *Nam eandem literam* ב *alii ut* π, *alii ut* φ *pronuntiabant. JAVON: Nam* ἰάονες *ſæpe eſt apud Vetuſtos Scriptores. Jam verò mos antiquior erat inter duas vocales interponere digamma, quod poſtea per* υ *ſcribi cæpit, olim ſic F.* ita ἀυὼς *erat, quod nunc* ἀὼς, *&* ἠώς. Ἰαῦνας τοὺς Ἕλληνας καλοῦσι, *Suidas. HAMMO. Ham* ח *per aſpirationem reddere aut etiam omittere Græci ſolent. ut* חצר מות Ἀδράμυττος *vel* Ἀδράμυττος. (quod inde eſt, quia uterque ſpiritus ex litera ח ortus.) ων *vero Græca eſt deſinentia. Hic non Lybium tantum, ſed & multarum aliarum Gentium pater conſecratus ab ipſis in Jovis ſtellam. Lucanus* IX.

Traditionum, quæ apud Gentiles ſervata ſunt, collatis cum Hiſtoria Moſis.

Producuntur rurſus ſpecimina ex Grotio.

> *Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis*
> *Gentibus atque Indis unus ſit Jupiter Ammon.*

Apud Huetium vero multa hujus rei extant. Hæc ipſa enim hypotheſis egregiam occaſionem præbuit Huetio [b] explicandæ diffuſæ ſuę eruditioni in Opere, cui titulus: *Demonſtratio Evangelica.* Excerpamus hæc pauca: APOLLINEM *Muſicæ Parentem, ejuſque fratrem* VULCANUM, *ferrariæ & ærariæ artis Autorem,* JUBALIS *&* TUBAL CAINI *Filiorum Lamechi expreſſas eſſe a Mythicis Scriptoribus imagines, jam obſervatum eſt.* Exiſtimat igitur, Nomen APOLLO ortum ex יובל / & *Vulcanus* ex תובל קין. Mox alio loco [c]: *Ipſum* JAPHETI *nomen in mythologiam ſuam tranſtulerunt Græci, &* JAPHETUM *appellarunt.* Veniam verò rogamus

Et Huetio.

a Lib. 1. de *Ver. Rel. Chriſt.* p.m. 20. b Prop. IV. p. 219. c p. 220.

Idque argumentum contra hypotheſin de mutatis in Moſe Nominibus valide urgetur.

mus, ſi ſolito hic ſimus audaciores, atque dicamus, Eruditos hoſce Viros ſuam propriis hiſce verbis jugulare ſententiam. Nimirum Gentes illæ, quę notitiam habuerunt nominum *Vulcani*, *Chami*, *Japheti*, *Javonis*, aliorumque ſimilium, non hauſerunt illa ex Scriptis Moſaicis, ſed omnino illa habuerunt ex traditione. Neminem puto me habiturum Lectorem tam meæ cauſſæ iniquum, qui id non ultro mihi ſit conceſſurus. Quid commercii fuit Iſraëlitis jam ductis ex Ægypto (tum enim demum ſecundum hypotheſin illam Doctorum Virorum mutatio illa Nominum à Moſe facta fuiſſet:) quid, inquam, commercii fuit Iſraëlitis cum Ægyptiis, & Græcis, per quod commercium *Nomina*, in Scriptis Moſaicis uſurpata, ipſis potuerint innoteſcere? De Prima loquor Iſraëlitarum ætate, qua conſtituta & confirmata primum eorum Reſpublica eſt, & qua nihilominus nota fuerunt hæc nomina gentibus. Non inſpexerunt utique Gentes aliæ Iſraëlitarum hiſtorias; neque ſane inſpicere voluerunt, ut ex nominibus, quę ibi occurrunt, Numina ſibi facerent. Per famam quidem de illuſtribus Judæorum Præfectis aliquid cognoverunt, poſtquam Judæi ſuam conſtituerunt Rempublicam; ſed † in confeſſo eſſe exiſtimem apud eos

Cum ſupponi debeat, Gentiles illa nomina habuiſſe ex traditione Majorum, non ex Libris Moſaicis.

† Sic paulo audacius & liberius mentem meam hac de re expreſſi, nec putem, eſſe inter Doctos, qui dicere velint vel audeant, omnes Traditiones Gentium de antiquioribus ſæculis ad ipſas dimanaſſe ex Libris Moſaicis. Ex Sacra Hiſtoria ſatis liquet, parum commercii interceſſiſſe Iſraëlitis cum Gentibus eo temporis intervallo, quod lapſum eſt à fundata Iſraëlitarum Republica in terra Canaan per Joſuam uſque ad florentem Hebrææ Reipublicæ ſtatum ſub Davide & Salomone. Atque hoc ipſum illud eſt tempus, quo Theologia Fabularis compoſita eſt & viguit apud Græcos. Judæi hoc toto fere tempore magis admirabantur & imitabantur vicinarum Gentium Religionem & Cærimonias, quam Gentes, quæ Judæos odio habebant, captæ fuerunt admiratione Sacrorum Judaicorum. Sanchoniatanem, antiquiſſimum Phœnicum Scriptorem, à Gideone accepiſſe Commentaria quædam, & ex Thoyti, h. e. Moſis Libris petiiſſe traditiones de primis Rerum Originibus, probabiliter diſputat Huetius: nec tamen certum eſt, quantum Gideon cum Sanchoniatane communicaverit, nec etiam, an illa Sanchoniatanis Scripta, vel quota eorum pars, circa illa tempora viſa ſint à Græcis. Ergo ne prolixus ſim: non nego, ex geſtis à Moſe & Judæis per famam

Demonſt. Evang. Propoſ. IV. Cap. II.

eos omnes, qui ratione ſua recte utuntur, ad vetuſtorum illorum Nominum cognitionem antiquiores illas gentes non niſi per traditionem potuiſſe pervenire. Rem paucis enarrabo. Cum poſt Diluvium augeri cœptum eſſet humanum genus; diſperſi paulatim ſunt mortales in diſſita loca atque regiones. Ibi cum viverent, ſuos natales liberis expoſuerunt, & pro ævi illius ſimplicitate, certis forte expreſſerunt ſignis. Hi idem officium rurſus præſtiterunt ſuis poſteris: & hunc in modum propagata & diffuſa eſt *tradiiio* per orbem terrarum. quę tamen proce-

E dente

famam ad Græcos non pauca eſſe tranſlata, quæ ipſis mythologiæ materiam præbuerunt. Id abunde à Voſſio, Heinſio, Bocharto, Huetio, & Dickenſono demonſtratum eſt. Sic Bochartus, ubi Fabulas Bacchi ex Scriptura illuſtraverat, *cum primum Phœnices*, ait, *Cadmo Duce in Græciam appulerunt*, RECENS ADHUC ERAT MEMORIA RERUM A MOSE GESTARUM. *Cadmus enim ſub Joſua vixit, & eorum dux fuit, qui ut imminenti exitio ſe proriperent, mari ſe commiſerunt, alias terras inquiſituri.* Præterea non nego etiam, ex qualicunque commercio, quod habuerunt cum Phœnicibus, ex Scriptis Moſaicis quædam potuiſſe excerpi, & illa ad Græcos transferri. Sed vero omnia, & pleraque, quæ in Fabuloſa Græcorum Theologia comparent ſimilia traditionibus Hebræorum, ab ipſis petita eſſe ex Libris Moſaicis, non facile credam: nec audent id dicere Auctores, qui vel maxime favent hypotheſi de mythologia Græcorum ex Libris Moſaicis explicanda. En Huetium, mentem ſuam hac de re clare explicantem: *Dicat aliquis, harum rerum famam, non ex Moſaicis ſcriptionibus, ſed vulgi ſermonibus traditam, & continua ſucceſſione per multas ætates propagatam, ad Græcos perveniſſe, vel ex aliorum librorum lectione ipſos hauſiſſe. Nec inficias ivero, aliquam, ſi forte, Mythologiæ partem ſic extitiſſe:* NEQUE ID CONTENDO SANE, EX UNO MOSIS VOLUMINE FUISSE PETITUM, QUICQUID NOBIS MYTHICI OBTRUSERUNT. ---- *Hoc tantum mihi credi velim, & ad rem, quam probo ſatis eſt, ſi non* OMNIA, *ut plurima certe à Moſe Græcos ſumpſiſſe.* Addam illi clarum pariter hoc tempore eruditione & pietate Virum, Rev. Stellingflectium, qui in Libro, cui titulus; *Origines Sacræ*; in hunc modum diſſerit: *Secundum Mythologiæ Ethnicæ notamus fontem, quod impropias locutiones, quæ occurrunt in Linguis Orientalibus, acceperint tanquam proprias. Nam ſive ſtatuamus,* ANTIQUAS *Traditiones ad ipſos tranſlatas eſſe vetere Lingua Hebræa à Pelaſgis, vel Phœniciis; ſive dicamus, eas ab ipſis petitas eſſe ex ipſa Sacra Scriptura:* (UT ALIQUI EXISTIMANT: LICET NEQUAQUAM PROBABILE VIDEATUR ID FACTUM ESSE AB HOMERO, *& Poëtis quibuſdam veteribus:*) *in id tamen conſentiunt variæ illæ rationes explicandarum traditionum, originem earum petendam eſſe ex Oriente.*

De *Phœnic.* Lib. I. Cap. XVIII.

Demonſt. Evang. Prop. IV. Cap. X. §. VI.

Lib. III. Cap. V.

Cujus *traditionis* modus declaratur.

dente tempore non parum eſt corrupta. Inde ignorantia, & ex ignorantia turpi & craſſa, dum homines ingenium ſuum ſæpe non excolebant, ſuperſtitio & idololatria. Nempe cum nihil ipſis liqueret de rerum originibus, præter id, quod Parentes ipſorum ipſis tradiderant: hinc factum ut quem docuerant Parentes gentis ſuę primum eſſe, pro Numine habere, poſtea colere atque venerari cœperint. Hinc autem illa *Hammonis*, *Japheti*, aliorumque nomina ſunt, ex *traditione* in Monumentis Gentium conſervata. quas traditiones apud alios Populos puriores & plures, apud alios magis depravatas & rariores fuiſſe, certum eſt. Jam vero dubium non eſt, illos gentium Principes & Parentes tradidiſſe ſuæ poſteritati nomina primorum Parentum ſuorum immutata, quoniam eadem illa nomina à Parentibus ſuis didicerunt una cum lingua illa, ex qua nomina illa erant compoſita. Docuerunt igitur Liberos ſuos Parentum ſuorum nomina uti erant, abſque ulla vel leviſſima mutatione. Quod ita cum ab ipſis factum ſit; oportet idem fecerit Moſes, quia nomina à Moſe relata cum illis nominibus conveniunt quam curatiſſime. Si igitur illa immutata tradita ſint nomina, quę Gentium ex monumentis haurire licet: & illa profecto erunt germana & immutata, quę apud Moſen extant, quia cæteroquin non parum ab invicem variaſſent. Unde concludimus, vel Moſen nomina propria non mutaſſe; vel *Vulcani*, *Chami*, *Japheti*, aliorumque nomina ad ea, quę *Moſes* habet, non eſſe referenda: quod poſterius tamen admittunt & ſuis exemplis probant Viri Eruditi.

Traditio autem *nomina* exhibet qualia erant, pura & non variata.

CAPUT

Caput IV.

Eadem diſputatio de Nominibus à Moſe Hiſtoriographo paſſim non mutatis continuatur: imprimis vero de Libro Geneſis, *ut à Moſe compoſitus eſt, paulo liberius, attamen modeſte, diſſeritur.*

TAnti momenti videtur ea, quam ſuperiore Diſſertatione orſi ſumus, diſputatio, ut utile fuerit eam hoc quoque *Capite* perſequi. Liceat itaque *Quarto* loco pro eadem hac ſententia obſervare, quod non abſque aliqua temeritate ſtatui videatur à Doctiſſimis illis Viris, Moſen Nomina Patriarcharum & Locorum ex Primæva Lingua transpoſuiſſe in *Linguam Hebræam*, cum enarrare illi nobis non poſſint modum, quo Moſes ſcientiam illius Linguæ Primævę conſequutus ſit. Vel enim ſcientiam illius Linguæ oportet ſuo ſibi comparaverit labore & induſtria, vel per Divinam Gratiam hujus Linguæ cognitione extra ordinem donatus eſt: fere ut Doctoribus Evangelii accidit in initiis Chriſtianiſmi. Prius admitti non poteſt, quia Lingua illa primæva ſecundum illos Auctores circa tempora Moſis dudum in deſuetudinem abierat. Poſterius autem non video qua ſpecie aſſeri aut defendi poſſit. Si enim admittam, quod vulgo ſupponitur, Deum præcipuas res hiſtoricas, quę primo Moſis Libro continentur, Moſi revelaſſe: quod certe abſque magna animi mei lucta concedere poſſem: an propterea neceſſe habeo affirmare, Moſen à Deo donatum eſſe beneficio ſcientiæ Linguæ Primævæ extra ordinem in eum collato? Nihil enim ea de re Moſes in Hiſtoria ſua ſcripſit. Et putamuſne tanti eſſe, Moſen Nomina Patrum ex Lingua antiquiſſimi ævi, dudum ſecundum illam hypotheſin deperdita, transferre in Linguam Canaanæam, ut hac ſola de cauſſa (neque enim certe ulla alia dari poteſt:) Deus Moſen Linguam illam Primi Mundi docuiſſet? Id verò mihi nequaquam videtur probabile.

Quartum argumentum pro invariatis Patriarcharum nominibus producitur ex ipſius *Linguæ Veteris*, quæ hic ſupponitur reſpectu.

Quippe quæ Moſi fuit ignota.

II. Sed præterea merito dubitamus, an idonea ſatis moti ratione paſſim contendant Doctiſſimi Viri, Moſen revelatio-

Quin probabile eſt, Moſen pleraque

eorum, quæ de *Originibus rerum* ſcripſit, deprompſiſſe ex *Monumentis Patriarchalibus.*

tionem plerarumque rerum, quas de Mundi originibus & primorum Patriarcharum natalibus tradidit poſteritati, ab ipſo Deo ἀμέσως accepiſſe. Videmur enim de primo Moſis libro, ejuſque componendi modo, aliter & majore cum ratione ſentire, ac vulgo fit; ſalvâ tamen ſummâ illius libri auctoritate, quippe qui fundamenta omnia cum Judaicæ tum Chriſtianæ Religionis continet. Non creditur equidem ex levi conjectura, Parentes Eccleſiæ primos, ſanctiſſimos ſimpliciſſimosque homines, ſacros ſæpenumero inſtituiſſe conventus, in quibus de origine mundi, de lapſu primi hominis, de facta repetitaque promiſſione gratiæ, de revelationibus, aut ſibi aut majoribus ſuis factis, mutuos eoſque frequentes habuerunt ſermones. Si quid aliud, hoc certe neceſſarium factu fuit ad fidem eorum roborandam; fulciendam ſpem; promovendam, quę ex fide eſt, charitatem; & convincendos impietatis ſuę Cainitas. Nec opus eſt hac de re meticuloſe loquamur, cum Scriptura nobis hic apertè ſuffragetur [a]. Addimus inſuper, probabile eſſe, Primos Eccleſiæ Parentes, quibus utique curam poſteritatis ſuæ negare non licet, præſtantiſſimas veritates, ſibi vel ex revelatione Divina vel relatione aliorum cognitas, characteribus quibuſdam & ſignis literarum expreſſiſſe, easque hoc modo nepotibus ſuis commendaſſe: maxime vero, poſtquam cœptum eſt multiplicari humanum genus, atque fides, promiſſionibus habenda, per impietatem humani generis imminuta eſt. Has vero ſchedas & ſcrinia Patrum, apud Iſraëlitas conſervata, Moſen opinamur collegiſſe, digeſſiſſe, ornaſſe, &, ubi deficiebant, compleſſe, atque ex iis primum Librorum ſuorum confeciſſe.

Probabile enim fit, Patriarchas poſteris ſuis aliquid ſcripto reliquiſſe.

Quæ ſententia vindicatur ab invidia.

III. Non eſt, quod ſententia hæc cuipiam videri poſſit abſurda aut paradoxa, modo argumentia idonea proferri poſſint in medium, quibus confirmetur. Quod enim ad auctoritatem hujus Libri attinet: eam ſi quis lædi aut minui exiſtimaret per hanc hypotheſin, is noſtro judicio non leviter erraret; certe nobis, qui Divini Verbi, & hujus præcipue Libri, ſtudioſiſſimi ſumus, ſummam injuriam faceret impingendo conſequentiam, quam omni animo noſtro averſamur. Si Noach, ſi Semus,

a Gen. IV. 26. 2 Pet. II. 5. Jud. verſ. 14.

mus, ſi Abrahamus, ejuſque Filius Iſaacus, & Jacobus; immo ſi ipſi Patriarchæ Antediluviani † quædam Eccleſiæ reliquerint fragmenta Scripturæ; quis auſit aſſerere, cos minus ſcripſiſſe per ductum & ἐπήλυσιν Spiritus Sancti, quam Prophetas poſteriorum temporum? Hi ſane primi ſunt Parentes

Patriarcharum enim auctoritas non poteſt hic minor eſſe Prophetica.

E 3 Eccle-

† Imo certe quanto hæc deinceps diligentius meditatus ſum, tanto validius mihi perſuaſi, ſigna qualiumcunque literarum, quibus Patriarchæ Primævi res dignas memoria commiſerunt poſteritati, antiquiſſimi eſſe uſus. En argumenta, quibus id evincam. 1. Communis hæc fuit Veterum ſententia, Literas, & Obſervationes per Literas tranſmiſſas ad Poſteritatem, ad antiquiſſima tempora referendas eſſe. Plinius inter alia, ubi diſſeruerat de invento Literarum earumque antiquitate apud Ægyptios & Babylonios, (loco haud dubie in numeris annorum corrupto, ut nuper à Viro quodam Erudito demonſtratum:) in hunc modum claudit orationem: Ex quo apparet æternus Literarum usus. 2. Chaldæorum, Ægyptiorum, Perſarum, Arabum; forte etiam Græcorum & Gothorum, antiquiſſimi temporis monumenta ita jubent ſentire. Chaldæi, ut hic mittamus manifeſte fabuloſa, habuerunt *Obſervationes, Laterculis coctilibus inſcriptas*, ante Babylonem ab Alexandro occupatam Annorum 1903, ut ad Ariſtotelem perſcripſit *Calliſthenes*, propinquus ipſius, referente Porphyrio apud Simplicium. quod tempus ſecundum ordinarias Chronologiæ rationes incidet fere in tempus extructæ Turris Babylonicæ. Quod ſi certum: nemo mihi negabit, Literas vel mox poſt Diluvium, vel, quod probabilius, jam ante Diluvium, ut pleraſque alias artes commodis humani generis inſervientes, ipſo Moſe teſte, inventas eſſe. Non ignoro, Eruditiſſimos in Anglia Viros, Marshamum, Stanlejum, & Dodwellum, tanti non facere hoc teſtimonium, & nullas Obſervationes Chaldaicas agnoſcere antiquiores Æta Nabonaſſarea. Sed Viri illi Docti, qui alias antiquitatis nimis fere ſunt ſtudioſi, antiquitatem hic abſque ulla ut mihi quidem videtur, gravi ratione deſerunt. Ægyptii habuerunt memorias rerum vetuſtatum *ſtelis* ſive *columnis* inſcriptas, (ille enim videtur antiquiſſimus eſſe mos res poſteritati mandandi:) ſive *Hermetis* illas apud Ægyptios celeberrimas, ſive alias, quarum mentionem injicit Diodorus. ut v. gr. * Iſidis & Oſiridis, ἐπιγεγραμμένας τοῖς ἱεροῖς γράμμασι. Sic certe Diodorus, poſtquam ſucceſſionem antiquiſſimorum Regum Ægyptiorum compendio retuliſſet: Περὶ ὧν ἁπάντων οἱ μὲν ἱερεῖς εἶχον ἀναγραφὰς ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἐκ παλαιῶν χρόνων ἀεὶ τοῖς διαδόχοις παραδεδομένας· *De quibus omnibus ſacrorum Librorum monumenta habebant Sacerdotes, per longam à vetuſtiſſimis temporibus ſucceſſionem tradita, &c.* Alias etiam frequens de iis ὑπομνήμασι Veterum Ægyptiorum diſſerit. Persas pariter antiquorum temporum res geſtas

H. N. Lib. VII. Cap. LVI.

Periz. Diſſ. I. de Origin. Bab. §. IV.

Lib. II. de Cœlo.

Marsh. Can. Chron. ad Sec. XVII. p. 505.
* Stanley Phil. Orient. L. I. S. I. Cap. I.
Dodw. Ap. ad Diſſ. Cyp. §. XXIII.

Diod. Lib. I. p. 23, 24.
Lib. I. p. 42.

Eccleſiæ; familiare cum Deo habuerunt commercium; frequentiſſimæ iis obtigerunt revelationes Divinæ Voluntatis, atque in Scriptura S. נביאים *Prophetæ* & κήρυκες *Præcones* vocantur. Quid vetat igitur, inquam, horum Scripta minus facere ἰδίας ἐπιλύσεως, *privati ductus*, quam libros *Prophetarum Poſte-*

Hiſt. Lib. II. p. 118. geſtas in tabulis ſervaſſe, idem Hiſtoriographus teſtatur: Οὗτος δὲ φησὶν ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν (ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον εἶχον συντεταγμένας:) πολυπραγμονῆσαι τὰ καθ' ἕκαστα, καὶ συνταξάμενον τὴν ἱστορίαν εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξενεγκεῖν. Cteſias equidem, cujus apud nos non eſt magna auctoritas, Græcis potuit falſa obtrudere pro veris, ubi id è re ſua eſſe putávit; nec tamen propterea falſum, apud Perſas extitiſſe antiquarum rerum commentarios. De ARABIBUS notabile ejuſdem Hiſtorici teſtimonium eſt, occupati deſcribendo Sinu Arabico: Lib. III. p. 175. *Ara etiam illic è duro ſaxo eſt vetuſtiſſima:* ἐπιγραφὴν ἔχων ἀρχαίοις γράμμασιν ἀγνώστοις OBSOLETIS ET INCOGNITIS LITERARUM NOTIS *inſcripta.* Qualiscunque hæc fuerit ἐπιγραφὴ, teſtari poteſt de antiquitate Literarum. Comparari interea poteſt ritus *Divinæ Legis* à Joſua *aris* in Garizim & Ebal erectis *inſcriptæ.* Joſ. VIII. 31. cum Deut. XXVII. 3. p. 177. In ſequentibus, ubi adhuc eſt in deſcribenda Arabia, hæc habet: *De antiquis ibi domiciliis fundamenta reſtant ſaxea,* καὶ στῆλαι, γράμμασι βαρβαρικοῖς κεχαραγμέναι *&* COLUMNÆ, BARBARICIS LITERIS INSCULPTÆ. Nempe obſervavimus jam, vetuſtiſſimum morem ſic tuliſſe, ut res mandarentur memoriæ poſteritatis in *ſaxis* & *columnis.* Lib. V. p. 321. Alio etiam loco deſcribens Templum in Panchaja: *In medio lecti ingens ex auro* (στήλη) *columna poſita eſt,* γράμματα ἔχουσα τὰ παρ' Αἰγυπτίοις ἱερὰ καλούμενα LITERIS *notata,* QUAS *Ægyptii* SACRAS *vocant, quæ res geſtas Urani,* (ſeu Cœli) *&* *Jovis, itemque Dianæ & Apollinis, ab* IPSO MERCURIO INSCRIPTAS *exhibent.* Lib. V. p. 328, 329. GRÆCOS non exiguo ante Cadmum tempore *literas* jam habuiſſe & literarum monumenta, quæ antiquarum rerum memoriam conſervarent, per Diluvia deinceps abſumpta, ex eorum relationibus Diodorus idem non ſemel explicare tradit. p. 340, 341. Illis vero qui Cadmum literas primum in Græciam ex Phœnicia intuliſſe ferebant, reſpondebant Græci: τοὺς Φοίνικας οὐκ ἐξ ἀρχῆς εὑρεῖν, ἀλλὰ τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι μόνον, καὶ τῇ γραφῇ ταύτῃ τοὺς πλείστους τῶν ἀνθρώπων χρήσασθαι· *Phœnices nequaquam primos eſſe inventores, ſed formas tantum elementorum immutaſſe.* De ſcriptionis antiquitate apud GOTHOS memorandum prorſus & animadverſione digniſſimum eſt, quod ex Olai Rudbekii Tractatu de Atlantica producit Mergerlinus. In Com. Chron. in Tab. Math. Hiſtor. Cap. VI. p. 58. Concludit Vir ille Doctus, *primos terræ illius incolas mox poſt Gentium diſperſionem in eas regiones veniſſe, ſimulque literas intuliſſe, quas Ægyptii & Græci acceperint ab hyperboreis per Mercurium.* Nobis ſufficiat inde colligere, ſcriptionis artificium apud Populos omnes vulgatum eſſe tanquam quod ſit antiquiſſimi ævi. 3. Chaldæi Ve-

teres

Poſteriorum? Sed cum præterea ſtatuam, Moſen hæc Scripta Patrum collegiſſe, eaque in ordinem & modum redegiſſe; nulla, quantum video, in mea hac hypotheſi ſupereſt ſpecies difficultatis, quę moveri poſſet adverſus hujus Libri auctoritatem. Quandoquidem enim Moſes publicus univerſæ Eccleſiæ miniſter

teres eam antiquiſſimarum rerum à Diluvio imprimis, quin & ante Diluvium, geſtarum, habuerunt notitiam, quæ omnino ſupponere videtur quaſdam *tabulas* ſive *monumenta*, quibus illa Traditio fuit ſervata & propagata. Poteſt ea de re videri Iſaacus Voſſius, de *Mundi ætate* diſputans. Ego tantum hæc pauca ex ipſo enotabo: *Sciendum itaque, Chaldæis Veteribus non tantum cognitiſſimam fuiſſe Diluvii hiſtoriam, uti docent celebria illa Beroſi & Abydeni Fragmenta, verum etiam eos majorem quam aliæ Gentes habuiſſe notitiam eorum, quæ ante Diluvium contigiſſent.* 4. Gentes Traditiones antiqui temporis habuiſſe ſcriptas, & quidem ſcriptas *Lingua Hebræa*, ex hoc liquet clariſſimo argumento, quod multæ fabulæ apud Græcos natæ ſint ex phraſibus & locutionibus Biblicis, ab ipſis imperite acceptis; ſive vera illa fuerit, ſive, quod probabilius, adfectata imperitia. Ex. gr. Noach in Hiſtoria Moſaica dicitur איש אדמה Vir terræ, id eſt, Agricola. *Id tamen*, ut recte obſervavit Bochartus, *ſic fuit ſumptum à Mythologis, acſi terram ſive tellurem duxiſſet in uxorem: Tellus enim eadem quæ Rhea, Saturni uxor.* En aliud ex eodem Bocharto commemoratione digniſſimum. Probat Vir Eruditus Hiſtoriam de tribus Noæ Filiis in Traditione de *tribus Saturni Filiis* eſſe conſervatam; *Jovem* vero inter illos reſpondere Chamo. Qua ſua hypotheſi, quæ haud dubie certiſſima eſt, illuſtranda occupatus, hæc inter alia habet: *Quod in Phornuto & aliis legitur Jupiter* Patrem Saturnum execuisse, *ſumptum videtur ex his Gen.* ix. 22. *perperam intellectis: Et vidit Cham Pater Canaan verenda Patris ſui, &* nunciavit, &c. *Ibi enim* et nunciavit, *hebraice eſt* ויגד Vaijagged, *quod à ſerie orationis divulſum, tum cum vocalia puncta aberant, legi potuit* ויגוד Vajagod et abscidit, *tanquam à verbo* גדד / *quod* excidere *ſignificat, maxime cum de carne agitur.* Alia illius generis exempla, magno numero facile cum ex hoc noſtro Auctore tum ex aliis producenda, mittimus. Certe nemo mihi, opinor, negabit, ex Fabulis his aliiſque ejuſdem generis, quæ ex detorſione ſive perverſa interpretatione vocum & phraſium S. Scripturæ originem ſuam ducunt, recte concludi, Populos illos, apud quos hæ Fabulæ natæ ſunt, habuiſſe *monumenta* quædam *ſcripta*, quibus res eædem, *iiſdem* illis *verbis*, quæ in Hiſtoria Biblica habentur, comprehenſæ ſint. Si enim traditiones illæ ſcripto non fuiſſent conſignatæ: ſolæ haud dubie *res*, non *verba* & *phraſes*, tranſlatæ fuiſſent ad poſteritatem. Quod ſi jam ſupponatur, ut, meo judicio, abſque ulla dubitatione ſupponi debet;

Diſſert. de Mundi Ætate, Cap. ix. p. 267.

Bochart. Phal. Lib. 1. Cap. 1.

Lib. 1. Cap. 1. p. 8.

Deut. xiv. 1. 1 Reg. xviii. 28.

ſter fuit; quis credat, Moſen in hoc opere concinnando minus actum & adjutum fuiſſe à Sancto Spiritu, quam fuit alias, quando cæteros libros ſuos adornavit, aut alia in commodum Eccleſiæ luculenta opera edidit? Certe Lucas Hiſtoriam ſuam Evangelicam compoſuit ex *narrationibus*, & haud dubie quoque ex Annotationibus eorum, qui *à principio* fuerant αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τȣ͂ λόγȣ [a]. Nec tamen propterea minus fidei tribuimus ejus hiſtoriæ, minoriſque ea apud nos eſt auctoritatis, quam quæ à Matthæo aut Johanne compoſitæ ſunt narrationes. Idem illis fuit auxilium Spiritus S. ſive hiſtorias ipſi tanquam αὐτόπται compoſuerint, ſive aliorum narrationes digeſſerint aut recenſuerint.

Extant vero apud Moſen indicia hujus hypotheſis non obſcura.

IV. Videamus itaque, an argumenta nobis ſuppetant, quibus τὸ πιθανὸν noſtræ ſententiæ poſſimus evincere. Sunt autem illa non adeo quidem multa; talia tamen, quæ mereri videntur aliquam animadverſionem. Et quidem *Primum*, quod fecit ut in mentem nobis venerit hac de re cogitare, erat frequentiſſima repetitio vocabuli תולדות in cujuſque novæ hiſtoriæ relatione, ſive fragmenti cujuſque novi, ut conjiciebamus, exordio. Conſtat ſatis, vocem תולדות proprie ſignificare *generationes* à ילד *generare*. Græci per γένεσιν exprimunt. Sed ſubinde uſurpatur hæc vox תולדות in ejuſmodi locis, in quibus nulla *generationis* mentio eſt, ſed hæc aut illa hiſtoria nude narratur geſta. Sic v. gr. in Hiſtoria Jacobi [b]: אלה תולדות יעקב *Hæ ſunt* GENERATIONES JACOBI. Atqui vero nulla in ſubſequentibus narratio eſt generationis & productionis ſobolis, aut recenſionis genealogicæ, ſed ſimpliciter id, quod circa *Joſephum* à fratribus ipſius actum eſt, exponitur. Unde conſilium ſumpſerunt Interpretes prudentiores τὸ תולדות hic transferendi per *hiſtoriam*. Belg.

In præfixis titulis *Fragmentorum* diverſorum cum voce תולדות.

a Cap. I. 2. b Gen. XXXVII. 2.

debet: tum vel dicendum eſt, *Gentibus factam eſſe* copiam Hiſtoriæ Sacræ, poſtquam illa à Moſe conſcripta eſt; vel, habuiſſe Gentes Monumenta Hiſtorica antiqui temporis, Moſaicæ Hiſtoriæ Monumentis ſimilia. Prius probabile non videtur, quia poſt Hiſtoriam à Moſe conſcriptam primis illis ſeculis, quæ ortum dederunt Fabulis, nullum fere Judæis cum Gentibus fuit commercium; certe Gentes Judæos magni non fecerunt. Poſterius autem ſi hic obtinuerit: tum certa haberi debent, quæ hic tradidi.

Belg. **Geſchiedeniſſen.** Quaſi dicas: *Hæc ſunt, quæ Jacobo acciderunt.* Sive אלה תולדות יעקב *Hæc pertinent ad hiſtoriam Jacobi.* Neque aliunde explicanda ſunt prima verba, quæ occurrunt in Evangelio *Matthæi* [a]: Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ *Liber generationis Jeſu Chriſti.* Reſpici ad Gen. v. 1. alii obſervarunt. Ibi habes: זה ספר תולדות אדם *Hic eſt liber generationis Adami.* Quod οἱ ό: Αὕτη ἡ Βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων. Male tamen Eruditi etiam Commentatores, noſtro quidem judicio, ספר תולדות apud Moſen & βίβλον γενέσεως apud Matthæum, acceperunt pro *recenſione genealogica.* Sane *Matthæus* præfixit hunc titulum univerſæ ſuæ hiſtoriæ. Quod enim ad inſcriptionem Libri, Τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, attinet; hanc ut pleraſque alias, à Librariis adjectam, non eſt quod dubitemus. Matthæus itaque, ut nunc incepi monere, univerſæ hiſtoriæ ſuæ pro Hebræorum more præfixit hæc verba: Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ ספר תולדות ישוע משיח / quę vertenda: *Hiſtoria Jeſu Chriſti.* Nollem id diſcamus Chriſtiani, & diſcere tamen poſſumus, ex titulo impuriſſimi libri תולדות ישו. Sane auctor ille, quisquis fuit hujus libri, homo flagitioſe impius, hanc ſuam hiſtoriam iis Evangeliſtarum oppoſuit, ideoque libro huic ſuo eundem præfixit titulum, quem Evangelio ſuo Matthæus. At vero ille per תולדות ישו noluit intellectam Chriſti genealogiam, ſed *hiſtoriam* & res geſtas Chriſti; ſatis eo ſignificans, hanc genuinam eſſe hujus tituli notationem. Conſtat præterea, vocabulum γένεσις apud Græcos Auctores non *generationem* modo ſed ortum atque originem cujuſque rei ſignificare, quæ indagatur atque exponitur in hiſtoria. Præterquam, quod magna pars hiſtoriæ ſit, longe maxima vero pars hiſtoriarum vetuſtarum, ſucceſſionem humani generis, quæ utique eſt per *generationes*, explicare, ut adeo ratio ſit, cur *hiſtoria* voce תולדות ſignetur.

Cujus vocis ſignificatio detegitur.

V. Hoc ſuppoſito, nunc velim animadverti in *primo* Moſis *libro*, qui hinc accepit nomen γένεσις, hanc vocem תולדות aliquoties repeti; & illis quoque in locis, ubi nos judicaremus, eam vocem potuiſſe abeſſe, quia illa filum narrationis videtur abrumpere. Deinde id velim conſiderari, ubi vocabulum תולדות hiſtoriæ Moſaicæ inſeritur, ibi aliquando rerum jam memora-

Ejuſque repetitio frequentior in hiſtoria Moſaica videtur arguere, non eſſe hiſtoriam uno contextu & filo ab uno auctore ſcriptam.

a Cap. 1. 1.

moratarum vel repetitionem inſtitui vel accuratiorem explicationem. Unde colligendum putavimus, hiſtoriam primi Moſis Libri non eſſe contextam uno filo, adeoque ab uno homine non eſſe compoſitam. Quando enim unus auctor hiſtoriam rerum geſtarum componit, tum ita res ſuas diſponere ſolet, ut uno contextu narrationem ſuam abſolvat, & quamque materiam ſuo exponat loco, neque vel ea, quæ dicta fuerunt ante, repetat, vel, quæ ſuo loco dicenda fuiſſent, alio demum loco explicet. Atque id factum obſervamus in cæteris libris Moſaicis & hiſtoriis ſacris, neque tamen æque obſervatum in hoc libro, licet eundem habeat prudentiſſimum Auctorem Moſen. Cujus facti quando inveſtigavi rationem: ſane hæc mihi potiſſima occurrit, quod liber hic à Moſe ſit compoſitus ex variis fragmentis & monumentis Patriarcharum; quæ Patriarcharum ὑπομνήματα Moſes cum ſuis Inſcriptionibus maluerit ad poſteritatem tranſmittere, quibuſdam ſaltem locis illuſtrata, quam integram ex iis continuæ ſeriei contexere hiſtoriam. Exempla, quæ in ipſa Moſis hiſtoria extant, fidem faciant dictis.

Exemplum primum producitur ex *Gen.* Cap. II. 4.

VI. Poſtquam *Geneſios* Cap. 1. uſque ad ℣ſ.4. Cap. II. expoſita eſſet ordine universæ creationis ſeries, manifeſtum fit attendenti Lectori, filum illius narrationis abrumpi ad *comma quartum*, quod ita incipit: אלה תולדות השמים והארץ וגו׳ HÆ SUNT GENERATIONES COELI ET TERRÆ, *quando creabantur &c.* Repetuntur autem ab eo verſu quædam eorum, quæ antecedenti capite *primo* dicta erant de cœli & terræ creatione, productione herbarum, ejuſque modo, item de condito homine, ex anima & corpore conſtante: quibus deinde ſubjicitur deſcriptio Paradiſi & modi ac circumſtantiarum conditæ mulieris, ex Adami coſta, aliorumque conſequentium. Pertinent autem haud dubie, quæ *capite* hoc *ſecundo* à verſu uſque *quarto* referuntur, ad hiſtoriam creationis rerum diei ſexti. Probabile enim videtur, *die ſexto*, ante quietem Dei, paratum jam fuiſſe Paradiſum, hominem in illum fuiſſe introductum, atque ex ipſius dormientis coſta productam mulierem eſſe. Etenim ſignate habetur Cap. 1. 27. Deum, quo tempore hominem finxit, produxiſſe זכר ונקבה *Marem & fœminam.* Quis vero rationem reddat, cur Hiſtoriographus, quæ ad operum *ſexto die* producto-

rum

rum deſcriptionem pertinebant, inter *opera ſexti diei* non recenſuerit, ſed poſt deſcriptionem quietis diei ſeptimi novum quaſi tractatum compoſuerit, novo muuitum titulo, in quo eorum, quę jam ante dicta erant, paucis repetitis, quædam, quæ ſatis declarata non erant, exponere orditur; quis, inquam, hujus rei reddat rationem, ſi hæc non ſit ratio, quod Moſes ad confirmandam veritatem ſuæ hiſtoriæ illas Patriarcharum ſchedas memoriales integras, quantum pote, cum ſuis ἐπιγραφαῖς voluerit tradere poſteris?

VII. Decurrit autem hæc narratio uſque ad *Caput quintum*, quod hanc inſcriptionem præfert: זה ספר תולדות אדם Hic est liber generationum Adami. Videtur omnino hic novi ὑπομνήματος eſſe titulus. Advortat animum ſuum lector, & videbit me verum teſtari. Videbit, inquam, in hoc Fragmento de novo repeti hominum primorum, Adami & Evæ, creationis hiſtoriam; deinde vero contexi ſeriem genealogicam earum perſonarum, quarum jam præcedenti capite concinnata fuerat hiſtoria. Hujus laciniæ finis eſt Cap. VI. ℣ſ. 8. Certe comma *novum* Cap. VI. ita incipit: אלה תולדות נח Hæc est historia Noachi. In hoc vero fragmento repetuntur quædam, quæ expoſita erant in priore, loco exordii. Exemplum ſit ex *verſu* 32. Cap. V. ubi ſic ſcriptum eſt: ויולד נח שם ואת חם ואת יפת *Et genuit Noach Semum, Chamum, & Japhetum.* Id vero in novo hoc ὑπομνήματι repetitum eſt, Cap. VI. 10. ויולד נח שלשה בנים את שם ואת חם ואת יפת *Et produxit Noach tres Filios, Semum, Chamum, & Japhetum.* Viden' in brevi pericopa contextus ſimpliciſſimæ & minime implicitæ narrationis ejuſdem eſſe repetitionem? Quam vero ob rationem? niſi quod, cum in hac lacinia, in qua hæc repetitio extat, hiſtoria Noachi clarius explicaretur, exordii loco ea debuerint præmitti, quæ ad rationem vitæ & familiam Noachi pertinebant. Præterea, quæ adduxi, documenta, minime, ſi quid video, obſcura, alia in ſequenti ſcriptione hujus primi Libri Moſis reperiuntur. Sed ſufficient, quæ diximus: modo æquus & φιλαληθὴς Lector boni conſulat liberum hoc & candidum meum judicium, quod de ſtylo Hiſtoriæ Moſaicæ protuli. Non id profectum eſt ex ingenii petulantia ſed ſtudio cognoſcendi veri. Cæteroquin

Alterum ex Cap. V. 1. quod novam præfert inſcriptionem.

 abſit,

abſit, ut præſtantiſſimum hoc Eccleſiæ monumentum ad canonem meæ κρίσεως exigerem. Major apud me longe eſt Divini Verbi reverentia, & minor de mea facultate præſumptio.

Secundum argumentum pro traditionibus Patriarchalibus ſcripto commiſſis, producitur ex Gen. XVIII. 17, 18. ſeqq. & urgetur.

VIII. *Secundum* argumentum pro hypotheſi noſtra adſtruenda habemus in eleganti teſtimonio Dei de Abrahamo, quod in eodem hoc *Libro primo* hunc fere in modum legitur[a]: *Et Jehova dixit, an abſconderem aliquid Abrahamo eorum, quæ ago, cum Abraham futurus ſit in magnam gentem & validam, atque omnes in eo gentes terræ benedicendæ ſint?* כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו ואת ביתו אחריו *Etenim cognovi eum, quod* PRÆCEPTA DATURUS SIT FILIIS SUIS ET FAMILIÆ SUÆ POST SE (poſt obitum ſuum ſuperſtiti:) *ut ſervent viam Jehovæ ad faciendum juſtitiam & jus, ut præſtet Dominus Abrahamo promiſſum, quod illi fecit.* Quænam hæc eſt virtus, cujus laude Deus Abrahamum hic loci ornat, quod *præcepta daturus ſit Familiæ ſuæ* poſt obitum ſuum, ut obſervent Dei ſtatuta? Tune iis tantum limitibus eam circumſcripſeris, quod Abrahamus ore ſuo veritates, ſibi patefactas, familiæ ſuæ exponeret? Mihi longe major in hac ſententia videtur ineſſe emphaſis. Neque enim video, quo pacto Abraham erudire potuerit familiam ſuam, quę poſt exceſſum ejus in his terris ſupereſſet, ſi ἀποκαλύψεις Divinæ Voluntatis ſibi factas ſcripto non conſignaverit in uſum poſteritatis & Eccleſiæ futuri temporis uſque ad extrema Mundi ſæcula. Promiſſa enim Bonorum, Abrahamo à Deo facta, non ad Veteris tantum verum etiam Novæ OEconomiæ Eccleſiam pertinebant. Omnium ſæculorum intererat ſcire, quanta beneficia Deus Abrahamo amica conventione addixiſſet. Merito itaque Eccleſia de Abrahamo præſumit, quod tanti momenti res ſcripto conſignaverit ad maximum ſuum emolumentum.

Favet etiam huic ſententiæ ratio.

IX. Et quid ſi ſola ratio hic à noſtris ſtaret partibus? An enim vere in animum noſtrum inducere poſſumus hic cogitare, primos Parentes, quibus revelationes adeo notabiles & inſolentes obtigerant, & qui certo ſciebant, Eccleſiam ſequentium temporum fidei harum Revelationum debere inædificari, non habuiſſe majorem curam pretioſarum harum veritatum, quam ut ore tantum eas cum poſteris ſuis communicaſſent? Hoccine

a Gen. XVIII. 17, 18, 19, 20.

ne credi poteſt, inquam? An non longe facilius & probabilius ſtatuimus, eos pretium & pondus harum veritatum, quod ipſi utique ſciebant magni æſtimare, multo fortius commendaturos eſſe poſteris, ſi ipſi certis characteribus eas in tabulis conſignarent, atque hac longe certiore ratione ad poſteritatem tranſmitterent? Ego quidem in hac ſum hæreſi; ægre tamen non fero, ſi quis diſſentiat, modo liberum mihi faciat, animi mei ſententiam explicare.

Quæ hypotheſis demonſtrata urgetur ad refellendam ſententiam de *mutatione Nominum* Patriarchalium.

X. Quod ſi jam certa ſint, quæ hactenus diſputavimus de primo Sancti Codicis Libro: non videtur ſtare poſſe ſententia Eruditorum illorum Virorum, in qua refellenda verſamur. Si enim Liber *Geneſis* à Moſe compoſitus ſit maximam partem ex ſchedis Patriarcharum memorialibus: quis facile dicet, Moſen *Nomina Propria*, illis in ὑπομνήμαſι occurrentia, mutaſſe? Non nego, illum quibuſdam in locis obſcurioribus illam hiſtoriam adſperſiſſe luce ex rebus ſuo tempore notioribus & clarioribus. Nomina autem Propria omnia, vel præcipua, ex Hebræa Lingua in alias notiones alterius Linguæ transfundere, opus non habuit, ſi Hiſtoriam ſuam ex Patriarcharum memoriis compoſuerit.

Additur, non fuiſſe antiquis Hiſtoricis in more poſitum paſſim mutare *Nomina Propria*.

XI. Obſervatum præterea eſt à præſtantiſſimis Viris, Hiſtoriographis veteribus minime fuiſſe in more poſitum, in Hiſtoria nomina mutare propria. Habet de hoc argumento diſſertationem inter Chriſtianos Antonius Nebriſſenſis, Vir longe Doctiſſimus, in *Quinquagenis* [a]; inter Judæos vero Iſaacus Abarbenel [b], quæ maximam partem verſa eſt à Buxtorſio [c]. Breviora ſunt *Judæ Muſcati* verba ad *Librum Coſri* ibidem quoque recenſita [d]: כי אמנם העקר שהכל תלוי בו הוא שאין דרך מעתיקי ספרי הקדמוניות לשנות טעם השמות עצמיים הנקובים בספריהם רק הם שומרים תמונתם בהעתקתם ויקראו בשמותם עלי ארמות לא יחליפו ולא ימירו אותם כלל *Fundamentum*, ait, *à quo omnia dependent, eſt hoc, quod illi, qui libros & hiſtorias antiquas transferunt*, NON SOLEANT IMMUTARE NOMINA PROPRIA, *quæ in hiſtoriis eorum occurrunt; ſed ſervant illorum formas in tranſlatione ſua, vocantque illa nominibus ſuis abſque ulla prorſus mutatione.* Ego tantum ex Herodo-

F 3 to

a Cap. XLIX. b In Com. ad Gen. c Diſſertat. de *Linguæ Hebrææ Orig.* & *Antiq.* p. 35. d Part. II. §. LXVIII.

to quædam exempla, quæ ad manus mihi ſunt, adſcribam: cujus hic ſperni non poteſt auctoritas, quia ille antiquitate cæteris præſtat. En loca quædam, quæ huc facere videntur. Sic ipſe[a]: *In qua urbe* (Buſiri) *maximum eſt Templum Iſidis: ipſa in medio Delta Ægypti ſita. Eſt autem* Isis, *quæ Græca lingua dicitur* Δημήτηρ, id eſt, Ceres. Potuiſſet ſcribere Herodotus: *In qua urbe magnum eſt Templum Cereris*, cum Iſin mox per *Cererem* interpretetur: ſed maluit ipſam *Iſidis* vocem, quæ Ægyptiis in uſu, retinere. Alio loco[b]: *Ægyptii, qui paluſtria accolunt, utuntur unguento, quod appellant Ægyptii* KIKI. Item[c]: *Ita janua impetu aquæ inſidente, protinus meat, & trahit* BARIM. *Hoc enim his navigiis eſt nomen.* Non reddit Herodotus, quod forte reddere potuiſſet nomen appellativum; quanto minus propria. Rurſus[d]: Senacharibus, *Arabum, Aſſyriorumque Rex.* כנחריב ipſe ille eſt potens & arrogans hujus nominis Aſſyriorum Rex, qni in Sacra Hiſtoria memoratur[e]. *Piromin aſſidue ex Piromi procreatum. Eſt autem* Piromis *Græca lingua* καλὸς κἀγαθός. Paulo poſt[f]: *Poſtremum autem illic regnaſſe Orum Oſiris filium, quem Græci* Apollinem *nominant.* Osiris *autem Græca lingua eſt* Dionysius, *id eſt, Liber.* Deinceps. *Fecit aulam Api.* Apis *autem Græca lingua* Epaphus *eſt.* Mox occurrit אשדד. *Hæc eſt* Azotos, quæ *diutiſſimam inter omnes urbes ſuſtinuit obſidionem.* & פרעה נכה. *Pharao* Neco[h]. *In qua fodienda ſub Rege* NECO *centum viginti millia Ægyptiorum perierunt.* Viden', quam luculenta produxerimus documenta ex breviſſimo Antiqui illius Hiſtorici verborum ambitu? Atqui illius generis ſpecimina ex aliis quoque proferri poſſent Hiſtoriographis, ſi opus eſſet.

Quod confirmatur ex Herodoto.

Reſpondetur obiter ad diverſæ ſententiæ argumenta.

XII. Ad argumenta autem, quæ Viri eruditi in medium produxere pro ſua ſententia defendenda, neceſſe non eſt operoſe reſpondere, cum nulli ab ipſis in ſcenam producti ſunt Hiſtoriographi, qui id egerunt, quod Moſen egiſſe contendunt, hoc eſt, qui omnia aut pleraque Nomina Propria in Linguam ſibi vernaculam tranſmutarunt. Atque id unice ad rem facit. Quod enim hac illa occaſione rara Hiſtoriographi qui-

a Lib. II. p. m. 126. b p. 139. c p. 140. d p. 163. e p. 164. f p. 169. g p. 170. h 2 Reg. XXIII. 29.

quidam Nomen aliquod Proprium, quod verti commodiſſime poterat, in Linguam familiarem transfuderint, hoc ut factum non negamus, ſic cauſſam Celebrium illorum Virorum parum juvat. Permiſerunt aliquando Hiſtoriographi in rarioribus quibuſdam caſibus ingenio ſuo hunc luſum: paſſim tamen Perſonarum & Locorum Nomina ad vitandam omnem in hiſtoria confuſionem eadem retinuerunt, quæ in uſu erant apud Populos, quorum res & geſta ab iis in Hiſtoria conſcribebantur. Quin non diffitemur, Moſen ipſum, aut Prophetas ac Sacerdotes Moſe poſteriores, ſubinde voces & phraſes in Scriptis Patriarcharum, ab ipſo cenſitis, ut commodius intelligerentur, transmutaſſe in dicendi modos Iſraëlitis familiariores: ut exemplum habebimus in objectione, quæ unica adverſus ſententiam hactenus probatam cum aliqua ſpecie moveri forte poſſet.

Caput V.

Tollitur difficultas, quæ ſententiæ hactenus demonſtratæ objici cum ſpecie poteſt ex Gen. xxxi. 46, 47. *& quæ producitur illius loci interpretatio, illuſtratur & confirmatur.*

HActenus equidem non videmur abſque probabili ratione pro ſententia noſtra diſputaſſe. Diſſimulandum tamen non eſt, magna cum ſpecie opponi nobis poſſe locum aliquem ejuſdem hujus Libri [a], quo mentio eſt Fœderis amicitiæ inter Labanem & Jacobum percuſſi, poſtquam Jacob ſe ex Familia Soceri ſui clam ipſo proripuiſſet cum Famulitio & Facultatibus. Poſt congreſſum primum, & amicam, quæ inter eos interceſſit, conventionem, hæc porro traduntur in hiſtoria: *Et dixit Jacob fratribus ſuis, colligite lapides; acceperunt autem lapides, & fecerunt acervum, & convivium inſtruxerunt ſuper illum acervum:* ויקרא לו לבן יגר שהדותא ויעקב קרא לו גלעד *& vocavit illum Laban* Jegar Sahadutha; *& vocavit illum Jacob* Gilead. Videmus hic Labanem *Chaldaice* ſive *Syriace*, & Jaco-

Imprimis vero ad difficultatem quæ adverſus hypotheſim de ſera mutatione Linguæ Orientalis, producitur ex *Gen.* xxxi. 46, 47.

a Cap. xxxi. 46, 47.

Jacobum *Hebraice* loquentem: ſimul notabile inter utramque illam Linguam, Jacobi jam ætate, diſcrimen. Quin fateor lubens, paratum me eſſe cedere magnæ illi evidentiæ, qua ſe ad primam ſpeciem hic locus commendat, ſi perſuaſus non eſſem; me probationem meam liquido ex harmonia totius Hiſtoriæ Moſaicæ confeciſſe. Tentandum igitur mihi eſt, an hunc locum, ſalva illius fide & reverentia, commoda interpretatione cum ſententia illa, pro qua hactenus pugnavi, poſſim conciliare. Quod fieri poſſe exiſtimo abſque ullo incommodo, ſi dicamus *Syriaſmum*, qui eſt in phraſi יגר שהדותא/ ut nunc legitur in textu, eſſe poſterioris ævi, à Scribis Sacris, qui Moſaicos Libros recenſuerunt, vel inſertum textui aliiſque paris poteſtatis vocibus ſubſtitutum, vel forte inflexum ſecundum uſum Linguæ Chaldæę, eorum ætate receptum. Quod ut evincam, 1. Probabo, habere Librum Geneſis, ut à Criticis Hebræorum Sacris recenſitus eſt, plures ejuſmodi ἐμβολὰς, qualem hic ſuppono. 2. Eſſe tam in hac phraſi quam in ipſo textu rationes, quæ meæ huic interpretationi faveant. Liceat vero, ut id clarius demonſtrem, rem paulo altius repetere.

Ubi obſervatur, Librum Moſis habere quaſdam embolas Prolepticas recentioris ævi.

II. Moſes, quando Librum ſuum primum ex ſchedis & monumentis Patrum ſecundum hypotheſin noſtram collegit, non tantum ea verbo tenus deſcripſit, quæ in illis ſchedis memorialibus reperiebantur, ſed & illa ſubinde interpoſuit, quæ omnino ad eorum intellectum neceſſaria arbitrabatur. Sunt ad manus exempla, quæ hanc in rem à nobis obſervata ſunt. Sic v. gr. ubi verſatur in Hiſtoria primorum Parentum, pulſorum ex Paradiſo [a]; וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים *Et reſidere fecit ab Oriente horti Edenis* CHERUBINOS. Non eſt dubium, quin per *Cherubinos* hic intelligi velit *Angelos*. Sed qua ratione factum, ut hic ſit mentio τῶν כרובים/ cum illi demum formati, & dubio procul noti etiam eſſe cœperint in Mandato conſtruendæ Arcæ, poſt exitum ex Ægypto [b]: ועשית שנים כרובים זהב *Et conficies duos* CHERUBINOS *aureos*? Dicimus, feciſſe id *Moſen* gratia Iſraëlitarum atque poſteritatis futuræ, ut ea cognoſceret, ejuſmodi fuiſſe miniſtros Divinos, qui Paradiſi aditus Parentibus noſtris intercludebant, quales inter alia per *Cherubinos* arcæ erant

Quod probatur quod ad phraſes ex Gen. III. 24.

a Cap. III. 24. b Lib. II. Cap. XXV. 18.

erant deſignati. Gens enim Judaica rudis & minime polita erudiri non potuit quam per *σύμβολα* externa, & ſenſibus anterioribus ſeſe offerentia. Ejuſdem generis ſunt, quæ alibi legimus in Hiſtoria Sichemi [a]: כי נבלה עשה בישראל *Quoniam rem turpem* Et Gen. xxxiv. 7.
patraverat in Israele. Formula illa dictionis: *Facinus* ſeu *ſcelus committere in Iſraële*, tunc demum uſurpari cœpit, quando Iſraëlitarum quædam quaſi gens eſſet & reſpublica. Tantundem enim eſt, ac ſi quis diceret, in Iſraëlitarum Gente per hoc vel illud facinus peſſimum editum eſſe exemplum. Ita uſurpatur in *Deuteronomio*, aliiſque Sacræ Hiſtoriæ locis [b]: *Educent illam puellam & lapidabunt eam, ut moriatur*, כי נבלה עשה בישראל Quia autem tunc temporis is familiaris erat loquendi modus [c], majoris perſpicuitatis ergo eundem hic quoque uſurpavit Hiſtoricus. Adjiciamus denique tertium aliquem locum ex hiſtoria Judæ [d]: לא היתה בזה קדשה *Nulla hic loci fuit* meretrix. Nec non ex Gen. xxxviii. 22.
Belgæ. Hier is geen hoere geweeſt. At vocabulum קדשה non ſat emphatice per *τὸ meretrix* exprimitur. קדש *dedicare*, & *pollucere* eſt. Hinc קדשה *conſecrata*. At cui? Numini cuidam proculdubio, quod Hieronymus בעל פעור fuiſſe conjicit, vel *Priapum*, aut *Venerem*. Sis, vide Seldenum de *Dis Syris* [e]. Non repetemus, quæ ille docte congeſſit: liceat ſolummodo lucem affundere loco, qui eſt in poſteriore Libro Regum [f]: ויתץ את בתי הקדשים אשר בבית יהוה *Et deſtruxit ædes* consecratorum, *quæ in ædibus Jehovæ, ubi mulieres contexebant domos* (conclavia) *Luci*. Noſtri habent: Schant-jongers. At quis credat, eo malitiæ proceſſiſſe Filios Iſraëlis, ut maximum id ſcelus ipſo in Templo publice perpetrare ſuſtinuerint? Plane igitur putem, קדשים / qui hic memorantur, fuiſſe *Sacerdotes Veneris*, cui & dicatæ quædam fuerunt mulieres, quæ velamenta quædam texebant, inſervitura diſtinguendis majoris alicujus Tentorii conclavibus, ut illi, qui ſacra *Veneri* ſolvere cogitabant, illuc ſeſe reciperent. Poſſunt enim ultima verba אורגית בתים לאשרה verti, *Texentes conclavia* Veneri. Per אשרה enim notatur Astarte; quæ *Venus* eſt. Si vera ſunt ea, quæ Herodotus habet de *Babyloniis*: non dubitamus, quin ſenſum horum

Ubi declaratur vox קדשה, & קדשים.

a Cap. xxxiv. 7. b Cap. xxii. 21. c Jud. xix. 23, 24. 2 Sam. xiii. 12. d Cap. xxxviii. 22. e Cap. v. p. 87. f Cap. xxiii. 7.

Quæ voces illuſtrantur ex Herodoto.

verborum genuinum aſſecuti ſimus. Sic Ille de Babyloniis [a]: ὁ δὲ δὴ αἴσχιστος τῶν νόμων ἐστὶ τοῖσι Βαβυλωνίοισι, ὅδε· δεῖ πᾶσαν γυναῖκα ἐπιχωρίην ἱζομένην ἐς ἱρὸν Ἀφροδίτης, ἅπαξ ἐν τῇ ζόῃ μιχθῆναι ἀνδρὶ ξείνῳ· πολλαὶ δὲ καὶ οὐκ ἀξιούμεναι ἀναμίσγεσθαι τῇσι ἄλλῃσι, οἷα πλούτῳ ὑπερφρονέουσαι, ἐπὶ ζευγέων ἐν καμάρῃσι ἐλάσασαι, πρὸς τὸ ἱρὸν ἑστᾶσι· θεραπηίη δέ σφι ἕπεται πολλὴ ὄπισθεν· αἱ δὲ πλεῦνες ποιεῦσι ὧδε· ἐν τεμένεϊ Ἀφροδίτης κατέαται στέφανον περὶ τῇσι κεφαλῇσι ἔχουσαι θώμιγγος πολλαὶ γυναῖκες· αἱ μὲν γὰρ προσέρχονται, αἱ δὲ ἀπέρχονται· σχοινοτενέες δὲ διέξοδοι πάντα τρόπον ὁδῶν ἔχουσι διὰ τῶν γυναικῶν, δι᾽ ὧν οἱ ξεῖνοι διεξιόντες ἐκλέγονται· ἔνθα ἐπεὰν ἵζηται γυνή, οὐ πρότερον ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία, ἤν τις οἱ ξείνων ἀργύριον ἐμβαλὼν ἐς τὰ γούνατα, μιχθῇ ἔξω τοῦ ἱροῦ· ἐμβαλόντα δὲ δεῖ εἰπεῖν τοσόνδε, Ἐπικαλέω τοι τὴν θεὸν Μύλιττα. Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσύριοι· ἐπεὰν δὲ μιχθῇ, ἀποσιωσαμένη τῇ θεῷ, ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία· *Una iiſdem Babyloniis lex eſt omnibus modis fœda. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune eſt, ſemel in vita ad VENERIS TEMPLUM deſidentibus cum externis Viris conſuetudinem habere. Cæterum quum pleræque ſint divitiis tumentes, quæ ſui copiam facere recuſent, hæ vehiculis cameratis vectæ, pro Templo conſiſtunt, relicta interim à tergo magna famulitii turba. Pleræque etiam hunc in modum faciunt. Ad Templum Veneris ſedent nodis, corolliſque tempora revinctæ multæ mulieres; è quibus aliæ accedunt, aliæ diſcedunt. Nam DIVERTICULA undecunque ſic FUNICULIS diſtincta aditum præbent externis, ad mulieres illas, quam cuique libuerit, deligendam. Porro cum ſemel illic conſederint, non prius demum regrediuntur, quam hoſpitum aliquis pecuniam mulieri in ſinum injecerit, & cum eadem à Fano ſeorſim abducta rem habuerit. Hoſpitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: EGO TIBI DEAM MYLITTAM IMPLORO. Mylittam enim Aſſyrii VENEREM appellant. Poſtremo ubi jam congreſſa cum externo eſt mulier, DEA EXPIATA, domum revertitur.* Referri etiam illuc poteſt commodiſſime, quod eſt apud Hoſeam [b]: עם הקדשות יזבחו *Sacrificant cum* CONSECRATIS. At, ut ad ſcopum noſtrum revertamur: ſimile vero non eſt, illa ætate, qua vixerunt Patriarchæ, atque hæc cum *Thamare* geſta res eſt, fuiſſe Templa extructa Veneri, & ejuſmodi jam per modum Legis patrata flagitia eſſe. Prohibet id

Et applicantur ad præſentem ſcopum.

a Lib. I. qui *Clio* dicitur, p. m. 92. b Cap. IV. 14.

id credere ævi illius ſimplicitas. Innotuerunt demum hi קדשים & קדשות Iſraëlitis, cum propter Moabitarum atque cæterarum gentium Palæſtinarum Agros verſarentur. Hinc illius interdicti origo eſt, quod occurrit in Legibus Moſaicis [a]: *Ne qua* קדשה *eſſet inter Filias Iſraëlis.* Quæ itaque eadem quoque cauſſa eſt, quod Moſes in hac hiſtoria deſcribenda eandem vocem, ſuo jam tempore uſu receptam, adhibuerit, ut quæ ab omnibus notione *meretricis* ſatis intelligebatur.

III. At non Moſen ſolum id egiſſe opinamur, ut iis quandoque vocibus, iis quoque loquendi modis fuerit uſus, quibus illuſtrari poſſe hiſtoriam ſuam arbitrabatur, ſed & alios poſterioris ævi ſeu Prophetas, ſeu pietate & rerum peritia inſignes homines, Criticos, inquam, Hebræorum, quos poſterior ætas *Maſorethas* vocavit, qui cum quam maxime curarent, ut res ſacræ, ab omnibus lectæ, perceptu admodum faciles eſſent, Sacram Hiſtoriam recenſendo, vocabula quædam obſoleta ſuſtulerunt, quę à nemine intelligi videbant; quædam iis ſubſtituerunt, quę recentis memoriæ erant; & quædam alia quoque per παρένθεσιν textui ſacro inſeruerunt, quibus rei ſacræ multum exiſtimabant affundi lucis. Verum cum & hoc nunc vel maxime ad rem faciat noſtram: omnino neceſſe erit, documenta quædam in medium producere, quibus id poſſimus confirmatum dare. Videtur autem huc abſque dubitatione referendum, quod occurrit in Genealogia Eſavi [b]: אלה המלכים אשר מלכו בארץ ארם לפני מלך מלך לבני ישראל *Hi autem fuerunt* Reges, *qui regnarunt in terra Edom*, antequam imperaret Rex Filius Israel. Arguunt hæc verba, hominem, qui ea conſignavit, illo vixiſſe tempore, quo Iſraëlitæ *Regibus* ſubfuerunt: niſi quis cum Huetio aliiſque Doctis Viris dicat, Moſen hic prodidiſſe, quod tanquam Propheta ex Divina ἀποκαλύψει præſciret, Iſraëlitas aliquando regendos eſſe à Regibus. Fateor equidem dictu illud non eſſe abſurdum: nec tamen putem eſſe probabile. Quid enim opus habebat Prophetam agere in conſcribenda hiſtoria? Facilius dictu eſt, verba illa: לפני מלך מלך לבני ישראל *Antequam imperaret Rex Poſteris Iſraëlis*, vel adſcripta ad marginem eſſe atque ita irrepſiſſe in contextum; vel veteri

Imo alia in textum illata ſunt, facilioris intellectus cauſſa, à Scribis poſterioris temporis.

Producto exemplo ex Gen. XXXVI. 31.

 Scrip-

a Deut. XXIII. 17, 18. b Cap. XXXVI. 31.

Scripturæ a Sacerdotibus aut Prophetis ſequentium temporum, qui Scripturæ Sacræ recenſendæ conſtituti fuerunt, textus illuſtrandi gratia inſerta eſſe. Ex Aben-Eſra intellexi, Doctores quoque Ebræorum hac de difficultate litigare. Verba illius adducam & interpretabor: יש אומרים כי בדרך הנבואה נכתבה זאת הפרשה ויצחקי אמר בספרו כי בימי יהושפט נכתבה זאת הפרשה ופי׳ הדורות כרצונו הכי קרא שמו יצחק כל השומע יצחק לו ואמר כי הדד הוא הדד הארומי ואמר כי מהיטבאל אחות תחפנחס וחלילה חלילה שהדבר על ימי יהושפט וספרו ראוי להשרף והאמת שפי׳ לפני מלך מלך על משה מלך ישראל וכן כתוב ויהי בישרון מלך *Sunt, qui dicunt, conſcriptam hanc pericopam per modum Prophetiæ. Iſaac autem ait, in libro ſuo, hanc pericopam literis mandatam eſſe tempore Joſchaphati, & haſce generationes ſecundum arbitrium ſuum interpretatur. Quia Iſaac nomen ejus, unusquisque qui hoc audit eum irridebit. Dicit autem, Hadadum, cujus hoc in loco mentio, eſſe Hadadum Edumæum* (Illum videlicet, qui dicitur *adverſarius Salomonis*[a].) *Ejusque ſententia eſt, Mehiſtaelem fuiſſe ſororem Thachpenes*, Reginæ Ægypti. Μὴ γένοιτο *autem, quod ille dixit, de hac lacinia conſcripta tempore Joſaphati. Dignus ſane liber ejus eſt, qui comburatur. Verior ſententia eſt, qua interpretatur verba illa:* Antequam regnaret Rex, *de Moſe, Rege Iſraëlis. Ita enim de ipſo dicitur:* [b] *Erat ille Rex in Jeſchurun.* Sed hanc Aben-Eſræ ſententiam modo jam rejecimus. Neutiquam probabile eſt, Moſen ſe in hiſtoria ſignaturum titulo *Regis*. Neque enim vere fuit Iſraëlitarum *Rex*, etiamſi improprio & hyperbolico dicendi genere, quod in Canticis & Prophetiis locum habet, ſic dici poſſit; nec geſſit hoc nomen inter Iſraëlitas. Deus, qui *Rex* Judaici Populi fuit, & dictus eſt, ſolus uſque ad inſtitutos Reges hoc nomine honorari voluit.

Ubi appellatur Aben-Eſra.

Aliud ex Hiſtoria Abrahami Gen. XIV. 14.

IV. Aliud non minus clarum hujus rei documentum petere licet ex *Hiſtoria Abrahami*[c], ubi *hoſtes ſuos perſecutus fuiſſe legitur* AD USQUE DANEM וירדף עד דן: cum nihilominus poſtmodum demum ſub *Joſua* vel Judicibus locus hic eo inſignitus nomine fuerit. Conſtat id illo ex Libro, qui geſta *Judicum* continet[d]. *Nominarunt autem urbem illam* DAN, *cum* LAISCH *antea nomen fuerit illius urbis.* Huetius[e]: *E limbo vero in contextum intruſa videtur*

Verba Huetii.

a 1 Reg. XI. 9. b Deut. XXXIII. 2. c Cap. XIV. 14. d XVIII. 27-29. Confer autem *Joſ. cap.* XIX. 47. e *Demonſt. Evang.* Prop. IV. §. XI.

detur fuiſſe vox Dan *hoc Geneſeos loco, ubi dicitur Abraham hoſtes Lothi perſecutus eſſe uſque Dan. Conſtat enim ex decimo octavo Libri Judicum capite, longe poſt Abrahamum & Moſen etiam Dan appellatam urbem hanc, quæ prius Lais dicebatur. Vel ipſe fortaſſe Eſdras, cum libros ſacros recognoſceret, vocabulum Lais* SUA ÆTATE PROPTER VETUSTATEM ET DESUETUDINEM IGNOTUM, TRITA ET USITATA VOCE MUTAVIT. In ſequentibus ὁμόψηφον ſibi laudat Maſium, Doctiſſimum Virum & in criſi ſacra exercitatiſſimum. *Decimum quintum argumentum ſuppeditat Andreas Maſius, eruditiſſimus libri Joſuæ Interpres* [a], *ex* KIRJATH ARBE, *quæ ſæpe in libris Moſis* HEBRON *appellatur, cum id nominis ab Hebrone Calebi Filio ipſi obtigerit poſt ſubactam ab Hebræis Chanaanæam terram. Verum reſponſionem idem Maſius ſuggeſſit, eam nempe, quam ſupra jam adhibuimus;* UNUM ID ESSE EX INSERTIS AB ESDRA IN LIBRUM HUNC ADDITAMENTIS. Pulcra ſunt quę pro eadem hac ſententia diſputat Eruditus Vir, Nicolaus Abramus [b]. In diſquiſitionem miſerat, an ex *Ninive* urbe, cujus apud Moſen mentio, Aſſyriaci Imperii vetuſtas colligi poſſit. Diluit id inter alia hac ratione: *Quid ſi tum urbis nomen,* TUM ISTA VERBA, *adjecta fuerint à Sapientibus Synagogæ, qui longo poſt Moſen tempore floruerunt.* Qua in re ne quis hæreret, id ipſum ſub nomine Baſilii *ſequenti Capite* data opera probat [c]. *Nemo*, ait, *fere dubitat, quin* MULTA VERBA, *multæ ſententiæ,* QUASI PLAGULÆ QUÆDAM AUT EMBLEMATA SCRIPTURIS ACCESSERINT. *Quis tamen hæc adjecerit, Samuelne, an alius Propheta, an Eſdras in magna illa Synodo, in qua Canonem Scripturarum digeſtum eſſe plerique credunt:*

Hebræi certant & adhuc ſub Judice lis eſt.

Certe Graviſſimis Auctoribus placet Eſdram ex Concilii ſententia pro vetuſtis & exoletis quibuſdam locorum vocabulis repoſuiſſe notiora, & vel perſpicuitatis, vel continuationis hiſtoricæ cauſſa quaſdam intexuiſſe ſententias. Nec diſplicet quoque hæc ſententia Cl. Heideggero [d], in luculento ad hujusmodi Geneſis loca commentario.

Et Maſii.

Nec non Nic. Abrami.

Et Heideggeri.

a Lib. I. Cap. XIII. XXIII. XXXV. Lib. IV. XIII. 22. b In *Pharo V. T. Sacr. Diſſ.* Lib. VI. Cap. VII. c Cap. VIII. cujus hæc eſt Inſcriptio: *Appendiculæ de quibuſdam verbis Scripturæ adjectis.* d Vide illum Tom. II. Exerc. XII. §. XV.

Cum igitur in hypotheſi hac, quam aſſumpſi, nemo cum ratione laborare poſſit: videndum nunc *ſecundo* eſt, an circumſtantiæ contextus permittant, & ſuadeant, ut eandem hanc hypotheſin applicemus removendæ difficultati, quę ex verbis: יגר שהדותא / nobis objecta eſt.

Quæ hypotheſis applicatur ad ſolvendam difficultatem, ante motam ex nomine יגר שהדותא.

V. Nempe 1. Obſervari hic velim, verba יגר שהדותא purum facere Syriaſmum, quemadmodum Lingua Syra aut Chaldæa inter Judæos uſurpata fuit circa ætatem Chriſti à tempore uſque *Antiochi Epiphanis*. Intelligamus id ex Ludovico de Dieu. יגר שהדותא PURUS EST SYRIASMUS; *utraque vox etiam hodie uſitata. Notandum autem,* יגר *non quemvis acervum, ſed lapidum tantum denotare. Ferrarius:* Cumulus, acervus, congeries lapidum, macceria, tumulus. *Plenius Gloſſarium Syro Arabicum;* tumulus lapidum abſque luto. acervus. *Eſſe autem tantum lapidum acervum ex lingua etiam Æthiopica conjici poteſt, ubi uſitatum eſt verbum* וגר (*ſemper enim radicalem* י *in* ו *mutant*) *pro* lapidare. Quid vero? An præſumendum eſt, ætate jam Labanis Chaldaiſmum creviſſe ad tantam perfectionem, ut illius temporis ſermo concipiendus ſit nulla parte diverſus à dialecto, qua Chaldæos poſt mille & quod excurrit annos uſos fuiſſe conſtat? Tantane percipi debet fuiſſe Chaldæę Linguæ conſtantia; cum tamen *Chaldæi* longe demum poſt id tempus imperium conſecuti ſint & inter cæteros populos cœperint eſſe clari, quemadmodum à Doctiſſimis Viris nuper oſtenſum eſt? Sane Chaldæam aut Syriacam Linguam etiam nunc experimur omnium minime ab *Hebræa Lingua* differre, ita ut *dialectus* potius & variata elocutio, quam *Lingua*, ab hebræa diverſa, habenda ſit. Sed vero illam elocutionis & pronunciationis diverſitatem quis credat uno momento tantam evaſiſſe, ut poſtea per multa ſæcula nulli deinceps hæc Lingua mutationi fuiſſet obnoxia; vel etiam, cum tanta jam fuerit ætate Labanis, per tot ſæcula non factam eſſe majorem, quam nunc videmus? Nonne rationi convenientius creditur, ſi qua jam eſſe inceperit dialecti variatio Labanis ætate; quod non negamus, ſi modo tanta non ſtatuatur, ut ea mutuum ſermonis uſum inter Hebræos & Chaldæos tollat, quem ante adſtruximus; maxime tamen hanc varietatem dialecti

Quod docetur eſſe Syriacum poſterioris ævi.

Ubi de Chaldæa dialecto quædam obſervantur.

a *Annot.* ad h. l.

jecti notabilem evaſiſſe, quo tempore Chaldæi ſe potentia & imperio inter reliquos Orientis Populos extulerunt? Videmus enim populos tum quam maxime curam & rationem Linguæ ſuæ habere, quando rerum potiuntur & reipublicæ ſtatus floret. Sic *Hebræa*, *Græca*, *Latina*, Linguæ nunquam fuerunt in puriore & caſtiore uſu, quam quo tempore horum populorum Res publicæ maxime viguerunt. Hac ipſa noſtra ætate id admodum conſpicuum eſt in Lingua, quę Genti Gallorum propria eſt, quippe quę ſub imperio Potentiſſimi Regis ad perfectionem ultimam limatur. Mea igitur opinione, veriſimile neutiquam videtur, circa ætatem Labanis & Jacobi, qua Meſopotamitæ hactenus inter alios Orientis Populos non magnopere excellebant, tantum jam fuiſſe divortium inter Chaldæum & Hebræum ſermonem, quantum vulgo ex hoc loco colligitur. Sed res hoc modo intelligi poſſe videtur, Hagiographos illos, qui recenſendo huic Libro præfecti fuerunt, *Acervo* huic *Lapidum* illud in oratione Labanis nomen dediſſe, quo Chaldæi ſua ætate, quando Chaldæus ſermo multum jam ab Hebræo mutatus erat, *Acervum* hunc *Lapidum* denominarunt; vel certe denominarent, ſi neceſſe haberent illum appellare *Acervum teſtimonii*. Sic v. gr. ſi quis Hiſtoriæ Gallicæ Scriptor *Clodoveum*, qui inter primos Franciæ Reges hoc Imperium præcipue fundavit, non *Clodoveum* ſed *Ludovicum* vocaret, vel *Loviſium*, quomodo illud nomen procedente tempore inflexum eſt, niſi fallor: is certe non tantum nihil hic peccaret adverſus hiſtoriæ fidem, ſed & ipſi illi hiſtoriæ lucem affunderet: vel, ſi ex Sacris exemplum malumus, Matthæus, commercium ſermonis, quod inter Chriſtum & Petrum interceſſit, referens, ait, Chriſtum Petro dixiſſe [a], Σὺ εἶ Πέτρος *Tu es* PETRUS. At ſatis certum eſt, Chriſtum Simonem Jonæ Filium nunquam vocaſſe *Petrum*, ſed potius *Cepham*. Matthæus tamen id ſcribere potuit in Hiſtoria, quia Cephas Græcis deinceps *Petrus* dictus eſt, & *Cephæ* ac *Petri* nomina ejuſdem ſunt poteſtatis. Qua de re ad alium etiam locum ſimilem videri poteſt Caſaubonus [b].

Quæ circa ætatem Jacobi non videtur ad perfectionem eſſe exculta.

Unde videri poſſet Nomen hoc inflexum eſſe ad uſum Linguæ ſequentis temporis.

VI. His nunc *ſecundo* addi velim, eſſe quid in textu hiſtorico

Cujus conjecturæ probabilitas

a Matth. xvi. 18. b Annot. ad Luc. vi. 13.

firmatur ex ipſo textu Hiſtoriæ.

rico hujus loci, quod noſtræ expoſitioni mirifice faveat. Hiſtoriographus ſcribit, eundem Labanem, qui *Acervo Lapidum* dederit nomen *Jegar Sahadutha* [a], eundem appellaſſe מצפה Mitspam, & interpretationis cauſſa adjeciſſe: יצף יהוה Speculetur Jehova *inter me & te.* מצפה vere eſt notio hebræa. צפה enim Hæbræis, non Chaldæis, eſt in uſu ſignificatu *ſpeculandi.* Si igitur Laban hoc nomen vere impoſuerit huic *acervo*; dialecto hebræa, aut hebræę affini uſum fuiſſe conſtat. Si vero dicas, ipſum aliam hic adhibuiſſe vocem *poteſtate parem:* quod tamen veriſimile non eſt, quia nomen hoc *Mitspe* ad poſteritatem hac ipſa ſub notione tranſlatum eſt: nulla major eſt ratio, cur dicamus, Labanem uſum eſſe ipſis illis verbis *Jegar Sahadutha*, quam illum ipſum nomen *Mitspa* hoc in caſu neceſſario adhibuiſſe: ſed ſtatui poteſt, aliam ab ipſo hic adhibitam eſſe vocem poteſtate parem.

Caput VI.

Aliæ rationes & cauſſæ evidentes mutationis atque Originis variarum Linguarum notantur, quales ſunt, Populorum *Diviſio; Fundatio* Imperiorum & Rerum publicarum; *hinc nata* Legum & Conſuetudinum diverſitas; Gentium *jam diverſarum*, commercia; rerum novarum inventio; pronunciationis cura, &c. *Exemplum vero primum datur in* Ægyptiis, *quorum* idioma *omnium primo mutatum fuiſſe conjicitur; ſic tamen, ut liquido oſtendi poſſit, Linguam hanc ad Hebræam originem duci poſſe.*

Aliæ jam cauſſæ mutationis Linguarum in medium proferuntur variæ, doceturque, mutationem Linguæ *rem* eſſe *naturalem.*

PRæter ea, quę nunc videri poſſent abunde à nobis ad hoc argumentum dicta eſſe, mutatio *Linguæ* à nobis concipitur res adeo *naturalis*, (recte omnino uſus eſt hac voce Mericus Caſaubonus:) ut poſita populorum *diſperſione* per orbem terrarum, eamque ſecuta *diviſione* Rerum publicarum & Imperiorum, ſtatuamus, aliter evenire non potuiſſe ſecundum con-

a Verſ. 49

conſtantem naturæ conſuetudinem, ac ut *Linguæ* in mundo ex Lingua una orirentur variæ; ut nunc videmus eveniſſe. Quando enim rerum humanarum inconſtantiam atque viciſſitudinem, quam toties noſtrum unusquisque expertus eſt, conſideramus: non difficulter in hanc veniemus ſententiam, idem eſſe debere fatum Linguarum, quod totius, cui nos involuti ſumus, rerum naturæ. Imprimis ſi ſpectemus *Linguæ volubilitatem*, de qua eleganter in Epiſtola ſua Jacobus [a]. πᾶσα (inquit) γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασαι τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ· τὴν δὲ γλῶσσαν ὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι, ἀκατάσχετον κακόν· *Omnis enim natura & ferarum, & volucrium, ſerpentum quoque & marinorum, domatur & domita eſt à natura humana:* Linguam autem nemo hominum domare potest. *malum eſt, quod coërcere nequeas.* Hoc ita ſi eſt in rebus per linguam proferendis, de quibus *Jacobus* diſſerit: quidni transferemus etiam ad verba, verborumque ſingulorum flexionem & pronunciationem? Cur magis conſtans lingua in verbis & vocibus ſingulis eſſet, quam in rebus? Ratio itaque nulla eſt admirandi, quod dialectos & idiomata ſucceſſu temporis variari atque immutari; ab hac gente alias ac ab alia pronunciari; voces quaſdam modo illis demi, novas modo addi, illas, quę jam uſitatæ ſunt, aliter flecti, ex his rurſum alias deduci, eaſque à primis plane diverſas, animadvertamus; modo ad rerum humanarum, & ipſius potiſſimum Linguæ humanæ, per quam efferuntur, volubilitatem attendamus. *Vetuſtas*, ait Varro [b], *non pauca depravat, multa tollit. Quem puerum vidiſti formoſum, nunc vides deformem in ſenecta. Tertium ſeculum non videt eum hominem, quem vidit primum.* Item: Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant. Nec non paulo inferius: *Quoniam verborum novorum & veterum diſcordia omnis in conſuetudine communi: quot modeis litterarum commutatio ſit facta qui animadverterit, ſcrutari facilius origines patietur verborum. Reperiet enim eſſe commutata, ut in ſuperioribus libris oſtendi, maxime propter bis quaternas cauſas: Litterarum enim ſit demptione, aut additione; & propter earum artationem, aut commutationem; item ſyllabarum productionem.* Quam appoſite huc referas illa Horatii!

Eſt enim in his rebus, quæ ab ingenio & uſu arbitrario hominum pendent, magna inconſtantia.

Quæ præcipue in *Linguis Gentium* obſervatur.

Ubi producitur inſignis locus Varronis.

H Ut

a Cap. III. 7, 8, 9. b Lib. IV. de *Lingua Latina*, in initio.

Et Horatii.

Ut ſylvæ foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt; Ita verborum vetus interit ætas:
Et Juvenum ritu florent modo nata vigentque.

Quare non videtur in mutatione Linguæ eſſe quid *pœnale*.

II. Quodſi vero Linguæ exemptæ non ſint illo fato mutabilitatis, cui ſubſunt inferiora omnia: non ſatis intelligo, quomodo *mutatio Linguarum* ſtatui poſſit pœna inflicta conditoribus turris Babylonicæ, ob facinus ab ipſis perpetratum; quippe omni die videmus, Linguas mutari abſque ullo, ne dicam, abſque ſingulari Dei judicio, quale ibi exercitum fuiſſe legimus; neque etiam ſatis diſtincte aſſequor, † quomodo illa muta-

† Certe ſi *Linguæ variæ ortæ eſſent per miraculum*, quæ vulgo *Linguarum Confuſio* vocatur, facile percipi poteſt, mutationem illam ſive Originem Linguarum fieri potuiſſe momentò. Sed id ſi ponatur, hæc duo ſimul admittenda eſſent conſectaria. 1. Linguas illas, quæ per miraculum natæ eſſent, debuiſſe à prima ſua origine eſſe perfectas: quia neutiquam probabile eſt, Deum Linguas per miraculum producturum eſſe imperfectas. 2. Sublato & expiato per pœnam delicto, ceſſare etiam debuiſſe pœnam: hoc eſt, Linguas illas varias, quæ originem ſuam debent facinori Babylonico, illo ſtatu abſque ulla variatione debuiſſe conſervari apud illos Populos, quorum Parentibus hæc pœna à Deo inflicta erat. ſublata enim cauſſa, ut vulgo ajunt, tollitur effectus. Atqui experientia in utroque illo conſectario contrarium docet. Nempe 1. Linguas omnes præter Hebræam, quæ nobis cognitæ ſunt, cum tempore limari & perfici. 2. Eaſdem illas Linguas continuæ variationi eſſe obnoxias, & ſæpe, dum perfectæ ſunt, rurſus corrumpi, & adulterari. Utrumque neceſſe habuit concedere Doctiſſimus Bochartus, licet vere adverſus hypotheſin, quam tuebatur. *Neque enim*, ait, *momentanea fuit maledictio, quam in homines inflixit Deus ex occaſione turris Babylonicæ. Ea hodieque durat; & durabit in poſterum uſque ad mundi conſummationem. Unde ſit*, UT LINGUÆ OMNES, *paucis exceptis, quas ex communi illa clade immunes libri præſtant*, SINT IN PERPETUO FLUXU, *& ſingulis prope ſeculis magna ſui parte mutentur atque alterentur.* Sed quibus, obſecro, id perſuadeat Vir Summus? Si Deus, plures producendo Linguas, id intendiſſet, quod unice intendere potuit, quantum video, ut Gentes univerſum orbem terrarum occuparent, & Linguis, animis, moribusque diviſæ alias novasque Mundi regiones quærerent, hactenus non cultas habitataſque: quæ cauſſa hujus judicii in genus humanum continuandi, dum Mundus fere totus omnibus ſuis partibus colitur & inhabitatur? Nihil enim agit Deus, cauſſa maxime rationalis, abſque fine rationali. Annon videmus, per varia-

Phaleg. Lib. 1. Cap. xv. p. 65.

mutatio ſtatui poſſit facta fuiſſe uno momento, cum mutatio ſecundum naturæ conſuetudinem omnis fiat per gradus, & cum hodieque etiam Linguas per gradus mutari, perfici, & limari experiamur.

Nec facta videtur uno temporis articulo.

III. Imprimis tamen hæc obtinent, ubi Familiæ, aut Populi integri, ab invicem *ſeparantur*, & in varias terrarum plagas diſtracti alii ſeorſim ab aliis agunt. Sic enim facile fit, ut novę apud ipſos naſcantur voces, & vocum varię flexiones, aliis incognitæ. Egregie hic nobis favent verba Dionyſii Halicarnaſſenſis, diſputantis, Pelaſgos & Tyrrhenos non eſſe unius ejuſdemque originis, quia diverſis utuntur Linguis. Oſtendit igitur cognationem & commercia, quæ Gentes inter ſe colunt, eſſe cauſſam ſimilitudinis; & diviſionem earundem eſſe cauſſam diſſimilitudinis & diverſitatis Linguarum. Εἰ γὰρ, inquit [a], συγγένειας τῆς ὁμοφωνίας αἴτιον ὑποληπτέον, θάτερον δήπου τῆς διαφωνίας. οὐ γὰρ δὴ ἀμφότερά γε τὸ αὐτὸ ἐγχωρεῖ νομίζειν ἀμφοτέρων. καὶ γὰρ δὴ τὸ μὲν ἕτερον καὶ λόγον τινὰ εἶχε γενόμενον, τὸ δὴ τοὺς ἀπωτέρω τὰς οἰκήσεις ἀπ' αὐτῶν ποιησαμένους ὁμοεθνεῖς, μηκέτι διασώζειν τὸν αὐτὸν τῆς διαλέκτου χαρακτῆρα διὰ τὰς πρὸς τοὺς πέλας ὁμιλίας. τὸ δ' ἐν τοῖς αὐτοῖς οἰκοῦντας χωρίοις μηδ' ὁτιοῦν

Sed facilius fit mutatio Linguæ, ubi Populi ab invicem ſeparantur.

H 2 κοινὸν

a Hiſt. Lib. 1. p. m. 23.

variationem illam Linguarum ſæpe accidere, ut inter Linguas variorum Populorum multo major naſcatur conjunctio & affinitas, quam erat ante? Itali & Galli olim Linguis loquebantur multo magis ab invicem diviſis, quam hodie. Ergo, ſi verum fatear, præter eam, quam defendo, ſententiam, nulla, meo judicio, magis cum ratione poſſet conciliari quam ea Andreæ Mulleri, Eruditi Viri, quam offendi in *Exercitationibus Philologicis*, à Doctiſſimo Crenio editis. Ille cenſet, *tres* tantum eſſe *Linguas Generaliſſimas*, ad quas omnes aliæ referri debeant, *Hebræam* nempe, *Ægyptiam*, & *Scythicam*, pro *tribus* nimirum *Noachidarum Familiis. Ad Hebræam referendas eſſe omnes dialectos per Aſiam; quæ in Africa ad Ægyptiam; quæ in Europa ad Scythicam.* Sed ne hæc quidem hypotheſis ſatisfacit hiſtoriæ *Confuſionis Labii* apud Moſen. *Confuſio* enim illa longe fuit major, quam ut inter Familias trium Filiorum Noachi tantum conſtitiſſet. *Confundamus Labium eorum*, dicitur in textu Hiſtoriæ, אשר לא ישמעו איש שפת רעהו *ne* QUISQUE *intelligat* LABIUM PROXIMI SUI: h. e. ut unus alium non intelligat loquentem. Imo obſtat quoque illi experientia. Demonſtrari enim poteſt, non alias tantum Linguas, verum etiam Ægyptiam & Scythicam, quantum illæ nobis cognitæ ſunt ex antiquis monumentis, ab hebræa deducendas eſſe. Alia mitto.

Exercitat. 1. *de quibuſdam ad Philolog. Sacr. ſpectantibus.* §. VII.

καθὸ τὴν φωνὴν ὁμολογεῖν ἀλλήλοις, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φύντας γένους, οὐδένα λόγον ἔχει. *Si enim commune genus & cognatio credenda eſt cauſſa hujus in Lingua ſimilitudinis, contrarium erit cauſſa diſſimilitudinis. Neque enim utrinſque eandem cauſam putare poſſumus. Nam alterum quidem rationem quandam habet*, EJUSDEM GENTIS HOMINES, QUI LONGE A SE INVICEM HABITENT, NON AMPLIUS RETINERE EANDEM SERMONIS FORMAM, *propter finitimorum commercia; ſed abſurdiſſimum eſt, eorundem locorum incolas non prorſus convenire Lingua, ſi ſint ejuſdem generis.*

Et facit quoque huc cœli & aëris influxus.

Imo nihil quoque certius eſt, quam ipſam cœli & aëris temperiem multum conferre ad enunciationis differentiam & variationem, ac proin originem & mutationem Linguarum & Dialectorum promovere. Quod Germanorum gravior & lentior; Gallorum volubilior & celerior pronunciatio ſit: nemo abſque ratione referat ad temperiem cœli, ſub quo illæ Gentes vivunt.

Et Gentium plurium ἑτερογλώσσων *commixtio.*

Cœlum & ſolum ingenia Populorum diſtinguunt, eademque ſæpe faciunt, ut Linguis cum tempore loquantur diverſis. Ubi jam deinceps poſt aliquod ſpatium temporis, quando novæ dialecti jam cœperunt formari, Gentes illæ diviſæ in unam cöeunt Civitatem: ex illa commixtione tertia rurſus & nova oritur Lingua. ut Iſraëlitarum accidit Liberis, partim *Judaice*, partim *Aſdodice* loquentibus[a]. Sic natæ Gallica, Anglica, Italica, & Hiſpanica hodierni temporis.

Ob quas rationes naturales mutationis Linguarum non videtur præter neceſſitatem recurrendum eſſe ad *cauſſam præternaturalem.*

Hæc autem cum experientia certo demonſtret omnibus ad rerum humanarum viciſſitudinem probe attendentibus: quę ratio mutationem & variationem Linguarum referendi ad *cauſſam* aliquam *extraordinariam*, Divinam nempe ſeveritatem, in genus humanum exercitam? Si enim Linguarum variatio cauſſam habeat extraordinariam: oportet ea ſit res quædam *præternaturalis*, quę ſecundum Leges naturæ, ut nunc ſunt, non accideret, ſi Divina ſeveritas extra ordinem non interveniret. Atqui tantum abeſt ut id verum ſit, ut contra nihil nobis magis *naturale* videatur, quam Linguas, faventibus circumſtantiis, variari. Et ſane eventus hanc noſtram hypotheſin clariſſime probavit. Digniſſimum animadverſione eſt, populos, qui *primi* ex Oriente, quę communis omnium mortalium fuit ſedes poſt creationem & diluvium, receſſerunt, *primi* Linguæ mutationi fuiſſe

a Neh. XIII. 24.

fuiſſe obnoxios, qui *magis* receſſerunt, quam cæteri, *magis* etiam mutationem Linguæ fuiſſe expertos, etſi omnes primæ Linguæ rudera & monumenta retinuerint. Sed operæ erit pretium in hoc argumentum paulo latius excurrere.

IV. Si nos convertamus ad primos noſtros Parentes, qui ante inundationem orbis vixerunt: non magnopere mirabimur, Linguam ſuam conſtanter illos coluiſſe atque conſervaſſe, cum cauſſarum illarum nulla fere adfuerit, quę ſolent Linguæ inducere mutationem. Non patet, illos ex Oriente in alias regiones fuiſſe diſperſos. Nulla apud ipſos ſtabilita fuere dominia, quibus alienantur hominum animi. Nullum inter illos diſcrimen fuit, niſi quod profectum à pietate in Deum, unde quidam בני אלהים / aliqui בני ארם dicti eſſe videntur. Commercia dubio procul invicem exercuerunt, atque hiſce confirmata ſocietas humana eſt. Facile igitur fieri non potuit, ut illi ſubirent Linguæ mutationem. Sed accedebat, quod longe maximum eſt, Longævitas illorum hominum, qui inundationem illam univerſalem anteceſſerunt. Perpaucæ generationes annos bis mille attingere poterant. Atque hinc factum, ut unam eandemque Linguam ante diluvium conſtanter retinuerint. Neque enim illi ipſi Linguæ mutandæ Auctores extiterunt, neque extiterunt alii. Sanctus autem *Noachus* idioma hoc idem ſuis commiſit nepotibus, qui & primis ſęculis id uſurpaverunt, uſque ad extructam à Noachidis Turrim Babylonicam. Ab illa ætate diſſipatum humanum genus eſt; at non mox in remotiſſimas atque procul diſſitas regiones. Sufficiebat Oriens comprehendendis paucis quibuſdam hominum catervis, quin imo familiis, licet diſtinctæ fuerint. Quod & confirmat univerſus Hiſtoriæ Moſaicæ contextus. Sed & ſuadet idem ratio. Quid cauſsæ habuiſſent illius ætatis homines, ut à cæteris hominibus, qui oppido exigui numero erant, ſeſe longius ſepararent, & nova appeterent arva, cum ſpatioſi ipſis paterent Orientis campi, amœnitate atque fertilitate nullis aliis terrarum plagis ſecundi? Procedente itaque tempore, creſcente hominum numero, qui ejuſdem Gentis aut Familiæ erant, ſe ab aliis inceperunt magis magiſque ſeparare: quando fundari cœperunt Respublicę, & in Rebuspublicis Regna & Imperia, primo quidem medio-

Datur ex iiſdem principiis ratio, cur Patriarcharum Antediluvianorum idioma mutatum non ſit.

Doceturque *diviſionem* & *ſeparationem* Poſterorum Noæ primam cauſſam eſſe mutationis Linguarum naturalem.

cria, & deinde ampliora. Quę itaque Populorum *diviſio* & *ſeparatio* Linguæ Hebrææ mutationis, hoc eſt, novarum Linguarum Originis, cauſſa fuit.

Conſequens eſt, omnes omnium mortalium Linguas originem ducere ex Hebræa.

V. Si probabilia, vel, quod magis cuperem, certa & rationi atque experientiæ conſentanea ſint, quæ hactenus in genere de cauſſis ortus variarum Linguarum diſputavi: ſimul certum erit, omnes quotquot ſunt in orbe terrarum Linguas originem ſuam debere Linguæ Hebrææ, tanquam quæ ex ea veluti matre ſua natæ ſint, ſive mediate ſive ἀμέσως: ac proinde, probabile eſſe, in Linguis omnium Populorum ſupereſſe ſpecimina & argumenta, ex quibus probari poſſit, illas ex Orientalibus Linguis emanaſſe. Et ſane ne hæc quidem noſtra collectio fallit. Oſtendi poteſt & demonſtratum jam eſt à Viris Doctiſſimis, omnes Linguas alias Orbis terrarum originem debere Hebrææ, ſive Aſiaticis, quæ magnam inter ſe habent affinitatem. Superſunt enim in omnibus Linguis manifeſta indicia & rudera Linguæ Hebrææ. Nec tamen veriſimile eſt illud futurum eſſe, ſi Linguæ ab Hebræa diverſæ per miraculum ortæ eſſent in Agro Babylonico. Infudiſſet enim Deus ejuſmodi in caſu, ut videtur, hominibus novas notiones, à notionibus receptis prorſus diſtinctas. Si novas, inquam, Deus per miraculum creare voluiſſet Linguas, à prioribus diſtinctas: creaſſet haud dubie perfectas, quæ cum Lingua recepta & inter ſe nihil habuiſſent commercii aut affinitatis. Ergo ut probatio noſtra ſuis partibus ſibi quodammodo conſtet, hæc duo in ſequentibus agemus. Percurremus præcipuas Linguas, quæ olim in mundo regnum obtinuerunt, & inveſtigabimus ortus earum cauſſas: quando deinde ex quibuſdam indiciis conabimur demonſtrare, illas ex communi fonte Linguæ Orientalis antiquiſſimæ, h.e. Hebrææ, ortum ſuum ducere. Prodeant itaque primo in hanc ſcenam Chamitæ, qui Ægyptum occuparunt.

Unde novum petitur pro hypotheſi de naturali Linguarum ortu argumentum.

Speciatim de *Ægyptiis* agitur, Chami poſteris, quorum *Lingua* prima omnium mutationem ſubiiſſe videtur.

VI. Ego profecto opinor, Chamitas primo receſſiſſe à ſodalibus ſuis ex illis Orientis partibus, quas primi mortales occuparant, & fertiliſſimam illam terram ſibi vindicaſſe, quæ *Nilo* irrigatur; tum præterea, Ægyptios, ſi non antiquiſſimos, ſaltem primos, reliquis Orientis Regulis potentiores habuiſſe Reges & Principes, variis Ægypti partibus præfectos. Videantur

tur ea de re Herodotus & Diodorus: &, qui antiquitates Ægyptiacas diligentiſſime ac erudite digeſſit, Marshamus. Nemo ſaltem Ægyptiorum Rebuspublicis & Regnis ſummam negat antiquitatem: quod nobis nunc ſufficit. Et poſſumus, ſi quis id in dubium vocaret, provocare ad Moſen, qui jam in Hiſtoria Abrahami *Pharaonis*, Ægypti Regis [a], mentionem facit, ut potentis, atque tunc temporis florentiſſimi. Meminit equidem aliorum etiam Regum in ſequente hiſtoriæ contextu [b], ſed qui tamen, ſi potentiam & amplitudinem imperii reſpicias, cum hoc Ægypti Rege haudquaquam videntur comparandi. In Libro *Juchaſin* traditur, plures ante hunc *Pharaonem* Reges rerum potitos fuiſſe in Ægypto. Ita ibi legitur: וכתבו בס' זכרון המלכים אשר לערביים כי המלך הא' מצרים הוא מצרים בן חם והב' קבטים והג' קפטורי' והד' בודישיר והה' עדים והו' שדאת וכו' *Scriptum autem extat in libris memoriæ Regum Arabiæ, primum Ægypti Regem fuiſſe Mitſraim, Filium Chami, ſecundum Kobtim, tertium Caphtorim, quarum Bodiſir, quintum Adim, ſextum Sadath*, quique plures ibidem loci recenſentur, qui nec in ſacra nec in exotica Hiſtoria memorantur. Hæc ficta ſunt ab ingenio, quod ſuavi ludia amat & credulis qualicunque pretio venditat, non diſſimilia horum quæ Manetho, & Heliopolitani Sacerdotes poſteritatis credulitati commendarunt. Quemadmodum enim credi poteſt, ante Pharaonem, cujus modo facta mentio, Reges fuiſſe plures; ita paucos illos admodum fuiſſe conjicio ex iis, quæ ante dicta ſunt. Neque enim admittenda videtur illa aſſertio, quæ in hoc libro: *Mitſraim* primum fuiſſe Ægypti Regem, cum forte nullus unquam ejus nominis homo in mundo extiterit. Habetur equidem apud Moſen [c]: ובן חם מצרים Filium Chami *fuiſſe* Mitsraim: ſed verba hæc forte non ita accipienda ſunt, quaſi Filium habuiſſet *Chamus*, cui nomen eſſet *Mitſriam*, ſed quemadmodum alii jam ante nos obſervarunt, hanc admittere poſſunt & debent interpretationem, quod *Chamus quoque eorum hominum Parens ſit, qui Ægyptum poſtmodum incoluerunt*. מצרים enim ipſiſſimum Ægypti nomen eſt à מצור / quod *munimentum*, *arcem*, *fortalitium*, notat, quia nulla terrarum ſua natura perinde munita eſt ac Ægyptus: unde & מצור ſacris

Ægyptiorum enim videtur eſſe Regnum antiquiſſimum.

Etſi fabuloſæ Regum ſucceſiones hic excludantur.

a Gen. XII. 12. b Cap. XIV. 1, 2. c Cap. X. 6.

ſacris in literis denominatur. Quia vero diviſa Ægyptus fuit in *ſuperiorem* & *inferiorem*, hinc מצרים voce numeri dualis nuncupata eſt.

Eſt autem terra per naturam munita, quæ commode excludit exteros.

VII. Ægyptus autem ſingulari quodam naturæ beneficio ita ſe habuit, ut facile excludat exteros, & qui eam inhabitant homines, ſuis vivere poſſint contenti bonis. Abunde id demonſtravit Diodorus Siculus. Et cum primis Mundi ſæculis omnia eſſent ſimpliciora, nec tam frequentia humani generis commercia: fieri poteſt ut in initio rarius fuerint frequentata. Chæremon apud Porphyrium teſtatur, Ægyptios ex Lege Patriæ vitaſſe conſuetudinem cum exteris [a]. Οἵγε ἐν τοῖς ἀσεβεστάτοις ἐπίθεντο πλεῖν ἀπ' Αἰγύπτου, διευλαβούμενοι ξενικὰς τρυφὰς καὶ ἐπιτηδεύματα· *Pro re impiiſſima habuerunt ex Ægypto navigare, caventes ſibi à moribus & luxu exterorum.* Alia habet quæ huc ſpectant Marshamus [b]. Diodorus Siculus explicite dicit, exteros in Ægyptum non fuiſſe admiſſos, & cum Ægyptiis commixtos, niſi temporibus Pſammetichi: qui nimirum Pſammetichus Pater fuit Pharaonis Necho, quicum prælio commiſſus Rex Joſias occubuit. En verba ipſius clariſſima [c]: Καθόλου δὲ πρῶτος τῶν κατ' Αἴγυπτον βασιλέων, ἀνέῳξε τοῖς ἄλλοις ἔθνεσιν τὰ κατὰ τὴν ἄλλην χώραν ἐμπόρια· καὶ πολλὴν ἀσφάλειαν τοῖς καταπλέουσι ξένοις παρείχετο. οἱ μὲν γὰρ πρὸ τούτου δυναστεύσαντες, ἀνεπίβατον τοῖς ξένοις ἐποίουν τὴν Αἴγυπτον, τοὺς μὲν φονεύοντες, τοὺς δὲ καταδουλούμενοι τῶν καταπλεόντων· *Primus certe* (Pſammetichus:) *omnium Ægypti Regum gentibus aliis peregrinæ regionis emporia patefecit, magnamque navigationibus exterorum ſecuritatem præſtitit.* NAM RERUM ANTE IPSUM POTITI INACCESSAM PEREGRINIS ÆGYPTUM FACIEBANT; *appulſos vel morte vel ſervitute mulctantes.* Sunt tamen illa cum grano ſalis accipienda. Ex evidentiſſimis enim Sacræ Scripturæ locis liquet, omnino Ægyptiis jam olim commercium fuiſſe cum Phœniciis, & Judæis. Liquet ex eadem hiſtoria vetere, Ægyptum antiquis temporibus bis fuiſſe occupatam à *Paſtoribus*, Phœniciis aut Arabibus, eoſque in Ægypto regnaſſe, vel aliquam illius tenuiſſe partem. Liquet item, Ægyptios longe certe ante Pſammetichi tempora colonias in alia terrarum

Et Veteres de Ægyptiis antiquis teſtantur, vitaſſe illos aliarum Gentium commercia.

a De Abſtin. Lib. IV. §. VIII. b Ad Sec. IX. p. m. 216. c Hiſt. Lib. I. p. m. 61.

rum orbis loca deduxiſſe: ut in ſequentibus videbimus. Nec Seſoſtris longe ante Pſammitichum tam magnas extra Ægyptum ſuſcepiſſet expeditiones, ſi Ægyptiis ante Pſammitichum nihil conſuetudinis fuiſſet cum exteris. Sufficiat igitur, credamus, primis illis temporibus, quibus hactenus tantus non erat in Oriente hominum numerus, nec tam frequentia hominum commercia, Ægyptios ſuis ſe ab aliis diviſos continuiſſe limitibus: ſed procedente tempore, ubi Syria, Arabia, Phœnicia, & Palæſtina, incolis majore numero repletæ fuerunt, cum iis Gentibus commercia ſatis frequentia coluiſſe: quippe quod ex Hiſtoria Sacra [a], quæ multo hic eſt certior profana, clariſſime liquet.

Quorum tamen dicta prudenter interpretanda ſunt.

Hæc autem, quæ jam de Ægyptiis commemoravimus: quod illi à reliquis Noachi familiis diviſi ſub nova cœli plaga ſeorſim aliquandiu egerint; & iidem deinceps ob ſummam terræ ſuæ fertilitatem & fœcunditatem commercia cum variis Gentibus vicinis frequentaverint, ex quibus aliquæ hauddubie in ipſa Ægypto ſedem ſuam fixerunt: mutationem aliquam in Linguam Ægyptiorum inducere potuerunt. Hæc enim ipſa ſunt quæ faciunt, ut Linguæ ſenſim alterentur, & à primo ſuo uſu deflectant. Certe quantum valeant commercia Populorum in mutandis Linguis; inſigne exemplum habemus apud eundem illum egregium Hiſtoriographum Diodorum, ubi agit de primis Siciliæ incolis.

Procedente enim tempore Ægyptiis ob ſoli ſui ubertatem frequens fuit conſuetudo cum Populis aliis.

Docet ille Sicanos & Siculos, qui hanc Inſulam apud Græcos occupaverant, ex commercio cum Græcis, qui eo etiam colonias aliquas miſerant, Græcorum Lingua quoque uti cœpiſſe [b]: Ἀναμιγνύμενοι δ' ἀλλήλοις καὶ διὰ τὸ πλῆθος τῶν καταπλεόντων Ἑλλήνων, τήν τε διάλεκτον αὐτῶν ἔμαθον, καὶ ταῖς ἀγωγαῖς συντραφέντες, τὸ τελευταῖον τὴν βάρβαρον διάλεκτον ἅμα καὶ τὴν προσηγορίαν ἠλλάξαντο. *Per* COMMERCIA *vero &* MULTITUDINEM GRÆCORUM EO MIGRANTIUM *factum eſt, ut & Linguam Græcorum diſcerent, & eundem vitæ morem adepti,* BARBARAM *etiam* LOQUELAM *ſimul, & nomen* MUTARENT.

Ex quibus cauſis petitur ratio mutatæ apud Ægyptios dialecti.

Simile exemplum habuimus in Judæis, qui licet ipſa Dei Verba & Leges ſuas Lingua hebræa exaratas haberent, & ſingulari quodam Reipublicæ ſuæ inſtituto abſtinere cogerentur aliorum commerciis, Linguam tamen

Exemplo producto ſimili de Siculis.

a Gen. xxxvii. 25. xli. 57. 1 Reg. x. 28. Jeſ. xxiii. 3. b Lib. v. p. m. 290.

men ſuam mutarunt, quando cum Babyloniis & Syris familiarius verſari ſunt. Idem accidit Britannis, qui Anglorum adſciverunt idioma; etſi Britanniæ Veteris adhuc ſuperſint reliquiæ in Cambria [a]. Atqui hæc ipſa fecerunt, ut Ægyptii jam circa Joſephi ætatem cum aliis Populis egerint per *Interpretem:* quemadmodum ex ipſa quoque Hiſtoria Moſaica [b] liquet. Ægyptii, quo tempore Iſraëlitæ apud eos habitabant, erant לעז POPULUS *Iſraëlitis* BARBARUS [c].

Et tamen Ægyptia Lingua Vetus vere nata fuit ex Hebræa.

VIII. Sed quod præcipue ad rem facit, & *ſecundo* loco erat demonſtrandum: Ægyptiorum Lingua illa, etiamſi jam Joſephi ætate variaverit à Linguis aliorum Populorum Orientalium, non tamen habenda eſt pro Lingua prorſus nova, & à reliquis Orientalium Linguis diverſa. Secundum hypotheſin noſtram nata fuit ex Hebræa, ſive Primigenia Lingua Orientali: & vere exiſtimamus id poſſe evinci ex illis, quę in Sacris ſuperſunt Veteris Linguæ Ægyptiæ notionibus, ut ſunt 'פרעה אברך 'צפנת פענה 'כהר / aliæque à Cl. Bocharto [d] aliiſque recenſitæ. Id quod operæ pretium fuerit tentare.

Quod demonſtratur ex exemplis, inter quæ primo occurrit nomen פרעה.

IX. Primum vocabulum hujus Gentis, in Codice Sacro notatum, eſt פרעה / quod vulgo creditum eſt, non unius cujuſdam Regis proprium, ſed commune quorumlibet Ægypti Monarcharum nomen eſſe. Quidam illud mere Ægyptium eſſe aſſerunt. Ita Vir quidam Doctus: *Nomen* PHARAONIS *in Veteri Ægyptiorum lingua ſignificaſſe* REGEM, *recte notat Flavius Joſephus. Nam in hodierna Lingua Copto-Ægyptia, quæ ab antiqua Pharaonica multum quidem degeneravit, non tamen toto genere diverſa eſt, adhuc extat nomen* ουρο, *Rex, cum articulo* πι *vel* φι, φιουρο, *& cum affixo, ſeu potius infixo prima perſona* φαουρο, REX MEUS, *uti reverentiæ cauſa locuti videntur, ut hodie dicimus:* DOMINUS MEUS [e]. Ego tamen non poſſum ab animo meo impetrare, ut huic ſententiæ accedam. Mihi videtur omnino alienum eſſe, ex Lingua Coptica recentiore vocum Moſis ætate uſurpatarum originem repetere. Si enim ulla Linguarum mutationem maximam ſubiietit: certe Ægyptiaca eſt. Coptus profecto civi-

Cujus nominis interpretationem aliqui tentant ex *Lingua Coptica.*

a Vide Boxh. *Orig. Gallicas.* b Cap. XLII. 23. c Pſ. 114. 1. d *Phal.* Lib. 1. Cap. XV. p. m. 66. e Confer *Athanaſ. Kirch. in Lingua Copta reſtit. ſuppl.* p. 189.

civitas locupletiſſima fuit κοινὴ Αἰγυπτίων τε καὶ Ἀράβων πόλις, *Ægyptiis atque Arabibus communis*: ὁ ἰνδικὸς φόρτος ἅπας καὶ ὁ Ἀράβιος, καὶ τοῦ Αἰθιοπικοῦ ὁ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ κατακομιζόμενος εἰς Κοπτὸν φέρεται. Ne dicam, univerſam pene Ægyptum poſtea græcam factam eſſe. Quam vero dialectum ex Arabica, Æthiopica, Indica, Græca, ſecum invicem mixtis orituram putas linguis? Quam vanum, illa ex dialecto ſecernere voces Ægyptias! Præterea non facile mihi perſuadeo, πι vel φι præpoſitivum articulum fuiſſe apud Ægyptios Veteres. Non licuit mihi id hactenus obſervare in ullis nominibus, quę certo conſtat in Lingua Vetere Ægyptia fuiſſe uſurpata; ut ſunt, *Oſiris*, *Orus*, *Iſis*, *Apis*, *Nilus*, *Tſoan*, *Menes*, quæque plura ſimilia ſunt. Rectius igitur, meo judicio, Samuel Bochartus hanc Joſephi etymologiam repudiavit [a]. *Sed & id mihi ſuſpectum eſt*, ait, *quod apud Joſephum* ὁ Φαραὼν κατ' Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει *Pharao Regem Ægytus ſonat: quia toties in Scriptura legitur* Rex Pharao: quæ *inanis eſſet* ταυτολογία, *ſi vox* Pharao *per ſe Regem ſonaret* †. Ne igitur huc congeramus, quæ à Doctis Viris ſcripta & diſputata ſunt de hoc nomine; mihi ſimpliciſſimum & facillimum dictu

Quæ tamen ſententia ſeponitur, & de *Coptica* Lingua quædam obſervantur.

Bochartus laudatur.

a *Phaleg.* Lib. II. Cap. XXVI. in fine.

† Sic fere ſcripſeram primâ ſtudiorum meorum ætate, &, quod veriſimilia viderentur, in poſterioribus hujus Libri Editionibus ſcripta reliqueram. Intellexi tamen nuper, ex *Bibliotheca delecta* Cl. Clerici, Eruditum Virum & de litteris bene meritum, Guilielmum Bonjourium, Toloſanum, in *Exercitatione* quadam in *Monumenta Coptica*, ſive *Ægyptiaca Bibliothecæ Vaticanæ*, edita *Romæ Anno penultimo* Sæculi ſuperioris, ſententiam hanc meam ad examen vocaſſe, &, cum ſcripſiſſem, mihi parum probabile videri, Pi aut Phi apud Ægyptios Veteres uſu fuiſſe receptas pro *articulis* præpoſitivis, quem obtinent in *Coptica* ſive *Ægyptiaca* recentiore, conatum eſſe hanc hypotheſin firmare & adſtruere ex antiquis quibuſdam Nominibus Ægyptiis, quorum in ſacris mentio fit, veluti, פי החירות / *Pi-hachiroth*, quod alias etiam ſcribitur, החירות / & פתם *Phithom*, ſive *Pithom*, quæ fuit inter Urbes apothecarias Pharaonis; nec non פי בסת *Pi-beſeth*, quam Græci *Bubaſtum* vocarunt. Perſtat itaque pariter in ſententia, quæ ſtatuit, nomen פרעה Pharao idem eſſe quod Πουρο, vel Πιουρο, nempe compoſitum ex πι & ουρο, quod Ægyptiis *Regem* ſignificaverit. Equidem lubens patior id dici, & demonſtrari, &, ſi verum ſit, evinci; nec ſperno exempla, in medium allata; quæ ſi plura eſſent, & his clariora, ſen-

Tom. XV. Art. IV. §. III. p. 242.

Exod. XIV. 2. Num. XXXIII. 7. Exod. I. II. Ezech. XXX. 17.

ctu videtur, nomen פרעה deſcendere à פרע/ quod Hebræis eſt *liberum*, *ſolutum eſſe*, *denudare*, *detegere:* unde פרע *cæſaries, capillus promiſſus.* Illud etymon egregie ad rem facit. Reges in Oriente, ſive tales fuerint ex inſtituto, ſive ſibi per tyrannidem viam ſtraverint ad illam dignitatem, fuerunt plerumque *liberi*;

ſententiæ hujus probabilitatem viderentur poſſe commendare. Interim obſervari velim, α. Exempla, à Viro Cl. hic producta, pauciora eſſe quam ut fidem facere poſſint huic conjecturæ: etſi interea cum Exercitationem ipſam mihi videre non contigerit, incertus ſim, an forte produxerit plura. Imo vero ſi receptus fuiſſet Ægyptiis Veteribus hujus articuli uſus in appellatione Nominum: probabile habeo, illius rei argumenta longe copioſiora in ſacris, & Monumentis Veterum, extitura eſſe. quod tamen aliter ſe habet. Nomina Ægyptia antiqua, quæ mihi tumultuariâ operâ abſque accuratiore indagine hæc pauca in chartam conjicienti nunc obverſantur, & paſſim ſatis nota, ſunt, TSOAN, (Tanis) TACHPENES (Daphnæ) SIN, (Peluſium) NILUS & SCHICHOR, NO-AMMON, (Thebæ) NOPH ſive MOPH, (Memphis) THOYTH [Exod. 1. 11.] (Mercurius) RHAMESIS, (notum ex Scriptura, & fragmentis Manethonis:) Pharao NECHO & HOPHRA, SESAC, RAHAB, (Delta:) ABARIS, (apud Manethonem,) MIGDOL, AVEN, (Heliopolis,) GOSEN, MOSE, MAN, JANNES, JAMBRES, & quæ his ſimilia alia, in quibus nullus uſus eſt hujus articuli. Si quis jam conſulere velit Dynaſtias & fragmenta Manethonis, Herodotum, Diodorum Siculum, Strabonem, & Veterum alios, exempla his adjiciet, quot volet, alia, uſque quo ſatias modum poſuerit diligentiæ. β. Inter ſpecimina à Viro Cl. producta unicum modo eſt, quod ſe probabili cum ſpecie commendat, nempe, פי בסת PHI-BESETH, ſive *Bubaſtus.* nam quod ad cætera; imago veri in iis eſt obſcurior, aut etiam nulla. Quod enim primo attinet ad nomen, *Pi-hachiroth*, (quæ una fuit ex ſtationibus Iſraëlitarum, ex Ægypto ſe moventium verſus Sinum Arabicum; & quidem mari proxima:) voculam פי *Pi* vel *Phi* hic non fungi vice articuli, inde ſatis liquet, quod nomen ipſum alibi [Num. xxxiii. 8.] החירות HACHIROTH ſcribatur; in quo nomine litera ה Hebræorum more vicem obtinet *articuli.* Nomini autem geminum præfixum eſſe articulum, diverſi generis, non ſit probabile. *Montes*, proximi mari Rubro ſive Sinui Arabico, dicti haud dubie fuerunt חירות/ & cum præpoſitivo החירות/ ut ego quidem exiſtimo, à חור *albeſcere*, vel חרר *aduri*, ſive quod cum objecti eſſent Ægyptiorum reſpectu Orienti Soli, viſi ſint *albeſcere*; ſive quod maximus in iis [Vide Cl. Cler. ad Exod xiv. 2.] *ureret* æſtus. Vox autem פי hic, ut jam obſervarunt Viri Docti, commodiſſime ſumitur pro *oſtio*, ſive *meatu* anguſtiore horum Montium per quem iter ad mare patebat; recepta apud Hebræos & Orientales etiam cæteros, ut videtur, vocis ſignificatione. In voce

פנה/

liberi; Populus, illis ſubjectus, *ſervus*. Diodorus Siculus[a] concedit quidem, reliquis fere per Orientem Regibus fuiſſe poteſtatem ἀνυπεύθυνον & αὐτοκρατορικὴν, ſed *Ægyptios* tamen *Reges* nobis depingit tanquam quorum poteſtas Legibus circumſcripta & limitata eſſet. Πρῶτον μὲν, ait, τοίνυν οἱ βασιλεῖς αὐτῶν βίον εἶχον οὐχ ὅμοιον τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐν μοναρχικαῖς ἐξουσίαις οὖσιν, καὶ πάντα πράττουσι κατὰ τὴν ἑαυτῶν προαίρεσιν ἀνυπευθύνως, ἀλλ' ἦν ἅπαντα τεταγμένα νόμων ἐπιταγαῖς.

Regum & ſubditorum conditio apud Populos Orientales, maxime Ægyptios.

I 3 Du-

a Lib. I. p. 65.

פתם / quam Maſorethæ legi voluerunt Pithoom, non occurrit illud פי Pi vel Phi, niſi ex punctatione Maſoretharum, qui tamen in punctandis *Nominibus Propriis* ſuo uſi ſunt ingenio & arbitrio, nec ſemper ſumma peritia, quam alias in iis nemo deſideret. Fieri tamen poteſt, hanc fuiſſe receptam vocis lectionem, cum Lxx Intt. hic pariter legerunt Πειθώ. Herodotus nihilominus eandem hanc vocem enunciavit Πάτουμος, ut jam obſervavit Bochartus; &, demptis punctis, abſque traditione certa nemo eam *Pithoom* legeret: ſed potius *Pethoom* vel *Pathoom*. ſi enim *Pithoom* legendum ſit: *Jod* vix poteſt abeſſe. Dici igitur poteſt abſque ulla hæſitatione, vocem hanc formatam eſſe ex *tribus* hiſce *radicalibus*, & vere ſimplicem: licet illius ſignificatio nobis nunc non pateſcat. In voce autem פרעה Pharo, ut Maſorethæ eam legi volunt, multo adhuc minor eſt hujus compoſitionis ſpecies. *Pi* enim vel *Phi* in enunciatione non ſubauditur. Ergo reſtat ſola vox פי-בסת Pi-beset. quam compoſitam eſſe, nolim negare. & multo tamen mihi probabilius fit, voculam פי eandem hic obtinere poteſtatem quam in voce *Pi-hachiroth*, & deſignare *os* vel *oſtium*. ad cujus interpretationem veram accuratior *Bubaſti* & *Bubaſtini* ſoli notitia plurimum conferret. Certe quod qualecunque nomen, etiam Ægyptium, à *Pi* vel *Phi* incipiat: inde neutiquam ſecure colligi patiar, eſſe hanc voculam pro *articulo* accipiendam, cum vel reddere poſſit Hebræum פה & in *conſtructo ſtatu* פי / vel literæ hæ in nominibus poſſint eſſe *radicales*, ut in *Pithecuſa* Græcorum. Si quis tamen omnino vellet cum doctiſſimo Bonjourio vocem פרעה conſtitutam eſſe ex פי & רעה: quid facilius cogitatu, quam illud רעה eſſe ipſiſſimum Hebræum nomen, quod notet Pastorem? quod nomen Regum conſtat omnium eſſe antiquiſſimum; tum quoque dulce, & delinificum, invidiam imperii temperans, & priſcæ ſimplicitati congruens; & præterea Populis Orientalibus in deſignandis præfecturis uſurpatum, ut liquet ex voce פרנסים Chaldæa ejuſdem ſignificationis, de quo Bochartus & alii jam monuerunt. Quod ſi ita ſe haberet, etſi diverſa ſententia mihi verior videtur: nihil tamen decederet ſententiæ, quam hic tueor, Linguam Ægyptiam Veterem antiquæ Dialecti Orientalis communis eſſe propaginem.

Hiſt. Lib. II. *Geog. Sacr.* Lib. IV. Cap. XXVII.

Dubium tamen, an hæc abſque diſcrimine admitti à nobis debeant. Nimis pulcra & quæſita ibi refert Diodorus de *Legibus Ægyptiorum*, quam ut antiquiſſimis temporibus convenire poſſint. Sed quocunque etiam modo Veteres illi Ægypti Reges ſe habuerint: hoc ipſo, dum tanquam Reges aliis præfuerunt, illi fuerunt *liberi* & capite quaſi *nudi*; Populus autem, qua ipſis ſubditus & obnoxius, eatenus *libertate* naturali privatus & *ſervus*.

Coma prolixa apud Veteres ſignum libertatis.

Symbolum autem *libertatis* apud Orientales Populos fuit *caput nudum* & *promiſſa cæſaries*; ut contra ſubjectionis & reverentiæ ſignum *comam* habere reſectam, & *caput tectum*. Inde *Tyrannis* adſcribitur in Vaticiniis פרע *longa cæſaries* [a]. Naſiræi quoque hac de cauſſa Lege Divina obligabantur ad *alendam comam*. Naſiraiſmus enim fuit ſymbolum ſtatus perfectæ *libertatis* Filiorum Dei in σχέσει ad Vitia & Concupiſcentiam damnabilem, nobis congenitam. Paulus quidem in *Epiſtola ad Corinthios priore* [b] τὸ κομᾷν *comam alere* videtur interpretari veluti *ſignum ſubjectionis*, & *comam* dicit fœminis datam eſſe tanquam περιβόλαιον *velamentum*: & ex illo principio colligit, eam *Viris* non eſſe decori. Et ſane verum eſt, *comam*, prouti varie & diverſimode accipitur, diverſa ſignificare poſſe. Si *coma* ſive *cæſaries* prolixior conſideretur, tanquam quę *libere* ſecundum naturæ ductum excreſcit, abſque quo reſecetur aut reſcindatur: eſt & eſſe poteſt ſymbolum LIBERTATIS & NATURÆ INDOMITÆ: ſed, ſi *craſſior cæſaries* accipiatur tanquam *capitis tegumentum*: ut Paulus rem contemplatus eſt; tum bene procedit Apoſtoli ratiocinium.

Etſi emblema pro vario reſpectu varie accipi poſſit.

Populi Orientales rem priore modo acceperunt. unde Reges habuerunt *comatos*, ſive *capillatos*. Eſt de eo elegans locus apud Suetonium in Veſpaſiano [c]: *Nam cum inter prodigia cætera Mauſoleum Cæſarum derepente patuiſſet, & ſtella in cœlo crinita apparuiſſet: alterum ad Juniam Calvinam è Gente Auguſti pertinere dicebat: alterum ad* PARTHORUM REGEM, *qui* CAPILLATUS ESSET [d]. Præterquam quod id obſervante Torrentio, ex *nummis* & *lapidum monumentis* liqueat. Putemus itaque, primum Ægyptiorum Regem hoc nomen adſciviſſe, & illud ad Succeſſores ejus, non veluti appellativum aliquod, ſed

a Deut. XXXII. 42. Pſ. LXVIII. 22. b 1 Cor. XI. 14. c Cap. XXIII. d Vide etiam Sueton. in Cal. Cap. V

ſed *proprium* eſſe tranſlatum: ut *Cæſaris* illud apud Romanos ex Proprio factum eſt *commune*.

Tentatur etiam expoſitio nominis אברך ex iiſdem principiis.

X. Non multo major mihi occurrit difficultas in vocabulo אברך / quod extat in hiſtoria Joſephi [a]: *Et vectus eſt ejus juſſu curru ſecundo, qui ipſi erat*, ויקראו לפניו אברך *Et clamarunt coram ipſo*; Abrech. Non lubet referre commentarios bene multos qui de hac voce in mundo ſunt. Syri illud אברך ſumpſerunt pro אבא למלכא *Pater Regis*, quia רך בלשון ארמי מלך Rach *in Lingua Syra* Regem ſignificat, uti Jarchi habet, unde in Talmude: לא ריכא ולא בר ריכא *Non eſt Rex vel Filius Regis.*

Hebræorum Interpretum de hac voce ſententiæ.

Apud eundem Salomonem aliæ etiam habentur opiniones de vera hujus vocis ſignificatione [b]: ובד' אגדה דרש רבי יהודה אברך זה יוסף שהוא אב בחכמה ורך בשנים אמר לו בן דורמשקית עד מתי אתה מעות עלינו את הכתובים אין אברך אלא לשון ברכיים שהכל יהיו נכנסים ויוצאין תחת ידו. *Et in verbis Agada; expoſuit Rabbi Jebuda* Abrech *de* Joseph, *utpote qui* אב Pater *eſſet*, *ſi ſapientiam*, Juvenis *autem & tener*, *annos ſi reſpicias. Dixit autem ei Filius Durmaskit, quouſque tu pervertis Sacras ſcripturas?* Abrech *non alio reducendum, quam ad* genua, (ברך *genu* ſignificat:) *quia nimirum omnes ingrediebantur & egrediebantur ſub manu ejus.*

Verba Aben-Eſræ.

Saniora habemus apud Aben-Eſram, cujus verba, quod non omnibus æque intellectu facilia videri poſſint, deſcribam & transponam: אברך׳ כל אדם קורא לפניו אכרע ואשתחוה וזו המלה מבנין הכבד הנוסף ויברך על ברכיו מחקל וכלם מגזרת ברכיים ויאמ׳ רבי יונה המדקדק הספרדי כי אברך שם הפועל והא׳לף תחת ה׳א כמו אשכם ושלוח Afrech. *Quisquis coram ipſo clamabat; Ego me incurvabo & proſternam coram ipſo* in ſignum reverentiæ. *Eſtque hæc dictio formæ Hiphil. Formam kal habes in Chronicis, ubi de Salomone* [c]: Et genua ſua flexit. *Utrinſque autem ſignificatio deducenda eſt ex voce* ברכי׳ *Genua. R. Jona Gammaticus Hiſpanus vocem* אברך *facit Formæ Infinitivi, ac ſi litera* א *hic eſſet loco* ה / *quemadmodum in loco Jeremiæ* [d]: אשכים pro השכים *Summo mane ſurgendo & mittendo.* Sententia igitur Aben-Eſræ eſt, אברך eſſe *futurum Hiphil*, ſenſu *ingeniculandi*; eſſe autem illam vocem non Præconis Publici, ſed Populi, hac voce teſtantis reverentiam, quam Joſepho debebat. Sed totus contextus, & præcipue ſequentia, arguunt, non

a Cap. xli. 43. b C. ad h. l. c 2 Par. vi. 13. d Cap. xxv. 3.

non Populum, ſed Præcones, hæc verba de Joſepho publice procedente edidiſſe, & reverentiam illi exhibendam omnibus imperaſſe. R. Jona itaque rectius hanc notionem accepit Forma Infinitivi, & interpretatus eſt: *Ingeniculandum, flectenda eſſe genua:* cui interpretationi ſubſcribit Cl. Buxtorfius, quia quod

Commodior de hac voce ſententia.

mox ſequitur נתון eſt *Modi Infinitivi.* Nos tamen potius τὸ אברך accipimus tanquam ſi eſſet *Imperativi Modi* pro Hebræo הברך/ & illud vertimus per: *Ingenicula, Genua flecte.* quomodo inter Hebræos Kimchi, inter Chriſtianos Vatablus, exactiſſimi Vir judicii, Coccejus, Belgæ Interpretes, aliique multi inſtituerunt. Sic flexa prorſus erit vox ſecundum formam *Aphel*, ut apud Chaldæos recepta eſt. Difficultas in contrarium ex voce נתון objecta facile è medio moveri poteſt. אברך enim in hac Oratione eſt vox *Imperii*, & נתון *Expoſitionis* ſive *Declarationis* Voluntatis Regis Pharaonis, quę tanquam ratio hujus Imperii ipſi mandato Regis de reverentia Joſepho exhibenda ſubjicitur.

Producitur etiam vox צפנת פענח/ & ad illius ſenſum detegendum quædam adferuntur.

Veterum & Kircheri de hac voce ſententia.

XI. Major difficultas eſt in voce צפנת פענח: quod nomen Joſepho à *Pharaone* impoſitum eſſe, idem Hiſtoricus refert [a]. Lxx habent ψονθομφανὴχ, quod vocabulum plerique Veteres Judæi, Philo, Joſephus, Paraphraſtæ, & Chriſtiani aliquot Doctores, eos ſequuti, per *futurorum revelatorem* interpretantur. Qui ex Kirchero ſapiunt, ψονθον vel ψοντομ per *futura* & φανὴχ per *vatem* & *augurem* reddunt, unde ψοντονφανὴχ eſſet *futurorum Vates*, id eſt גברא דטמירן גלין ליה *Vir, cui revelantur abſcondita*, uti Onkelos habet. Unde aliqui inter doctos conjiciunt, ψοντονφανὴχ non ſat accurate ſcriptum eſſe in hiſtoria Moſis, צפנת פענח/ ſed expreſſum ſecundum vitioſam pronunciationem, quę apud Judæos, pronunciationis Ægyptiacæ inſolentes, obtinebat. Quæ ſane omnia ſpeciem veri haberent, ſi τὸ צפנת פענח poſteriorum eſſet temporum; vel probari poſſet, verba Moſis ejuſdem ſignificationis in idioma Ægyptium poſterioris ætatis verſa eſſe; quod probatum hactenus non eſt. At, ut verum fatear, non video, cur Iſraëlitæ difficilius צפנון vel צפנן pronunciaſſent, quam צפנת? Ego igitur exiſtimo, τὸ צפנת פענח vere fuiſſe vocabulum Ægyptium, *Joſepho* à Pharaone

a Cap. XLI. 45.

ne impoſitum; tum etiam, *τὸ ψοντομφανὴχ* ex hoc ipſo צפנת פענח ortum eſſe, atque utriuſque expoſitionem ex Hebræa dialecto peti poſſe, etſi eos, qui id tentant, *argute ridiculos* dixit Calvinus & poſt ipſum Joh. Gregorius [a], cujus erudita ad hanc vocem eſt diatribe. Liceat tamen nobis rem tentare. צפן Ebræis eſt *κρύπτειν*, *tegere*, *abſcondere*, *occultare*, unde צפנת *abſconditum*, *occultum*. פענח forte duci poſſet ex פנה / quod *aſpiciendi*, *inſpiciendi*, *contemplandi*, gaudet ſignificatu. Fieri enim poteſt ut ה in fine durius pronunciatum fuerit Ægyptiis, quam Ebræis, plane uti ה notatum cum *Mappick*. פנה igitur ſecundum illam hypotheſin mutatum eſt in פנח. At unde ortum τὸ ע medium inter פ & נ? Veteres literis אוי״ע loco vocalium uſi ſunt, cum vocalia puncta nondum eſſent adinventa, atque hinc abſque abſurditate ſtatui poteſt, literam ע in voce פענח fungi officio vocalis, vel *a* vel *e*. Secundum hanc itaque duarum harum vocum conſtructionem צפנת פענח eſſet *abſconditorum*, *occultorumque contemplator*, *ὀνειροκρίτης* & *κρυπτῶν εὑρετής*, ut Philo atque Joſephus voluerunt. Qui enim ex Coptica Lingua hujus interpretationem nominis quærunt, hoc falſum ponunt principium, quod Coptica Lingua Veteri Ægyptiæ ſimilis fuerit. Sed quid ſi vox פנח cum multis aliis Hebrææ Linguæ periiſſet? Supereſt apud Arabes vox פנאח ſignificatu *reſervandi*, *cuſtodiendi*. Quid ſi igitur צפנת פענח veteremus: *Qui arcana mente ſua clauſa reſervat*. Nihil in eo vitii: imo utrumque Joſepho bene quadrat.

Tentatur interpretatio illius ex Lingua Hebræa.

XII. Vocabulum סהר [b] Ægyptium etiam eſſe, non Hebræum, exiſtimavit R. Abraham, quia explicationis gratiâ adjicitur, מקום אשר אסורי המלך אסורים. Origo ejus ex Lingua Ægyptia hodierna oſtendi non poteſt, ſed quærenda in Arabica, ubi סהר *vigilavit*, & *in vigilia detinuit*. Unde colligimus, סהר *turrim* notare *rotundam*, quæ cuſtodiæ & vigiliæ deſtinata eſt [c]. Animadverſum quoque jam dudum, *Nilum* ortum eſſe ex נחל. Pro *Nahal* enim ſive *Naal* Syri & Ægyptii dixere *Neel*: ui Phœnices aliique pro *Bahal* ſeu *Baal*, *Beel*. Sicut igitur ex *Beel Bel*, unde Βῆλος: ſic & ex *Neel*, *Nel* vel *Niel*, unde Νεῖλος.

Monentur etiam aliqua de voce סהר.

K Sed

a Obſervat. Cap. XVI. b Gen. XXXIX. 20. c Confer Cantic. VII. 3. & vide Cl. Heideggerum Part. II. Exercit. XX. §. VII.

Et adſeruntur aſia certiora documenta Nominum Ægyptiorum ex Hebræa Lingua explicandorum.

Sed & Mela tradit [a], Nili fontem in Æthiopia ab incolis nuncupari *Nuchul*, haud dubie à נחל unde Νεῖλον deducimus [b]. Porro de משה *Moſe* ego equidem non dubito quin ſit ipſiſſimum illud nomen, quo Moſes à Pharaonis Filia ſignatus ſit. Id vero nomen manifeſte ductum eſt à voce משה / quę Hebræis eſt *educere ex aquis*, demonſtrante Bocharto [c]. Vox כנה *planta* in Pſalmis Davidis [d], quam *Ægyptiam* eſſe idem Vir Eruditus bene conjecit, commode referri poteſt ad vocem כון / quando ſignificabit *plantam firmam*, *ſtabilem*, *maſculam*, qualis eſt illa *vitis generoſioris*, ad quam in illo Pſalmo reſpicitur. Alibi vocabulum ὑκζῶς, quod Joſephus [e] interpretatur per βασιλεῖς ποιμένας, *Reges Paſtores*, ſcite derivat à voce hebræa חק / unde מחקק *Legiſlator*, ἡγούμενος. Certe veſtigium evidentiſſimum Dialecti Hebrææ, à Chami poſteris in Ægyptum illatæ, & in ea aliquandiu conſervatæ, habemus in Nomine priſco, quo appellatæ ſunt *Thebæ Ægyptiæ*, נא אמון No-Amon, apud Nahumum [f] & Jeremiam [g]. Eſt enim vera vocis interpretatio, *Urbs Hammonis*. Nempe נא debebat plene ſcribi נוא / & נוא eadem vox eſt quæ נוה / mutatis inter ſe gutturalibus, א & ה / quod frequens eſt uſu. Eſt autem נָוֶה Hebræis, *Locus habitationi* aut *commorationi commodus*; Locus habitationis. אמון autem eſt *Ammon*, ſive חם *Cham*, litera ח lenius enunciata. Veteribus Jupiter Hammon. Ita plane ut נינוה eſt *Urbs* Nini, Habitatio Nini. Vox eadem & vetus, quę, pro inſtituto noſtro, ſpeciminis vice ſufficient.

a Lib. III. Cap. X. b Vide rurſus Cl. Heideg. Exerc. III. §. XLI. c Phaleg. Lib. I. Cap. XV. d Pſ. LXXX. 16. e Lib. I. contra Ap. Phaleg. Lib. II. Cap. XXVII. f Cap. III. 8. g Cap. XLVI. 25.

C A-

Caput VII.

Linguarum Græcæ & Latinæ *origines libera oratione indagantur. Quâ occaſione de* Phœnicum & Ægyptiorum *expeditionibus in Græciam diſputatur, proferunturque teſtimonia & exempla, ex quibus conſtare poteſt*, Latinam Gentem & Linguam *ex* Græca; Gentem *vero* & Linguam Græcam *tam ex* Phœnicia *quam ex* Scythica *ortum trahere.*

Æ*Gyptiorum* autem fata poſtquam fuerimus contemplati: par eſt proximum locum Græcis hominibus demus; quorum idioma cum hodie plurimum ab Orientalium linguis differat, mutationis illius originem, & progreſſum, illiuſque rationes, breviter indagare neceſſe erit; & ſimul oſtendere, Linguam Græcam ſuam Orientalium linguis debere originem. Tranſitur ad contemplationem *Linguarum Græca* & *Latinæ.*

II. Ne autem in ambiguo verſetur noſtra hæc diſputatio, ante omnia obſervandum erit, nos *Græciæ*, ſive Ἑλλάδος, nomen hic latiſſimâ accipere ſignificatione pro omni illa Europæ regione, quę hoc nomine vulgo nota eſt & communem tandem habuit unius Linguæ uſum, quę inde dicta eſt *Græca:* modo Italiæ illam partem, quæ Græcia dicta eſt, & Græciam Aſiaticam exceperis. Intelliges igitur nomine Græciæ, tum *Græciam* proprie ſic dictam, quæ ab Iſthmo Peloponneſiaco uſque ad Othrym & Oetam montes extenditur verſus ſeptentrionem, & ab ortu Ægæo mari clauditur: tum etiam Epirum, Theſſaliam, Macedoniam, Peloponnenſum, & Inſulas continenti Græciæ proximas. Per *Græciam* latiſſimo ſenſu ſumptam, quid hic intelligendum?

III. Hæ, inquam, regiones olim claræ, populoſæ, & inſignibus ſapientiæ ac fortitudinis exemplis celebres, una eademque uſæ fuerunt Lingua, variantibus tamen Dialectis: quam *Linguam Græcam* ſatis conſtat plurimum diſtare à *Linguis Orientalibus*, quas Patriarchæ humani generis uſurparunt. Duo ita- Illius Regionis aſpectus ratione Linguæ quæ *Græca* dicta eſt.

itaque hic in diſquiſitionem mitti poſſunt: 1. An probabiliter evinci poſſit, *Græcorum Linguam*, licet ab Hebræa ſive Orientali Lingua Vetere diverſiſſima videatur, vere tamen *Linguæ* illius *Orientalis* habendam eſſe propaginem? 2. An originis Linguæ Græcæ, ejuſdemque variationis à Lingua Orientali, probabilis aliqua dari poſſit ratio? Utrumque videmur poſſe affirmare, &, licet origines Græcæ magnis involutæ ſint tenebris, argumentis idoneis adſtruere.

Quæ Lingua, licet ab Orientalibus Dialectis multum differat, ſtatuenda tamen videtur earum propago.

IV. *Græcam Linguam* vere eſſe *propaginem Linguæ Orientalis*, & ex ea tanquam matre ſua natam, dudum demonſtrarunt Viri Doctiſſimi ex ſumma illa cognatione, quæ eſt inter Linguam Græcam & Hebræam. Præcipuæ enim voces, quas Lingua habet Græca, facili negotio & abſque ulla fere opera duci & explicari poſſunt ex vocibus ejuſdem quoad enunciationem ſoni, & quoad ſignificationem poteſtatis in Lingua Hebræa, ſive Orientali Vetere. Evicerunt illud & exemplis quoque firmarunt, ſive quoad voces ſingulas, ſive quoad integras phraſes, Eruditi in his literis Viri, [a] Matthias Martinius, [b] Guilelmus Burtonus, [c] Abrahamus Mylius, [d] Daniel Heinſius, [e] Mericus Caſaubonus, & noviſſime Cl. Thomaſſinus [f]. quam tamen telam utinam pertexere potuiſſet Parens Merici Iſaacus, Græcæ Linguæ cognitione excellens & neceſſaria ad id inſtructus eruditione! Nos pauca tantum hujus rei ſpecimina in medium proferemus, tanquam quibus minime propoſitum eſt nos in hanc materiam diffundere.

Quod ex variis exemplis evincitur, producto primum loco Clementis Alexandrini.

V. Clemens Alexandrinus hæc alibi ſcripſit [g]: Καὶ Πλάτων δὲ ἐν Κρατύλῳ τὸ πῦρ ἑρμηνεῦσαι βουλόμενος, βαρβαρικὸν φησιν, εἶναι τὸ ὄνομα. μαρτυρεῖ γ' οὖν τοὺς Φρύγας οὕτω καλοῦντας, μικρόν τι παρεγκλίνοντας· *Porro autem Plato in Cratylo, cum* πῦρ, *quod* IGNEM *ſignificat, vellet interpretari, dicit eſſe nomen barbaricum. Teſtatur itaque Phrygas ſic vocantes, paululum quid ab eo declinare.* Veriſſimum profecto illud Platonis eſt, & facile poteſt demonſtrari. Vox אור *uur* Hebræis *ignem* ſignificat. Primum autem *u* ex *uur* ſucceſſu temporis factum eſt mobile, atque hinc deſcendit *vur*, germani-

a In *Cadmo Græco Phœn.* b Orat. 5. de *Hiſt. Linguæ Græc.* c De *Lingua Belg.* d Exercit. 1 in *Nonnum.* e Comment. de IV. *Linguis.* f In *Lexico Hebr.* g Strom. Lib. 1. p. 284.

manicum ſeuwer/ noſtrum vuur & vier. Græci autem cum non haberent *f*, nec *v*, nec antiquiſſimis temporibus etiam habuerint literam φ, nullum literale ſignum reſtabat, quod illud *Vau* potuit adumbrare præter ſolam literam ϖ; quę ipſis uſurpata prima illa ætate, ut Hebræa litera פ/ quæ noſtræ *p* & *ph* reſpondet. Sic τὸ πῦρ Græcorum vere derivatur ab אור hebræo. Sed & ab eodem hoc themate אור/ quod *lucendi* etiam gaudet ſignificatu, deſcendit τὸ ὁράω, ὅραμα, ὁράομαι, ὐρανὸς, ὐράνιος, & Latinum Urere, quæque ſimilia alia ſunt. A vocabulo נוה *commorari* & נוה *habitaculum* ſunt voces ναίω, ναίομαι (quæ uſitatiſſimæ Homero) ναὸς, vel νεὼς, νάω quoque, quod quibuſdam pro ναίω dictum eſt. Ex ברה *comedere*, הברה *cibare*, בריה *edulium*, ſunt: Βρωτὸς, Βρώσιμος, Βρῶσις, Βρωτικός. Ex כביר *potens*, *validus*, κάβειροι *Dii Samothracum*. ἀπὸ τῦ מחה *percutere*, *ferire*, deſcendunt μάχη, μαχηλὸς, μάχομαι. Ex פתה *decipi*, *errare*, ἀπαθᾶν. nec non πείθω, πείθειν, *ſuadere*, *perſuadere*. Ex במה *celſum collis habens altare*, βωμός. Ex אב *Pater* & אם *Mater*, Πατὴρ, & Μήτηρ. Ex ידע *ſcire*, antiquum δάω, ſive δαίω, unde δαίμων. τὸ שבט originem dedit vocabulis σκῆπτρον, σκήπτω, σκήπτομαι. Litera enim ρ non eſt de eſſentia vocis. Hinc *Dorice* σκᾶπτον. Pindarus ΟΛΥΜΠ: Α.

> θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει
> σκᾶπτον.

Ab קרן *cornu* eſt κέρας; à סגר *claudere* eſt σόμαος; ab אחה Blandientis vocula ſecundæ perſonæ, *Homericum* ἄττα. & abjecta priore ſyllaba, Græcorum σὺ, Latinorum *tu*, Belg. Du. Articuli præpoſitivi ὁ, ἡ ſunt ex Hebræorum הוא & היא. & inde pariter Latinorum, *hic*, *hi*, Belg. Hy. Voculæ, *es*, *eſt*, *eſſe*, ex Hebræorum יֵשׁ *eſt*, quod ſcribitur אש in notabili loco Michæ [a] ubi eſt האש, quod אש ſive יֵשׁ eſt ipſiſſimum Belgicum, Is. pariter ut ex אלה Latinorum *illi*, ſive, ut olim pronunciabant, *oli* & *olli*. Sed tu harum rerum cupide inſpice præter auctores quos modo laudavi, Viros Doctiſſimos, *Lexicon* utiliſſimum & optimo cum judicio inſtructum Joannis Avenarii, cujus induſtria ſi uti non pigeat: ex doctis & ingenioſis ejus conjecturis, quarum pleræque animadverſione digniſſimæ

 ſunt,

a Cap. VI. 10.

ſunt, & multæ ſolidę, (quis enim id de omnibus exſpectet?) tantum tibi colliges acervum, quanto majorem non deſideret Mercurius.

Excipiuntur tamen his vocibus hebrææ quæ ex Græcis aut Latinis fontibus manant.

VI. Animadvertendum tamen eſt, ordine horum vocabulorum, quę ab Hebræis ad Græcos tranſierunt, omnino ſecludenda illa eſſe, quę Hebræi à Græcis ſequioribus demum temporibus acceperunt. quod tamen à quibuſdam neglectum obſervavimus. Abrahamus ſane Mylius in docto libello, cui titulus eſt: *Lingua Belgica*, ſpecimen exhibiturus vocabulorum, quæ communia ſunt *Linguæ Hebrææ* & *Græcæ*, ejuſmodi quædam aliis intermiſcet, quę Hebræi vel Chaldæi poſteriori ætate, qua corrumpi cœpit eorum Lingua, à Græcis acceperunt, nequaquam vero Græci ab Hebræis. Uti סמפניה / quod occurrit *Dan.* III. 5, 10, 15. & reſpondet Græcorum συμφωνία. פסנתרין / quod convenit cum eorum ψαλτήριον. סנהדרין / quod ipſiſſimum eſt συνέδριον; מושב הדיינין uti illud interpretantur Hebræi. Sed profectò omnia hæc vocabula mere Græca ſunt, quorum nullum in contextu Hebræo reperitur, at, quæ Chaldæi, & dein Hebræi magno ſatis numero in ſermonem ſuum receperunt, quando ipſos inter Græcos habitare, cumque iis uſurpare commercia tentaverunt; imo, cum Græce loqueretur univerſus Orbis, quas voces peculiari Lexico congeſſit & expoſuit Eruditiſſimus Vir, David Cohen de Lara, in Libro, qui inſcribitur עיר דויד / ſive, de *Convenientia vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis*, & *quibuſdam aliis Linguis Europæis*. Quę Græcę & Hebræę Linguæ convenientia noſtrum propoſitum nulla ratione juvat, cum nos Hebræorum vocabulorum curam habeamus, non Rabbinicorum; Græca quoque ab Hebræis, non verò Rabbinica à Græcis deducamus †.

VII. Quod

† Occurrunt equidem præter hæc exempla quædam vocum in aliis Monumentis Scripturæ V. T. Exoticarum, ſive quæ vere tales ſint, ſive quæ non ſunt, ſed eſſe videantur, de quibus cum ſtatutum aliquando eſſet componere Diſſertationem peculiarem: mutavi poſtea conſilium, viſumque nunc eſt commodius, quæ non magna opera collecta ſunt, hic apponere, ut aliis queis ingenium in his exercere placet, præbeant meditationis materiam. Sunt autem hujuſmodi. Vox μάχαιρα videtur occurrere in Vaticinio Jacobi de poſterorum ſuorum fatis; ubi

de

VII. Quod autem exempla hæc nos docent, quæ haberi debent pro argumento in hoc genere rerum optimo; id quoque patet ex teſtimoniis Auctorum Veterum, qui de Originibus Græcis ſcripſerunt. Tradunt illi, 1. Græciam ſecundum illius regionis potiſſimam partem cultam inhabitatamque eſſe à Bar-

Favet quoque huic hypotheſi hiſtoria antiqua, quæ docet, Græciam magnam partem à Populis Barbaris occupatam eſſe.

de cæde à Simeone & Levi perpetrata in Sichemitis: כְּלֵי חָמָס מְכֵרֹתֵיהֶם *Inſtrumenta violentiæ ſunt eorum* MACHÆRÆ, ſive *gladii*. Varias conſtat de hac voce, & genuina ejus ſignificatione, extare in mundo ſententias & conjecturas Eruditorum. Hebræi ipſi paſſim *Græcam* eſſe contendunt. Docti ex noſtris, inter quos alibi quoque Ligtfootus, id repudiant, quod à ratione alienum ſit, Græcam vocem orationi Jacobi immixtam eſſe, quippe quæ non erat illius ævi. Vertunt itaque aliter, ſed varie; *conſilia illorum. inhabitationibus illorum. fraudes eorum. deſponſationes eorum*, ne nunc alia adducam. Sed ſic ſatis certum eſt, pleraque horum longius eſſe petita, nec commode ſatis applicari ad *inſtrumenta violentiæ*. Si quid tamen horum probandum eſſet: præferrem illud, *deſponſiones illorum*, ſignificatione vocis petita à Chaldæis: cujus & Cl. Heideggerus fecit mentionem. Quæro nihilominus, cur fugiant hic loci Interpretes tantopere vocem μάχαιρα, quam nemo negat, hic commodiſſime adhiberi? Præcipua haud dubie ratio eſt, quod exiſtiment, vocem eſſe vere Græcam, & Græcæ originis, quippe quæ nihil commercii habeat cum voce *radicali* מכר *vendidit*, unde videtur deducenda eſſe, ſi hebræa ſit. Atqui Grotius jam monuerat, eſſe *Perſicam*. ſed & hoc ſpretum eſt. Ergo dicam, ex mea ſeutentia vocem vere eſſe hebrææ originis, & formatam à themate כור vel כרה / quod ſignificat *fodere*, *perfodere*, *confodere*; quæ ſignificatio voci propriiſſime convenit, ut quiſque ſentit. ut adeo vox מכרה / Græcis μάχαιρα, ab Hebræis ad Perſas, & Græcos tranſiverit. Aliud eſt exemplum in voce פִּלֶגֶשׁ / quæ pariter in *Geneſi*, & alibi occurrit, pro *concubina*, eſtque ipſiſſimum Græcorum παλλακή ſive παλλακίς, & Latinorum, *Pellex*. Dixeris itaque, eſſe vocem Græcam? Non dixerim: ſed potius cum Voſſio, Græcam ex hac voce formatam. quod idem ille contendit ſtatuendum de voce *pellex*, formata à παλλακή, ſecundum ſententiam A. Gellii. quod nunc accuratius diſputare nolim. Idem utique tenendum de notione ערבון / Græcis, ἀῤῥαβὼν, quæ nihil minus in primo Moſis Libro occurrit. Etiamſi enim Græca eſſe videatur: eſt tamen pure hebræa à ערב *miſcere*, quod hoc in caſu ex *cognatis*, quæ in *Lexicis* videri poſſunt, evidenter liquet. pariter ac vocabulum עדן / quod ipſiſſimum eſt Græcorum ἡδονή, mere Hebræum eſt; de quo nemo dubitat. Subtilius diſputari poſſet de voce אולם / quæ ut occurrit *Gen.* XXVIII. 19. recte videtur verti per Latinum *Olim*, & idem ſonat quod ad

Gen. XLIX. 5.

In *Erubim*, Cap. XXXIII.

Cap. XXXVI. 12.

In *Etymol.*

N. A. Lib. IV. Cap. III.

Gen. XXXVIII. 15.

Gen. II. 15.

Barbaris, hoc eſt, Populis Orientalibus, qui ſuam certe Linguam, hoc eſt, Orientalem in Græciam intulerunt. 2. Antiquiſſimos Græciæ Populos eoſdem fere mores habuiſſe & ritus, quos Orientales. De quibus operæ pretium eſt paulo diſtinctius diſputare ſecundum mentem Scriptorum Veterum, quatenus nos eam ſumus aſſequuti.

Ubi producitur teſtimonium Strabonis. VIII. Græciam, maximam partem à Barbaris, h. e. Orientalibus Populis eſſe occupatam, luculentus teſtis eſt Strabo, cujus

ad enunciationem. Gravis ſuper ea controverſia intercedit Iſaaco Voſſio cum Doctorum aliis qui Verſionem Lxx-Viralem in hoc loco inſtituerunt poſtulare vitii. quæ mihi nunc non ſedet repetere & diſcutere. Exiſtimo tamen, licet faveant ſonus & ſignificatio, illud אולם in hoc loco recte verti poſſe per *quidem*, ut ſumitur in aliis locis, ſive, *equidem*, ut ſit nota aſſeverationis, vel completiva. etſi ſi pro *prius* vel *olim* ſumeretur: ne tum quidem deſineret eſſe hebræa, in qua Lingua אולם alia ſignificatione, *veſtibulum*, *porticus*, dicitur; prior pars Domus. ut adeo אולם vere poſſit ſignificare *prius*, *anterius*. כנר / quæ occurrit notio *Pſ.* xxxv. 3. eſſe *gladium* quo cominus pugnabatur, Xenophonti σάγαρις, jam plures ex Doctis viderunt; ſed cujus interpretatio vocis ex Hebræa pariter Lingua commode tentari poteſt; non ita quod *vagina* tegatur, ut aliqui ludunt, ſed ex *Jud.* III. 22. De שריקות / quod occurrit apud
Cap. XIX. 9. Jeſaiam, alibi, ſi Deo placet, ſententiam dicam. פלדות apud Nahu-
Cap. II. 4. mum, ſunt πόπλαλοι, πίλται, *Peltæ*, ut recte Avenarius. פרים / in
2 Reg. XVIII. 17. nomine *Præfecturæ* militiæ Regis Aſſyriorum in Hiſtoria *Libri Regum*, videtur eſſe *ſariſſa*. רפסדות in *Libro Chronicorum* eſt haud dubie Græcum
Kipping. Diſſ. de Exped. Maritim. §. III. ῥαψῳδίαι· *Contextura ratium*, ut Vir quidam Doctus obſervavit. & אדרכנים in eadem hiſtoria eſſe *Nummos Daricos*, memini nuper legere in alterius cujuſdam Viri Eruditi obſervatis, alibi excerptis, in quibus de re *Nummaria* agitur. Nempe erant ejuſdem pretii nummi cujus
1 Par. XXIX. 7. *Darici*, Scriptori Libri *Chronicorum* noti. In his nulla eſt difficultas. Quo enim tempore digeſti ſunt Libri *Chronicorum*: ex commercio Gentium vocabula plura, licet quod ad originem alterius Linguæ, cœperunt eſſe communis uſus. Imo jam longe ante illud tempus. Phœnices enim, ut navigationibus ſuis longe lateque excucurrerunt, & ſuæ Linguæ vocabula in alias Gentes & loca intulerunt, ita viciſſim voces notiores & ſingularis uſus, (volo dicere, technicas,) aliarum Gentium ad ſuos tranſtulerunt; unde illas receperunt Judæi, quibus ſub Davide & Salomone cum Tyriis fuit commercium: nec dubito adeo ullus, quin
2 Sam. VIII. 18. voces in militia Davidica receptæ, הכרתי והפלתי *Crethi* & *Phlethi* ſint exoticæ, facilis indaginis: ſed capit me jam horum ſatias; & ægre huc diverti.

cujus hæc ſunt verba [a]: Ἑκαταῖος μὲν οὖν ὁ Μιλήσιος περὶ τῆς Πελοποννήσου φησὶν, ὅτι πρὸ τῶν Ἑλλήνων ᾤκησαν αὐτὴν βάρβαροι· σχεδὸν δέ τι καὶ ἡ σύμπασα Ἑλλὰς κατοικία βαρβάρων ὑπῆρξε τὸ παλαιὸν, ἀπ' αὐτῶν λογιζομένοις τῶν μνημονευομένων. Πέλοπος μὲν ἐκ τῆς Φρυγίας ἐπαγαγομένου λαὸν εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Πελοπόννησον, Δαναοῦ δὲ ἐξ Αἰγύπτου, Δρυόπων τε καὶ Καυκώνων καὶ Πελασγῶν, καὶ Λελέγων, καὶ ἄλλων τοιούτων, κατανειμαμένων τὰ ἐντὸς Ἰσθμοῦ, καὶ τὰ ἐκτὸς δέ. τὴν μὲν γὰρ Ἀττικὴν οἱ μετ' Εὐμόλπου Θρᾷκες ἔσχον· τῆς δὲ Φωκίδος τὴν Δαυλίδα, Τηρεύς. τὴν δὲ Καδμείαν οἱ μετὰ Κάδμου Φοίνικες. αὐτὴν δὲ τὴν Βοιωτίαν, Ἄονες καὶ Τέμβικες καὶ Ὕαντες. Καὶ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων δὲ ἐνίων τὸ βάρβαρον ἐμφαίνεται, Κέκροψ, καὶ Κόδρος, καὶ Αἴκλος, καὶ Κόθος, καὶ Δρύμας, καὶ Κρίνακος· οἱ δὲ Θρᾷκες καὶ Ἰλλυριοὶ καὶ Ἠπειρῶται, καὶ μέχρι νῦν ἐν πλευραῖς εἰσιν· *De Peloponneſo Hecatæus Mileſius tradit, eam* ANTE GRÆCOS *fuiſſe habitatam à* BARBARIS. *Et quidem fere* TOTA GRÆCIA ANTIQUITUS BARBARORUM FUIT SEDES, *quod ex his ratiocinari licet, quæ memoriæ prodita ſunt. Nam & Pelops è Phrygia ſecum adduxit populum in denominatam ab ipſo Peloponneſum, & Danaus ex Ægypto: & Dryopes, Cancones,* PELASGI, *Leleges, aliique eorum ſimiles intra Iſthmum ſita obtinuerunt: quin & ea quæ ſunt extra Iſthmum. Atticam enim Thraces, qui cum Eumolpo venerant, poſſederunt: Daulidem Phocidis Tereus: Cadmeiam Phœnices, Cadmi comites: ipſamque Bœotiam Aones, Tembices, atque Hyantes. Quin & nomina quædam barbariem præ ſe ferunt, ut Cecrops, Codrus, Æclus, Cothus, Drymas, Crinanus. Tum Thraces & Illyrii & Epirotæ etiamnum Græciæ cingunt latera.* Per Barbaros Strabo intelligit eos, qui Græca nec ſciebant, nec pronunciabant recte, id eſt, gentes ut plurimum Orientales. Ita ipſe alibi [b]: Βαρβαρίζειν γὰρ ἐπὶ τῶν κακῶς Ἑλληνιζόντων, οὐκ ἐπὶ τῶν Καριστὶ λαλούντων εἰώθαμεν λέγειν.

IX. Manifeſtum eſt ex his verbis, Strabonem Græciæ antiquæ dare incolas diverſi generis, quos ipſe ab invicem probe diſtinguit, GRÆCOS, & BARBAROS. *Græcos* quidem, ab Hellene Deucalionis Filio dictos deinceps ἕλληνας, qui veri & germani ſint Græciæ incolæ: *Barbaros* autem, (meâ quidem ſententiâ:) qui expeditionibus ex Oriente, h. e. Ægypto, Phœnicia, & Aſia in Græciam ſuſceptis, terras illas, ſive intra Iſthmum;

Qui Strabonis locus relegitur & exponitur.

a Geogr. Lib. VI. p. 222. b Lib. XIV.

mum, ſive extra Iſthmum, occuparunt & repleverunt. Inter *Barbaros* autem cenſet quoque *Pelaſgos*, inter vetuſtiſſimos & primos Græciȩ Populos.

Herodoti ſimilis eſt ſententia.

X. Herodotus de antiquiſſimis Græciȩ incolis loquens, duplicis eos facit generis, *Hellenas*, Græcos, & *Pelaſgos*: quorum illi ſtabilem in Græcia ſedem habuerunt, hi vero valde multumque ſint vagati. *Pelaſgos* autem illos ipſe facit *Barbaros*, & Barbara ait uſos fuiſſe Lingua, ſed deinceps adoptaſſe Linguam Græcorum, ut adeo illa Lingua, qua tota deinceps Græcia uſa eſt, in Doricam & Jonicam Dialectum (hæ enim inter Dialectos præcipuæ erant:) diſtincta, ſit Lingua vetuſtiſſimorum Græciæ incolarum ἑλλήνων. Locus Herodoti eſt animadverſione digniſſimus, cujus partem faciunt hæc verba [a]: *Cæterum* QUA LINGUA PELASGI SINT USI, *pro certo affirmare non poſſum: ſed ex conjectura licet dicere, ejus Linguæ fuiſſe, cujus ſunt hodie ii ex Pelaſgis, qui ſupra Tyrrhenos urbem Creſtonem incolunt, & olim finitimi erant illis, quos nunc Dores vocant: tum videlicet, cum eam quam nunc appellant Theſſalicam regionem incolebant: & ii quoque Pelaſgi, qui Placiam & Scylacen condiderunt, & Athenienſium conturbernales fuerunt.* Εἰ τούτοισι τεκμαιρόμενον δεῖ λέγειν, ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες· *Quibus ſignis conjectantes oportet dicere,* PELASGOS BARBARA LINGUA FUISSE. Sequitur: Εἰ τοίνυν ἦν καὶ πᾶν τοιοῦτον τὸ Πελασγικὸν, τὸ Ἀττικὸν ἔθνος ἐὸν Πελασγικὸν, ἅμα τῇ μεταβολῇ τῇ ἐς ἕλληνας, καὶ τὴν γλῶσσαν μετέμαθε· *Et ſi tota Gens Pelaſgica talis erat, Atticam, utpote* PELASGICAM, *quum in Hellenes tranſiit,* LINGUAM SIMUL ILLORUM PERDIDISSE. quam nimirum Hellenes, ut mox addit, ſemper eandem ſervarint.

Verba ejus.

Et pariter Thucydidis.

XI. Thucydides in initio Hiſtoriæ ſuæ de vetuſtiſſimis Græciæ incolis differens manifeſte etiam diſtinguit inter *Hellenes* & *Barbaros*, hoc eſt, Pelaſgos aliaſque Gentes, quæ Græciam inſederint. Illos Populos prius ſuo nomine diſtincto vetuſtis temporibus eſſe deſignatos [b]: Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ φθιώτιδι ἰσχυσάντων καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις, καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι ἕλληνας· *Hellene autem* (Deucalionis Filio:) *ejuſque liberis in Phthiotide rerum potitis, & eas gentes emolumenti gratia in alias civitates adducentibus, ſingulos jam maximę*

Verba ejus.

a Clio, p. m. 23. b Lib. 1. p. 2.

xime propter Linguæ commercium (ſic Valla: ſed videtur potius ὁμιλία hic ſignificare in genere *qualecunque commercium:*) *Græcos eſſe vocatos*. Reliquos autem Græciæ incolas, Græcis illis, qui primi Hellenes fuerunt in Græcia, contradiſtinctos, fuiſſe *Barbaros*, ut fuerunt Pelaſgi aliæque Gentes, clare ſatis indicat Thucydides, quando in ſequentibus ait, Homerum illos Populos, qui nempe vere erant Barbari, non tamen hactenus vocare Barbaros, *quod hactenus Hellenes in unum nomen, Barbaro oppoſitum, non conceſſiſſent*. Summa eſt: Populos illos, qui Græciam repleverunt, maximam partem fuiſſe *Barbaros:* exceptis non multis aliis, qui vere erant Hellenes, & in quorum Linguam *Barbari* illi, h. e. Orientales Populi tranſierunt.

Quorum exponitur ſenſus.

XII. Sed quinam illi antiqui Græciæ incolæ *Barbaris* oppoſiti, vel contradiſtincti? Liceat de eo modeſte noſtram proferre ſententiam. Qui fidem habent Hiſtoriæ Sacræ, non dubitant, quin humanum genus primum ſatum ſit in Oriente, & inde diſperſum in alias hujus Mundi regiones. In Græciam autem homines ex Orientalibus Terris venire potuerunt triplice via: vel quod ex inferiore Aſia trans Boſporum vel Helleſpontum (ſi ſupponamus, quod mihi ſupponendum non videtur, Fretum illud, quod Aſiam ab Europa dividit, ſemper in rerum natura extitiſſe:) in Græciam trajecerint: vel quod navibus ex Phœnicia & Ægypto in Græciam vecti ſint; vel, quod ex Scythia Aſiatica in Europæam transgreſſi, legentes adverſa litora Ponti Euxini, *trans Hæmum montem* ex Septentrionali climate per Thraciam & Macedoniam in Theſſaliam venerint. Prior via multo erat facilior: ac proin exiſtimandum eſt, longe maximam partem eorum mortalium, qui Græciam occuparunt, inter quos celeberrimæ ſunt expeditiones Cecropis, Danai, & Cadmi, hac via in Græciam veniſſe: quos Scriptores modo memorati Barbaros vocant: Poſterior impeditior & difficilior; qua tamen uſos eſſe putem, quos iidem Scriptores nobis depingunt Græciæ incolas Barbaris oppoſitos, & Lingua ab iiſdem diviſos: in quorum nihilominus Linguam Barbari illi tranſierint. Quam ſolidum fructum ex hac obſervatione percipere poſſimus: mox liquebit. Nunc modo ſuffecerit, probaſſe nos, maximam Græciæ partem ab Orientalibus Gentibus & Coloniis eſſe occupatam.

Quinam autem & unde illi ſint Græciæ incolæ, quos antiqui Hiſtorici *Barbaros* vocant, inveſtigatur.

Quot viis antiqui Orientales venire potuerint in *Græciam*.

Inter anti quos Græciæ Populos & Orientales magna fuit inſtitutorum & morum convenientia.

XIII. Ut vero Græcia magnam partem repleta eſt hominibus, qui eo ex Oriente per Aſiam aut navibus vecti migrarunt: ſic certe inter antiquiſſimos Græciȩ Populos & Orientales maxima fuit inſtitutorum ac morum ſimilitudo & cognatio. Teſtem habemus gravem Auctorem Thucydidem, qui ubi de antiquis quibuſdam conſuetudinibus Græcanici Populi diſſeruiſſet, orationem ſuam in hunc modum claudit[a]:

Teſtimonium Thucydidis.

Πολλὰ δ' ἂν καὶ ἄλλα τις ἀποδείξειε τὸ παλαιὸν ἑλληνικὸν ὁμοιότροπα τῷ νῦν βαρβαρικῷ διαιτώμενον· *Multis præterea aliis in rebus oſtenderit quis, Græcos Veteres eodem modo, quo & Barbaros, qui nunc ſunt, vitam inſtituiſſe.* Luculentum utique præter alia illius rei habemus argumentum, quod Græci antiquiſſimi pro more Populorum Orientalium *ſiniſtrorſum*, (à dextra ad lævam:) *ſcribere* ſoliti eſſent.

Etiam in more ſcribendi à ſiniſtra ad dextram.

Pauſanias[b]: *Olympiæ Agamemnonis ſtatuæ adſcriptum eſt nomen:* Γέγραπται δὲ καὶ τοῦτο ἐπὶ τὰ λαιὰ ἐκ δεξιῶν· *Id autem ſcriptum eſt à dextra in lævam.*

Difficultas inde major in oſtendenda Græcæ & Orientalis Linguæ diſſimilitudine.

XIV. Verum quo clarius nos probaverimus, Græcos homines maximam partem ortum ſuum ducere ex Oriente, tanto difficilius videmur reddere poſſe rationem ſummæ illius varietatis, quam inter Linguam Græcam & Orientales Linguas deprehendimus. Unde filia tam diſſimilis matri? unde tam immane divortium inter duas Linguas, quarum altera ex altera nata eſt?

Quæ tamen non eſt inſuperabilis.

XV. Sane cogitandum eſt, tempus, quod omnia mutat, admirandorum effectorum ſæpe eſſe cauſſam; quȩ ſubinde non auderemus ad hanc cauſſam reducere, niſi certo conſtaret, ad aliam referri non poſſe. Ne hic extra circum excurramus: certum utique eſt, Latinam Linguam natam eſſe ex Græca. Eſtne autem minus notabile inter utramque illam Linguam divortium, quam inter Græcam & Hebræam?

Redditur tamen ratio mutationis Linguæ apud Græcos. Prima, quod *Græca* Lingua proprie ſit *Scytharum*,

XVI. Dari tamen præterea poſſunt non ſpernendæ rationes magnæ illius mutationis, quam ſubiit Lingua Hebræa in Lingua Græca, ex iis ipſis principiis, quȩ modo anticipavimus. Et quidem 1. Supponimus, quod ex teſtimoniis egregiorum Scriptorum antiquorum modo intelleximus; Linguam, quȩ *Græca* dicitur, ſi primam illius originem reſpicias, proprie eſſe

a Lib. I. p. m. 3. b Lib. V. p. 338. apud Marsh. ad Sec. IX. p. 124.

eſſe Linguam illorum Græciæ incolarum antiquorum, qui *Barbaris* in Græcia oppoſiti fuerunt: hoc eſt, ut nos conjiciebamus, *Scytharum*, qui ex Septentrionali Regione in Græciam venerunt. Quę ipſa quoque hypotheſis facile adſtrui poteſt ex manifeſta ſimilitudine, quæ inter Græcam & Germanicam Linguam intercedit tam quoad voces quam quoad dictiones integras, cujus certe utriuſque illius Linguæ convenientiæ facilis dari poteſt ratio, ſi ſtatuamus, utriuſque originem ex Scythica Vetere petendam eſſe. Scythæ autem illi, hoc eſt, Populi, qui ex Oriente in Septentrionalia climata ſeceſſerunt, longum tempus à reliquarum Gentium commercio ſeorſim egerunt ſub novo ac ſeveriore cœlo, & rudiorem in vita inſtituenda ſectati ſunt diſciplinam. Inde ſecundum naturæ Leges Linguæ, quam cum Orientalibus Populis primo communem habebant, prima mutatio.

qui cum Orientalibus Græciam inſederunt.

Quæ hypotheſis adſtruitur ex convenientia Linguarum Græcæ & Germanicæ.

XVII. 2. Illi Scythæ, quorum Lingua jam multum variabat à Lingua Orientali, cum *Barbaris*, qui ex Aſia inferiore aut Phœnicia in Græciam venerunt, commixti ſunt, & ſedes ſuas, quas ſtabiles non habuerunt, ſæpe mutarunt, ut manifeſtus Auctor eſt in principio Hiſtoriæ ſuæ Thucydides. Quod ipſum non exiguam rurſus induxit mutationem in illorum Linguam. Nam licet concedam, Barbaros illos qui dicuntur, poſthabita ſua Lingua, quę propior erat Orientali licet & ipſa jam hauddubie corrupta: tranſiiſſe in uſum Linguæ Scythicæ, ſive Græcanicæ; non tamen id ita accipiendum erit, ac ſi ſua Lingua prorſus neglecta adoptaſſent Scythicam illam, ſive Græcanicam. Ratio potius ita jubet ſentire, Linguas illas inter ſe eſſe mixtas: ita tamen, ut Græcanica ſive Scythica prævaluerit.

Altera ratio eſt, Commixtio Scytharum illorum cum Barbaris, ſive Orientalibus.

XVIII. 3. Ad hæc acceſſerunt expeditiones, quæ antiquiſſimis temporibus ex Ægypto & Phœnicia in Græciam ſuſceptæ ſunt: quas in Linguam & mores Græcorum non exiguam mutationem induxiſſe, Veteres Auctores omnes teſtantur, & res ipſa clamat. Illuſtris Marshamus in *Canone* ſuo *Chronico* tres diverſas notat ætates, quibus ex Ægypto expeditiones factæ in Græciam. Primam ille *Cecropis* facit, famoſiſſimi illius in omni hiſtoria Græca, qui & *διφυὴς partem Beſtiæ habens, partem hominis*

Tertia ab Expeditionibus, à Populis Orientalibus in Græciam ſuſceptis.

Quarum prima fuit *Cecropii.*

nis fingitur [a], à cujus adventu incipit Æra Attica, per Reges Archonteſque Athenienſes deducta, ad quam res Græcæ accommodantur. Alteram *Cadmi*, *Agenoris* Filii, non longe poſt

Altera *Cadmi.*

illud tempus ſuſceptam. *Phænix & Cadmus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti apud Tyrum & Sidonem regnaverunt: Rapta dein Europa Cadmus regnavit Thebis.* Ita Euſebius, Diodorus, aliique. Hic autem Orientalium mores, literas, voces plurimas, dubium num Ægyptias, num Phœnicias, in Græciam in-

Unde ille in Græciam venerit?

tulit. Cadmus quidem omnino ex *Ægypto* fuit oriundus; ſed quia Ægyptii nec rei nauticæ periti fuerunt, nec terra eorum commodis portubus inſtructa, hinc Phœnicum claſſe in Græciam vectus eſt: quemadmodum cæteri, ni fallor, omnes, qui ex Ægypto in Græciam profecti dicuntur. Conſtare id poteſt ex narratione Herodoti [b], quam præfationis vice hiſtoriæ ſuæ

Tertia Danai.

præmittit. Tertiam vero *Danai*, qui conſilio *Minervæ* navem extruxit, & cum Filiabus ex Ægypto in Græciam profectus eſt. Epocha hæc incidit in *Annum Atticum* 72. Euſebius in *Chronicorum* Libro poſteriore [c] reſpondere dicit tempora *Danai* ultimis annis vitæ *Moſis*. Clarus hic eſt in omni hiſtoria Græca, atque adventus ejus certiſſimus. Hinc autem quam facile licet conjicere, rituum atque inſtitutorum Græcorum plurima ex Oriente, quin & ex Ægypto deducenda eſſe. Ita expreſſis verbis He-

Herodoti teſtimonium.

rodotus [d]: Πανηγυρίας δὲ ἄρα καὶ πομπὰς καὶ προσαγωγὰς πρῶτοι ἀνθρώπων Αἰγύπτιοί εἰσι οἱ ποιησάμενοι καὶ παρὰ τούτων Ἕλληνες μεμαθήκασι. Exem-

Marshamus laudatur.

pla vide multa apud Virum illum Illuſtrem [e]. *Inachus* autem, qui *Cecrope*, *Cadmo*, & *Danao* antiquior eſt, unde advenerit, plane incertum eſſe judico. Ex Phœnicia illum in Græciam commigraſſe concludere quidam ſuſtinent ex nomine, quod ab ענק & ענקים deducunt, unde & vocabulum ἄναξ & ἄνακες, quo Reges & Principes appellantur Græcis deſcendit. Illud certe conſtat, proximos ejus poſteros multas migrationes ultro citroque Græciam inter & Ægyptum inſtituiſſe. *Cadmus* enim & *Danaus* ab ipſo ſati eſſe cenſentur. Unde forte poſſe-

a Vide Diodorum Siculum Lib. 1. p. 17. b Lib. 1. p. 1, 2, 3. c p. 75. d Lib. 11. e Ad *Seculum* IX. p. 109, 110. 128. Vide etiam Gerhardum Joannem Voſſium, *de Origine & Progreſſu Idololatriæ* Lib. 1. p. 59, 60.

poſſemus conjicere, & ipſum hunc *Inachum* ex Ægypto oriundum.

Quæ Expeditiones reſpiciuntur inter alias ut cauſſa mutationis Linguæ Græcæ.

XIX. Coloniæ autem illæ Orientalium in Græciam miſſæ; ſive Expeditiones illæ in Græciam ſuſceptæ, quarum illa *Cecropis* ſecundum *Arundellianum Marmor* incidit in initia illius Sæculi, quo Deus Iſraëlitas redemit ex Ægypto: non potuerunt non magnam & novam mutationem inducere in Græcorum Linguam & mores. Eo enim tempore Græcorum res nondum erant ſtabilitæ. Etenim probari certo non poteſt, Græciam ante tempora Abrahami cœpiſſe occupari. Utique prima Græcorum initia fuerunt tenuia, rudia, & impolita, ſi ullius alterius Gentis. Ægyptiorum vero Lingua cum circa illud tempus jam diſcreparet ab Hebræa ſive Phœnicia: id ipſum quoque huc non parum potuit conferre. Saltem quadantenus ex iis, quę jam dicta ſunt, poſſumus perſpicere, plures cauſſas quodam quaſi conſilio concurriſſe ad ortum Linguæ Græcanicæ ab Orientali Lingua, ut videtur, diverſiſſimæ.

Ex Græcis fuerunt *Cithei*, ſive *Itali*.

XX. Inter Poſteros autem *Javanis*, h. e. Græcorum, fuerunt quoque כִּתִּים / per quos Bochartus probat intelligendos eſſe *Italiæ incolas*, ſive Gentem Latiam. Certe Italos præcipuam originem trahere à Græcis, extra dubitationem poſitum eſt [a].

Quod firmatur ex teſtimonio Dionyſii Halicarnaſſenſis.

Dionyſius Halicarnaſſeus, qui *Romanarum Antiquitatum* libros conſcripſit, elegantem initio habet diſſertationem de primis Italiæ Incolis, multis contendens, *Græcos* fuiſſe, qui ſedes ſuas in Italia fixerunt. Dicti autem hi populi primi fuere *Aborigines*. Ita ille [b]: Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγὼν, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος καὶ ἄλλοι συχνοὶ, Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωϊκοῦ μεταναστάντας: *Doctiſſimi Romanorum, inter quos eſt Porcius Cato, qui Italicarum urbium origines accuratiſſime collegit, & C. Sempronius & multi alii ajunt* EOS ESSE EX GRÆCIS, QUI QUONDAM IN ACHAJA HABITARANT, *& multis ante bellum Trojanum ætatibus inde migrarant.* Unde ſimul apparet, illas Græcorum in Italiam migrationes primas non longe poſt occupatam Græciam inſtitutas eſſe; licet non dubitemus, quin Romani id commune habuerint cum

Quas in Italiam Expeditiones probabile eſt fuiſſe antiquas.

a Gen. x. 4. b Lib. 1. p. 9.

cum aliis Gentibus, quod verarum ſuarum originum certa ignoraverint tempora; eaque proin fabuloſis adſperſerint narrationibus. Credendum nihilominus non eſt, nimis ſero factas eſſe illas in Italiam expeditiones. Antiqui enim Populi, quando cultiores Mundi Regiones extra Orientem nondum occupatæ erant, faciles fuerunt & prompti in expeditionibus ejuſmodi ſuſcipiendis & coloniis in novas regiones mittendis. Eſt de eo eximius locus ejuſdem noſtri Scriptoris, qui mihi hic neutiquam negligendus eſt [a]. *Hinc autem*, ait, *excurrentes, tum cum aliis barbaris, tum præcipue cum Siculis confinibus armis de agro decertabant; ac primum quidem ſacra quædam juventus egreſſa exiguo numero, victus quærendi cauſa à Parentibus ſuis emiſſa*, MORE PRISCO, *quem apud multos & Barbaros & Græcos receptum ſcio. Quoties enim vulgi multitudo in aliquibus civitatibus ita creviſſet, ut domeſtica alimenta omnibus ſufficere non poſſent, aut aëris intemperie terra læſa fruges ſolito pauciores protuliſſet, ac aliquis alius hujuſmodi caſus ſive bonus, ſive malus civitatibus multitudinis diminuendæ neceſſitatem impoſuiſſet, Deo cuipiam conſecrantes animas hominum progeniem ex ſuis finibus armis inſtructam emittebant. Illi vero inde migrantes patriâ in poſterum carituri, niſi aliam, quæ ſe reciperet, pararent, quam vel gratia vel armis quæſiſſent, eam patriæ loco habebant: Deuſque, cui dicati fuiſſent ii, qui abigebantur, eos plerumque adjuvare, coloniaſque eorum præter omnem hominum opinionem fortunare videbatur.*

Antiqui enim Populi Expeditiones facile inſtituebant in alias erras.

Locus Dionyſii.

XXI. Poſt *Aborigines* autem, qui ſecundum Halicarnaſſenſem iidem fuerunt cum Oenotriis, aliæ ſequutæ ſunt expeditiones in Italiam, originis pariter Græcę. De quibus ne prolixius nunc diſſeramus, quam inſtituto noſtro convenit, ſufficiet exhibere compendium longioris hac de re narrationis, quam idem Scriptor accuratiſſimus inſtituerat [b]: *Atque hæ ſunt Gentes, quibus in unam Rempublicam convenientibus Romanum genus concrevit, ante urbem, quam nunc tenent, conditam. Primum* ABORIGINES, *qui ex his locis ejecerunt Siculos*, Ἕλληνες ὄντες τὸ ἀρχαῖον ἐκ Πελοποννήσου IPSI GRÆCI GENERIS, ORIUNDI A PELOPONNESIIS, *cum Oenotro ab Arcadia in has ſedes profecti, ut ego credo. Deinde* PELASGI, *qui demigrarunt ex Hæmonia, quæ nunc Theſſalia dicitur.* Ter-

Aliæ expeditiones Græcorum in Italiam.

Dionyſius Halicarnaſſenſis rurſus laudatus, ejuſque verba.

a *Eodem Libro.* Lib. 1. p. m. 49.

Tertii qui ex oppido Palantio in Italiam cum Evandro *venerunt. Poſt hos è Peloponneſiis Herculi militantibus*, Epei *atque* Pheneatæ; *quibus & Trojani generis nonnihil permixtum erat. Poſtremo* Æneæ socii *elapſi ex Ilio*, *Dardanoque*, *& cæteris Trojanis oppidis.* Addit, quod in rem noſtram utile obſervatu: Ὅτι δὲ καὶ τὸ τῶν Τρώων ἔθνος Ἑλληνικὸν ἐν τοῖς μάλιστα ἦν, ἐκ Πελοποννήσου ποτὲ ὡρμημένον, εἴρηται μὲν καὶ ἄλλοις ἔτι πάλαι, λεχθήσεται δὲ καὶ πρὸς ἐμοῦ δι᾽ ὀλίγων· *Quod autem etiam* Trojani *cumprimis* Græcanica natio *fuerint*, *profecta olim à Peloponneſo*, *dictum eſt quidem jampridem & ab aliis*, *dicetur tamen à me quoque brevibus.* Hæ itaque ſunt antiquiſſimæ Latini Nominis in Italia origines. De coloniis Græcorum in Italiam miſſis recentioribus temporibus, videri poteſt, qui illas ſumma diligentia exhibet, Marshamus [a].

XXII. Inde facile jam colligimus, *Linguæ Latinæ* Origines in Græcia quærendas, etſi illa Lingua procedente tempore à Græca evaſerit diverſiſſima. quod quidem Romanorum Doctiſſimi rotunde faſſi ſunt [b]. *In quo*, inquit Varro, *L. Aelius noſter*, *literis ornatiſſimus*, *memoria noſtra erravit aliquotiens: nam aliquot verborum antiquorum Græcorum*, *perinde atque eſſent propria noſtra*, *reddidit cauſas falſas. Non enim leporem dicimus*, *ut ait*, *quod eſt levipes: ſed quod eſt vocabulum antiquum Græcum. Multa enim vetera illorum ignorantur*, *quod pro iis aliis nunc vocabulis utantur: & illum eſſe plerique ignorent Græcum*, *quem nunc nominant* ἕλληνας; *Puteum eſſe*, *quod vocant* φρέαρ; *Leporem*, *quod* λάγωον *dicunt.* Manifeſtus pro eadem hac ſententia eſt Halicarnaſſenſis noſter Dionyſius [c]. Noſtra intereſt verba ejus excerpere. Ῥωμαῖοι δὲ, ait, φωνὴν μὲν οὔτ᾽ ἄκραν βάρβαρον, οὔτ᾽ ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς· *Romani autem ſermone nec prorſus Barbaro*, *nec prorſus Græco utuntur*, *accedente in plerisque ad proprietatem* Linguæ Æolicæ, *ex* commercio *tot admixtorum non omnia recte efferentes vocabula.* Nihil eo certius, quod hic dicit Dionyſius. Si hic Grammaticum agerem: non eſſet mihi difficile demonſtratu, flexiones Pronominum, Nominum, & Verborum, ut receptæ ſunt Latinis, ex *Dorica* Græcorum Dialecto (quę obſervante Strabone,

Unde patet, origines Linguæ Latinæ quærendas in Græcia.

Locus Varronis.

Et Dionyſii.

M

a Can. Chron. ad Sec. XVII. p. 546. b Apud A. Gellium N. A. Lib. I. Cap. XVIII. c Lib. I. p. 76.

bone[a], Vetus eſt Æolica:) omnino petitas & explicandas eſſe. Vocabulorum quoque Latinorum quę cum Græcis quoad enunciationem & ſignificationem conſentiunt, magna produci poſſet ſeges, ſi hic diſputaremus de re dubia.

Inquiritur interea in cauſſas diſſimilitudinis, quæcum tempore inter Græcam & Latinam interceſſit.

XXIII. Unde vero tanta utriuſque Linguæ diſſimilitudo? Certe quis ignorat, florente cum maxime Re Romana, Eruditiores & Politiores Romanos tam fuiſſe Linguæ Latinæ ſtudioſos, ut non niſi inviti & ſumma acti neceſſitate Græcis notionibus uterentur? Pertinebat illud ſcilicet ad gloriam Romanę Gentis, ut Linguam haberet à Græca, quem Populum ſubegerant, diſtinctiſſimam. Tiberius tam fuit diligens & æmulus Latinarum vocum venator, ut, cum in animo haberet edictum de re quadam promulgare, & comperiret, ſe eam Latino vocabulo apte deſignare non poſſe, à propoſito deſtiterit[b]. Liceat paucis quoque de eo agere.

Ubi primo obſervatur, Linguam Latinam cum tempore politam, & ad perfectionem ſuam perveniſſe.

XXIV. Et quidem *Primo* obſervari hic cupio, quod aliis Linguis accidit, idem quoque accidiſſe Romanæ, ut nimirum ſenſim polita & per varia incrementa & temporum intervalla ad perfectionem ſuam perducta ſit. Certe Latina Lingua cum tempore ingentem ſubiit mutationem, & quæ prius Græcæ Linguæ ſimillima erat, ut Filia Matri, deinceps demum poſt plura lapſa ſæcula illi evaſit diſſimillima. Sic explicite ſcribit

Polybius laudatus.

egregius Auctor Polybius Megalopolitanus[c]: Τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν· VETERIS SANE LINGUÆ ETIAM LATINÆ TANTA DIVERSITAS EST AB ILLA, QUA HODIE UTUNTUR, *ut vel peritiſſimi nonnulla ægre, ubi animum attenderint, explanare queant.* Id utique ex antiquiſſimis Romani Populi monumentis, quorum ibi aliquod à Polybio exhibetur, & *exauctoratis obſoletiſque tam verbis* quam dictionibus, ad oculum patet. Videatur Macrobius, cujus phraſi modo uſus ſum[d]. Imo Dionyſius Halicarnaſſenſis auctor eſt, ſub Rege Tullio uſos adhuc eſſe Latinos Literis Græcanicis. En verba ipſius[e]: Αὕτη διέμενεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη,

χαρ-

a Geogr. Lib. VIII. in initio. b Vide Xiphil. ex Dion. p. m. 110. c Hiſt. Lib. III. p. m. 177. d Saturnal. Lib. I. Cap. V. & Lib. VI. Cap. III. e Lib. IV. p. m. 230.

γραμμάτων ἔχουσα χαρακτῆρας Ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρῆτο· *Ea columna permanſit uſque noſtram ætatem*, *in* Dianæ *Templo dedicata*, inscripta Literarum characteribus Græcanicis, *qualibus olim utebatur Græcia* †.

Secundo dari poſſe mutationis Linguæ Latinæ cauſſas: quę producuntur.

XXV. *Secundo* eaſdem in Latina Gente facile notare poſſumus mutationis ſive declinationis Linguæ ſuæ à Lingua radicali cauſſas, quas in aliis Populis jam obſervavimus. Qui ex Græcia primi in Italiam venerunt, quo tempore ipſa quoque Lingua Græca nondum erat perfecta, primo aliquandiu ſeorſim ab aliis ejuſdem regionis hominibus ſub novo cœli climate egerunt; deinde aliis etiam colonis, ſeu Græcis, ſeu Scythis, h. e. Septentrionalibus Populis, aut forte etiam Barbaris, aliunde accedentibus, iis permixti ſunt. Trojani certe, etiamſi Dionyſius illos fere accenſeat Græcis, vere fuerunt *Semibarbari*, & Orientalia vocabula multa in ipſam Italiam intulerunt. Ipſæ voces *Romus* & *Roma* mihi omnino videntur ex Hebræis רמה *Rama* ſive *Roma* (quod familiare nomen urbium in *collibus* ſitarum:) & רום Ruum vel Room, *altus*, *evectus*: explicandæ eſſe. Nec aliud mihi judicium de voce μαλακός, qua Dionyſius refert Cumanos Tyrannum ſuum, Ariſtodemum Ariſtocratis Filium, appellaſſe. quod nomen ipſe ex Græca Lingua per Latinum *mollis* interpretatur [a]. *Dominabatur tum Cumis*, inquit, *Ariſtodemus Ariſtocratis Filius*, *Vir non obſcuri generis*, ὃς ἐκαλεῖτο Μαλακὸς ὑπὸ τῶν ἀστῶν *qui à Civibus appellabatur* * Malacus, *eaque appellatione progreſſu temporis*, *longe quam proprio nomine*, *fuit notior*, *ſive quod in pueritia qua mulieribus conveniunt*, *paſſus fuiſſet*,

Voces quoque Orientales à Trojanis in Italiam illatæ.

Specimina in vocibus *Roma*, & *Malacus* apud Dionyſium.

* *Mollis.*

M 2 *ſive*

a Lib. vii. p. 418.

† Si quis hæſitet: inſpiciat *Columnam Roſtratam*, à Petro Ciacconio, Toletano, doctiſſime explicatam & illuſtratam, & recognoſcat ex illius Monumenti Fragmentis *idiomata* Linguæ Latinæ antiquioris temporis, (nec tamen illius antiquiſſimi, cum Monumentum hoc à Romæ originibus per quinque ſæcula diſtet:) ex flexionibus Linguæ Græcæ ducta, & ex iiſdem explicanda. Conferat etiam, quæ Antonius Auguſtinus & Paulus Merula commentati ſunt ad *Fragmenta Legum* xii *Tabularum*, *Columnâ* antiquiorum, & Carolus Sigonius ad *Fragmenta Legis Serviliæ*, temporis multo recentioris, & deprehendet abſque indice utriuſque Linguæ cognationem ſummam, & imaginem matris in filia expreſſam.

ſive quod ut alii malunt, *miti eſſet ingenio* καὶ μαλακὸς εἰς ὀργὴν MOLLIS AD IRAM. Verum quam parum probabile, Tyrannum, qui totam Civitatem ſibi imperioſe obnoxiam habebat, paſſurum ſe familiari nomine appellari μαλακὸν *mollem*, quo nullum aliud Viro indignius? Dein obſtat huic interpretationi tota ſequens narratio geſtorum ab Ariſtodemo, ex qua conſtat fuiſſe eum Virum fortem & ſtrenuum, (τὰ πωλέμια λαμπρὸν:) aſtutum, & ingenio aſperum. Dicamus igitur potius, vocem Μαλακὸς eſſe ipſiſſimam vocem מלך MELECH, cum adjecta terminatione Græcanica, quę Hebræis REGEM notat †. Sed id tanquam ἐν παρόδῳ. Certe Halicarnaſſenſis ipſe ex hac ipſa commixtione Latinorum cum quibuſcunque aliis Populis derivat illam alterationem, ſive mutationem, quam Latina Lingua cum tempore experta eſt. Τῦτο μόνον; ait, [a] ἀπολαύσαντες ἐκ τῶν πολλῶν ἐπιμίξεων, τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν.

a Ant. Rom. Lib. 1. p. 76.

† Eſtne id magis paradoxum, quam quod Grotius (ad *Tſephan.* 1. 4.) Hetruſcum nomen CAMILLUS, *ſacrorum Miniſter*, magna cum ſpecie veri deducat à voce כמרים / ex ſacris nota? Nec ignoro tamen eſſe quæ in diverſam partem diſputari queant; quæ videri debent apud Voſſium & Bochartum. Aliud habeo quod hic addam. Suetonius ſcribit, (in *Tiber*. cap. 1.) Gentem *Claudiam*, è Sabinis ortam, inter Cognomina alia aſſumpſiſſe quoque illud NERONIS. quo *ſignificatur*. (ait,) *Lingua Sabina fortis ac ſtrenuus.* Non auſim id fidenter negare; & tamen alia mihi ſubnata cogitatio eſt ex *Cap*. XIX. ubi hæc occurrunt. *Prœlia, quamvis minimum fortunæ caſibuſque permitteret, aliquanto conſtantius inibat, quoties lucubrante ſe ſubito, ac nullo propellente decideret* LUMEN, *& exſtingueretur, confidens, ut ajebat, oſtento, ſibi ac* MAJORIBUS SUIS *in omni ducatu expertiſſimo.* Atqui ניר NEER Hebræis *Lucernam* notat, ut omnibus notum, & נור LUCERE; & ſunt inde apud Hebræos Nomina NER & ABNER. Poteſt eſſe priſci temporis vox, cujus ſignificationem ipſi Sabini ignoraverint. Et unde NAR, Amnis, ex Strabone, Plinio, & Hiſtoricis Romanis ſatis notus, qui Sabinorum erat, ut patet ex Floro; Lib. 1. Cap. XV. utique in Fiſcello monte ortus, Agrum Sabinum & Umbrum dividens influit in Tiberim; niſi ex Hebræo נהר NA-AR, NAR, *Fluvius*? De *Hetruſca* vero *Lingua*, quæ olim à Latina diverſa fuit, ut vel patet ex *Liv. Lib*. VII. *Cap*. II. ejuſque cum *Hebræa* aut Orientali convenientia, intellexi nuper erudite diſputaſſe Cl. Virum, Juſtum Fontaninum, Forojulienſem in Libro de *Antiquitatibus Hortæ*, Coloniæ Etruſcorum.

CAPUT

Caput VIII.

De Perſis, Scythis, *horumque progenie, Populis Septentrionales regiones incolentibus, diſſeritur, eorumque Linguarum convenientia mutua inter ſe, & origo ex una Hebræa Lingua oſtenditur. Proferuntur etiam ad calcem exempla modorum loquendi integrorum, qui* Hebræis *ac* Belgis *communes ſunt.*

At cum Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum jam fecerim mentionem, ſuccenſebunt mihi fortaſſe illi mortalium, qui conceptam à Marco Boxhornio, Viro certe Doctiſſimo, amplectuntur ſententiam, quod hactenus *Scytharum*, celeberrimæ gentis, non fuerim recordatus. Eorum enim Lingua, in varias alias Linguas ſive Dialectos diviſa, non minus ab Hebræa diſtat, quam Græca, aut Romana. At recordor hoc ipſo momento, & quid de eorum Lingua judicandum ſit, brevibus ediſſeram: poſtquam de Gente ipſa, ejuſque origine pauca præmiſerim. Transfertur diſputatio ad Linguam Scytharum.

II. Veteres illos omnes *Scythas* dixerunt, qui excurrebant in *Septentrionem*. Appello rurſus Strabonem [a]. Ὥσπερ τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος, ὕστερον δὲ καὶ τῶν πρὸς ἑσπέραν γνωσθέντων, Κελτοὶ καὶ Ἴβηρες, συμμίκτως Κελτίβηρες, καὶ Κελτοσκύθαι προσηγορεύοντο, ὑφ' ἓν ὄνομα τῶν καθ' ἕκαστα ταττομένων διὰ τὴν ἄγνοιαν· *Sicut* NOTÆ VERSUS SEPTENTRIONEM GENTES UNO PRIUS NOMINE SCYTHÆ, *vel Nomades (ut ab Homero)* APPELLABANTUR, *ac poſtea temporis cognitis regionibus occiduis Celtæ, Iberi, aut mixto nomine Celtiberi, ac Celtoſcythæ dici cœperunt, cum prius ob ignorantiam ſingulæ gentes uno omnes nomine afficerentur.* Gentes igitur omnes, quę Septentrionem verſus excurrerunt, dictæ Veteribus ſunt Scythæ. quę excurſiones cum vel fuerint *Aſiaticæ*, vel *Europææ*, hinc utriuſque nominis & generis Scythæ; per *Tanaim* Fluvium diſtincti. De Quinam Populi olim *Scythæ* dicti ſint?

 pri-

a Lib. 1. p. m. 22.

primis autem eorum originibus perſpicue & breviter diſſerit optimus Auctor Diodorus Siculus: cujus oratio non tantum probabilis eſt, ſed etiam noſtro inſtituto egregie convenit, ſi fabuloſa quædam, quibus omnes antiqui Populi Origines ſuas nobilitare inſtituerunt, exceperis. Tradit igitur Diodorus [a], Scythas in initio dictos eſſe non magno numero homines, qui conſederunt ad Fluvium Araxem, διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονουμένους *propter ignobilitatem contemtos.* Illos tamen viribus & numero creſcentes, cum tandem Regem nacti eſſent φιλοπόλεμον, quicquid montanarum eſt ad Caucaſum, & Campeſtrium ad Oceanum Paludemque Mæoticam, & reliquarum ad Tanaim uſque Flumen terrarum, regioni ſuæ adjeciſſe. Procedente tempore illos, rebus multis præclare geſtis, terras ultra Tanaim amplas ſubegiſſe; tum verſis in alteram partem armis ad Nilum uſque progreſſos, Scytharum Imperium ad Oceanum uſque Orientalem protendiſſe: eſſe autem illos maxima clade affectos à Sauromatis, quę gens erat Colonia à Scythis Victoribus ex Media deducta & apud Tanaim Fluvium locata. quæ nobis nunc poſſunt ſufficere. Reliqua enim ad nos minus pertinent, quæ poſteriorum ſunt temporum.

Diodori Siculi de Scythis traditio hiſtorica.

III. Bene quidem habet quod ex his Doctiſſimi Hiſtoriographi verbis clare intelligamus, Scythas omnes ex Aſia oriundos eſſe & inde in Septentrionem digreſſos, &, Tanaim transvectos, quæ ſupra Græciam, Thraciam & Macedoniam ſunt, Septentrionales Europæ regiones occupaſſe. Convenit id cum Moſe, qui nos in Hiſtoria ſua docet, genus humanum ſatum eſſe in Oriente, & inde per univerſum hujus terræ orbem diſſeminatum eſſe. De tempore autem, quo hi homines ex Oriente verſus Septentriones ſeceſſerunt, nemo abſque temeritate quicquam certo definiat. Ante Abrahami ætatem id jam factum eſſe ex iis conſtabit quæ mox dicturi ſumus de *Elymais:* qui ipſi quoque inter Scythas ponendi ſunt. Liceat itaque per hypotheſin ſtatuere id accidiſſe duobus fere poſt tentatum Facinus Babylonicum ſæculis. Id enim optime cum ratione & reliquarum rerum analogia conciliari poteſt.

Unde patet, Scythas omnes oriundos eſſe ex Aſia.

IV. Horum jam Scytharum dubium eſſe non poteſt quin

Quænam illorum fuerit Lingua?

Lin-

a Lib. II. p. m. 127.

Et an hoc tempore ignota?

Lingua aliqua fuerit; & quidem ab Hebræa, & Græca diſtincta. cujus Linguæ cum in antiquis Scriptoribus ſuperſint veſtigia, prorſus ignota illa dici non debet, ut adverſus Turnebum recte demonſtravit non vulgaris judicii Vir, Suerius Boxhornius [a]. Scythæ enim cum ab aliis Populis Orientalibus, inter quos nati erant, ſe ſeparaverint; ſub novo cœli climate egerint; feros & agreſtes induerint mores; ſæpe cum aliis Populis, quos bellis laceſſebant & excurſionibus ſuis infeſtabant, commixti fuerint; iidem quoque deinceps à ſe invicem in varias regiones & reſpublicas diviſi ſint: neceſſario evenire debuit ſecundum Leges naturæ, ut Lingua eorum mutationem ſubiret notabilem. quę tamen tanta non eſt ut hodieque oſtendi non poſſit, præcipua Vocabula Scythica, quæ in antiquis Scriptoribus nobis reſervata ſunt, ex Hebræa Lingua, quæ Scythicæ æque ac aliarum omnium mater eſt, commode explicari poſſe. Experimentum capiamus ex iis exemplis, quæ nobis nunc ad manus ſunt.

Cl. Boxhornii ſententia.

Eſſe illam propaginem Linguæ Orientalis ex quibuſdam exemplis evincitur.

V. Hæc extant apud Herodotum, *Aſiaticos* hoſce Scythas deſcribentem [b]: *Hoc ab iis acceperunt* SCYTHÆ, *à Scythis nos cæteri accipientes, verum putamus, ac Scyhice eos appellamus* ARIMASPOS. *nam* arima *Scythæ* unum *vocant*, ſpu *vero* oculum. Ad verba illa poſteriora hoc obſervatum eſt in margine [c]: *Sincerior videtur hæc Græci contextus lectio apud Euſtath. Comment. in Dionyſii Periegeſin:* ἄρι μὲν γὰρ τὸ ἓν Σκυθιστὶ, μασπὸς δὲ ὁ ὀφθαλμός *Nam* ARI *Scythice* UNUM *dicitur*, MASPUS *vero* OCULUS. Ignoramus certe, qua ratione Viri Docti hunc locum expediverint. Nobis hoc nomen facile ex Linguis Orientalibus exponi poſſe videtur, ſi licitum nobis ſit conjicere, vocabulum ADI vel enunciationis vel ſcriptionis vitio mutatum eſſe in ARI. Inter literas hebræas quidem ד & ר exigua quoad ſcripturam varietas eſt; ſed cum Scythæ vix videantur his literis fuiſſe uſi, abſque ulla difficultate ſtatuemus, pronunciationis vel vitio vel varietate vel corrupta ipſius nominis traditione hoc accidiſſe mutationis. חד Hebræis, maxime Chaldæis, *unum* ſignificat, contractum ex אחד / ut apud Ezechielem [d]: חד את אחד *unus cum altero.*

Nomen Arimaſpi.

a In Origin. Gal. Cap. III. b p. m. 128. ex edit. Frid. Sylburgii. c p. 16. d Ezech. XXVIII. 30.

altero. τὸ חד ſcribitur Latinis *Chad* vel *Had*, vel *Ad*, & cum τῷ י paragogico *Adi*. Ita חם dictus fuit veteribus *Ammon.* τὸ Maspus verò ducit nos directe ad צפה / quod *ſpeculari* notat. Litera מ præponitur nominibus, ut in in מצפה *ſpecula*, σκοπιά. Unde igitur & Scythicum vetus vocabulum משפו/ quod *oculum* Hinc *Adimaſpi* Scythis *unoculi.*

Aliud ex Herodoto exemplum, in voce *Papæi.*

VI. Simile exemplum in ſequentibus habemus apud eundem Scriptorem Herodotum [a]: *At, qui regii Scythæ vocantur, etiam Neptuno ſacrificant, appellantes* Vestam *Lingua ſua* Tabiti, *Jovem* Papæum. Nomen illud Papæus, quo Jovem inſigniverunt, manifeſte eſt ex אב/ & אבא *Abba*, unde *Papa*, *Pappa*, *Papaw:* quo nomine Deus omnium Parens & hominum *Pater* ac Sator optime appellatur. In altera voce Tabithi non nego me olim hæſiſſe: ſed ita ſane ut nunc ſommolentiam meam ipſe primus accuſem. Quare enim non cogitavi, hanc vocem commodiſſime duci poſſe ab Hebræa טובה *Bona*, benigna, propitia, facilis: quę *Veneri* optime conveniunt denominationes? Illa ſane טובת מראה *aſpectu pulcra.*

Scythica Lingua plurium aliarum mater.

VII. Ex Scythica autem Lingua ortum ducunt plures aliæ: quia Scythæ ſe non tantum per totam terræ plagam Septentrionalem, verum etiam per Orientem quibuſdam locis diffuderunt. Sclavonica, Getica, Thracica, Dacica, Celtica antiqua, ſive Celto-Belgica, qua Germani, Galli, & Britanni olim uſi ſunt, (Tacitus enim tradit, Gallis & Britannis unam olim fuiſſe Linguam; cujus auctoritatem pluribus tuetur Boxhornius [b]:) communem matrem agnoſcunt Scythicam, ut dudum à Doctis obſervatum & adſtructum. Imo Græca, ut ſuperius à nobis evictum eſt, & Latina, quæ ex Græca eſt, Dialectus non parum debent huic iidem Linguæ Scythicæ; &, quod παραδοξότερον videtur: ipſa Lingua Perſica tantam cum Lingua Celtica, ſive Germanica habet communitatem, ut Eruditi Viri dudum ſubodorati ſint, illius origines in Scythia quærendas eſſe, etiamſi ob magnam Perſiæ à Scythia diſtantiam illius convenientiæ ratio non æque expoſitu ſit facilis.

Perſicæ Linguæ convenientia cum Scythica ſive Germanica.

Cujus rei ratio obſcurior.

Hanc, ait Cl. Bochartus [c], de *Perſica* Lingua loquens, *quod Viri Docti ſcribunt accedere ad Germanicam, in tanta locorum intercape-*

a Lib. IV. p.m. 183. b Orig. Gall. Cap. I. c Phaleg. Lib. I. p. XV.

capedine, nemo ſibi facile perſuaderi ſinat. Tamen rei probandæ tot exempla congerunt, ut ab invitis pene fidem extorqueant. Nos tamen tanti Viri judicio, quod ſemper magnifacimus, non abſterriti, paucis de his diſtinctius.

Celticæ Linguæ convenientia cum Hebræa oſtenditur.

VIII. Celticam, ſive Teutonicam aut Germanicam Linguam, quę in Belgica & Germanica hujus temporis, aut in Wallica Britannorum, magnam partem, licet non abſque mutatione notabili, ſervatur, omnino natam eſſe ex Hebræa, dudum Eruditi Viri viderunt & probarunt ex manifeſtiſſima convenientia, quæ eſt inter Hebræam & Belgicam tam in *vocibus*, quam in *phraſibus*. Videantur omnium loco Mericus Caſaubonus [a], ubi voces vere Saxonicas cum ejuſdem ſignificationis vocabulis in Hebræa & Græca Lingua confert, & Abrahamus Mylius [b]; & nuper quoque novo ſpecimine probatum dedit Cl. Vir, Olavus Rudbeckius, cognationem quæ intercedit inter Hebræam & Gothicam variis exemplis notabilibus illuſtrans in Libro, quem inſcripſit *Ichthyologia Biblica.* Exempla vin' pauca loco ſpeciminis? Habes ex הוה have / ex אגר vel אכר *ἀγρὸν agrum*, acker (adeo abs re eſt, quod Varro [c] *Agrum* ab *ago* deducat) ex ארץ aerde / פרק breecken / שבע ſeven / עבר over / אחר achter / שש ſes / צד zyde / אם mem / פעל pielen / id eſt, arbeyden / הוא hy / ברה broodt / גבול gevel. Addere liceat, Linguam Hebræam per nullam aliam Linguam tam commode & emphatice tranſponi poſſe quam per Belgicam, ſiquidem loquendi modi utriuſque illius Linguæ mirifice inter ſeſe conveniant. Druſius quidem noſter alibi [d] obſervavit, magnam eſſe φράσεων *Latinarum* & *Hebræarum* convenientiam. attamen laus illa noſtræ Linguæ magis convenit, quæ longe ſimpliciores habet elocutiones. En exemplum ex Jeſaia [e]: והיה כעם ככהן כעבד כארניו כשפחה כגבירתה׃ Senſus horum verborum latine expreſſus hic eſt: *Sacerdos ſimilis erit populo, Dominus ſervo, Domina ancillæ.* Ad verbum autem: Sicut *populus*, sicut *Sacerdos*; *ſicut ſervus, ſicut dominus &c.* Qui loquendi modus in aliis Linguis, quod ſciam, non eſt receptus, niſi in Belgica. Noſtri Interpretes habent:

Quæ convenientia non detegitur tantum in vocibus, ſed & phraſibus.

a Tract. de IV. Linguis. b De Lingua Belgica. p. 26. Druſ. Quæſt. 40. Lib. III. c De Lingua Latina. Lib. IV. d Obſervat. Lib. I. Cap. XX. e Cap. XXIV. 2.

Proferuntur exempla.

Ende gelijck het Volck is / alſoo ſal de Prieſter weſen &c. Quæ quidem recte omnino verſa ſunt quoad ſenſum, at neglectus eſt Hebraiſmus, quem ita exprimo: **Ende ſoo het Volck is/ ſoo is de Prieſter; ſoo de Knecht is/ ſoo is de Heere; ſoo de Dienſt-maeght is/ ſoo is haer Vrouwe.** Ad quod exemplum accipiendus quoque eſt locus in Cantico Solomonis[a]; ubi noſtri habent: **Ik ben ſwart/ doch lieflijk; gelijk de Tenten Kedars/ gelijk de Gordijnen Salomons.** ſed qui vertendus eſt: **Ik ben ſwart doch lieflijk: (gy Dochteren Jeruſalems) De Gordijnen van Salomon ſijn gelijk de Tenten van Kedar:** vel juxta phraſin Hebræam: **Soo de Tenten van Kedar ſijn / ſoo ſijn de Gordijnen van Salomo.** quod ex Coccejo didici. Sic pariter phraſis: בשיבה טובה: *In canitie bona*, Belgis commodiſſime vertitur: **In goeden Ouderdom.** Non piget hic adſcribere commentarium Viri in his literis verſatiſſimi, Ludovici de Dieu[b].

Lud. de Dieu laudatur.

Mortuus eſt Abraham בשיבה טובה in canitie *aut* ſenectute bona. *Ad quem locum Druſius ad difficiliora loca Geneſeos: Quum ſenectus per ſe morbus ſit, quid (inquit) vocat bonam ſenectutem? an maturam & plenam? Id vero quaſi improbans, reſpondet, bonam dici ſenectutem, quæ iis incommodis minime obnoxia eſt, quæ atati illi communiter ſunt adjuncta. Sic in annotationibus Vatabli, Bona, id eſt, quæ aliena erat à malis & incommodis ſenectutis. Malim ſimpliciter maturam, plenam, magnam ſenectutem intelligi, ut Belgice dicimus:* **het is een Man van goeden Ouderdom/** *etſi cum multis calamitatibus ipſi confligandum ſit. Merito enim bonum dicitur, quod rei continet perfectionem, etſi alia ex accidenti mala admixta habeat. Senectus ſane in benedictione ponitur, & quamvis morbus dicatur, continet tamen vitæ terminum, adeoque ejus perfectionem, ad quam naturaliter tendimus omnes; quumque ſenectus ſuos habeat gradus, non tam primus ejus bona dicitur ſenectus quam ultimus, ad quem ſane Abraham pervenerat: unde ſtatim ſequitur, quaſi explicationis vice, quod fuerit* זקן ושבע ſenex & ſatur. *Quid quod apud Syros* טב *quum adverbiaſcit, intenſionem ſignificat, ac vertitur* magnopere, vehementer, valde, *ut & Belgice dicimus,* **hy is wel ſchoon/** *id eſt, valde pulcher. Quo quid enim in ſuo genere provectius & intenſius, eo melius. Provecta itaque ætas, quæ vitæ ſuæ gradus habet (ut Syriaco vocabulo utar)* טב *vehementer, valde, ea* טובה *bona dicitur.*

a Cap. 1. 5. b Ad Cap. xxv. 8. Libri *Moſis* primi.

tur. Similis omnino eſt obſervatio Cl. Cloppenburgii[a]. Cenſet is verba על עקב בשתם minus ἐμφατικῶς accepta à De Dieu, vertenda: **Hare ſchaemte zy op de hielen.** Eleganter! Græci habent παραχρῆμα. eodem ſenſu, ſed alia phraſi. Quid etiam evidentius eo quod alibi in Pſalmis legimus: עליך יעזב חלכה Latine ad verbum: *Super te relinquet ſe Pauper*. quod ſecundum illius Linguæ idioma commodum ſenſum non fundit. Rectius igitur Latine hæc verba exprimas: *In te rejicit ſe Pauper*: ſed omnium optime Belgice tam quoad rem quam quoad phraſin: **Op u ſal ſigh een arme verlaten.** Sic apud Zachariam[b]: מה אלה באים לעשות Belg. **Wat komen die doen.** Liceat etiam huc referre Aben-Ezræ loquutionem in *Annotationibus* ad *Hoſeam* in expoſitione vocis ילבט[c]. Sic ille; ומלת ילבט בלשון ישמעאל כמשתבש שלא ידע מה לעשות *Vocabulum vero* ילבט *in Lingua Arabica ſignificat* perplexum, *qui non novit quid facere*. Ultimam partem transferre poteris Belgice: **Die niet weet wat te doen.**

Et Cloppenburgius.

IX. De *Græca* Lingua tanquam quæ ortum ſuum, magnam partem, Scythicæ debeat, in præcedentibus actum. De *Perſica* igitur verbum addendum eſt. Sane merito miratur Bochartus, *Perſicam Linguam* accedere ad *Germanicam*, ob magnam locorum intercapedinem. Et tamen allegat hujus ſententiæ Auctorem Lipſium[d]. Imo præter Lipſium, extat ea de re judicium Salmaſii, Elichmanni, Ludovici de Dieu, Abrahami Mylii, Boxhornii, & aliorum, qui laudantur Cl. Mullero, in *Exercitatione* breviore de hoc argumento, ſupra jam laudata. En teſtimonium luculentum Salmaſii, nuper à Viro quodam Docto cum de hoc argumento ageret productum: ſed quod è re mea eſt hic exhibere integrum. Ita Salmaſius in laudes Elichmanni[e]. *In* Persica, ait, *ſane vix videtur Europa parem tuliſſe. Fortaſſean nec feret. Quod ad hoc ævi latuit pleroſque Eruditorum, ex eadem origine compererat fluxiſſe Germanicam & Perſicam Linguam, ad hanc illum conjecturam ducente infinita vocum copia, utrique* Linguæ *communium, ſed & verbis ſimiliter terminatis, eodem modo compoſitis, aliiſque multis argumentis.* Addit quæ mirifice

De *Perſica* Linguæ convenientia cum *Germanica* quædam adjiciuntur.

Judicia de ea Doctorum Virorum.

a In *Collationibus* Criticæ Sacræ cum Cl. Ludovico de Dieu ad Pſ. XL. 16. Pſ. X. 14. b Cap. II. 4. c Cap. IV. 14. d Epiſt. XLIV. Cent. III. ad Belgas. e Præf. in Tab. Ceb. Arab.

fice favent iis quæ in ſuperioribus de Græca Lingua diſputavimus [a]: *Quia porrò multa quoque vocabula reperiuntur in Perſica Dialecto, quæ & Græca ſunt; ſed ita Græca ut etiam non minus videantur eſſe Germanica*; *ex eo non vane augurabatur*, PLURA ETIAM GRÆCOS DEBUISSE SCYTHICÆ ORIGINI, *quo ex fonte tam Perſica quam Germanica profluxiſſet.* Rem autem ipſam, hoc eſt, manifeſtam convenientiam, quę intercedit inter Linguam Perſicam & Germanicam, idem illi Vir Doctus, quem modo celebrabam, ſuccincte quidem, ſed clare & abunde demonſtrat tam ex communitate Vocabulorum [b] ejuſdem enunciationis & ſignificationis quam ex eorundem flexionibus, quę nihil opus fuerit hic repetere.

In cujus inquiritur cauſas.

X. Sed quę cauſſa ſimilitudinis Linguarum illos apud Populos, qui longiſſime ab invicem diſſiti fuerunt? Hic certe magnopere laboratur. Nec vidi hactenus qui illius convenientiæ rationes clare expoſuerint. Vir ille Doctus, quem modo laudabam, Perſicam & Germanicam Linguam recte monet ejuſdem debere eſſe originis, nec tamen illam ſuam ſententiam pluribus explicat. Cl. Mylius [c] ex Chærilo & Herodoto, (illo in *Darii*; hoc in *Xerxis* hiſtoria:) conſtare ait, *frequentem militiæ communiſque commercii uſum fuiſſe Perſis cum Vetuſtis Saxonibus.* Sed vero an tantum illud & tam frequens fuit commercium, ut Perſæ ex hoc commercio Linguam ſuam flexiſſent ad ſimilitudinem Germanicæ? Ego igitur multo faciliorem puto dari poſſe hujus convenientiæ rationem ex illa hypotheſi, quod utraque illa Lingua tam Perſica quam Germanica nata ſit ex Scythica: utique quod Scythæ, à quibus Germani oriundi ſunt, habendi ſint Auctores proximi illius mutationis, quam Lingua Perſica ſubiit. Quod operæ pretium fuerit paucis declarare.

Prima hæc traditur, quod Perſæ maximam partem originem ſuam debeant *Scythis*, unde quoque *Germani*.

XI. 1. Diodorum Siculum modo audivimus teſtantem, primos Scythas fuiſſe homines, qui ex Oriente ſecedentes conſederint apud Araxem Fluvium. Bene illud habet: modo nobis liceat ad origines Scytharum illuſtrandas addere, *Scythas* omnes originem ducere ab illis hominibus, qui loca montana & aſpera incolebant, & à reliquis Orientis Populis, qui cultio-

rem

a In Faſce Exercit. Crenii. b p. 18. c De Lingua Belg. Cap. XXIV. p. 101.

rem & ſimpliciorem vitæ rationem eligebant, ſeceſſionem facientes, rudius & ferum ſectati ſunt vitæ genus: & ne longiorem hic adhibeam verborum circuitum, Scythæ omnium primi, mea ſententia, illi ipſi ſunt, quos Sacra Scriptura, & Moſes jam in Hiſtoria ſua [a], vocat עילם Elymæos. quorum Rex jam Abrahami ætate dicitur fuiſſe *Cedorlaomer*, quippe cui cæteri Reges, ibi memorati, *ſerviverant*. Si Scriptores exteros conſulamus: vix licet dubitare, quinam hi fuerint *Elymæi*, quorum imperii adeo antiqui meminit Moſes. Strabo, aliique Geographiæ Auctores, certa fide nobis tradiderunt, gentem hanc *Elymæorum* montana loca, quę Mediam inter & Meſopotamiam ſita erant, occupaſſe, atque in iis more latronum è rapto vixiſſe. Sunt enim ab *Elymæis*. Γειτνιᾷ, ait [b], δὲ τῇ Σουσίδι τῆς Βαβυλωνίας, ἡ Σιτακηνὴ μὲν πρότερον, Ἀπολλωνιᾶτις δὲ ὕστερον προσαγορευθεῖσα. ἀπὸ τῶν ἄρκτων δ' ὑπέρκεινται ἀμφοῖς πρὸς ἕω Ἐλυμαῖοί τε καὶ Παραιτακηνοί, λῃστρικοὶ ἄνδρες, καὶ ὀρεινῇ τραχείᾳ πεποιθότες· Qui deſcribuntur ex Strabone. *Suſidi ea pars Babyloniæ proxima eſt, quæ quondam Sitacena, poſtea Apollionatis eſt dicta: Ambabus à ſeptentrione Orientem verſus* Elymæi *imminent, & Parætaceni*, latrones, *&* aſperis montibus freti. Unde conjicio, hunc *Cedorlaomerum*, hominum illorum montanorum, latronumque Ducem, Orientis regna, viribus & numero populorum exigua, quorumque ſubditi pecuarii ut plurimum erant per agros huc illuc diſperſi, quandoque ex improviſo infeſtaſſe; à quibus invaſionibus ut vicini illi Principes immunes eſſent, pacto ſe illi obſtrinxiſſe ad tributa illi perſolvenda. quod erat inſigne *ſervitutis*. Exiſtimo ſane Lydum illum *Sandanem*, qui expeditionem in Perſas Crœſo diſſuaſit, hoc ipſum quoque in animo habuiſſe, quando hujusmodi ad Crœſum orſus eſt ſermonem: *Adverſus tales Viros expeditionem paras, Rex, qui coriacea ſubligacula, qui è corio reliquam veſtem ferunt: qui non quibus volunt cibis veſcuntur, ſed quos habent, utpote regionem aſperam incolentes. Ad hæc potu non vini utuntur, ſed aquæ; non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habentes: quibus quum nihil ſit, quod eripias, ſi viceris; ſi victus fueris, quot bona amittes?* quæ leguntur apud Herodotum [c]. Hi vero *Elymæi*, qui quaquaverſum excucurrerunt, & ex quibus pars ad Septentriones ſeceſſerunt, ortum dederunt *Perſis*,

a Gen. xiv. 1. b Strab. Geogr. Lib. xv. p. 503. c Lib. 1. p. m. 32.

ſis, qui inde in Scriptura Vetere veniunt nomine עילם. *Perſarum* enim nomen, quo tam ipſi hi Populi quam qui ipſis proximi fuerunt ad meridiem, deinceps inſigniti ſunt, non eſt antiquius Cyro, ut demonſtratum à Bocharto[a]. Quid quæro? An enim Ammianus non totidem verbis ait[b]: PERSAS ESSE ORIGINITUS SCYTHAS? Quod etſi de *Parthis* intelligi velit Valeſius: non dubito tamen quin Ammiano conſtet ſententiæ ſuæ ratio.

Secunda, quod Scythæ ſæpe excurſiones fecerint in Perſiam.

XII. 2. Non Perſæ modo ab iiſdem illis Populis ſunt oriundi, quibus natales ſuos debent Scythæ: ſed Scythæ quoque ſæpe numero variis temporibus in hæc ipſa loca excurſiones fecerunt; ſive quod cum Elymæis colluſerint, ſive quod invaſionibus ſuis illa loca infeſtarint; fere eodem modo ut ſequentibus longe ſæculis inſtituerunt vera Scytharum progenies Tatari. Sæpe ſe Scythæ antiquis temporibus per Caſpias Portas per totam Aſiam diffuderunt; ab Oriente Mediam, & Parthiam, quæ ſic deinceps ab iis dicta eſt, occuparunt; verſus Occidentem & Auſtrum ad ipſam Ægyptum uſque progreſſi ſunt. de quo luculenta extant Veterum Auctorum teſtimonia. Diodorus Siculus clare dicit[c], antiquis jam temporibus ex *Media* & *Aſſyria* à Scythis deductas eſſe colonias. quod utique argumento eſt, illa loca ab iis occupata olim fuiſſe. Regnante apud Ægyptios Seſoſtri, (ſive circa ſive poſt tempus exitus Iſraëlitarum ex Ægypto: etſi dubium, an traditio hanc Scytharum expeditionem ad Seſoſtris tempora recte retulerit:) ut apud Photium[d] Arrianus teſtatur, Scythæ ex Patria ſua demigrarunt in illum tractum, qui deinceps *Parthia* dictus eſt. Quos Scythas Curtius[e] *Europæos* fuiſſe ex communi fama tradit. *Tanais*, inquit, *Europæam & Aſiam medius interfluit; nec dubitatur, quin Scythæ, qui Parthos condidere, non à Boſporo, ſed ex regione Europæ penetraverint.* Sed nihil celebrius illorum incurſione Scytharum in Mediam non adeo multis annis ante Exilium Babylonicum ſub Rege Medorum Cyaxare, Phraortis Filio, quam deſcribit in Hiſtoria ſua Herodotus. Occuparunt tum totam Aſiam, eamque populationibus ſuis diripuerunt, ut exerte Hi-

Quod teſtimoniis Veterum probatur & illuſtratur.

a Phaleg. Lib. IV. Cap. X. & Lib. II. Cap. II. b Hiſt. Lib. XXXI. Cap. II. c Bibl. Lib. II. p. 127. d Vide Marsh. ad Sec. XIV. p. 381. e Lib. VI. prop. init.

Hiſtoriographus [a]. *Οἱ δὲ Σκύθαι τὴν Ἀσίαν πᾶσαν ἐπέσχον.* Medi tandem arte uſi potiorem eorum partem interemerunt, poſtquam Aſiam per Annos aliquot infeſtaſſent: quorum reſiduos per conjecturam liceat ſtatuere, in vicina Mediæ montana, ſive in Elymaidem & Perſiam ſeceſſiſſe. Fuerunt autem hi iidem illi Scythæ, qui Cimmeriis ex Europa ejectis à lacu uſque Mœotide in Aſiam pervaſerunt, ut diſerte teſtatur Herodotus. Ex his cauſſis niſi convenientia manifeſta inter Linguam Perſicam & Germanicam explicetur, fateor, me hic nihil videre.

XIII. Utcumque tamen hæc ſe habeant cum Lingua Perſica: prodit illa non minus manifeſtis indiciis quam aliæ omnes, ortum ſe ducere ex Hebræa: etiamſi illud neget Boxhornius. Defendit Vir ille Doctiſſimus, Germanicam, & Perſicam quoque, quatenus Germanicæ ſimilis eſt, ex Scythica natam eſſe. ac ſi illa inter ſe pugnarent, quæ minime pugnant! Omnino vero Linguæ Germanica, Celtica, & Gothica habendæ ſunt pro dialectis Linguæ Veteris Scythicæ: & ipſa quaque Perſica Lingua, quatenus cum illis cognationem habet: verum ipſa illa Scythica Lingua ortum ſuum debet Hebrææ, ac proin fieri aliter nequit, quin in illis dialectis æque ac in Lingua Scythica extent clara rudera Linguæ Hebrææ in iis deperditæ. Quid prohibet itaque hæc duo ſimul vera eſſe? Nos modo uno vel altero ſpecimine nunc de Perſica Lingua idem oſtendamus, quod in aliis hactenus non adeo infeliciter videmur tentaſſe.

Quæ tamen ipſa Lingua *Perſica* convenit cum *Hebræa.*

Sententia Boxhornii.

XIV. Arripimus autem quædam illorum vocabulorum quæ apud Cl. Virum, Barnabam Briſſonium [b], reperiuntur de *Regno Perſarum:* ubi multa Perſicorum nominum & vocabulorum recenſet, licet nulla ex Linguis Orientalibus explicet. *His adde*, inquit, CYRUM *Perſico ſermone*, SOLEM *ſignificare. Auctor Cteſias, qui Paryſatidem Dario præter Artaxerxem, alium filium genuiſſe narrans, addit,* καὶ τίθεται τὸ ὄνομα αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ἡλίου Κῦρον. *Plutarchus* in *Artaxerxe:* ὁ μὲν οὖν Κῦρος, ἀπὸ Κύρου τοῦ παλαιοῦ τ' ὄνομα ἔσχεν: ἐκείνῳ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἡλίου γενέσθαι φασί. Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν Ἥλιον. Ignoramus certe, quid † Viri Docti ad etymon

Quod demonſtratur ex quibuſdam ſpeciminibus.

Inter quæ eſt nomen Cyri.

a Herod. Lib. 1. p. 49. b Lib. 11. p. 279.

† Vidi poſtmodum Cl. Bochartum id jam obſervaſſe in Canaan Lib. 1.

etymon nominis hujus *Cyrus* dixerint; ſed nihil facilius quam illud ex Hebræa Lingua exponere, qua חרם SOLEM notat. *Perſæ* literam *h*, cui reſpondent apud Hebræos ה & ח / fortiſſime

Quod natum eſt ex Hebræo חרם.

ſolebant proferre. Notat id alibi Bochartus [a]. *Perſis*, inquit, *& Carmanis, qui in vicinia habitant, ſolenne eſt, ut literam* ה *he fortius efferant, quaſi eſſet χ vel k. Sic Brachmannus nomen Perſicum,* בראהמה *ſcribitur per He ſimplex. Ut &* דה *Dec, quod eſt decem, &* שאה *shac, quod Regem ſonat.* Quanto magis litera ח / quæ *aſperiorem* longe ſonum habet. חרם itaque elatum eſt *Keres*, licet *Keres & Cheres* parum in pronunciatione differant. חרם autem, ſeu *Cheres*, ut apud Jobum [b]: in Lingua Hebræa SOLEM ſignificat, ut dixi; *Qui dicit* לחרם *Soli, & non oritur.* Et in Libro Judicum [c]: בטרם יבא החרסה *Antequam occideret ſol.* Nec offendere quenquam debet, quod vocabulum Κῦρος apud *Jeſaiam*, *Eſram*, alioſque Scriptores Sacros ſcriptum ſit in Lingua Hebræa כורש / ſiquidem Sacri Viri illa ſcriptione vocis Κῦρος pronunciationem Perſicam exprimere ſtuduerint; uti factum in voce דריוש & aliis, quæ apud *Eſram* extant. Aliud addimus nomen, quod Briſſonius apud Ammianum Marcellinum [d] legit.

Et NARMALCHA.

Narmalcha, inquit, *amnem Regium ſonat interprete Ammiano.* Hæc illius verba ſunt [e]: *Hinc pars fluminis ſcinditur largis aquarum agminibus ducens ad tractus Babylonios, uſui agris futura, & civitatibus circumjectis; alia* NAARMALCHA *nomine quod* FLUVIUS REGUM *interpretatur, Cteſiphonta prætermeat.* Certe æque facile eſt, hujus vocis ſignificationem explicare ex Lingua Hebræa. נהר *Nahar* ſive *Naar* fluvium notat, & מלך *Melech*, מלכא *Malca Regem. Nar-Malca* igitur eſt *amnis Regius*, quem Strabo ποταμὸν Βασίλειον appellavit, quique Aſſyriis hodie adhuc *Almalchar*, τῷ *Nar* in *Ar* contracto, nominatur, uti eſt apud Plinium [f]. Plurima autem alia hujuſmodi nomina apud Ammianum occurrunt, in quibus non eſt difficultas major. Ex. gr. SUREN & *Surena*, quo nomine inſigniebantur apud *Perſas*, qui poteſtatis ſecundæ poſt *Regem* erant. Ammianus:

a Lib. II. Phaleg. Cap. XX. b Cap. IX. 7. c Cap. XIV. 18. d Lib. XXIV. e p. m. 286. f Lib. VI. Cap. XXVI.

Lib. I. Cap. XXXVII. idemque, niſi fallor, notatum deprehendi in ampliſſimis Eruditorum Commentariis ad Juſtinum Trogi.

nus [a]: *Advenit* Surena *poteſtatis ſecundæ poſt Regem.* Surena omnino deducendum videtur ab Hebræo שר *Sar*, quod cum affixo eſt שרי/ *Sari*. Unde *Sarena* vel *Surena* per additam terminationem frequentis uſus. שר *Principem* deſignat, poteſtate eminentem: quod hic ad rem facit. Vel *Surena* eſt שרנו *Princeps noſter*, ut ארונינו *Dominus noſter*, רבנו *Doctor noſter &c.* Pergit Briſſonius in recenſendis nominibus: Gangamela *Perſis eſt Cameli domus, auctore Strabone & Plutarcho.* Mihi omnino & hoc vocabulum plane Hebræum eſſe apparet. Quis ignorat τὸ גמל Hebræis *Camelum* ſignificare? A qua voce & Græcorum κάμηλος & Latinorum *Camelus*, & Belgarum 𝔎emel deſcendit. גן *Gan* vero Hebræis *locum obtectum* notat, à גנן *obtegere*. Unde & גן *hortus*, quia ſepto tectoque circumdatus locus eſt. niſi potius pro Gangamela legendum ſit *Gaugamela*, ex גוה & גמל/ ut alibi puto legere apud Bochartum, etſi locus nunc non ſuccurrat. Heſychius dicit, vocem Δαρεῖος apud Perſas idem valere quod φρόνιμος, licet alii aliud velint. Ego credo, Heſychium vera ſcripſiſſe. Facile enim vocabulum hoc poteſt exponi ex hebræo דרש *inquirere*; unde דרויש notaret hominem, qui res omnes diligentiſſime perſcrutatur & inquirit, qui revera φρόνιμος eſt. Plura addere non licet. Petantur alia exempla ex Bocharto, cujus labor hic ſatis prædicari non poteſt.

Item *Surea* & *Surena*, apud Ammianum.

Et, *Gangamela*.

XV. Atque hoc quidem tertium argumentum eſt, quod in ſententiæ noſtræ patrocinium produximus. Si enim unicuique ad oculum poſſit oſtendi, Linguarum mutationem ſucceſſu temporis & per varios gradus factam eſſe, id eſt, omnes Linguas ex Hebræa tanquam matre natas & ad eandem reducendas eſſe; quin ſi præterea mutationis illius rationes dari queant probabiles: quod nos modo feciſſe opinamur: certo inde colligendum videtur, Linguarum variarum originem non eſſe referendam ad ſtructuræ Babylonicæ ætatem. Ad quę non pauca accedunt alia, quę eandem hanc ſententiam ſuſtinent: ut v. gr. eſſe Linguas etiam Capitales, ita dictas, quę tempore Babylonicæ ſtructuræ ortæ eſſe non potuerunt, quia earum Auctores poſterioris fuerunt ætatis; Linguas omnes (Hebræâ exceptâ:) ſua habuiſſe incrementa uſque quo ad perfectionem pervenerunt

Concluſio ſuperioris probationis.

O ſuam,

[a] Lib. xxx.

ſuam, quod futurum non erat, ſi Linguæ illæ in Babylonica Confuſione ortæ eſſent, quia tum haud dubie mox extitiſſent perfectæ tanquam per miraculum productæ; Nomina Deorum, qui culti fuerunt ab antiquiſſimis gentibus, terrarum quoque & regionum, poſt Babylonicam ſtructuram demum uſurpata, exponenda omnia eſſe ex Lingua Hebræa, nulla ex aliis Linguis: unde colligitur, Linguas illas iis in gentibus priſco illo tempore nondum natas fuiſſe; Familias Chami & Japheti adeo exiguas numero fuiſſe tempore ſtructuræ Babylonicæ, ut difficulter tibi perſuadeas, in illis obtinuiſſe tantam tum temporis Linguarum diverſitatem; Moſen variarum harum Linguarum originis in ſuo contextu claram non facere mentionem. Quę omnia latius & fuſius potuiſſemus proſequi, ſi inſtituti noſtri ratio id permiſiſſet.

CAPUT IX.

Exhibetur tandem duplex explicatio contextus Hiſtoria Moſaicæ, *Cap.* IX. 1. 6. 7. *quarum neutra videri poſſit abs re eſſe.* Altera *fert*, *hiſtoriam Moſis de* animorum diſſenſione in Conſiliis & Opere, *quæ cauſa eſt Diſſipationis populorum in varias terræ plagas*, *ac proin* Originis Linguarum variarum, *intelligendam eſſe:* Altera *vero*, *Moſen loqui de* Vitio Linguæ *aut* Labiorum in pronunciatione, *quod conditoribus turris*, *quando animi ſui cogitata aliis exponerent*, *illo tempore extra ordinem evenerit judicio divino*, *modo prorſus ſingulari.*

Sententia, in ſuperioribus adſtructa, ut cum *Hiſtoria Moſaica* concilietur datur opera.

SI ſatis nunc videtur argumentorum rationumque eſſe adductum ad probandum, Linguas debere originem ſuam variis populorum migrationibus mutationibuſque, factis poſt ædificationem turris Babylonicæ & diſperſionem Gentium: videndum reſtat, quod *ſecundo* nos facturos *loco* promiſimus, quomodo hæc ſententia conciliari poſſit cum hiſtoria

Moſis,

Moſis, quę extat Gen. XI. 1, 2. &c. quippe ex qua vulgo colligitur, *Originem variarum Linguarum* mortalibus primis poſt diluvium in pœnam ædificatæ turris Babylonicæ ceſſiſſe.

Verba Moſis producuntur.

II. Hiſtoria de *Confuſione Labii*, vel *Linguarum*, ut vulgo dicere ſolent, apud Moſen extat his verbis [a]: ויאמר יהוה הן עם אחד ושפה אחת לכלם *Et dixit Jehova: Ecce populus unus &* LABIUM UNUM *omnibus illis eſt, & hoc eſt, quod inceperunt facere, & nunc, non difficile eſſet ipſis, omne id quod cogitarunt efficere?* הבה נרדה ונבלה שם שפתם אשר לא ישמעו איש שפת רעהו *Agedum deſcendamus &* CONFUNDAMUS IBI LABIUM EORUM, *ut non audiat quiſque labium ſui proximi: ideo vocatur nomen ipſius Babel, quia ibi* CONFUDIT JEHOVA LABIUM TOTIUS TERRÆ. Quę conferenda ſunt cum initio illius hiſtoriæ [b]: ויהי כל הארץ שפה אחת ודברים אחדים *Et erat tota terra* LABII UNIUS & UNORUM VERBORUM. Ab horum verborum ſano intellectu tota noſtra pendet diſputatio. Quicquid enim hic ſcriptum legimus & intelligimus, tanquam verum abſque omni dubitatione amplectimur.

Vulgata illorum interpretatio, & præcipue phraſis Confuſionis Labii.

III. In verbis autem hiſce totius noſtræ diſputationis pondus præcipue imcumbit phraſi: בלל שפה/ quam ad verbum exprimimus per Confusionem Labii. Longe potior pars Interpretum Divini Verbi, qua Veterum qua Recentiorum, illam *Labii Confuſionem* exponit de *Origine plurium Linguarum*: ut vulgo ſatis notum eſt. Per *Labium* itaque in hoc loco intelligunt *Linguam*, ſive *Sermonis Dialectum*: per *Confuſionem illius Linguæ*, ſive *Dialecti*, illius Linguæ *diviſionem* in plures Linguas, quę diviſio in eum modum facta ſit, ut in omnibus illis Linguis rudera quædam & reliquiæ priſcæ illius & primævæ Linguæ ſuperfuerint. Sic enim fere qui hac de re agunt Auctores ſententiam ſuam explicare ſolent, etſi inter eos in omnibus non conveniat: ut videre licet apud Buxtorfium [c]. Nec tamen hæc expoſitio caret difficultate notabili, etiamſi ſit receptiſſima. Etenim in univerſo hoc textu hiſtoriæ Moſaicæ nulla plane mentio eſt *originis variarum Linguarum. Labium confuſum* eſſe dicitur: quod quid ſit relinquitur dubium: ſed *Linguæ ortæ* non dicuntur. Neque enim φράσις בלל שפה *confuſionis labii* neceſſario notat *originem* plurium *Linguarum*. imo certe videtur longe quid aliud

Cujus notabile incommodum oſtenditur.

a Gen. XI. 6, 7. b Verſ. 1. c Diſſ. 11. de Confuſ. Ling. §. 25.

debere ſignificare. Philo Judæus id jam obſervavit[a]. *Confuſionem*, ait, *hanc rem appellat, qui ſi voluiſſet ortum indicare Linguarum, aptius* DIVISIONEM *appellaßet, quam* CONFUSIONEM: οὐ γὰρ συγχεῖται τὰ τεμνόμενα, διακρίνεται δ' ἔμπαλιν, *non enim confunduntur, quæ in partes diſtribuuntur, ſed diſcernuntur potius.* Ad eundem modum rationes ſuas colligunt hac de re Doctiſſimi Viri, Mericus Caſaubonus[b], & Joannes Henricus Heideggerus[c]. Scilicet Moſes *unius* tantum *labii* meminit: illi de *variis* loquuntur *Linguis*. Moſes *unum* illud *labium confuſum* dicit, illi *plures linguas ortas* eſſe ſtatuunt: quę diverſiſſima ſunt. Explicent itaque nobis auctores, quomodo *una* Lingua dici poſſit *confuſa eſſe*? Explicent etiam illi, qui Hebrææ Linguæ antiquitatem, dignitatem, & præſtantiam tuentur, quomodo *Hebræa Lingua* dici poſſit *confuſa* eſſe, quando conſtat, eam poſt id tempus apud poſteros horum populorum, qui *Babylonicam turrim* ſtruxerunt, integram permanſiſſe? Utique obſervavi Doctiſſimos Viros, qui huic ſententiæ patrocinantur, in hac phraſi explicanda hæſitare.

Quæque pluribus redarguitur.

Ut adeo diſcedendum non videatur à ſententia quæ originem Linguarum refert ad *cauſſas naturales*.

IV. Cæterum ſi Moſes *originis variarum Linguarum* explicite non meminerit; ſi etiam φράσις *confuſionis Linguæ* aut *labii* non ſignificet *ortum variarum Linguarum*: omnino exiſtimem, nullam rationem eſſe recedendi ab ea ſententia, quam rationes plurimæ probabiles & certa experientia confirmant, quod *Linguæ* naturali prorſus modo pro communi rerum mundanarum fato oriantur: de quo in antecedentibus actum. Si id clare diceret Moſes, accipiendum eſſet abſque ulla tergiverſatione: ſed quando conſtat, eum ita ſcripſiſſe, ut verba ipſius alium videantur ſenſum præ ſe ferre, qui nobis obſcurus eſt; nulla nos neceſſitas obligat ad deſerendam ſententiam, quam aliunde certam eſſe cognoſcimus. Subſcribimus itaque hic lubentes Merico Caſaubono. *Quodcunque Sacra Scriptura*, inquit, *in hoc de Linguis argumento ita clare ac dilucide tradit, ut aliter accipere durioris ac contentioſi ſit hominis, de eo, quod communi naturæ aut experientiæ minus congruat, dubitare aut diſputare impium eſſe: quod vero ita ambigue traditum eſt, ut nihil obſtet, quin plures ſententiæ proponi*

a Lib. de Confuſ. Ling. b Diſſ. de IV. Ling. c Exerc. XXI. in Gen.

poni poſſint, per quas nulla vis S. Scripturæ verbis inferatur; ex pluribus ſine impietatis invidia cuivis licere, quæ ad naturam rerum & experientiam communem proxime accedat, eam amplecti.

Et manet tamen narrationis Moſaicæ ſenſus obſcurus.

V. Sed forte facilius receptam horum verborum interpretationem rejicimus, quam meliorem & orationi Moſaicæ convenientiorem ipſi nos producimus! Imo nolim negare, Moſaicam phraſin eſſe quodammodo expoſitu difficiliorem, adeo quidem ut vix cum aliqua certitudine de germano ſenſu horum verborum, qui ab Hiſtoriographo intentus ſit, liceat pronunciare. Nec putant Cl. Viri, Caſaubonus & Heideggerus, ſe ad id obligari poſſe, ut veram explicationem horum verborum producant. Sufficit ſecundum ipſos, oſtendere, communem interpretationem contextus non convenire vi & ſignificationi propriæ verborum; modum vero confuſionis temere definiendum non eſſe, quoniam nulla ſimilis phraſis, nullum factum ſimile in S. Scriptura extat, unde illuſtrari poſſit hæc narratio Moſis. Et ſane quam non multa alia loca ſunt in Libris Sacris, in quorum explicationibus facile aliorum monſtrari errores poſſunt, etſi nec ipſi nos eorum veram & certam ſententiam aſſequamur? Lubet tamen nobis, ne vacuum dimittamus Lectorem, proponere duas alias hujus loci ἐξηγήσεις, quę poteſtati vocum & ſcopo ac circumſtantiis Orationis Moſaicæ videri poſſent ſatisfacere.

Tentatur nihilominus interpretatio diverſa, & quidem primo, an Moſes intelligi nequeat de *diſſenſione animorum* & *ſtudiorum*?

VI. *Primo* velim, expendatur, an *Confuſio Labii* heic loci non poſſit notare *diſſenſionem animorum*, per quam factum ſit, ut qui Turrim Babylonicam ſtruebant, diſtracti ſint in *contraria ſtudia* & *conſilia*; ſciſſi, inquam, in partes, uno hoc, aliud alio volente & verbis ſuadente; quæ cauſſa quod præcipui Operis Inſtitores inde receſſerint, & qui modo animis & conſiliis uniti erant, nunc animis & ſententiis diviſi ab invicem ſeparati, & ita per Orbem terrarum ab illo tempore diſperſi ſint. *Linguæ* confundi non potuerunt, quæ præter Hebræam fuerunt *nullæ*: ſed *ſermones confundi* potuerunt ædificantium, quando conſiliis diviſi diverſarum ſententiarum auctores extiterunt. Secundum quam interpretationem verba *verſus primi*; *Et tota terra* UNIUS *erat* שפה LABII & UNORUM דברים VERBORUM, ſic deberent exponi, ut שפה referretur ad *ſermonem* & *orationem cujuſque*, cujus *unitas*

notat *unitatem animorum*, & τὸ דברים ad communia *conſilia* & *intentiones* hominum, ſic ut non tantum idem loquerentur, id eſt, idem ſentirent in ſumma animorum concordia, ſed & ut eundem quoque omnes ſibi propoſitum haberent ſcopum eademque animo agitarent conſilia. Finge itaque tibi, Moſen hoc voluiſſe dicere, Noachidas poſt Diluvium aliquantum temporis in ſumma vixiſſe pace & animorum conſenſu; eadem *oratione* expreſſiſſe, eadem animo agitaſſe *conſilia:* eveniſſe vero per ſingulare Dei judicium, ut in ædificatione turris, quam ſibi promittebant huic concordiæ & paci fovendæ inſervituram, ſermone conſiliiſque à ſe invicem inceperint diſſentire, quæ cauſſa fuerit, quod in varias diſſipati ſint terræ plagas. Ad quam noſtram explicationem illuſtrandam, duo requirentur, ut 1. oſtendamus, tum voces Hebræas שפה & דברים, tum totam phraſin, hanc ferre poſſe expoſitionem. 2. Probemus, eam non male convenire ſcopo Moſis & circumſtantiis totius narrationis.

Quæ hypotheſis planius exponitur.

VII. In cenſum idcirco primo loco venit vocabulum שפה, quod uniuscujuſque rei *oram*, *extremitatem*, atque hinc *labium* ex perpetua φράσει ſacrarum literarum ſignificat. Exempla ubivis extant: LXX χεῖλος, & γλῶσσα. Verum quia *labium*, oris extremitas, eſt inter inſtrumenta, per quæ natura nos fari docuit: hinc Sacri Scriptores, quos penes dicendi arbitrium erat, vocem hanc שפה pro *ſermone*, *oratione*, dicendi non *idiomate* tantum, ſed & *ipſa rei dicta ſententia* datâ occaſione non uno in loco uſurparunt: quod ipſum, quia præcipue nunc ad rem noſtram facit, paulo latius demonſtrandum eſt. Sic haud dubie ſumenda erit hæc notio apud *Tſephaniam* [a]: כי אז אהפך אל עמים שפה ברורה *Nam tunc vertam ad populos* LABIUM ἐκλεκτὸν *ſelectum*. quibus verbis exponendis licet varient Commentatores, non occurrerunt tamen hactenus, qui vocem שפה *hoc* in commate pro *dialecto* acceperunt, ſi unicum exceperis Aben-Eſram, qui Parentum ſuorum commentis hic indulget: יהפכו לעבור השם לעבדו בשפה ברורה היא לשון הקדש שבה לבדה נקרא השם הנכבד: *Convertentur*, inquit, *ad ſerviendum Deo ſoli* LABIO PURO, *quod eſt* LINGUA SANCTA, *quæ ſola veri Dei nomina habet.* Melius David Kim-

Ad quam interpretationem commendandam primo expenditur poteſtas vocis שפה.

Quæ non *Linguam* tantum, ſed & res ſive ſententias Lingua prolatas ſignificat.

a Capite III. Verſ. 9.

Kimchi[a]: פי׳ העמים שישארו אחר מלחמת גוג׳ שפתם הראשונה אהפך אותה לשפה ברורה שלא יוציאו בשפתם אלהים אחרים אלא כולם יקראו בשם ה׳ וזו שפה ברורה כמו שאמר בנבואת זכריה ביום ההוא יהיה ה׳ אחד ושמו אחד *Senſus eſt: Sermonem populorum, qui ſuperſtites futuri ſunt poſt Bellum Gogi, priorem, verſurus ſum in Labium purum, ut non amplius* PROFERANT *labiis ſuis Idola, ſed omnes invocent nomen Jehovæ, ſicut ſcriptum eſt in Prophetia Zachariæ: Illo tempore erit Jehova unus, & nomen ejus unum erit.* Manifeſtum eſt, hoc velle Prophetam, *Verbum Evangelii*, quod rectas de Deo ejuſque viis ſententias continet, omnibus per orbem terrarum populis prædicandum eſſe. Nec alia vocis ſignificatio in hac Salomonis ſententia[b]: שפת אמת תכון לעד Labium veritatis *firmum erit in perpetuum*: quem locum non de *ſermonis dialecto*, ſed de ſententiis, per *labia* prolatis, intelligendum eſſe, quis dubitet? Aben-Eſra שפת אמת סד׳ hoc in loco per הדוברת עדות אמת *loquentem teſtimonium veritatis*, & *Gerſomides* per דבר אמת *verbum*, ſermonem, orationem *veritatis*, interpretatur. Eodem ſenſu habes[c] שפת און Labium iniquitatis: [d]שפת חלקות Labium blanditiarum: Quibus, ſi opus eſſet, alia addi poſſent.

Ubi illuſtratur locus *Tſephaniæ*. III. 8.

Nec non aliis locis.

VIII. Quin etſi nolimus negare, vocabulum שפה poſſe habere ſignificatum *Linguæ* & *Dialecti*: certum tamen, eſſe illum in Scriptura infrequentiorem, † & Scriptores ſacros conſueviſſe *ſermonis dialectum & linguam* per לשון exprimere iis in locis, ubi omnibus conſtat de *Dialectis*, non vero de Orationum aut ſermonem ſententiis, agi. Quia vero vocabulum לשון *toto* hoc in *Capite* non reperitur, in quo nihilominus quam maxime de *linguis* atque ſermonum idiomatibus agi judicant; merito quis in dubium vocet, an vocabulum שפה per *idioma*, vel *dialectum* hic loci

Quin obſervatur, ſignificationem vocis שפה pro *Dialecto* eſſe infrequentiorem.

a C. in h. l. b Prov. XII. 19. c Prov. XVII. 4. d Pſ. XII. 3. e Gen. X. 5.

† Cl. Coccejus in *Lexico* ſuo ad hanc vocem adſcripſit, vocem שפה SÆPE hoc venire ſignificatu; quod tamen prudenter accipiendum. Res ita ſe habet. Vox שפה occurrit in Scriptura plus quam *centies* & *ſeptuagies*. Et tamen inter tot loca vix plura obſervavi quam *quinque*, (excepto loco controverſo Gen. XI. 1.) quæ faveant illi ſignificationi vocis, de qua agimus. ut ſunt Jeſ. XIX. 18. XXVIII. 11. XXXIII. 19. Ezech. III. 5, 6. Pſ. LXXXI. 6.

loci exponendum ſit, ſiquidem vero videatur ſimillimum, Spiritum S. tali hic uſurum eſſet vocabulo, quod quam propriiſſime *dialectum* exprimit, ſi voluiſſet, uti *Confuſionem dialectorum* hic factam intelligeremus. Utique in *ſuperiore Capite decimo* vox לשון ſignificatu *Linguæ* ſive *idiomatis* non ſemel uſurpata erat. Ut v. gr. [a] *Ab his diviſæ ſunt inſulæ Gentium in regionibus ipſarum;* איש ללשנו *quæque ſecundum Linguam ſuam*, idioma ſuum. Et in ſeq. [a] *Hi ſunt Filii Chami ſecundum Familias ipſorum*, ללשנתם SECUNDUM LINGUAS IPSORUM. Græci quoque conſtanter τὸ γλῶσσα vel διάλεκτος, nunquam vero, quantum mihi liquet, τὸ χεῖλος hoc in caſu uſurparunt. Sequitur quoque hunc loquendi modum * Apoſtolus in priore ad Corinthios Epiſtola [b], ubi argumentum affine de uſu varietatis linguarum in Eccleſia Chriſtiana primæva pertractat. Ita ὁ λαλῶν γλώσσῃ, λαλεῖν γλώσσαις, (דבר בלשונות /) προσεύχομαι γλώσσῃ, ἑτερογλώσσοις, & quę plura extant. Nec mirari oportet, non uti quoque Apoſtolum tota hac in pericopa vocabulo διάλεκτος, quia puriores Græci diſtinctionem aliquam inter γλῶσσα & διάλεκτος obſervarunt: ut dudum monuit † Alexandrinus Clemens.

Et paſſim adhiberi vocem לשון *Linguæ.*

Quod oſtenditur exemplis ipſius hujus hiſtoriæ.

IX. דברים / cujus vocis ſignificatio nobis *ſecundo loco* inveſtiganda erat, eſt à דָּבָר / quod λόγον, *ſententiam*, *orationem*, idque

Genuina ſignificatio vocis דברים *producitur, & ex etymo ejus oſtenditur.*

a Verſ. 20. b 1 Cor. XIV. 1, 2. 3.

* Nihil iis, quæ hic trado, certius: modo quis verba Jeſaiæ, (Cap. XXVIII. 11.) quæ Apoſtolus ex eo allegat & deſcribit verſ. 21. in quibus vox χεῖλος reſpondet notioni שפה apud Jeſaiam, à phraſi Apoſtoli diſtinguat.

† Locus Clementis eſt Strom. Lib. 1. in hanc ſententiam: Φαίνονται δὲ εἶναι καὶ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον αἱ γενικαὶ διάλεκτοι δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδιδόασι γραφαί, αἱ δὲ ἄλλαι αἱ πολλαὶ, ἐπὶ κοινωνίᾳ διαλέκτων δύο ἢ τριῶν ἢ καὶ πλειόνων γίνονται. Διάλεκτος δέ ἐστι λέξις, ἴδιον χαρακτῆρα τόπου ἐμφαίνουσα ἢ λέξις ἴδιον ἢ κοινὸν ἔθνους ἐπιφαίνουσα χαρακτῆρα· φασὶ δὲ οἱ Ἕλληνες ἀπεριλήπτους οὔσας τὰς βαρβάρων φωνὰς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας λέγεσθ. *Videntur autem ex vera ratione* DIALECTI, (linguæ, ſermones) GENERALES ESSE *ſeptuaginta duæ, ut noſtræ tradunt ſcripturæ. Fiunt autem aliæ per communionem duarum vel trium, etiam plurium dialectorum. Eſt vero* DIALECTUS *dictio, quæ loci proprium vel communem gentis characterem oſtendit. Dicunt autem Græci, voces Barbarorum, quæ comprehendi nequeunt, non dici* DIALECTOS, *ſed* LINGUAS.

idque à דָבַר/ quod *loqui*, *dicere*, *fari*, in ſacris notat: atque ita τὸ דברים hoc noſtro in contextu *verba* ſignificaret plura, ex quibus דבר *ſententia* integra conſtat, vel plures ſententias, è quibus componitur *oratio*. Hoc ſenſu οἱ δέκα λόγοι, quibus conſtat Lex Sinaitica, duabus Tabulis inſculpta, עשרת דברים dicti ſunt. Imo vox דבר aliquando non notat *orationem* ſimpliciter, ſed ejuſmodi orationem, cui *ratiocinatio* & *conſilium* ineſt, ut facile probari poteſt ex illis thematibus, quę à radicali דבר deſcendere apud omnes in confeſſo eſt, & quę nihilominus ad ſignificationem *loquendi dicendive* commode referri nequeunt. Sic מדבר *deſertum*, דבר *ovile*, דברה *intentio*, דברה *apis*, דברות *rates*, quid commune habent cum *ſermone* aut *oratione*? Concipiendus itaque nobis hic erit generalis aliquis ſignificatus *thematis radicalis* דבר/ ad quem omnes derivatorum thematum ſignificationes poſſint reduci. Dicamus igitur, τὸ דבר/ primario non *orationem* aut *ſermonem*, ſed *ductum* ſignificare. quando vero in *ratione* variarum cogitationum; in *ſermone* autem gutturis, oris, atque linguæ, quin imo ipſius ſermonis per *guttur*, os, & linguam quidam *ductus* eſt; hinc reſpondere τῷ λόγῳ, & induere ſignificatum tum *rationis*, tum *ſermonis*. Hinc מדבר *deſertum*, & דבר *ovile*, quia in utrumque pecorum ductus eſt; & cætera etiam, quę extant, & recenſuimus, deſcendunt themata, in quibus vel artis, vel naturæ ductum contemplamur. Ita Moſe Gerundenſis דברה vertit per הנהגה *ductum*, vel *intentionem*. Chaldæis & Syris admodum familiaris eſt hic ſignificatus. Cape exemplum ex *Num.* XXIII. 14. ודבריה לחקל סכותא *Et duxit eum in agrum ſpeculationis: Exod.* XIII. 21. לדברותהון באורחא *Ad ducendum eos in via.* Sic Græca Matthæi [a]: Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, Syrus tranſpoſuit הידין ישוע אתדבר מן רוחא דקודשא למדברא *Tunc Jeſus* DUCTUS *eſt à Spiritu Sancto in deſertum.* Sic itaque דברים hic notaret ejuſmodi ſententias, quibus ineſt *conſilium* & *deliberatio*: ſive potius ipſa *conſilia*, quibus homines de iis, quę agenda ipſis erant, in commune commodum deliberarunt. Quando ſenſus Hiſtoriographi eſſet, homines uſque ad ſtructam turrim Babylonicam *earundem* fuiſſe *ſententiarum* & *conſiliorum*; idem loquutos & molitos eſſe; nulla inter eos fuiſſe

Ut & ex derivatis aliis.

Et Dialectis affinibus.

Ex qua vocis ſignificatione oſtenditur per *una verba* apud Moſen

P ſlu-

a Cap. IV. 1.

intelligi poſſe *unitatem conſiliorum* & *ſententiarum.*

ſtudia & factiones contrarias. ſtruxiſſe autem turrim eo conſilio, ut illius *unitatis* ſymbolum & præſidium eſſet. quod cum Deo diſpliceret, ejus ſingulari judicio *diſſenſiones* acres in familiis Noachidarum ortas eſſe, quę occaſionem dederint hominibus per orbem terrarum diſſeminandis. Nec Judæi ab hac interpretatione fuerunt alieni. Certe Salomo Jarchi, ex Commentariis Veterum allegoricis quædam adducit, quæ huc ſpectant. Ita enim notat ad 'דברי' אחרי: *Venerunt in idem conſilium:* באו בעצת אחר. Sed qui poſſemus offendere clariora iis, quæ habentur in παραφράσει *Hieroſolymitana?* והוו כל דריא דארעא לישן חד וממלל חד ועצא חדא *Erant vero omnes terræ incolæ unius linguæ, unius ſermonis,* & EJUSDEM CONSILII: ubi τὸ עצא חדא videtur continere ἐξήγησιν τοῦ ממלל חד; nam & Onkelos τὸ דברים אחדים per ממלל חד transpoſuit. Refer etiam huc, quod occurrit in *Bereſchit Rabba* [a]: אמר ר' אבא בר כהנא כשפתם אעשה נבלה הוה חד מנהון אמר לחבריה איתי לי קולב והוא יהיב ליה מגרופי והכה מחי ליה ופסע מוחיה: *Dixit R. Abba bar Cahana: Faciam ex lingua ipſorum cadaver. Si quiſpiam illorum diceret ſocio ſuo, Cede mihi ſecurim, hic porrigebat ipſi palum; itaque percuſſit eum, & perfregit cerebrum ejus.* Et in *Capitulis* R. Eliezeris [b]: מה עשו לקח איש חרבו ונלחמו אלו עם אלו לחשחית וחצי העולם שם נפלו בחרב: *Quid fecerunt? Accepit quisque gladium ſuum, & depugnarunt inter ſe ad perditionem, adeo ut media pars mundi illic gladio ceciderit.*

Quæ interpretatio ex Veterum Judæorum Gloſſis illuſtratur.

X. Certe negari nequit, occurrere in Scriptura phraſes, illi prorſus ſimiles, qua uſus eſt Moſes, eodem, quem notavimus, ſenſu. Sic utique Paulus ad Corinthios [c]: *Precor autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti,* ἵνα τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες, καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα· ἦτε δὲ κατηρτισμένοι ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ: *ut omnes* IDEM LOQUAMINI, & NON SINT INTER VOS DISSIDIA, *ſed ſitis coagmentati* EADEM MENTE, & EADEM SENTENTIA. Utitur Apoſtolus hic vocula αὐτὸς; ſed *Lucas* adhibet ipſiſſimam voculam μία, reſpondentem Hebraicæ אחת, qua uſus eſt Moſes [d]: Τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία *Multitudinis autem eorum, qui crediderant, erat* COR & ANIMA UNA. Quibuscum conveniunt, quæ occurrunt in Epiſtola

Sed certius ex cognatis phraſibus Scripturæ S. aliis.

a Ad vocabulum נבלה. b Cap. XXIV. c 1 Cor. I. 10. d Act. IV. 32.

ſtola ad Philippenſes[a]: τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, καὶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν *Eadem incedere regula*, *&* IDEM SENTIRE. Quod alias dicitur τὸ ἓν φρονεῖν[b]. A qua tamen φράσει diſtinguenda eſt quę extat in Epiſtola ad *Romanos*[c]: Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες: quam transponerem; *Idem alii de aliis ſentientes*: **Het ſelve de een van den ander gevoelende.** Hunc enim verborum Apoſtoli ſenſum eſſe, integra commatis ſententia evincit. Præterquam quod Apoſtolus deinceps τὸ εἰς ἀλλήλους exprimat per ἐν ἀλλήλοις[d]. Litera enim ב voculæ εἰς non raro reſpondet. Sed deſcribamus integrum locum Pauli: *Explete meum gaudium*, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες, *ut* EODEM *ſitis* AFFECTU, *eandem charitatem habentes*, *&* UNUM SENTIENTES. Μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστος *Ne ſua quiſque ſpectate, ſed & ea quæ aliorum ſunt*. Convenit omnino Vopiſci[e] loquutio de quatuor Romani Imperii Præſidibus, duobus Imperatoribus, & totidem Cæſaribus, *Diocletiano*, *Maximiano*, *Galerio*, & *Conſtantio*. *Quatuor ſane*, ait, *Principes mundi*, *fortes*, *ſapientes*, *benigni*, *& admodum liberales*, UNUM IN REPUBLICA SENTIENTES. Imprimis tamen huc pertinent Davidis verba, quibus hoſtibus ſuis magnum malum imprecatur *diviſionis Linguæ*[f]. DIVIDE, ait, LINGUAM IPSORUM: quæ phraſis non abſque ratione videri poſſet formata eſſe à Davide cum reſpectu ad hanc hiſtoriam. *Diviſio Linguæ* hic notat diſſenſum animorum in ſententiis & conſiliis: quam animorum diſſenſionem ſequi ſolent mutuæ lites, rixæ, & ex iis ortæ cædes.

Ubi ἐν παρόδῳ illuſtratur locus ad Rom. XII. 16.

Et adducitur inſignis locus Pſ. LV. 10.

XI. Addere tandem dictis liceat, hanc expoſitionem non male convenire ſcopo & circumſtantiis Narrationis Moſaicæ. Moſes enim id haud dubie intellectum voluit per *Confuſionem Labii*, cujus maxime naturale conſequens haberi debet *diſperſio*, ſive *diſſipatio* Familiarum Noachidarum per orbem terrarum. Atqui facile percipimus, gravem aliquam diſſenſionem, ſive contentionem, inter ipſos exortam, producere debuiſſe talem ſeparationem Noachidarum à ſe invicem, eorumque diſperſionem per hunc, quem colimus, Orbem. Qui Linguis utuntur diverſis, ſi animis non diſſentiant, poſſunt in uno eodemque loco,

Comparatur denique hæc interpretatio cum ſcopo hiſtoriæ de *confuſione Labii*.

a Cap. III. 16. b Cap. II. 2. c Cap. XII. 16. d Cap. XV. 5. e In Carino Cap. XVIII. f Pſ. LV. 10.

loco, aut regione, inter ſe hactenus cohabitare: ſed qui conſiliis, animis, ſtudiis, & factionibus diſſident, ſolent alii ſe ab aliis ſeparare, ſi odia hactenus in bella non erumpant, aut viribus pares ſint. Cum igitur ſcopus Hiſtoriographi ſit, nobis declarare, quo modo homines per totum orbem, ut nunc inhabitatur, ſparſi ſint; & hæc noſtra expoſitio huic ſcopo bene conveniat; verba autem Moſis hanc interpretationem ferre poſſint: digna utique haberi debet, quę ſerio expendatur ab iis, qui verum amant.

Nec negatur tamen eſſe in textu, quod illi videtur obſtare, ex uſu vocis שמע, de quo aliqua obſervantur.

XII. Id unum tamen non nego cum ſpecie objici poſſe huic explicationi, quod in hiſtoria hac traditur, Deum dixiſſe; *Agedum deſcendamus & confundamus ibi*[a] שפתם LABIUM IPSORUM, אשר לא ישמעו איש שפת רעהו *ne* QUISQUE AUDIAT LABIUM SUI PROXIMI. quod interpretandum videtur: *Ne quiſque alium loquentem intelligat.* Si *Labium* hic notaret ipſam *ſententiam*, ſive *orationem* & *conſilia* horum hominum; verba Moſis hunc exhibere deberent ſenſum; *Confundamus Labium eorum:* efficiamus ut diviſæ inter eos ſint ſententiæ & conſilia; *ne quiſque audiat labium ſui proximi*, h. e. ne alius alii auſcultet; alter ad alterius conſilium ſe componat. Verum hanc interpretationem vix videtur pati phraſis hebræa. Ubi enim שמע notat *auſcultare*, *obtemperare:* (quem ſignificatum non raro habere, nemo negat:) conſtrui ſolet cum Literis ל & ב/ *nominibus* præfigendis, aut cum vocula אל. Sed alias, relatum ad לשון/ valet ſignificatu *intelligendi.* Nec nego ego, illam conſtructionem eſſe in ejuſmodi caſibus familiariorem & frequentiorem. Extant tamen exempla, in quibus שמע ſignificatu *auſcultandi* abſque ל aut אל occurrat. Sic habemus in ipſo hoc Libro Geneſis[b]: שמעוני *Audite me*, h. e. *Auſcultate mihi.* In Proverbiis[c]: *Irriſor* לא שמע גערה NON AUDIT *increpationem.* non curat eam, non auſcultat ii. Apud Jobum[d]: אך שוא לא ישמע אל *Certe vanitatem non* AUDIT *Deus.* non curat eam; non attendit ad vanitatem.

Imo ſi literalis ſenſus hic obtinere nequeat, nihil vetat

XIII. Si tamen omnino alicui videatur, orationem Moſis omnium facillime & ſimpliciſſime de ipſa *Lingua*, ſive *Dialecto*, accipi: quid ſi diceremus, narrationem hanc Moſaicam alle-

a Cap. XI. 7. b Gen. XXIII. 8. c Prov. XIII. 1. d Job. XXXV. 13.

allegorice eſſe explicandam, & antiquiſſimum Scriptorem, qui auctor fuit hujus ὑπομνήματος, ſub allegoria *Confuſionis Linguæ* ſive *Labii*, voluiſſe proponere *Confuſionem ſententiarum* & *conſiliorum*, quam Deus pœnæ loco immiſerit Structoribus Arcis Babylonicæ? Diviſio enim Linguæ eſt ſymbolum Diviſionis animorum. Confuſio Labii emblema aptiſſimum Confuſionis conſiliorum & ſententiarum. Animis autem & Conſiliis diſſentire plus eſt quam Linguis diſſentire. Certe Veteres Hebræorum Interpretes, etiamſi fabuloſa veris, futilia ſolidis admiſcere ſoleant, jam viderunt, Hiſtoriographum hic plus intendiſſe, quam ut ſolius *Linguæ Confuſionis* hiſtoriam hic tradere voluiſſet; & antiquiſſima Traditio apud Gentes conſervata habet, Noachidas diſſenſionibus & divortiis animorum ab invicem fuiſſe diſtractos & diviſos. Sic legimus in antiquo Commentario Librorum Moſis, *Tanchuma*, ſive *Jelammedenu* dicto [a]: אמרו לא כל הימנו שיבור לו העליונים ויתן לנו התחתנים נעלה לרקיע ונכה אותם בקרדומות נחלקו לשלוש כתות אחת אומרת נעלה ונשב שם ואחת אומרת נעשה עמו מלחמה ואחת אומרת נעבור שם עבודה זרה: *Dixerunt nullo modo concedendum eſt, ut ſibi eligat ſuperiora, & nobis cedat inferiora. Aſcendamus ad expanſum, & percutiamus illa ſecuribus. Diviſi ſunt in tres catervas. Prima dicebat, aſcendamus & habitemus ibi: Secunda dicebat, geramus cum ipſo bellum: Tertia vero: Inſtituamus ibi idololatriam.* Commenta hæc ſunt cerebri, vel allegorice intelligenda, ex quibus tamen liquet, illos per שפה hic intellexiſſe *ſententias* & *conſilia*. Pertinent etiam huc, quæ modo jam anticipavimus.

Moſen hic *allegorice* intelligere, ita ut *Confuſio Labii* exponatur de *confuſione conſiliorum*.

Quæ interpretatio eſt Veterum Judæorum.

XIV. Traditio autem Vetus Gentiliſmi de eadem re conſervata eſt in iis, quæ Heſiodus [b] de quarta cecinit ætate:

Conſervata in *traditione Gentilium*, & quidem apud Heſiodum,

Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψεν,
Αὖθις ἔτ' ἄλλο τέταρτον ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ζεὺς Κρονίδης ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον,
Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι προτέρῃ γενεῇ κατ' ἀπείρονα γαῖαν.
Καὶ τοὺς μὲν πόλεμός τε κακὸς καὶ φύλοπις αἰνὴ,
Τοὺς μὲν ἐφ' ἑπταπύλῳ Θήβῃ, Καδμηΐδι γαίῃ,
Ὤλεσε μαρναμένους ἕνεκ' Οἰδιπόδαο·

 Sed

a In Paraſcha, תולדות נח ad vocem שפה אחת. b In *Op.* & *Dies* verſ. CLV.

Sed poſtquam & hoc genus terra operuit,
Rurſum aliud QUARTUM *in terra multorum alumna*
Jupiter Saturnius fecit juſtius, & melius,
Virorum heroum Divinum genus, qui vocantur
Semidei, priore ætate, per immenſam terram.
Hos quoque BELLUMQUE MALUM & PUGNA GRAVIS,
Alios quidem ad ſeptem portas habentes Thebas, Cadmeam terram,
Perdidit pugnantes propter opes Oedipi.

Cujus *quatuor* ætates quomodo intelligi queant, docetur.

Cum enim quatuor Γενεῶν Succeſſionem deſcripſerit Heſiodus: videntur quę de Aureo atque Argenteo Sæculo cecinit, interpretanda de Ortu bonorum malorumque Angelorum, *δαιμόνων*, ſive Geniorum; quę vero de *tertia* habet *ætate*, referenda eſſe ad Noachi tempora, quę vixit ante diluvium; quarta vero ætas id genus mortalium reſpicere, quod recens à diluvio breve tempus pacatam egit vitam, poſtmodum vero ob audax illud facinus ſtructæ Turris Babylonicæ, per univerſum orbem diffuſum, dominia ſtabilire, mercaturam exercere, fœdera pangere, ſua contra aliorum vim tueri, quin imo augere, aliorum bona diripere, & quæ plura per nefandas artes invecta ſunt, patrare cœpit.

Uſus apud eum vocis ὑποχθόνιος confertur cum Pauli dictione ad Phil. II. 10.

Utitur ſane Heſiodus voce ὑποχθόνιος de illis hominibus, quos *Argenteo* vixiſſe *Seculo* teſtatur:

Αὐτὰρ ἐπεὶ καὶ τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε,
Τοὶ μὲν ὑποχθόνιοι μάκαρες θνητοὶ καλέονται
Δεύτεροι.

At poſtquam & hoc genus terra occultavit,
Hi quidem SUBTERRANEI *beati mortales vocantur*
Secundi.

Qua voce commode deſignantur *Dæmones*, qui in ſacris καταχθόνιοι appellantur. Sic Paulus in Epiſtola *Philippenſes* [a]; Ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων. niſi potius cum Summo Viro, Johanne Georgio Grævio, pro ὑποχθόνιοι hic legas ἐπιχθόνιοι.

Utique quæ Heſiodus de tertia cecinit ætate optime videntur applicari ad

Utique, quæ de *tertia ætate* cecinit Aſcræus Vates, nulli tempori applicari poſſunt commodius, quam Antediluviano, ut facile poſſemus demonſtrare, ſi opus eſſet. Quis ignorat illi ſæculo Veteres adſcripſiſſe

a Cap. II. 10.

fiſſe Poëtas natales Gigantum? Probat id Vir Illuſtris Hugo Grotius[a] ex luculentis teſtimoniis *Homeri*, *Platonis*, *Ovidii*, *Lucani*, & *Senecæ*: qui ea habuerunt ex traditionibus ejuſdem prorſus generis, quales conſervatæ ſunt in Sacris monumentis. Apud Moſen[b] enim jam נפילים *gigantes*, βίαιοι, *irruentes*, גבורים *fortes* & *robuſti*, אנשי שם *Viri Celebres* paulo ante triſtiſſimum illud orbis univerſi fatum memorantur. Qua de re videre etiam licet Auguſtinum in elegantiſſimo ſcripto *de Civitate Dei*[c]. Confer vero, ſi lubet, cum hiſce, quæ apud Heſiodum extant, ubi illius ætatis homines dicuntur:

ætatem Antediluvianam Gigantum.

> Ἄπλαστοι, μεγάλη δὲ βίη καὶ χεῖρες ἄαπτοι
> Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖς μελέεσσι:
> Feroces: *magna vero vis & manus invictæ*
> *Ex humeris naſcebantur in validis membris.*

Et, quæ Diluvium reſpicere videntur:

> Καὶ τοὶ μὲν
> Βῆσαν ἐς εὐρώεντα δόμον κρυεροῦ Ἀΐδαο
> Νώνυμοι.
> *Et hi quidem*
> *Deſcenderunt tenebricoſam in domum horribilis Plutonis*
> *Ignobiles.*

Probabile itaque eſt, *quartam ætatem Heſiodæam* exponendam eſſe de *Noa*, ejuſque Filiis; ſiquidem illi præcedentis ætatis hominibus dicuntur meliores, & quæ de iis habet Heſiodus, optime iis conveniant; & alias facile explicari non poſſit, quomodo Poëta Gentilis, qui hiſtoriarum ſacræ gentis erat ignarus, inter Diluvium & Bellum Trojanum tres diverſas recenſere potuerit ætates, cum Fabuloſa Vetuſtas Bello Trojano vix quicquam habuerit antiquius.

XV. Huic expoſitioni Hiſtoriæ Moſaicæ, quæ ſcopo Moſis, noſtris principiis, rei ipſius naturæ, & poteſtati vocum & phraſium, à Moſe uſurpatarum, non male convenit, ſubjiciam *Alteram*, pariter, meo judicio, dignam, quæ expendatur, quâ pœna *Confuſionis Labii* explicatur per vitium aliquod *pronunciationis*, quod ſingulari Dei judicio adhæſerit Structoribus

Altera producitur expoſitiò *confuſionis Labii* de *Vitio enunciationis*, quod Divino judicio ſubortum, ſit in Structoribus *Babelis*.

a In Notis ad Lib. I. de *Veritate Religionis Chriſtianæ*. b Gen. VI. 4. c Lib. III. Cap. IV.

bus Turris Babylonicæ; quo factum ſit, ut animi ſui cogitata alius alii commode explicare non potuerint. cujus fere generis vitium obſervamus in *Balbutientibus*. Viſum nobis omnino eſt, poſſe ejuſmodi ſenſum ſubeſſe phraſi בללת שפה *Confuſionis Labii:* & poteſt illa quoque expoſitio horum verborum cum ſcopo & circumſtantiis narrationis Moſaicæ non difficulter componi.

Cui expoſitioni maxime favet vox בלל, apud Moſen uſurpata.

XVI. Phraſi hebrææ hunc ſubeſſe poſſe ſenſum, nemo facile neget. בלל eſt Hebræis quod Græcis συγχεῖν *confundere, permiſcere*. Confuſio autem eſt mixtio rerum, ante confuſionem & natura ſua diſtinctarum. *Confundi* igitur dici poteſt *Labium*, quando quod ordinate & *diſtincte* pronunciandum erat, enunciatur inordinate & *confuſe*. Et ſane, quod vel maxime huc pertinet: videntur Latinæ Voces *Balbus* & *Balbutio*, quæ hoc enunciationis vitium deſignant, omnino originem ſuam ducere ab ipſa voce hebræa בלל / *Balal*, & per Geminationem *primæ radicalis*, בלבל *Bilbeel*, *Balbal*; (unde בבל *Babel*, Confuſio:) quomodo illa vox in uſu fuit apud Chaldæos. [b] Quam frigidum eſt quod Numeſius vocabulum *balbus* derivet ἀπὸ τοῦ ψελλὶς, quod Græcis eodem venit ſignificatu? Quanto ſatius eſt, illud deducere ἀπὸ τοῦ בבל / vel בלביל / *balbul*, *balbus*; & ſtatuere, τὸ *balbutire* pro *balbulire*, facillima literarum μεταθέσει, dictum eſſe? Quin imo ab hac ipſa voce בבל *Babel*, eſt Belgicum: **babbelen**.

Cui comparantur voces Latinæ *Balbus* & *Balbutio*.

Et Græcæ βαμβαίνω & βαμβαλίζω.

Unde **hy babbelt** hebraice diceres, נבלה לשונו / vel שפתו. Quod ipſum quoque eſt Græcorum βαμβαίνω, *inarticulate loquor*, *balbutio*; **ick babbele**: & βαμβαλίζω, pro βαλβαλίζω, quod eſt ipſiſſimum בלבל. Heſychius: βαμβάλειν, ψοφεῖν τοῖς χείλεσι: *Tremere*, & *ſtreperum ſonum edere labiis*. βαμβαίνων: τρέμων τοῖς ποσὶ, ἢ τοὺς ὀδόντας *Tremens pedibus*, *aut dentibus*. Belgice: **hy bibbert** / pro **bibbelt**. Quo etiam referendum mihi videtur βαβάζω, quod idem Heſychius exponit per τὸ μὴ διηρθρωμένα λέγω *Inarticulate loquor*. Sed quid ſi eo progrediamur audaciæ, ut dicamus vocabulum βάρβαρος ab eadem hac voce בלבל *Balbal* derivari, & dici βάρβαρος, pro βάλβαλος? Vix enim quicquam ſani in detegenda hujus vocis origine attulerunt, qui id conati ſunt: ut videre eſt apud Voſſium [c]. Noſtra autem illa etymologia nihil habet difficultatis,

Et, βαβάζω.

Nec non βάρβαρος.

a Exod. xxix. 40. b Vide Druſ. ad h. l. c In Etym. ad h. v.


כתר
A
חכמה
בינה
E
גדולה
גבורה
תפארת
B
D
נצח
הוד
יסוד
C
מלכות
vel
שכינה
J. D. Blois fec: aqua forti

tatis, quia literæ ל & ר frequenter invicem commutantur. Ita κεφαλαργία Atticis dictum pro κεφαλαλγία. κρίβανος pro κλίβανος. Latinis *Cæruleus* pro eo, quod Veteribus erat *Cælulius*. Sic Ἰταλίαν dictam eſſe pro *Itaria*, vel עטריא oſtendit Bochartus [a]. Sic (inquit) *in Hiſpania* Tavila *Arabice eſt* טבירה. *in Corſica idem ſunt* Alalia *&* Aleria. *in Sardinia Caralis &* Canalis. *In Bœotia Aliarthus & Ariarthus.* Βάρβαρος autem is vere eſt quem ego loquentem non intelligo, quique mihi videtur balbutire, vel inarticulatum proferre ſonum. Demonſtrare illud poſſum ex eleganti loco Luciani, ubi διατραυλίζειν *inarticulate effutire* & *balbutire* exponit per βαρβαρίζειν. Ταῦτα, ait, [b] καὶ ἔτι τούτων πλείονα διατραυλίσασα καὶ βαρβαρίζουσα, πάμπολλα εἶπεν ἡ τέχνη· *Hæc atque etiam plura his* BALBUTIENDO, *&* BARBARE PRONUNCIANDO, *dixit Statuaria.* Minus recte Heſychius βάρβαρον per ἀπαίδευτον interpretatur. Barbari enim ſapientiæ gloria non minus claruerunt quam Græci. Clementem audiamus Alexandrinum [c]: φιλοσοφία τοίνυν, ait, πολυωφελής τι χρῆμα, πάλαι μὲν ἤκμασε παρὰ βαρβάροις, κατὰ τὰ ἔθνη διαλάμψασα· ὕστερον δὲ καὶ εἰς Ἕλληνας κατῆλθεν· προέστησαν δὲ αὐτῆς Αἰγυπτίων τε οἱ Προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι, καὶ Σαμαναῖοι Βάκτρων, καὶ Κελτῶν οἱ Φιλοσοφήσαντες, καὶ Περσῶν οἱ Μάγοι· *Philoſophia autem, res quædam valde utilis, olim quidem floruit apud* BARBAROS *per gentes reſplendens. Poſtea autem venit ad* GRÆCOS. *Ei autem præfuerunt, & Ægyptiorum Prophetæ, & Aſſyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Semanæi Bactrorum, & Celtarum ii, qui philoſophati ſunt, & Perſarum Magi. Barbarus* itaque eſt, cujus ego pronunciandi rationem non intelligo: etſi non ignorem, Græcos exiſtimantes, μόνους φιλοσοφῆσαι Ἕλληνας, omnes populos extra ſuam regionem appellaſſe βαρβάρους *barbaros*, unde Heſychii illa interpretatio orta eſt. Frequentiſſimum id Herodoto eſt, aliiſque Scriptoribus antiquis, quos ſequitur Apoſtolus Paulus in *Epiſtola ad Romanos* [d], quando ait ſe Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις, ὀφειλέτην εἶναι. ubi βάρβαρον per ἀνόητον interpretatus videtur, ex communi tum temporis dicendi ratione. Sic Dionyſius Halicarnaſſenſis, de Latinæ Gentis originibus agens [e]: *Siquidem alii non pauci fixis inter barbaros*

Commutatio frequens literarum ל & ר.

Quid βάρβαρος Græcis?

Refertur ad *vitium pronunciationis.*

Græci omnes alios Populos appellabant *barbaros.*

Q

a De Colon. Phœnicum Lib. I. Cap. XXXIII. b In Somnio, p. m. 7. c Strom. Lib. I. p. 223. d Cap. I. 14. e Lib. I. Antiq. Rom. p. m. 76.

baros ſedibus brevi omnem Græcitatem (ἅπαν τὸ Ἑλληνικὸν:) *exuerunt, nec* VOCEM, *nec inſtituta Græca retinentes, nec Deos colentes eosdem, nec juris & legum ſervantes æquitatem*, ᾧ μάλιστα διαλλάττει φύσις Ἑλλὰς βαρβάρων, QUO MAXIME GRÆCORUM NATURA DIFFERT A BARBARIS. Sic Barbari itaque Græcis communi opinione ἀπαίδευτοι & ἀνόητοι. Sed id adſcribendum φιλαυτίᾳ Græcorum.

Vera vocis interpretatio confirmata ex Strabone.

Veram, quam tradidi, hujus vocis ſignificationem, manifeſte confirmat Strabo [a], quando poſtquam in genuinam hujus vocis notationem inquiſiviſſet, *Barbaros* primitus dictos eſſe concludit τοὺς παχυστομοῦντας, ſive παχυστόμους ἢ τραχυστόμους, qui *aſpere, duriter*, & *craſſe loquebantur*. quem Strabonis locum alibi quoque ad interpretationem hujus vocis demonſtrandam produxit Farnabius [b].

Pauli locus 1 Cor. XIV. 11. illuſtratur.

Pro hac ſententia facit Pauli locus [c]: Ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος, καὶ ὁ λαλῶν ἐμοὶ βάρβαρος. *Si igitur non intellexero vim vocis, ero loquenti* BARBARUS, & *loquens* MIHI BARBARUS: id eſt, videbitur ille mihi & ego ipſi *balbutire*. Belgice: **Soo ſal hy my Barbariſch ſijn.** Tu poteris dicere: **Soo ſal hy my ſchijnen te babbelen.** Quando enim alios loquentes non intelligimus, putamus, id pronunciationis ipſorum vitio adſcribendum eſſe. Mirifice his conſentiunt, quæ

Coccejii obſervatio.

Cl. Coccejus alibi habet. Dabo illius verba [d]: Exod. IV. 10. כבר פה וכבר לשון *Gravis ore & gravis lingua, difficulter loquens.* LXX. ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος. Ezech. III. 5. *Non* אל עם עמקי שפה וכברי לשון *ad populum hominum barbarorum (profundorum labiis: Qui nobis barbari ſunt, videntur nobis intra os verba continere) & gravium Lingua, intricate & impedite loquentium.* Sic ℣ſ. 6. *ubi additur: Quorum verba non intelligas. Non mitteris ad Barbaros, qui te non intelligant; neque ad* BALBOS & MALE EXPEDIENTES *verba, quos tu non intelligas, ut neſcias, quid tibi reſpondeant.* LXX. ℣ſ. 5. Βαθύγλωσσον. ℣ſ. 6. ἀλλοφώνους ἢ ἀλλογλώσσους, οὐδὲ στιβαροὺς τῇ γλώσσῃ ὄντας. Imo manifeſte quoque hac ipſa ſignificatione hæc vox uſurpatur in *Pandectis Rituum Judaicorum*, Hebraice *Colbo* dictis. Sic ibi lego [e]: אי זהו שכור הוא שאיני יוכל לדבר לפני המלך שתוי מי שיכול לדבר לפני המלך ואינו משתבש ומתבלבל *Quis dici-*

Et productus in eundem ſcopum locus ex *Colbo*.

a Geogr. Lib. XIV. p. 455. b Ad Martial. Ep. Lib. I. 3. c 1 Cor. XIV. 11. d In Lexico ad vocabulum כבר / ſub finem. e Cap. XI. ubi de Ritibus Precum faciendarum.

dicitur ebrius? *Qui idoneus non eſt ad loquendum coram Rege:* Potus *vero*, *qui aptus eſt ad explicate loquendum coram Rege abſque confuſione*, hoc eſt, ut non *balbutiat* lingua hærente, quod *ebriis* evenire ſolet. *Ebrio* ejuſmodi, qui Linguam ſuam ordinate neſcit regere, vetitum eſt in *Conſtitutionibus Hebræorum* preces fundere; *poto* diſſuadetur. Utique המבלבל heic omnino idem eſt, quod latine dicimus *balbutire*.

XVII. Ut vero hæc explicatio phraſis, בללת שפה *Confuſionis Labii*, qua deſcribitur judicium in Babylonicos Structores, ſatisfacit poteſtati vocum, in genuina ſua ſignificatione ſumptarum: ſic eadem facile conciliari poteſt cum ſcopo & circumſtantiis narrationis Moſaicæ, ſive potius illius Caſus, quem Moſes hic deſcribit. Scopus Dei fuit in judicio hoc exercendo, homines per univerſum orbem diſpergere, ut Mundus brevi incoleretur: quem finem Deus aſſequi potuit, ſi ſingulari quodam judicio ſuo faceret, ut alius alium, vitio *Linguæ* aut *Labiorum*, ad tempus aliquod loquentem non intellexerit. Sic enim pertæſi communionis & conſortii, quod hactenus inter ſe amice coluerant, coacti fuerunt ab opere, quod inceperant, deſiſtere, & facile ab invicem ſeparati ſe per hunc orbem terrarum diffuderunt. Certe talis hæc eſt *Confuſio Labii*, quę à nobis commode conſiderari poteſt ut cauſa, ſive quod ajunt, antecedens *diſperſionis hominum per orbem*. Ante hunc caſum judicii in Babylonios à Deo exerciti, homines animi ſui ſententiam diſtincta Linguæ & Labiorum motione facile & clare expreſſerant, & in conſiliis conſenſerant. Sed cum Deus illos adverſus ſuum conſilium unitos vellet diſpergere per Mundum: fecit, ut ad breve tempus iis adhæſerit tale aliquod enunciationis vitium, confuſis etiam forte aut turbatis notionibus mentis, quo ad animi ſui ſententiam explicandam inepti redditi ſunt. quod ubi accidit, ab opere cœpto deſtiterunt, & ab invicem diviſi ſenſim per Mundum hunc fuerunt diſſeminati.

Quæ expoſitio *Confuſionis Labii* facile conciliatur cum textu Hiſtoriæ Moſaicæ.

XVIII. Sic duplicem dedimus, eamque tolerabilem, explicationem hujus Pericopæ Hiſtoricæ de *Confuſione Labii*, quæ conciliari poteſt cum hypotheſibus de *Origine Linguarum*, quas in ſuperioribus adſtruximus: non negantes interea, eſſe poſſe plures alios modos *Confuſionis Labii*, qui nobis ſint incogniti;

Epilogus hujus diſſertationis.

nec in ipſa quoque hac diſputatione tam pertinaciter noſtro fidentes judicio, ut meliora & probabiliora docentibus parati non ſimus manus dare. Adjiciamus ad calcem: inter Hebræos Doctores, quod multi non viderunt, vidiſſe Aben-Eſram [a], prudentem Divini Verbi Interpretem Grammaticum, cujus verbis hanc diſſertationem claudam : והנכון בעיני שנפוצו ראשונה משם אח״כ מלך נמרוד בבבל וקמו מלכים אחרים אחריו ובימים רבים במות הדור הראשון נשכחה הלשון הראשונה׃ *Mihi autem vera videtur ſententia, homines prius inde fuiße diſperſos, poſtea Nimrodum Babele regnaſſe, alioſque poſt ipſum Reges eſſe exortos, atque ita progreſſu temporis poſtquam vivere deſiiſſet prior illa γενεὰ, primam illam Linguam traditam eſſe oblivioni.*

In quo laudatur Aben-Ezra.

a Apud Buxtorf. Diſſ. 11. de Confuſ. Ling. p. 61, 62.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA
DE
SEPHIROTH
KABBALISTARUM.

CAPUT I.

Diſſertationi de* SEPHIROTH KABBALISTARUM *quædam præmittuntur neceſſaria præcognitu tum de ipſa voce* KABBALA, *tum de* Doctrina Judaica, *quæ hoc nomine ſolet notari*, *tam* recentiore, *quæ cum Pythagorica vel Platonica Philoſophia comparatur*, *quam* antiqua & *vera* Prophetarum & Sanctorum *ſub OEconomia Vetere*, *quæ adſtruitur & illuſtratur.

Cum in illuſtribus quibuſdam argumentis tractandis verſer; & modo inſigniorem aliquam hiſtoriæ Moſaicæ partem illuſtraverim: ad aliud me converto, quod ex interioribus *Theologiæ Judaicæ* penetralibus depromptum eſt, & quę de famoſiſſimis illis ספירות *Kabbaliſticis* quondam mihi in mentem venit cogitare, ea libertate atque audacia, qua præcedentia, proponere inſtituo: tum ut antiquam *Kabbalam Judaicam*, h. e. Doctrinam Judæorum Traditionalem myſticam de ſublimioribus Religionis dogmatibus, cujus Doctrinæ compendium ſunt illæ ipſæ SEPHIROTH, mox recenſendæ, inde cognoſcamus; tum præcipue, ut ex hoc ipſo principio lumen affundam quibuſdam Sacræ Scripturæ locis, quæ omnino videntur ex myſtica illa Judæorum Theologia explicanda eſſe. Quæ noſtra tractatio hoc ordine decurret, ut, 1. In genere aliquid prælibemus

Præfatio ad novam diſſertationem de *Sephiroth* Kabbaliſtarum.

Ordo tractationis.

mus de *Doctrina* myſtica *πατροπαραδότῳ*, quæ obtinuit ſub Vetere OEconomia, nota nomine KABBALÆ. 2. SEPHIROTH KABBALISTICAS, quæ illius Doctrinæ veluti ſumma & compendium quoddam ſunt, deſcribamus, tam quoad *rem* quam quoad *nomen*. 3. Illas *Sephiroth* ex hypotheſi quadam, à nobis declaranda, ſtudeamus illuſtrare.

קבלה KABBALA quid Hebræis ſignificet?

II קבלה KABBALA, eſt à קבל *recipere*, &, ceu dudum ab aliis obſervatum eſt; notat *Doctrinam* ab alio *acceptam*. Tradere enim, ut Latinis ſic Hebræis, eſt *docere*; accipere *diſcere*: ut ſatis liquet ex verbis Pauli [a]. *Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τȣ̃ κυρίȣ, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν.* unde *παράδοσις* paſſim in Scriptis N. T. qualiſcunque *inſtitutio dogmatica*, ſeu ore, ſive ſcripto tradita. Eſtque illa jam loquutio ſatis antiqua. Repetendus enim videtur hic uſus vocis ex *Proverbiis*, in quibus habemus [b]: *Audi conſilium*, וקבל מוסר *&* RECIPE *diſciplinam*. inſtitutionem qualemcunque, per quam poſſis erudiri. Convenit poteſtate ſignificationis notio לקח/ quam Salomo in Libri illius principio adhibet [c]: לקחת מוסר הסכל *Ad* ACCIPIENDAM *diſciplinam prudentiæ*. Eſt tamen vocis קבל ea vis in ſignificatione, ut notet quaſi quid *accipere de alterius manu*.

Joh. Morini obſervatio de triplici ſignificatione hujus vocis, qua ſumitur.

Vel in genere pro *Lege Orali Moſaica*.

III. Obſervavit autem Johannes Morinus, Doctiſſimus Vir, ubi de antiquitate *Libri Sohar* diſputat [d], eſſe hujus vocis triplicem ſignificationem. Vel enim *in genere* notare *Legem Oralem* ſive *Traditionalem*, (תורה שבעל פה) quam Judæi ſtatuunt præter *legem ſcriptam* à *Moſe* in monte Sinai à Deo acceptam, ab eo ad Joſuam, à Joſua ad Seniores continua ſucceſſione uſque ad compoſitum Talmud tranſlatam: quomodo in *Pirke* dicitur [e], משה קבל תורה מסיני ומסרה ליהושע *Moſes* ACCEPIT *Legem à Sinai & tradidit eam Joſuæ; Joſua Senioribus; &c.*

Vel pro ſucceſſione Doctorum P. J.

Vel *Succeſſionem hiſtoricam* præcipuorum Judææ Gentis Doctorum, qui maxime inter Judæos ſcientia Traditionum Patriarum, de manu quaſi in manum ipſis traditarum, in Scholis & Academiis floruerunt, quomodo *Kabbala* illa vox ſumitur in Libris hujus tituli R. Abrahami & R. Gedaliæ [f]:

Vel pro *Doctrina Dogmatica myſtica*.

vel denique *Doctrinam Dogmaticam myſticam*,

a 1 Cor. XI. 23. b Cap. XIX. 20. c Verſ. 3. d Exerc. Lib. II. Exerc. IX. Cap V. p. 362. e Pirke Av. Cap. I. §. I. f Sepher Kabbala R. A. Ben Dior, & Schalſchelet Hakkabbala R. Gedaliæ.

ſticam, & *ænigmaticam* (quomodo[a] Reuchlinus Kabbalam dixit eſſe *Philoſophiam Symbolicam:*) de rebus excellentioris naturæ in ſenſum non incurrentibus, ut ſunt Deus; Angeli; Mentes noſtræ; Meſſias hominem Deo uniens; proceſſus ſive emanationes rerum à Deo; Providentia, qua Deus res mundi & Eccleſiæ adminiſtrat; & quæ his ſimilia.

Poſtrema ſignificatio hic obtinet, ſecundum quam *Kabbala* definitur.

IV. Poſtrema illa hujus notionis ſignificatio proprie nunc ad nos ſpectat. Nos enim per *Kabbalam* hic intelligimus *Doctrinam* non *Ritualem*, qualem Talmud complectitur, ſed *Theologiam* ſive *Philoſophiam Dogmaticam*, *ore* traditam, quæ agit de nobiliſſimis ſcientiæ objectis. Illa autem duplex eſt, vel *antiqua*, quæ obtinuit ante tempora Chriſti inter homines manifeſtati, vel *recentior*, quæ poſt Chriſti ætatem à Judæis præcipue eſt exculta. Recentior illa *Kabbala* vere nihil quicquam eſt aliud quam *Philoſophia Pythagorica*, quatenus Pythagoræ dogmata poſteritati innotuere; ſive potius *Platonica*, de Deo & rebus ſpiritualibus, ex Scriptura illuſtrata, ſymbolice & αἰνιγματωδῶς propoſita: vel, ſi mavis, eſt *Theologia* Scripturaria de Deo & cœleſtibus rebus, ſymbolice propoſita, & ex *Philoſophia Pythagorica* ac *Platonica* illuſtrata. Quod ita ſe habere cum Docti dudum obſervarunt, tum clariſſime liquet ex Libro R. Abrahami Cohen Iriræ, Luſitani, qui dicitur שער השמים *Porta Cœlorum*, in quo *Dogmata Kabbaliſtica Philoſophice proponuntur & cum Philoſophia Platonica conferuntur*, quem reperies in *Kabbala Denudata*[b]. Quare recte & prudenter jam in initiis ſuperioris Sæculi ſcripſit Capnio[c], *Pythagoræ Philoſophiam de Cabalæorum præceptis initia duxiſſe, eamque patrum memoria diſcedentem è magna Græcia rurſus in Cabaliſtarum volumina incubuiſſe.* Continetur illa Libris Kabbaliſticis *Sohar*; (cujus tamen tanta prorſus non videtur quantam jactant antiquitas;) *Bahir*, *Raia Mehimna*, *Sitre Thora*, *Midraſch Haneelam*, *Idra Rabba*, *Idra Suta*, aliiſque, alibi à Doctiſſimo Viro[d] recenſitis, quibus illuſtrandis nunc fere ante duo ſæcula incubuerunt Joannes Carolus Saracenus, Picus Mirandulanus, Johannes Reuchlinus, Paulus Riccius; & dein-

Eſtque vel *Recentior*, quæ pariter deſcribitur, magnam partem inſtructa ex Philoſophia Pythagorica.

a De Arte Kabb. Lib. 1. mox in initio. b Part. III. Kabb. Denud. mox poſt Præfat. in initio. c Lib. 1. de Arte Kab. Col. 3. d Apparat. in Lib. Sohar Part. II. p. 75.

& deinceps quoque Rittangelius. Quorum tamen Virorum diligentiam longe ſuperavit Vir noſtri ævi ſupra fidem induſtrius & in Hebræis Literis ac Scitis Kabbaliſtarum exercitatus, qui *quatuor* nobis dedit *Libros Kabbalæ Denudatæ*, quibus varii Tractatus Kabbaliſtarum arcana reſerantes, continentur; tum præterea novo labore & ſumma peritia nos duxit in cognitionem propiorem ipſius Libri Sohar, ejuſque illuſtriores Partes, Librum de Zenjutha, Sidra Rabba, & Suta, &c. Latine nobis exhibuit. Cujus Auctorem Operis, licet nomen ſuum quacunque tandem de cauſſa preſſerit, aliunde ſatis intelleximus eſſe Illuſtrem Virum, Chriſtianum Knorrium, B. L. à *Roſenroth*, cui itaque ob hunc ipſum laborem gratias publice ſolvimus debitas. Etiamſi enim forte ipſa Doctrina illa Kabbaliſtica recentior multis ſit referta nugis & ineptiis, ut ego quidem judico, & res perceptu facillimas ſymbolicis & ænigmaticis loquutionibus obſcurioribus abſque neceſſitate involvat: cum potius Philoſophia res obſcuriores clare & explicate tradere debeat: magno tamen beneficio ſibi devinxit Rem Literariam Vir ille Nobiliſſimus, quod Chriſtianis ſaltem Doctoribus copiam fecerit de valore & pretio hujus ſcientiæ judicandi. Hanc igitur *Kabbalam recentiorem*, quę jam excoli cœpit inter Judæos circa ætatem Apoſtolorum (ut mox, ubi de *Sephiroth*, latius dicemus:) nos nunc nihil magnopere curamus: ſed potius agimus de *antiquiore* aliqua *Kabbala*, ſive Doctrina arcana, *ore* tradita & propagata, quam habuerint Prophetæ & Sancti antiquiorum temporum. Hujuſmodi aliqua an olim extiterit *Kabbala*, prius nobis eſt definiendum, quam longius poſſimus progredi.

Illuſtris Auctor, qui *Kabbalam* recentiorem *denudavit*, honoris cauſſa appellatus.

V. Affirmat Petrus Cunæus[a], elegantiſſimi Vir ingenii, in Libris, quos conſcripſit de *Republica Hebræorum*. DIDICERAT MOSES, ait, MYSTICA QUÆDAM LEGIS INTERPRETAMENTA, *dum in monte Choreb ſermonem cum Deo ſereret. Hæc poſt illum aliis data commiſſaque fuere, qui Spiritu Sacro agebantur.* Putat itaque, *Kabbalam OEconomiæ Veteris* conſtitiſſe cognitione arcanorum quorundam & allegoricorum ſenſuum Scripturæ antiqui Fœderis, tam Legis Moſaicæ quam Prophetiarum: quos myſticos

Kabbala ſive *Doctrina Traditionalis* antiqua diſtinctius deſcripta, & de ea ſententia Cunæi.

a Lib. III. de Rep. Heb. Cap. VIII.

cos & ſublimiores ſenſus contendit Scriptores Novi Teſtamenti in commodum ſuum vertiſſe, quando Dogmata Fidei Chriſtianæ iis erant adſtruenda ex Moſe & Prophetis. Hos arcanos ſenſus, qui literali ſenſu tanquam cortice involuti erant, percepiſſe Moſen, & Prophetas, & Sanctiores quoſdam Viros ſub OEconomia Vetere; & poſt ipſos, Apoſtolos ſub OEconomia Nova; id vero Doctiſſimus ille Vir multis conatur evincere: & hanc ipſam Doctrinam myſticam vocat *Kabbalam*, quę ſub antiqua OEconomia obtinuerit. Ad quam Cunæi ſententiam proxime putem accedere eam Hilarii, quam alibi obſervavi apud Seldenum [a]. Ego vero non nego, plurima loca Sacræ Scripturæ, (non *omnia*, ut ille videtur ſtatuere:) præter ſenſum *literalem*, admittere *allegoricum* & *ſublimiorem*. Non inficior etiam, Apoſtolos hanc Scripturæ exponendæ rationem aliquando ſequutos eſſe in demonſtranda veritate Euangelica: nec de eo abſurde Vir eruditus diſputat. Nec tamen mihi hactenus perſuaſum eſt, Moſen & Prophetas peculiari quodam beneficio, ſive prærogativa, Scripturam Veteris OEconomiæ, quatenus ipſorum tempore extabat, allegorice ſecundum mentem Spiritus S. interpretandi, à Deo donatos eſſe. Sane ſi illi jam tum Scripturam allegorice & myſtice potuiſſent interpretari: debuiſſent plene fuiſſe inſtructi accuratiſſima cognitione totius indolis *OEconomiæ Gratiæ*, & qui ad eam pertinent, Caſuum ac eventuum. Abſque eo enim Veteris Fœderis Inſtrumenta καθ' ἀλληγορίαν intelligi nequeunt. Quam prærogativam ſi quis tribuere velit ſummis Prophetis, qui Deo familiariter uſi ſunt, quales fuerunt Moſes, Elias, Jeſaias, & his ſimiles: etſi de eo etiam μετὰ διακρίσεως loqui debeamus: nemo tamen ulla probabili ratione dicere poſſit communem fuiſſe Prophetis gregariis, & Doctoribus aliis excellentioribus, qui à Spiritu illo Divino extra ordinem affecti non fuerunt: quales plures extiterunt poſt tempora exilii Babylonici. Ego igitur ſic potius ſentio, Moſen, Prophetas, & excellentiores Doctores OEconomiæ Veteris *in genere* ſciviſſe, recondita eſſe quædam in *Lege Divina* (quo nomine tum Scriptura deſignabatur:) arcana: illa arcana, quantum illa rerum conſtitutione ipſis licebat, rimatos

Quæ tamen ſententia non per omnia admittitur, ſed aliqua ſui parte refellitur.

a De Syned. Heb. Lib. III. Cap. I. §. III.

matos & ſcrutatos eſſe: nullam tamen *certam* Scripturæ allegorice interpretandæ doctrinam illos à Deo *accepiſſe*; quę Doctrina Kabbala dicenda ſit: ſed *Apoſtolos* poſt Chriſtum in cœlos evectum, cum toti Scripturæ, & præcipue Verbo Prophetico, maxima lux allata eſſet ex iis, quę à Chriſto & circa Chriſtum geſta erant, per Spiritum illum ὑπομιμνήσκοντα, quem Dominus iis promiſerat [a], *ductos* eſſe ad Scripturas *allegorice* multo intelligendas clarius, quam licuerat Doctoribus, & magnis quoque *Prophetis*, antecedentium temporum. *Apoſtolis* itaque malim hanc vindicare prærogativam Scripturarum allegorice intellectarum, quam *Prophetis*. Apoſtoli enim *viderant Chriſtum ſuſtinentem* acerbiſſima παθήματα, & hac via contendentem ad gloriam. *Tunc aperuit illorum mentes*, τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς UT INTELLIGERENT SCRIPTURAS: ut exerte Lucas [b].

Potius ſtatuendum videtur, *Kabbalam antiquam* verſatam fuiſſe circa *Theologiam Dogmaticam.*

VI. Quid ſi igitur potius dicamus, *Kabbalam* Prophetarum & Sanctorum ſub OEconomia Vetere non tam verſatam eſſe circa allegoricos & μυστικωτέρους Sacræ Scripturæ ſenſus, quam circa ipſa *Dogmata Fidei Judaicæ* inſigniora, quę nimirum illi clarius & diſtinctius intellexerint, quam Vulgus non eruditum eadem ex Verbo Divino, illa Eccleſiæ ætate minus clare tradito, percipere potuit. cujuſmodi ſunt Dogmata præ cæteris eximia duo de *veneranda* in Deo *Trinitate*, & Perſona atque Officiis *Meſſiæ*. quod ipſum tamen ut recte accipiatur, mea intereſt. Non ſtat mihi hæc mentis ſententia, extitiſſe ſub OEconomia Vetere *Traditionem* aliquam de his Dogmatibus apud Sanctos, quę non fuerit fundata in Sanctis Scripturis & *ab ea* non *dependerit*: quam ſententiam orbi Chriſtiano magno cum apparatu eruditionis obtrudere conatus eſt Cl. Simonius [c]: ſed ſentio, hanc Kabbalam continuiſſe clariorem ἐξήγησιν illorum Sacræ Scripturæ locorum, in quibus hæc myſteria, licet obſcurius, tradita ſunt: ut adeo *Traditio* illa *Oralis*, etiamſi clarior fuerit Traditione Scripturaria, ad eam tamen conformata fuerit, & † *ab ea dependerit*. quippe verſata circa interpretationem *Pro-*

Quæ tamen ſententia ita reſtringitur ut nulla admittatur *traditio* cujus fundamentum non fuerit in *Scriptura S.*

a Joh. XIV. 26. b Cap. XXIV. 45. c Vide ipſius Criticam V.T. & præcipue Epiſtol. Illuſtris Spanhemii, Edit. Nov. p.m. 608.

† Rev. Simonius in *Literis reſponſoriis* ad Animadverſiones Cl. de Veil,

Promiſſionis Gratiæ, Revelatione Divina contentæ, & *myſteriorum* ad eam exponendam facientium. Ex. gr. Moſes in hiſtoria refert [a], Patriarchis & ſibi apparuiſſe *Angelum aliquem*, cui Divinos in Hiſtoria tribuit honores & ἐπίθετα. Scivit Moſes, cognitum habuerunt Prophetæ, quis ille eſſet *Angelus*, κυρίως ita dictus: licet OEconomiæ illius temporis non convenerit, ut Moſes de eo clarius loquutus ſit. Idem Moſes de magno aliquo vaticinatus eſt *Propheta* [b], ſibi ſimili, olim *ſuſcitando*; ſcripſit de *Serpente*, homines ſeducente [c], de *Cherubim*, cuſtodibus Paradiſi; David in Pſalmis [d] mentionem fecit cujuſdam *ſui Domini*, à Jehova diſtincti; Jeſaias *Servi Domini* [e]; Zacharias [f] *Germinis Domini*; Malachias [g], *Angeli venturi ad Templum ſuum*. Hæc quid ſibi vellent, putem Prophetas illos, & Sanctos OEconomiæ antiquæ, multo intellexiſſe clarius, quam in Scripturis Divinis illius OEconomiæ conſignata ſunt. quæ itaque mihi vera videtur fuiſſe *materia Kabbalæ* ſub Vetere illa OEconomia. Quod nunc alio etiam argumento adſtructum eamus.

Quod exemplis declaratur.

R 2 VII. In

a Gen. xxxi. 2. Exod. iii. 2. b Deut. xviii. 18. c Gen. iii. 1. 24. d Pſ. cx. 1. e Cap. xlii. 1. f Cap. iii. 8. g Cap. iii. 1.

Veil, eodem argumento hypotheſin ſuam de *Traditione* aliqua *non ſcripta* OEconomiæ Veteris defendit, quo jam ante uſus erat Cunæus: quod nimirum Apoſtoli & Evangeliſtæ in Scriptis ſuis adſtructuri Fidem Evangelicam adducere ſoleant *loca Teſtamenti Veteris*, quæ *literaliter accepta vix videntur applicari poſſe ad probandum*, *quod Apoſtoli ex illis probare intendebant*: niſi recurramus ad *interpretationem illorum locorum* myſticam, *auctoritate Traditionis paſſim receptæ ſtabilitam. Alias*, inquit, *Apoſtoli aliis ſe exhibuiſſent deridendos*, *dum in tanti re momenti*, *novam Eccleſiæ ſuaſuri Legem Vetere abolita*, *uterentur argumentis hujus generis*. Ad quæ obſervo: 1. Omnino concedi poſſe, Apoſtolos quaſdam ex Scriptis V. T. adduxiſſe *probationes*, in demonſtranda Veritate Evangelica, quæ à communi Doctorum Judææ Gentis Traditione commendabantur: ſed ita tamen, ut Veritates, quas Apoſtoli ex illis locis conabantur demonſtrare, *abſque Traditione* ex illis locis demonſtrari potuiſſent. Ejus generis ſunt, quæ Paulus & Apoſtoli ex Pſalmis xlv. cii. cx. cxviii. Deut. xviii. 2 Sam. vii. Jeſ. liii Zach. xii. ad probanda quædam Meſſiæ attributa adferre ſolent: quæ loca, vel potius *illorum aliqua*, *ex traditione* Prophetarum & Sanctorum Virorum conſtabat de *Meſſia* agere; ſed ita, ut dixi, ut prudentes & attenti Lectores, ex analogia & *συγκρίσει* aliarum partium Verbi Divini, tum

Reſponſe à la Lettre de Mr. de Veil. in Crit. V. T. p. m. 761.

Adſtruitur hypotheſis ex dicto Domini apud Lucam de *clavi cognitionis.*

VII. In Euangelio *Lucæ*[a] habemus, Chriſtum reprehendiſſe τὲς νομικὲς, *quod ſuſtulerint* τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως CLAVEM COGNITIONIS, id eſt, quod fores Regni cœlorum clauſerint coram introituris Judæis, ut *Matthæus*[b]: Οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν ὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. *Clavis* ejuſmodi eſt inſtrumentum, quo quod clauſum eſt aperitur. *Clavis cognitionis* itaque oportet ſit *inſtrumentum*, quo quis pervenire poteſt ad *cognitionem veritatum ſalutarium* & ſcitu neceſſariarum ſub OEconomia Nova, quo inſtrumento inſtructi fuerunt *Legiſperiti*. Hoc autem Inſtrumentum vel fuit *Scriptura* ipſa, vel *Traditio* aliqua *præter Scripturam*, quæ Scripturæ recte intelligendæ & exponendæ in graviſſimis Fidei Dogmatibus poterat inſervire.

Quæ quid fuerit, & qua in re conſtituenda, declaratur.

Si attendamus ad verba, quæ interpretamur, & circumſtantias, quibus ea prolocutus fuit Dominus noſter Jeſus: non putamus dici poſſe, *Scripturam Sacram* illam *clavem* fuiſſe, de qua heic diſſerit noſter Soſpi-

a Cap. xi. 52. b Cap. xxiii. 13.

tum etiam ex argumento & circumſtantiis illorum locorum, *abſque omni traditione* id ipſum potuiſſent colligere. licet non negem, tum majorem adferri debuiſſe attentionem & σύγκρισιν. 2. Attamen præter probationes hujus generis, alias haud dubie attulerunt plures, ſubnixas *allegoricis* Scripturæ V. T. *interpretationibus*, de quibus *nulla* extabat Eccleſiæ Judaicæ *traditio*; quas myſticas illorum locorum interpretationes ipſi tunc primum à Spiritu Sancto ſingulari gratia illuminati in medium adferebant. ut ſunt loca, quibuſdam caſibus à Matthæo & Paulo adducta, Deut. xxx. 11, 12. Jer. xxxi. 15. Hoſ. xi. 1. Pſ. viii. 6. Quæ teſtimonia cum aliis illius generis non adduxerunt Apoſtoli, ut ex illis, tanquam notis & receptis, ſententias ſuas confirmarent; ſed ut tanquam prudentes Eccleſiæ Doctores Eccleſiæ verum illorum locorum ſenſum indicarent. Qui poſtquam ab Apoſtolis eſſet indicatus; relictus eſt examini prudentium lectorum. Qui igitur inter Judæos à Spiritu S. in eandem ducebantur veritatem, & debitam huc adferebant νόησιν, ad indicium ab Apoſtolis factum illas receperunt interpretationes horum locorum myſticas, quas Adverſarii Veritatis haud dubie illa etiam ætate rejecerunt, ut hodieque adhuc fit à Judæis. Non valet igitur Collectio Cunæi & Simonii: Apoſtoli illas ſuo tempore in probanda aut declaranda veritate Evangelica adhibuerunt probationes; proin nixæ fuerunt illæ probationes *interpretationibus allegoricis*, vulgo ab omnibus *per traditionem* receptis. Collectio, inquam, illa, ut jam vidimus, laborat.

Soſpitator. Fuit enim Scriptura Sacra omnibus Iſraëlitis *communis*. Ipſe ergo Scripturæ liber, ut legitur; ut illius lectio auribus noſtris percipitur; ut verba quædam & ſententiæ illius libri memoria tenentur & ore ediſſeruntur; quod faciebat Populus, quod faciebant etiam Doctores publici; *clavis illa* non eſt, de qua Chriſtus loquitur. Sic igitur rem putemus. Quæque *veritas*, bene percepta à mente noſtra, *clavis* dicitur ratione *veritatis* vel *veritatum aliarum*; quatenus per cognitionem unius ducimur in cognitionem alterius. Quia enim *veritatum* omnium quidam eſt nexus: fieri nequit, quin qui unam *veritatem* tenet, ſi attendat, *ex ea* deducat aliam, illi conformem. Poteſt tamen id veriſſime affirmari de iis veritatibus, quæ cæterarum principia ſunt & fundamenta, quales in Natura & Revelatione ſatis ſunt notabiles. De naturali cognitione nihil nunc attinet dicere. *Revelationis*, à Deo factæ in Eccleſia, ſub antiqua OEconomia, fundamentum, radix, & principium eſt *Chriſtus Jeſus*, aliquando manifeſtandus in carne, & *juſtitia* per ipſum adducenda. Hoc inter alia ſignificare poteſt dictum notabile in *Apocalypſi* [a]: Ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ ἐστι τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας: Testimonium Jesu *eſt* Spiritus Prophetiæ. Hanc igitur & nullam aliam veritatem poſſumus appellare *clavem cognitionis*. Qui ſub Inſtrumento Vetere intelligebat, Patrem velle Filium ſuum in mundum mittere ad *viſitandum homines* in humana natura aſſumenda & per illius παθήματα velle *ſanctificari*, & Filium hunc ſuum *per paſſiones conſummare*, ut agnoſceretur pro Salvatore mundi unico; ille tenebat principium & fundamentum omnium veritatum revelatarum, ſive *clavem cognitionis*. Quę enim verba Deus locutus eſt tempore Promiſſionis; quos ſub lege typos inſtituit; huc poſſunt & debent unice referri. Sed hæ veritates, ſive hoc omnium veritatum ſalutarium principium ais, extat in *Verbo Dei*, quod commune fuit tam Plebi, quam Doctoribus ſub Veteri Teſtamento? Certe ſic ſe res habet. Sed extat obſcurius pro OEconomia illius temporis, quam ut pii Iſraëlitæ abſque χειραγώγοις ſenſum illorum myſteriorum aſſequi potuerint. Inprimis poſtquam *Lex* Eccleſiæ *data* fuerit per Moſen: quę etſi Promiſſioni non fuerit adverſa, Promiſſionis tamen ſive

Eſſe autem notitiam *attributorum* quorundam Messiæ, & *Regni* ejus, ac *Juſtitiæ*, per ipſum adducendæ, firmatur ex *Apoc.* xix. 10.

a Cap. xix. 10.

Quæ notitia quodammodo obſcurata & obtecta fuerat *Velo* Legis Moſaicæ.

Gratiæ Verbum illi veluti nubi aut velo cuidam fuit involutum. Quod enim *Moſes* faciem ſuam paludamento obtegeret, ſignificabat ex interpretatione Pauli, cæremonias Legis in populo Judæo, maximam partem *carnali*, id effecturas eſſe, ut non attenderet ad eximias illas veritates de Chriſto & ſalute per illum adducenda, ſub iis latentes. Neceſſe itaque erat, ut Deus, qui præcipua Religionis dogmata de Chriſto venturo, ejuſque Officiis & Beneficiis, in Eccleſia illius temporis voluit conſervata, certos quoſdam homines inſtitueret, quibus hoc officii demandaret, ut Verbum Dei diligentius quam alii perſcrutarentur, & veritates, jam cognitas in Eccleſia, cuſtodirent, eaſque interpretandis Scripturis applicarent. Imo neceſſe erat, ut Deus ſuo Spiritu quoſdam eum in modum afflaret, ut præcipua myſteria, quę credi voluit ab homine miſero in OEconomia Gratiæ, clarius & diſtinctius longe quàm alii homines intelligerent. Ejuſmodi homines fuerunt *Prophetæ*, & *Sacerdotes*, quibus commiſſa erat *interpretatio* & *explicatio* Legis[a]. Sane horum Sacerdotum officium erat operam dare, ne *Veritates* illæ *Potiores*, vel ſibi vel Prophetis vel aliis Sanctis Viris à Deo revelatæ, aut per diligentem lectionem & debitam attentionem ope Spiritus Sancti ex ipſis Scripturis perceptæ, perirent, ſed potius eas, adhibita induſtria, declarare & confirmare, populumque rudem de iis edocere, & ſic parare ad fidem in Chriſtum venturum. *Hæ veritates* erant *clavis cognitionis*, ab ipſis turpiter *occultata* tempore Chriſti; & hæc eadem quoque illa eſt Kabbala, quam putem locum habere potuiſſe, & habuiſſe, ſub OEconomia Vetere.

a Mal. 11. 7.

Caput

Caput II.

Sephiroth Decem, *Antiquæ Kabbalæ compendium, recenſentur & deſcribuntur, tradita illius notionis genuina ſignificatione. Qua occaſione de* Recentiore *Judæorum* Kabbala, *quæ omnino eadem eſt cum Philoſophia Pythagorica & Platonica, illiusque Doctrinæ myſteriis; tum etiam de Doctrina & Arcanis* Gnosticorum, *qui vere fuerunt Chriſtiani ex Judæis, Kabbaliſtarum Dogmatibus imbuti, diſſeritur, examinatis Eruditorum quorundam Virorum ſententiis. Tandem hypotheſis nova* περὶ τῶν Sephirôth *proponitur, eaque in genere illuſtratur.*

Qui *Kabbalam* antiquæ, ut jactant, Scholæ Judaicæ in Scriptis ſuis tradere aut declarare ſtudent Auctores ſive Judæi, ſive Chriſtiani, omnes concordi ſententia Sephiroth, quę dicuntur † habent pro illius Doctrinæ ſumma & compendio. Sephiroth autem iis ſunt *Denominationes Divinarum* quarundam *Perfectionum*, quæ illuſtrantur in *Regimine Mundi* aut *Eccleſia*, quas Kabbaliſtæ σχήματι hujus formæ paſſim ſolent exhibere.

Sephiroth Decem, ſic dictæ, faciunt ſummam & compendium *Doctrinæ Kabbaliſtarum.*

כתר

† *Fundamentum & objectum Doctrinæ Kabbaliſticæ ſunt* Sephiræ, Part. III. Kab. Den. p. 147.

Quorum exhibetur Schema ſimplex.

כתר

חכמה   בינה

חסד vel גדולה   גבורה

תפארת

נצח   הוד

יסוד

מלכות

Quibus reſpondent Latina : CORONA. SAPIENTIA. INTELLIGENTIA. MAGNIFICENTIA. SEVERITAS. GLORIA. VICTORIA. MAJESTAS. FUNDAMENTUM. REGNUM. Solent autem *Sephiroth* ſingulis ſingula aptare Nomina Divina, illas illuſtrantia; hunc quidem in modum [a]:

Et aliud compoſitum cum Nominibus Divinis.

כתר

אהיה

חכמה   בינה

יה   יֱהֹוִה

חסד vel גדולה   גבורה

אל   אלהים

תפארת

יהוה

נצח   הוד

יהוה צבאות   אלהים צבאות

יסוד

אל חי

מלכות

אדוני

II. ספירות/

a Vide Kab. Denud. Part. II. p. 6.

Vocis Hebrææ ספירות *SEPHIROTH ſignificatio inveſtigatur.*

II. ספירות/ niſi fallor, vertendum eſt latine per RECENSIONES, à ספר *numerare*, *recenſere*. Neque enim audiendi videntur, qui hanc vocem à gemma ספיר *Sapphiro* derivant: quod nempe *Sephiroth* illas in Deo notent *Proprietates*, quę per ſe lucidiſſime fulgent, h. e. ex ſe ipſis & operibus Dei facile intelliguntur ad Divinam pertinere perfectionem, & per quas, *tanquam media*, *ſumma perfectio* nobis repræſentatur. multo minus qui illius etymon arceſſunt ex Græca σφαῖρα *ſpara*. Buxtorfius vocabulum ספירות vertit per *Numerationes* [a]: quomodo etiam inſtituit Eruditus Auctor *Kabbalæ Denudatæ* [b], in Verſione *Libri Druſchim*, & paſſim alias. Nec aliter Henricus Morus, Doctiſſimus Vir & in his literis probe verſatus. *Quantum ad me*, ait [c], *ego certe credo* SEPHIROTH, *ſicut & tu vertis*, NUMERATIONES *omnino ſignificare*, *eſſeque nihil aliud*, *quam Numeralia quædam Repoſitoria maximorum myſteriorum antiquæ Kabbalæ*, *Decadem non excedentia*. Adſtruiturque hæc ipſa etymologia in Libro *Schaar Haſſchamaim*, etſi quę ibi adducitur hujus etymi expoſitio acutior quam ſolidior ſit. Ego itaque hanc vocem mihi planius transferre videor per *Recenſiones*, quia vere, ut cuique eas conſideranti ſatis liquet, *Sephiroth* ſunt *attributa* Perfectiſſimi cujuſdam entis *ordine recenſita*: ſive ſunt *Recenſiones Attributorum* Perfectiſſimæ cujuſdam ſive Naturæ, ſive Perſonæ. Ego certe prorſus mihi perſuaſi, γενεαλογίας vocem idem valere apud Paulum quod eam *Sephirarum* apud Kabbaliſtas, quando Timotheum monuit [d] ut ſibi caveret à *fabulis* (Judaicis:) & γενεαλογίαις ἀπεράντοις RECENSIONIBUS *inperveſtigabilibus*. Plurimi hujus loci Interpretes, hic offendentes vocem *Genealogiarum*, putarunt, Paulum hic deſignare *Genealogicas Familiarum Recenſiones*, quę extant in Hiſtoricis Libris Veteris Teſtamenti. Sed parum probabile eſt, Judæos aut Chriſtianos illius temporis Doctores ſe occupatos tenuiſſe nectendis difficultatibus Genealogicis, aut iis ſolvendis magnopere laboraſſe. Quodnam enim argumentum in Literis Sacris ſterilius, & minoris momenti atque uſus? Recte itaque jam

Expenduntur de ea ſententia Eruditorum.

Vertenda videtur per Recenſiones: quæ verſio declaratur.

Reſpondet illi Paulina, γενεαλογίαις.

S olim

a In Lex. ad h. v. b Part. II. Kab. D. p. 41. Epiſt. ad Auct. K. D. Part. II. p. 53. c Diſſ. VII. Cap. V. In K. D. Part. III. p. 149. d 1 Tim. 1. 4.

De qua ſententia Tertulliani, & aliorum.

Sunt Gnoſticorum Æones.

olim [a] Tertullianus obſervavit, Paulum voce γενεαλογιῶν hic deſignare ÆONES *Gnoſticorum*, ſive quod † idem eſt, SEPHIROTH KABBALISTARUM: quam ſententiam ſequutus eſt & digniſſime illuſtravit magnus Belga, Grotius.

III. Ma-

a Tertul. Lib. de Præſcript. adv. Hær. Cap. XXXIII. *Sed & cum* GENEALOGIAS INDETERMINATAS *nominat*, *Valentinus agnoſcitur.*

Burnet. Archaiol. Philoſ. Cap. VII.

Lib. I. adv. Hær. Cap. II.

Vide Præf. ad Part. III. K. D.

† Grotius jam monuit, & nihil eo certius, quam *Theologiam Gnoſticorum* omnino fuiſſe eandem cum *Philoſophia Pythagorica* aut Platonica, ut à *Kabbaliſtis* eſt illuſtrata. Kabbala recentior Judæorum, ut jam circa ætatem Pauli exculta eſt, agit potiſſimum de rerum *Originatione* & *Gradationibus*; ſive *de Modo productionis aut profluxus rerum à primo ente, & earundem rerum gradibus & deſcenſu à ſummis ad ima*; ut nuper Vir quidam Eruditus egregie obſervavit. Quod idem eſſe Gnoſticæ Theologiæ argumentum, neminem Doctorum latet. Quantum has res perſpexi; tam Gnoſtici, quam Kabbaliſtæ, circa duo potiſſimum fuerunt occupati. 1. Ut explicarent, quo ordine & ſerie res omnes ſint ex Deo, *tanquam ente neceſſario exiſtente*. 2. Ut declararent *cauſſam* & *originem primam mali*. Utrumque clariſſime liquet ex Irenæo, referente myſticam Theologiam Valentini. Ad ea autem quæ ſunt *ex Deo* tanquam ente neceſſario exiſtente, retulerunt, tum *attributa Dei*, quæ cum ſumma perfectione neceſſario connexa ſunt, quæ *certo* ſtuduerunt digerere *ordine*, ut unum quaſi ex alio procederet; tum reliqua quæ præter Deum exiſtunt entia, quæ ſtatuerunt eſſe ex Deo per *emanationem*; ſive intellectualia, ſive corporea. *Intellectualia* autem iis ſunt duplicis generis: tum Mentes & Animæ perfectiſſimæ, quæ in Paradiſo, h. e. ſummo felicitatis ſtatu gaudent *Viſione Divina*; tum *Angeli*, quorum opera & officiis Deus utitur in curandis his inferioribus. Unde Kabbaliſtis *quatuor Mundi*, ſive *majora* rerum *Syſtemata*. 1. *Mundus* AZILUTHICUS: h. e. Syſtema *Attributorum Divinorum*, ex Deo quaſi manantium & cum ſumma ejus Perfectione connexorum. 2. *Mundus* BRIATHICUS: Syſtema Mentium ſeparatarum & Animarum ſublimium, quæ fruuntur Viſione Dei. 3. *Mundus* JEZIRATHICUS, ſive Angelorum, quibus commiſſa eſt cura inferiorum. 4. *Mundus* ASIATHICUS: Entium inferiorum, quem nos Mundum vocare ſolemus Viſibilem. Imo ex Irenæo liquet, Gnoſticæ Theologiæ Auctores fuiſſe Judæos, & in Doctrina ſua exponenda Hebraicis uſos eſſe vocabulis & phraſibus. Quas phraſes cum non magis quam rem ipſam intelligerent Chriſtiani ex Gentibus: hæc ſane Gnoſticorum Doctrina multo magis illis fuit ſuſpecta quam forte merebatur. Ineptum erat, fateor, quod res multas perceptu claras & ſimplices traderent Gnoſtici abſtruſis & involutis & horridum quid ſonantibus vocibus ac dicendi formulis: nec

tamen

III. Majoris momenti quæſitum eſt, quænam illa ſit *Doctrina arcana* & myſtica, quam antiquorum temporum Judæi his *Decem Denominationibus* comprehenderunt? quid ſibi hæc nomina velint? quid contineant myſterii? Certe ſecundum recen- Quæritur jam, quid myſterii ſub hac *Doctrina* lateat?

S 2 tiorem

tamen illis ineptiis tantum ſubfuit periculi, quantum pii & meticuloſi Chriſtiani ex Gentibus ſibi perſuadebant. Capiamus, licet, ſpecimen ex Irenæo, aut Tertulliano: his enim Auctoribus quis in hoc argumento tutius utatur quam Epiphanio, qui multa adſperſit abſurda & fabuloſa. Summa ſententiæ *Simonis Magi*, Gnoſticorum Parentis ſecundum Veteres, fuit, *ipſum Simonem Magum* ſe dixiſſe eſſe *Patrem*, *qui ſit ſuper omnia.* habuiſſe illum Uxorem *Selenen*, quam dicebat eſſe *primam mentis ſuæ conceptionem*, (ἔννοιαν:) *matrem omnium*, per quam facti ſint *Angeli* & *Archangeli.* ab illis hunc *factum* eſſe Mundum. Angelos & Archangelos illam ἔννοιαν *detinuiſſe propter invidiam*, quod videri noluerint alterius eſſe progenies; eamque omni contumelia ab iis eſſe affectam: ſe autem in Mundum veniſſe, ut *eam liberaret à vinculis*, hominibus vero ſalutem *præſtaret per ſuam agnitionem*, & cum *Angeli* Mundum peſſime adminiſtrarent, veniſſe ut eos poteſtate ſua privaret. Alia mitto. Hæc ad primam ſpeciem abſurda ſunt & ridicula; & talia certe, quæ à nemine rationis compote credi poſſint. Videntur tamen vere eſſe arcana & myſtica, hoc modo exponenda. In Summo Deo *neceſſario exiſtente*, Cauſſa rerum omnium, ineſſe COGITATIONEM, ſive *rationem*, aut *ſapientiam*, quam Gnoſtici *Achamoth*, (חכמה:) Græci ἔννοιαν vocant. quod Attributum cum in Primo Ente neceſſario concipi debeat; eſſe quaſi illius *Conjugem.* per hanc *Sapientiam*, ſive *Rationem*, Deum creaſſe *Archangelos* & *Angelos.* illos eſſe Auctores hujus Mundi. ab illis à Deo deficientibus & humano generi male volentibus eſſe *Malum* in Mundo. illos feciſſe ut ſuppreſſa & captiva quaſi in hominibus detenta ſit ἔννοια *Ratio.* imo feciſſe ut male excepti, & injuriis ac contumeliis affecti ſint, qui dogmata *ſanæ rationi* conformia traderent. Se igitur in hunc Mundum veniſſe Doctorem, ut homines de hac magni momenti re edoceret. imo *ſe* cum Uxore ſua, Fœmina prudente, eſſe quoddam emblema *Conjugii Naturalis Entis neceſſario exiſtentis cum τῇ Ἐννοίᾳ.* Aliud exemplum, quod magis ad ſcopum noſtrum facit, producere poſſumus ex Dogmatis Valentini, celeberrimi Gnoſticorum Parentis. Complexus ille eſt omnium rerum exiſtentium origines *triginta Æonibus*, ſive *Emanationibus Succedaneis* unius rei ſive Attributi quaſi procedentis ex alio. *Triginta* illos *Æonas*, ſive *Emanationes Succedaneas* inter ſe per paria combinat, tanquam *quindecim* conſtituerent *Conjugia Maris & Fœminæ.* Primo ſtatuit *quendam*, ut ait Irenæus, *in inviſibilibus & inenarrabilibus altitudinibus* PERFECTUM Æo-

Iren. Lib. I. adv. Hær. Cap. XX.

Lib. I. adv. Hær. Cap. 11.

tiorem Kabbalam per eas intelligenda videntur inſigniora Dei, perfectiſſimi Entis, Attributa, quę demonſtrantur in Productione & Regimine *Mundi* atque *Eccleſiæ*. Sed id ita ſi habeat: an Sephiroth rem continebunt tam arcanam, ſacro-ſanctam, & re-

Judæorum de eo ſententia: ſed rejecta.

Vide etiam Tertull. de Præſc. adv. Hær. Cap. xxxvi. & Libro adv. Valentinianos.

ÆONEM, *qui ante fuit.* quem Gnoſtici vocant *Proarchen*, & *Propatora*, & BYTHON, *quem*, ajunt, *eſſe inviſibilem & à nulla re capi poſſe.* Illi eſſe coæternam Conjugem ENNOEAN. Propatora illum cum *Ennoia* tanquam Conjuge ſua congreſſum produxiſſe NUN. quem *Unigenitum* vocant, & *Patrem, & Principium omninm.* & cum eo *emiſſam* eſſe ALETHIAM. Unigenitum illum ſive *Nun* rurſus emiſiſſe LOGON & ZOEN. à *Logo* & *Zoe* emanaſſe HOMINEM & ECCLESIAM. eoſdem illos *Logum* & *Zoen* Decem emiſiſſe alios Æones, quorum ibi habentur nomina: *Duodecim* autem alios emanaſſe ex *Homine* & *Eccleſia*, qui ibi pariter recenſentur. Omnia enim ut hic proſequamur inſtituti noſtri ratio non fert: & lubentes etiam fatemur, multa in his myſteriis nos minime aſſequi. Myſtica autem illa, quæ jam retulimus, ſic videntur exponenda. Primum omnium, quod in Deo concipimus, eſt, eſſe illum quid perfectiſſimum *neceſſario exiſtens.* Principium illud exiſtentiæ Dei à nemine mortalium intelligitur. Hac parte Deus eſt prorſus *inviſibilis.* Eſt hic profundum, quod nemo pervadere poſſit. Illius *neceſſariæ & perpetuæ exiſtentiæ* ſymbolum Kabbaliſtæ voluerunt eſſe כתר *Coronam:* ſuper quam pingere ſolent voces אין סוף *Nullus eſt Finis.* ABYSSUS. Id Ipſum eſt, quod Gnoſtici vocant Προπάτορα, προαρχὴν *Pro-principium:* & Βυθὸν PROFUNDUM quod exhauriri non poſſit, & tempus involvit interminabile. Rerum enim exiſtentium *Principium* cognitum ponunt *Nun* aut *Logon.* In Deo jam ut perfectiſſimo, *neceſſario exiſtente*, mox concipimus ἔννοιαν COGITATIONEM, ad quam referenda *ſimplex perceptio.* Illa Ἔννοια eſt quaſi Conjux *Patris* illius *Primi*, quia *Cogitatio* in Ente Perfecto neceſſario percipitur. Poſt hanc *perceptionem ſimplicem* in Ente cogitante mihi occurrit *Judicium*, Νοῦς MENS. quæ eſt perceptio relationis quam una res ad aliam, unum attributum ad aliud, habet. *Judicium* autem de re, rei naturæ & proprietatibus conforme, eſt Ἀλήθεια VERITAS: unde Veritatem cum *Mente* ſive *Judicio* emiſſam & illius *Conjugem* ſtatuunt. Poſt *Judicium* in Ente Cogitante concipimus Λόγον RATIONEM, quæ eſt *plurium Judiciorum* complexio quædam. Quæ operationes cum abſolvant ſimpliciſſimam Vitam *Entis Cogitantis:* Conjugem illi dederunt Ζωὴν VITAM. Ex *Logo* autem & *Zoe* emanaſſe ſtatuunt *Hominem* & *Eccleſiam*, *in idea* nempe, quod hæc ſint *objecta idealia* prima & præcipua, quæ à *Logo*, h. e. *Ratione* Divina formata ſunt. En ſpecimen *Doctrinæ Gnoſticæ* de *emanatione* unius rei ex alia re: quibus emanationibus *recenſendis* & illuſtrandis ipſi inhæſerunt. Id Paulus vocavit γενεαλογίας. Dogmata, ut vides Lector, difficilia & operoſa.

& remotam à ſenſibus Vulgi? Quis enim ignorat mortalium qui rationem ſuam prorſus non negligunt, in Deo Mundi & Eccleſiæ Rectore ineſſe *Attributa Scientiæ*, *Sapientiæ*, *Magnificentiæ*, *Severitatis*, & quæ hic recenſentur alia? Verum equidem eſt, Kabbaliſtas ſingula horum Nominum per notiones reconditas & obſcuras exponere; illa varie ab invicem dividere & combinare; & reſpectum unius ad aliud per *circulos* & *lineamenta* operoſe in variis figuris demonſtrare. Sed talia ſunt quæ ad myſticam hanc Doctrinam ſuam explicandam adferunt, quæ, fateor, me paucis quibuſdam generalibus exceptis, prorſus non potuiſſe capere. Idem nuper de ſe profeſſus eſt ingenio & doctrina clariſſimus *Theoriæ Telluris Sacræ* & *Archæologiæ Philoſophicæ* Auctor [a]: cum ego hic meo ingenio & diligentiæ diffiderem. Vir Ille Eruditus induſtrie inquirit in ſententias Kabbalæ, ut à Judæis traditur. Excutit, ut ſolet, docte & ingenioſe, quæ in *Lexicis Kabbaliſticis* de una & altera *Sephira* traduntur. Hærere ſe ubique fatetur, tanquam ſi verſaretur in tenebris: etiamſi inſtructus fuerit ſubſidio laborioſi Operis *Kabbalæ Denudatæ*. Colligit igitur [b], *hanc Doctrinam nimia vetuſtate in faces degeneraſſe*, & *quicquid veri ſolidique habuit Kabbala Judaica multas ob cauſſas ſenſim imminutum & vitiatum fuiſſe*. In quam ſententiam ego pedibus eo.

Ubi de ineptis Kabbaliſtarum ſubtilitatibus aliqua monentur.

IV. Idem tamen ille Vir Doctus teſtatur, *ſibi videri*, *fieri non poſſe*, *ut omni careat fundamento Kabbala Judaica*, *fœdiſſime licet corrupta & adulterata. Antiquis enim Fabulis vulgo concedi aliquid Fundamenti loco ſubeſſe*; *neque veriſimile eſſe*, *è nihilo proveniſſe famam & exiſtimationem Doctrinæ Kabbaliſticæ*, *à tot ſeculis ſermonibus hominum agitatæ*. Bene habet: nihil diſſentio. Adjicit itaque mox, ſe putare, *Antiquam Kabbalam* præcipue circa id verſatam eſſe, quo modo res omnes *ex Primo Ente profluxerint per emanationem*, & per *refluxum* quaſi in Deum *retrahi poſſint*. quod ipſum pluribus declarat. Imo certe veriſſimum credo, quod Vir Cl. hic proponit, ſi de *Kabbala* loquamur *Philoſophica*, ut inter Judæos jam circa ætatem Pauli excoli cœpit illa ſcientia, & inter Chriſtianos à Gnoſticis: & hodieque traditur in Libris Kabbaliſticis. Sed ſi *Kabbala* aliqua à San-

Et eſt tamen probabile, non temnendum myſterium huic figuræ τῶν *Sephiroth* ſubeſſe.

Docti cujuſdam Viri de eo judicium.

a T. Burnetus, Archaiol. Philoſ. Cap. VII. p. 316. b p. m. 327.

ctis & Prophetis primorum temporum exculta & conſervata ſit; &, ſi *Sephiroth*, qua forma nunc pingi ſolent, vere fuerint illius Kabbalæ compendium aliquod; exiſtimandum videtur, aliud fuiſſe *antiquæ Kabbalæ* argumentum. Sancti enim & Prophetæ non tam curarunt inveſtigationes Philoſophicas rei omnium perceptu difficillimæ qualis illa eſt de *Rerum origine ex prima Cauſa*; neque ſane Deum conceperunt ut hujus Mundi *Cauſſam Emanativam*, cujus effectus vere ſit ipſius Cauſſæ Efficientis pars; ſed ut Cauſſam Mundi *Efficientem*, ſive Producentem *Liberam*, à qua cauſſa effectus diſtinctiſſimus eſt: qualem *Productionem* nos ſub *Creationis* notione intelligimus: verum haud dubie illam ſectati ſunt & plurimi fecerunt *Doctrinam*, quæ homini miſero ſolidam adferre poteſt conſolationem, qualis eſt *Doctrina Gratiæ*, in *Promiſſis Eccleſiæ factis*, *revelata*. Quid ſi igitur oſtenderemus, has ipſas *Sephiroth* poſſe conſiderari veluti quoddam illius *Doctrinæ Gratiæ* compendium? Videmur autem id obtinere poſſe, ſi hanc aſſumamus hypotheſin, quod *Sephirôth* Kabbaliſtarum nobis repræſentent DIVINAS PERFECTIONES & VIRTUTES, *quæ in* PERSONA & REGNO MESSIÆ *potiſſimum* DEMONSTRARENTUR & ILLUSTRARENTUR. Sic aliquando Juvenili ætate ludebamus, & videbamur nobis aliquas habere rationes, quę ſaltem hanc ſententiam poſſent commendare ut *probabilem*.

Quod admittitur reſpectu *Kabbalæ recentioris*; non autem, *antiquæ*.

Quin probabile eſt, Σχῆμα hoc paratum eſſe ad illuſtrandum *Regnum Divinæ Gratiæ*, & præcipue quidem *Perfectiones* & *Virtutes Meſſiæ*.

V. 1. In omnibus *typis impreſſis* occurrebant mihi ſemper hæ ספירות *Sephirôth* eadem *figura* pictæ, qua eas paulo ante delineavi. Intelligebam præterea Veteres Auctores myſtica hæc nomina eadem *forma* Diſcipulis ſuis commendaſſe; & nullibi tamen obvenerant aliquæ rationes, ob quas hac potius figura pingebantur, quam aliqua alia; licet fateri etiam debeam, me dedita opera tunc temporis nondum in id inquiſiviſſe. Quamob cauſam rem hanc nec myſterio, nec ratione carere arbitratus, facile quidem, attentius eas conſiderans, obſervabam, *Sephiroth* haſce Kabbaliſticas plane diſpoſitas eſſe ſecundum *figuram corporis humani*; & cum Prophetæ de *Regno Meſſiæ* agentes, illum ipſum Meſſiam aliquando inter homines *ut hominem* manifeſtandum, non raro *humana ſpecie* nobis exhibeant: probabile videbatur, illos hoc myſterium de *Meſſia Rege*, Homine-Deo, per-

Ratio prima pro hac hypotheſi petita ex ipſa *figura* τῶν *Sephiroth*.

percepiſſe, & hoc σχήματι ſymbolico alios aliis *tradidiſſe*. 2. Prorſus nobis videbatur veriſimile conferentibus hanc figuram τῶν ספירות cum *Attributis* quę de Chriſto paſſim prædicantur in Apocalypſi Joannis; in illa ipſa Apocalypſi in deſcribenda Perſona Chriſti, Humana Natura induti, ad has *Sephiroth* manifeſte alludi. Id certe etiamnum exiſtimo, me magna cum ſpecie veri poſſe demonſtrare. Nec tamen probabile eſt, Spiritum S. in *Viſionibus Propheticis*, Joanni exhibendis, ullam habiturum eſſe rationem τῶν Sephirôth Kabbaliſticarum, ſi Doctrina illa Sephirothiça vere originem non duceret ex Catecheſi Patrum, & Patres per hanc Doctrinam idem arcanum tradere noluiſſent poſteris, de quo Spiritus Sanctus Joannem in emblematibus Propheticis voluit edocere. inprimis, cum inter emblemata illa Joannis & Prophetarum tam amicus ſit conſenſus. Recte itaque hactenus Illuſtris ille *Denudatæ Kabbalæ Auctor*[a], *Nec ſane dubito*, ait, *quin admirabilis ille Liber multis in locis valde ſit Kabbaliſticus*. 3. Addere his liceat, Eruditos illos Viros, qui hypotheſin de *Catecheſi Patrum* in Kabbala Sephirothica reſervata mecum communem habent, nihil hic in medium adferre, quod, ſi recte examinetur, hac ipſa ſententia mea ſpecioſius aut probabilius ſit. Qui nempe myſterium aliquod *veræ Religionis Judaicæ*, quę quoad ſummam rei differre non poteſt à *Chriſtiana*, hiſce Sephiroth traditum eſſe ſtatuunt, ſolent hic fere omnes cogitare de *Sacro-Sancta Triade*: licet ſuam illam ſententiam diverſimode explicent. Henricus Morus[b], & Doctorum, qui ante & poſt ipſum vixerunt, plurimi, putant, *Decem* illas *Sephiroth* in duas dividi partes: TRES, & SEPTEM. TRES priores exhibere myſterium *Patris*, *Filii* & *Spiritus S.* SEPTEM poſteriores repræſentare *Attributa* Dei *Triunius*, quæ in Regno Naturæ, Angelico, & Gratiæ: hoc eſt in Creatione omnium rerum viſibilium & inviſibilium, & Providentia Divina in illis àdminiſtrandis, conſpicua ſunt. Eruditus vero *Kabbalæ Denudatæ* Auctor Sanctam Triadem in Decade *Sephirothica* ita demonſtrat[c], ut *Secunda Sephira* חכמה ſit *Perſona prima*, quę Chriſtianis dicitur PATER: תפארת / *Sephira Sexta*, cui Kabba-

Secunda ex collata Doctrina de *Chriſto* Apocalyptica cum *Traditione Sephirothica*.

Tertia, quod nulla hypotheſis alia probabilior ab aliis in medium afferatur.

Ubi imprimis illorum diſcutitur ſententia, qui Doctrina Sephirotica

a Part. 11. Kab. Denud. p. 26. b Vide Epiſt. Mori Part. 11. Kab. D. p. 54. c Part. 11. Kab. D. p. 80.

reconditum volunt Myſterium S. Trinitatis.

liſtæ tribuunt Nomen יהוה / ſit Filius Dei: ultima autem מלכות Regnum, quę & שכינה / deſignet Spiritum Sanctum. Sed certe ſi quis σχῆμα harum *Sephiroth* nudum abſque illius explicationibus, ex Philoſophia Platonica deſumptis, (quos Kabbaliſtas Recentiores non nego, Tres priores Sephiroth per *Triadem* Platonicam fere expoſuiſſe:) probe conſideret, videntur *Attributa illa Sephirothica* omnia eſſe *unius Perſonæ*, quam Perſonam antiqui Kabbaliſtæ *forma hominis* depingi voluerunt. Quis enim, qui in ſerie plurium excellentium Intelligentis Naturæ Attributorum videat recenſeri Sapientiam, & Intelligentiam, hæc nomina magis colligat deſignare Personas, quam reliqua Attributa, *Gratiæ*, *Severitatis*, *Gloriæ*, *Majeſtatis*, & quę illis ſimilia? Nos itaque in explicandis his Sephiroth hic nihil damus ineptiis *Kabbaliſtarum recentiorum*, qui unice ſapuerunt ex Philoſophia Platonica; nec ullius numeri aut pretii facimus *Demonſtrationes Myſterii Trinitatis*, quę principiis Platonicæ Philoſophiæ nituntur: ſed illam potius *Doctrinam* in hoc complexu *Attributorum Sephirothicorum* quærimus, quam Spiritu Sancto in *Viſionibus*, Joanni exhibitis, dignum fuit illuſtrare. Sunt enim hic, ut alibi, † quæ ſe ſpecie veri externa commendant, à veris & ſolidis probe diſtinguenda. Nos rem hoc ordine perſequemur, ut hypotheſin noſtram prius in genere illuſtremus; quam ſeorſim de ſingulis agamus.

VI. *De-*

† Vere ſunt in his aliqua, ut in omnibus fere aliis ſcientiis, quæ ſpeciem veri habent, nec tamen rigidum ſuſtinere poſſunt examen. V. gr. Cl. Morus putat, in Apocalypſi, ubi Joannes *pacem* precatur Eccleſiis ab eo, *Qui eſt*, & *Qui erat*, *& Qui venturus eſt*, *& à* Septem *Spiritibus:* alludi ad *Decem Sephiroth* in *Tres* & *Septem* diſtinctas: per *Eum*, *Qui eſt*, *Qui erat*, *& Qui Venturus eſt*, intelligens *Sanctam Triadem*, per *tres* priores *Sephiroth* deſignatam; per Septem Spiritus vero Angelos Bonos, Divinæ Providentiæ Miniſtros, ſic dictos cum reſpectu ad *reliquas Septem Sephiroth*. Sed ſi omnino Joannes per *Eum qui eſt*, *qui erat*, *& qui venturus eſt* intellexerit *Tres Perſonas Divinas*, quare mox addit: *Et à Jeſu Chriſto*? Deinde: quomodo Joannes Eccleſiæ *Gratiam* & *Pacem* precatur ab *Angelis*? Suntne igitur illi Gratiæ & Pacis diribitores, æquali ordine ponendi cum *Deo ſummo*, & in hoc etiam contextu præponendi *Chriſto Jeſu*? An probabile eſt, Virum Cl. hanc interpretationem amplexurum eſſe, ſi non plus quam par eſt ſibi

Epiſt. quæ eſt in Part. II. Kab. D. p. 54.

Apoc. 1. 4.

Verſ. 5.

VI. *Decem* itaque *Sephiroth*, qua pingi ſolent figura, exhibent nobis ſpeciem auguſti cujuſdam *Regis*. Prima ספירה *Sephira* eſt כתר *Corona*; quæ *capiti* propria eſt. חכמה & בינה *Sapientia* & *Intelligentia* in imo *capite* ſedem habent. גדולה וגבורה *Magnificentia* & *Severitas* commode ad *utrumque Brachium*, ſive *Manum*, referuntur. Sequitur τὸ תפארת *Gloria*, quod ſolum reperitur, atque aſſignandum judico Zonæ. נצח והוד *Victoria* & *Majeſtas* utrique *femori* reſpondent, cui inſcripta fuerunt pro more Orientalium, uti latius modo dicemus. יסוד *Fundamentum* partem corporis vel generationi vel ſeſſioni deſtinatam reſpicit. מלכות horum omnium habitaculum quaſi & *domicilium* eſt, ut Kabbaliſtæ ipſi loquuntur. Quæ ut clarius cuique paterent, illuſtrare conati ſumus in [a] *Tabula*.

Expoſitio Myſterii *Sephirotici* tentatur ſecundum hypotheſin, & obſervatur, τὰς *Sephiroth* exhibere imaginem & attributa auguſti cujuſdam Regis.

VII. Nempe exhibemus ibi Virum, *toga indutum talari*, qui Veſtitus Populis Orientalibus receptus fuit, & Regibus inprimis Gloriam Majeſtatemque ſuam demonſtraturis. Diodorus Siculus de Alexandro, ſe ad Orientalium Regum mores componente [b]: Εἶτα τότε περσικὸν διάδημα περιέθετο καὶ τὸν διάλευκον ἐνεδύσατο χιτῶνα, καὶ τὴν περσικὴν ζώνην, καὶ τ᾽ ἄλλα. Chriſtum autem Jeſum, *Regem Eccleſiæ*, hac veſte Gloriam ſuam conſpiciendam præbere voluiſſe Eccleſiæ, patet ex certis Verbi Divini locis. Hac ſpecie viſus eſt Joanni [c]: *Et reverſus vidi Septem Candelabra aurea*: Καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου ἐνδεδυμένον ποδήρη καὶ περιεζωσμένον

Oſtenditur illud in *Tabula*:

Et conferuntur ad adſtruendam hypotheſin loca

a p. 143. b Hiſt. Lib. XVII. p. m. 549, 550. c Apoc. I. 13.

ſibi placuiſſet in hypotheſi à ſe electa. *Septem Spiritus* vere hic ſunt ipſe *Spiritus Sanctus*, ſic dictus cum reſpectu ad *Septem Lampades Candelabri Aurei* in Tabernaculo, ut ex *Cap.* IV. 5. liquet. Ita, ſi aliud etiam exemplum vis: ubi vides Paulum 1 *Cor.* XV. 45. loqui de *Adamo* πρώτῳ PRIMO & ἐσχάτῳ ULTIMO; obſervas autem Kabbaliſtas quoque loqui de אדם קדמון ADAMO PRIMO: cave credas, Kabbaliſtas per *Adamum Primum* idem intellectum velle, quod ibi loci Paulus. Kabbaliſtæ enim hac notione deſignare ſolent PRIMUM EMANANS EX DEO, quod Platonici vocabant ΛΟ΄ΓΟΝ. Doctus Auctor K. D. in *Præfatione ad Apparatus in Libri Sohar Partem Tertiam & Quartam* Orationem Dominicam & alias Hiſtoriæ Euangelicæ Partes ex *Kabbaliſtarum Doctrina* conatus eſt illuſtrare. Quæ etſi nos lubentes ſuo pretio & Eruditorum examini relinquamus: ſterilia tamen nobis magnam partem viſa ſunt & ſupervacanea. quod ſalva reverentia, quam Illuſtri Viro debemus, dictum velim.

Joannis in *Apoc.* Ezechielis, & Jeſaiæ.

ζωσμένον πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν· *Et in medio ſeptem candelabrorum* QUENDAM SIMILEM FILIO HOMINIS, INDUTUM TALARI VESTE, *&* *præcinctum ad mamillas* ZONA AUREA. Atque ita etiam exponendum judicio, quod legimus apud *Ezechielem* [a]: ועל דמות כסא דמות כמראה אדם עליו מלמעלה: וארא כעין חשמל כמראה אש בית לה סביב ממראה מתניו ולמעלה וממראה מתניו ולמטה ראיתי כמראה אש ונגה לו סביב *Et ſuper ſpecie throni, ſpecies quædam viſa eſt inſtar* HOMINIS, *quæ ſuper eo deſuper. Et vidi quaſi colorem Chaſmal, ſicut aſpectum ignis introrſum circumcirca.* AB ASPECTU LUMBORUM EJUS ET SUPRA ET AB ASPECTU LUMBORUM EJUS ET INFRA VIDI UT ASPECTUM IGNIS, *&* *Slendor ipſi circumcirca.* Ponitur hic medium *locus Lumborum* inter partem ſuperiorem & inferiorem, & dicitur ſupra lumbos & infra lumbos idem color fuiſſe inſtar ignis; quod meo judicio omnino intelligendum eſt de *toga talari* ejuſdem coloris, id eſt, ſplendidiſſima, qua indutus hic humana ſpecie Rex conſedit in throno. Neque alio pertinet inſignis viſio, quę obtigit *Jeſaiæ* [b], cum hac *Ezechielis* omnino comparanda. Exhibitus ipſi fuit Jehova Rex (erat autem is ipſe Filius Dei, Interprete Joanne [c]:) ſedens in *Sancto Sanctorum*, *oris veſtimenti* implentibus ההיכל *Templum*, h. e. eam Templi partem quæ *Sanctum* dicitur. Tralatitium vero eſt monere, non *Coronas* tantum & *Sceptra*, ſed & TOGAS, argumenta eſſe poteſtatis Regiæ. Tacitus [d] refert, Senatum Romanum *Ptolemæo Regi*, quod rem populi Romani ſtrenue egiſſet, per Senatorem miſiſſe *ſcipionem eburneum* & TOGAM PICTAM, *antiqua Patrum munera*, cum titulo *Regis*, *ſocii* atque *amici*. Joſephus pariter [e], *Alexandrum*, Antiochi Epiphanis Filium, ſe oppoſiturum *Demetrio*, *Jonathæ* fratri Judæ Maccabæi una cum literis miſiſſe στολὴν πορφυρᾶν καὶ στέφανον χρύσεον PURPUREAM STOLAM *&* *coronam argenteam.* Figura itaque hæc *Deum* tanquam *Regem Eccleſiæ ſuæ* ſub OEconomia Nova, vel potius *Meſſiam*, Regnum illud Dei tum adminiſtraturum, commode exhibet. Videndum, an ſingulæ etiam *Sephiroth* ad Chriſtum Jeſum *tanquam Regem Eccleſiæ*, applicari poſſint.

Ubi quædam obſervantur de *habitu* Regum Orientalium.

a Cap. I. 27. b Cap. VI. 1, 2, 3. c Ev. Cap. XII. 41. d Annalium Lib. IV. p. m. 117. e Antiq. Lib. XIII. Cap. V.

C A-

Caput III.

Novem Sephiroth, *ſive Attributa* Meſſiæ, Regis Eccleſiæ, *ſecundum hypotheſin, in ſuperioribus jactam, in Meſſia demonſtrantur, & tum ex aliis Divini Verbi partibus, tum præcipue ex Apocalypſi illuſtrantur.*

Novem *Sephiroth* priores ſeorſim declarantur, collatis locis *Apocal.* & primo כתר Corona.

Inter *Decem Sephiroth*, quæ ex hypotheſi nobis exhibent Chriſtum Regem, prima eſt כתר corona. Corona adſcribitur Chriſto Domino variis in locis. Sic eſt in *Apocalypſi* [a]: Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκός. Καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτῷ, ἔχων τόξον. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ στέφανος *& data eſt illi* corona, καὶ ἐξῆλθε νικῶν καὶ ἵνα νικήσῃ. Proponitur nobis Rex Chriſtus Jeſus, *Coronam* habens impoſitam capiti ſuo, vectus ſuper Apoſtolos per omnes mundi plagas, ſui obedientiam perſuaſurus gentibus. Simile quid occurrit ſub finem Apocalypſis [b]: *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus: & qui inſidebat illi vocabatur Fidelis, & Verax, & qui juſte judicat & pugnat. Oculi autem ejus erant ut Flamma ignis,* καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διαδήματα πολλά: *& in capite ejus* diademata (coronæ) multa. Vocabulum διάδημα τοῖς Lxx. idem eſt quod כתר corona. Exempla ſunt in libro *Eſther*. Sed notandum etiam, τὸ διάδημα reſpicere ad צניף & מצנפת. Eſt enim τὸ διάδημα à διαδεῖν *circumvolvere*, cingere, atque hinc proprie dicebatur *faſcia* quædam candida, qua caput circumligabatur, quod *Regum* erat inſigne. Plane uti צניף / quod τοῖς Lxx. eſt κίδαρις, μίτρα, στέφανος, διάδημα, & deſcendit à צנף / quod *circumvolvendi*, & *rotandi* ſignificatum habet. Adſcribitur autem τὸ צניף etiam Regibus: ut apud *Jeſaiam* [c]: והיית צניף מלוכה בכף אלהיך et eris diadema Regium *in manu Dei tui*. Clarius id repræſentatum eſt in Pileis *Pontificum* Hebræorum, quibus apponebatur *Corona*: ut Judæa Gens intelligeret, *Pontifices* ſuos non modo *Prophetas* eſſe ſed & Reges. Reges, inquam, Sacrorum. Pontificalis dignitatis ſymbolum fuit *Ephod*: Propheticæ *Urim* & *Thummim* in Pectorali: Regiæ vero *lamina* illa ſive *Corona* *aurea*,

Ubi quædam obſervantur de vocibus מצנפת & διάδημα.

Vindicaturque *Corona* & *Dignitas* Regia tam Pontificibus,.

T 3

a Cap. vi. 2. b Cap. xix. 11, 12. c Cap. lxii. 9.

quam Regibus. Exponiturque locus Zach. VI. 11.

aurea, qua media Capitis pars à fronte cingebatur. Huc pertinet quod apud Zachariam legimus [a]: *Et accipies argentum & aurum*, ועשית עטרות ושמת בראש יהושוע הכהן הגדול *& facies* CORONAS, *& pones eas in capite Joſuæ Pontificis.* Belgæ Interpretes putant, capiti Jehoſuæ, qui typus fuit Chriſti, impoſitas fuiſſe duas coronas, argenteam & auream. At licet primo intuitu ſe mihi commendaverit hæc ſententia, quod facere mihi videretur ad illuſtrandum locum Apocalypticum, modo recenſitum, in quo Domino noſtro adſcribuntur διαδήματα πολλά: poſtquam tamen rem diligentius expendi, probabilius viſum eſt, Capiti Joſuæ Pontificis *unam* impoſitam eſſe coronam quam plures, quia *uni Sacerdoti* corona tantum convenit *una*. Quod enim plures heic factæ dicantur *coronæ*: illius in hoc emblemate eſt ratio, quod Deus populo haud dubie voluit repræſentare longam ſucceſſionem *Pontificum* poſt *Joſuam*. Quem eundem etiam in finem *coronæ* in *memorialia ſuſpenſæ* ſunt in Templo. Sic igitur accipe potius verba: *Facies coronas & pones eas*, id eſt, *pones ex iis unam in capite Joſuæ.* Belgice: **Op ſult daer van een ſetten op 't hooft van Joſua.** Exempla hujusmodi conſtructionum tibi dabit Glaſſius [b]. De *Moſe* Maimonides ait [c]: נתקדש כמלאכים *Sanctificatus eſt ut Angeli*, quod tu ſimili modo interpretari poteris: כאחד ממלאכים *Ut unus angelorum.*

Quid ſibi velit illud, אין סוף / quod Kabbaliſtæ *primæ Sephiræ* ſuperſcribunt?

II. Kabbaliſtæ ſupra hoc vocabulum in ſchemate ſuo ponere ſolent verba, אין סוף NON EST FINIS. quæ nobis in mentem venit comparare cum verbis Angeli apud *Lucam* de Regno Domini [d]: *Regnabit in domum Jacobi in æternum:* καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος *&* REGNI EJUS NON ERIT FINIS. Hebraice diceremus: ומלכותו אין סוף Nec diſſimulabo tamen, Kabbaliſtas hoc ſymbolum aliter interpretari. Interpretantur illi τὸ אין סוף per *ineffabile*, *incomprehenſibile*, *abyſſum*, quæ à Creatura finitæ capacitatis pervadi & exhauriri nequeat. An itaque licebit cum eo conferre verba Joannis Prophetæ de Chriſto Rege [e]:

Kabbaliſtarum de eo ſententia.

Καὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διαδήματα πολλά, ἔχων ὄνομα γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτός: *habebatque* NOMEN *ſcriptum*, QUOD NEMO NOVIT, NISI IPSE. Plane enim Hebræi ita interpretantur illud אין סוף / jun-

a Cap. VI. 11, 12. b Cap XXVII. Tract. 1. Grammaticæ Sacræ. c §. X. Cap. VII. De Fund. Legis. d Cap. I. 33. e Cap. XIX. 12.

junctum τῷ כתר *Coronæ*. In libro *Jetſira* Abrahamo Patriarchæ adſcripto, qui à Rittangelio docte expoſitus & illuſtratus eſt, τὸ כתר ſæpe appellatur NON ENS & INEFFABILE illud. Habes ibi [a]: דע כי האין (כ״ע) לא יתכן עליו מנין *Scito*, *quod* NON ENTI (CORONÆ SUMMÆ) *non conveniat*, *ut de eo prædicetur numerus*. Ad quę Rittangelius: CORONA SUMMA *vocatur etiam* NON ENS, *propter incomprehenſibilitatem: eſt enim res quædam ſecundum ſe incomprehenſibilis*, & *ineffabilis*, *in remotiſſimo Deitatis receſſu*, & *in fontani Luminis inacceſſibili abyſſo ſe retrahens* & *contegens*. De אין כוף autem frequentiſſime illud occurrit, עשר ספירות בלימה *Decem Sephiroth* præter *illud* INEFFABILE [b]. Explicationem alibi hanc offendi: עשר ספירות בלימה פי׳ בלי השגת מהות שלא נודע ולא מושג לשום בריה ולא לשום מלאך מהו מהותם ועצמותם של ספירות כי סתומים ונעלמים הם מהשכל להשיג בהם איזה השגה *Decem Sephiroth præter illud* INEFFABILE, *hoc eſt*, *præter* ILLUD, CUJUS QUIDDITAS APPREHENSIONIS PROHIBITA EST, *quæ* NON NOTA FIT, NEC APPREHENDITUR AB ULLA CREATURARUM, NEC AB ULLO ANGELORUM, *quid ſit quidditas* & *ipſeitas earum ſc. Numerationum*, & *occultæ* & *abſconditæ ſunt ab eis*, *quo minus apprehendant* & *percipiant in eis apprehenſionem.*

Adducitur & illuſtratur locus. Apoc. XIX. 12.

III. כתר *Coronam* ſequuntur ordine חכמה & בינה SAPIENTIA & INTELLIGENTIA, quas ad *Caput* referendas eſſe, res ipſa loquitur. Quis ignorat, binas haſce *virtutes* Domino noſtro Jeſu Chriſto frequenter admodum attribui in Codice ſacro? En verba Jeſaiæ [c]: ונחה עליו רוח יהוה רוח חכמה ובינה *Et quieſcet ſuper ipſum Spiritus Jehovæ: Spiritus* SAPIENTIÆ & INTELLIGENTIÆ. Optime Vir Doctus [d]: *Cum* חכמה *ſolet jungi* בינה/ *vel* תבונה *aut* דעת/ *ut* & *Paulus* σοφίαν καὶ φρόνησιν *aut* γνῶσιν *ſæpe conjungit. Sapientiæ comes eſt* prudentia & circumſpectio, *quæ ſecundum ſapientiæ regulas per amorem* & *timorem Dei reprobatur malum*, & *eligitur*, *quod optimum eſt*, *in bona conſcientia*. Et alibi: בינה *eſt* Prudentia. φρόνησις. *Dexteritas judicandi* & *eligendi ſecundum veri* & *boni conſcientiam. Nam prudentia utitur ſapientia ἐν πρακτοῖς. Hinc junguntur* חכמה ובינה σοφία καὶ φρόνησις. *Prudentiæ mater eſt ſapientia. Sapientia* eſt Virtus Intellectus, qua res intelligimus in cauſſis & finibus:

Binæ *Sephiræ* ſequentes, SAPIENTIA & INTELLIGENTIA, referuntur ad *caput*, & ad *Meſſiam Regem* applicantur.

Pru-

a p. 14. b p. 194, 195, 196. §. III, IV, V. c Cap. XI. 2. d Cl. Cocc. in Lex. ad voc. בינה/ & Com. in Jeſ. XI. 2.

Prudentia Judicii, qua Res & Actus ad fines illis convenientes diſponimus & dirigimus. Utraque illa Virtus in Chriſto Jeſu inſuit gradu perfectiſſimo & longe eminentiſſimo: non modo quatenus illi cum Patre omnem perfectionem veræ Divinitatis tribuimus, ad quam ſumma Intellectus & Judicii Perfectio, h. e. *Sapientia* & *Prudentia* requiritur: ſed præcipue quatenus Deo in Chriſto Jeſu Filio ſuo conſtat *ratio* omnium ſuorum conſiliorum & operum. Quo alluditur in Proverbiis, ubi Filius Dei, qui ibi proponitur nomine חכמה Sapientiæ, profitetur ſibi eſſe עצה Consilium & בינה Prudentiam. *Ordo* totius Operis & omnium Dei molitionum ab ipſo quaſi pendet. Tota natura rerum in gratia, ipſo tanquam baſi nititur. Sic itaque intelligamus Paulum ad *Coloſſenſes*[b]: *Ad agnitionem myſterii Dei & Patris & Chriſti; in quo omnes theſauri* σοφίας Sapientiæ *&* γνώσεως *Scientia* vel Intelligentiæ (חכמה & בינה vel דעת) *abſconditi ſunt.* Cui reſpondet quod ab eodem *Paulo* conſignatum eſt in Epiſtola ad *Epheſios*[c]: Ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει: *Qua exundavit in nos* (potius *in nobis*) *in omni* (הכמה ובינה) Sapientia & Prudentia.

Quo ſenſu Filius Dei Sapientia dicatur in Sententiis Salomonis?

IV. Excipiunt has גדולה & גבורה Magnificentia & Potentia. Hebræi omnes גדולה ſolent interpretari per חסד *ſtudium benefaciendi*, & גבורה per *rigorem* & *ſeveritatem*. Deſumptum credo utrumque hoc attributum eſſe ex elegantiſſimo *Pſalmo* cxlv, ubi procul omni dubio deſcribitur Regnum Jeſu Chriſti: ארוממך inquit Vates: אלוהי המלך *O Deus mi, Tu ille Rex, exaltabo te.* Belg: Ghy die Koninck. Ita autem dicitur ℣ſ. 3, 4. גדול יהוה ומהלל מאד ולגדלתו אין חקר *Magnus Jehova, & laudatus valde, &* Magnificentiæ *ejus non eſt perveſtigatio*: דור לדור ישבח מעשיך גבורתך יגידו *Generatio ad generationem laudabit opera tua &* Potentiam *tuam annunciabunt.* גבורה quoque adſcribitur Meſſiæ apud Jeſaiam[d]: ונחה עליו רוח עצה וגבורה *Et quieſcet ſuper ipſum Spiritus conſilii &* Potentiæ. גבורה τοῖς LXX eſt ἰσχὺς, κράτος, δυναστεία, ὑψιστεία, quorum vocabulorum quædam in Novo etiam Fœdere Domino noſtro adſcribuntur. Notetur locus, qui eſt in Apocalypſi[e] in Cantico Cœlitum, quo deprædicantur laudes

Sequentes duæ, Magnificentia & Potentia referuntur ad brachia, & de Meſſia expoſitæ declarantur ex Pſ. cxlv.

a Cap. viii. 14. b Cap. ii. 2, 3. c Cap. i. 17, 18. d Cap. xi. 2. e Cap. v. 12.

des Chriſti: *Dignus eſt agnus ille mactatus, qui accipiat* POTESTATEM (גדולה) *&* *Divitias*, & SAPIENTIAM (חכמה) *&* POTENTIAM (גבורה) *&* *Honorem* (תפארת) *&* *gloriam* (הוד) *&* *Benedictionem.* Item ℣ſ. 13. Καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος & POTENTIA. Adjiciamus quod Apoſtolus de eodem Domino noſtro habet in Epiſtola ad *Epheſios*[a]: *Quem* (Chriſtum) *collocavit ad dextram ſuam in cœlis*, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας *ſuper omnem* (POTESTATEM) καὶ δυνάμεως (& POTENTIAM) καὶ κυριότητος καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. Virtutes ipſas nunc non definimus & exponimus. Id enim noſtri inſtituti nunc non eſt. Demonſtramus ſolummodo, quod ad hypotheſin noſtram confirmandam ſufficit, illas Chriſto Jeſu Domino noſtro κυρίως vindicari in Scriptis Veteris & Novi Fœderis.

Et ex *Apoc.* v 12.

V. Quinta *Sephira* eſt תפארת DECUS, *Ornamentum:* quę ſola ponitur. Nos inde colligebamus, hanc *Sephiram* reſpondere *zonæ* vel *balteo*, quo cingi conſueverant, qui toga induti talari ſive Regia ſive Sacerdotali erant. Intellexeramus enim ex iis, quæ jam ante dicta ſunt; ſi ad *hominis figuram* hæ Sephiroth compoſitæ eſſent, omnino repræſentare debet *Regem* vel *Sacerdotem:* quod hominum genus non ex *Corona* modo, ſed & ex *Cingulo* ſive *Balteo* elegantiſſimo dignoſci debet. Dein, cum ſuperiores Sephiroth hactenus commode potuerimus referre ad majores partes humani Corporis, ſponte ducti ſumus ad cogitandum de *Balteo*, quippe qui convenit illi parti corporis humani, & veſtitus, ſive Regii ſive Sacerdotalis, ad quam præcedentium nominum conſideratio nos deduxerat. Ad quod accedebat, eſſe nomen תפארת *Ornamenti* ſive *Decoris* aptiſſimum ad ſignificandum *Balteum:* quippe quorum in Veſtitu eſſe ſolebat ornamentum maximum.

Quintam Sephiram Decus referendam ad *Balteum*, ex Figura *Sephirotica* evincitur.

VI. *Reges*, *Sacerdotes*, *Principes*, Regumque & Principum *Officiales* in eminentiore aliqua poſitos dignitate, in Oriente ſolitos eſſe *pretioſioribus* & *ornatioribus Balteis* uti: res eſt non minus nota quam certa. Qui de Veſtitu Populorum tam Sacro quam Profano commentati ſunt Auctores, multis id evincunt: ex quibus teſtimonia Veterum petere poteſt, qui de *Aureis*, *Argen-*

Baltei Regum & Principum Orientalium deſcribuntur.

V

[a] Cap. 1. 20, 21.

Argenteis, *Byſſinis*, & *Gemmatis Cingulis* apud ipſos nihil legit. Et nuper quoque hoc argumentum docte tractavit, qui *Veſtitum Sacerdotum Hebræorum* illuſtravit Vir Celeberrimus [a]. Nos ex ſacris pauca tantum in rem noſtram nunc adducemus. Faciunt huc, ex noſtra ſententia, verba Dei apud Jeſaiam [b] de *Eliakimo*, in Præfectura Palatii Sebnæ ſubſtituendo: והלבשתיו כתנתך ואבנטך אחזקנו וממשלתך אתן בידו *Et induam ipſum* [Eliakim] *tua tunica*, *&* BALTEO *tuo roborabo ipſum*, *&* IMPERIUM *tuum tradam in manum ejus*. *Tunica* & *Balteus* hic σύμβολα ſunt *Dignitatis*, qua exuendus *Sebna*, induendus *Eliakim*. Erat autem dignitas muneris *Præfecturæ Palatii*, de qua hic mentio, maxima. Alius etiam locus extat apud *Jobum* [c], qui huc faciat: מוסר מלכים פתח ויאסר אזר במתניהם VINCULUM [Balteum] *Regum ſolvit*, *&* *ligat* CINGULUM *ad lumbos eorum*. Vir Sanctus vult dicere, poteſtatem Deo eſſe Reges creandi eoſque rurſum de ſolio deturbandi pro ſuo beneplacito. Plane ad guſtum noſtrum eſt Chaldæa Paraphraſis, quæ ad prius membrum ita habet: שושלתא דמלכיא אשרי *Catenam* (IMPERIUM) *Regum diſſolvit*. *Balteus* itaque hic eſt ſymbolum tam Dignitatis Regiæ quam confirmati in illa dignitate & officio Status. Quod utrumque à Dei nutu pendere, hæc ſententia docet. Imo huc vel maxime pertinet, quod ipſe *Balteus* aliquando hac ipſa notione תפארת deſignari videatur, ut omnino fit in Oratione Dei apud Jeremiam [d]: *Nam ſicut adhæret* האזור CINGULUM *lumbis viri*, *ſic adhærere mihi feci domum totam Iſraëlis*, *&* *totam domum Jehudæ*, *dicit Dominus*, *ut eſſent mihi in populum & in nomen & in laudem*, ולתפארת *&* *in* ORNAMENTUM: *at non audiverunt*. Ubi nimirum *Cingulum* dicitur fuiſſe in *ornamentum*, תפארת: illa ipſa voce, quam nos inter *Sephiroth* de *Balteo* interpretamur.

Illuſtratur locus Jeſ. XXII. 20, 21. — *Et Jobi XII. 18.* — *Et Balteus ipſe* תפארת *appellatur.*

VII. Hæc vero rurſus optime quis ad Chriſtum Jeſum, ſive *Meſſiam*, referat, quem Vetus traditio ignorare non poterat *Sacerdotem* futurum & *Regem*. Viſus ille à Joanne [e] eſt lumbos *Zona* cinctus, & quidem *aurea*: περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν: *Præcinctus ad mamillas* ZONA (BALTEO) AUREA. *Zona aurea* maximum ſignum erat תפארת *ornamenti* & *decoris*: unde deinceps

Optime autem applicatur ad Meſſiam Regem & Pontificem.

a De Veſt. Sac. Heb. Lib. III. Cap. II. b Jeſ. XXII. 20, 21. c Cap. XII. 18. d Cap. XIII. 11. e Cap. I. 13.

ceps quoque adſcribitur *Angelis*. Quis ille ſit *Balteus* Meſſiæ, docet Jeſaias [a]: והיה צדק אזור מתניו והאמונה אזור חלציו *Et erit* JUSTITIA (BALTEUS) *cingulum lumborum ejus & VERITAS* CINGULUM *lumborum ejus*. *Regnum* Chriſti, ac proin Chriſtus quoque *Rex*, ſtat *juſtitia*, & *veritate*, ſive *fide*. *Juſtitia Regni* Chriſti illa eſt δικαιοσύνη, toties in Verbo Dei celebrata, quam ſibi *obedientia* & παθήμαςι ſuis paravit. Per hanc ſibi paravit *jus regnandi*, & proin ipſius quaſi *fulcit lumbos*. Illi cognata eſt *Fides*, ſive *Veritas* & *Conſtantia*, qua promiſſa Evangelii præſtat omnibus Juſtitiam ipſius acceptantibus. Utrumque ad Regnum Chriſti tam eſt neceſſarium, ut Regnum Chriſti abſque eo ſtare non poſſit. Sed pene excidiſſet, quod hanc eandem in rem quondam obſervatum nobis fuit ex Pſalmo XLV. in quo eadem Perſona nobis depingitur, quam nos deſcribimus ex Hebræorum Sephiroth. Proponitur ibi REX Chriſtus ℣ſ. 2. אומר אני (inquit Vates) מעשי למלך *Enarro ego compoſita* carmina *mea de Rege*. habens *dextram*, fulgentem MAGNIFICENTIA, גדולה. quod docetur ℣ſ. 5. ותורך נוראות ימינך *Et docebit Te reverenda* DEXTRA *tua*. Manu quoque tenens SCEPTRUM *com*. 7. שבט מישור שבט מלכותך *Sceptrum æquitatis*, *Sceptrum Regni tui*. Fragrantiſſimis, id eſt, regiis indutus veſtibus. מר ואהלות קציעות כל בגדותיך *Myrrha*, *& Aloë*, *& Caſſia omnia Veſtimenta tua*. Et tandem, quod nunc reſpicimus, CINCTUS BALTEO. Colligimus id ex ℣ſ. 4. חגור חרבך על ירך גבור ACCINGE *gladium tuum* FEMORI *o Potens*. Nimirum *balteus* illum uſum habebat apud Veteres, ut ab eo *arma* dependerent, & præſertim quidem *gladius*. Videri id poteſt in Nummis & Marmoribus antiquis. Stewechius [b]: CINGULO *autem &* BALTEO *donari*, *honori dabatur apud Romanos*, *& inde*, *qui militarent*, *vocati* cincti, *& contra qui miſſi erant*, *dicebantur* diſcincti, militia exuti, cingulo privati. *Iſidorus*: BALTEUS *dicitur*, *non ſolum quo cingitur*, *ſed etiam* A QUO ARMA DEPENDENT. Non ignoro, *Balteum* Romanæ Militiæ Inſtrumentum quod dictum eſt, *pependiſſe ab humero*. Quod vero nos deſcribimus, & in *Orientali militia* locum habuit, lumbos conſtrinxit & fulſit, ut facile colligas ex loco Jeſaiæ, ubi fortes milites & armatos graphice depingit [c]: לא נפתח אזור חלציו *Non ſolvetur* CINGULUM

Locus Jeſaiæ Cap. XI. 5. expoſitus.

Et præcipue Pſalmus XLV. cujus argumentum exponitur, & cum *Figura* ספירות עשר confertur.

Ubi obſervatur ad verſ. 4. olim à *Balteo* pependiſſe enſes.

a Cap. XI. 5. b Ad Libr. 1. Veget. p. 103. c Cap. V. 18.

LUM LIMBORUM EJUS. Balteus Romanorum ab humero pendens inſerviebat geſtandis Inſtrumentis bellicis: ſed Orientalium Populorum ille ſimul lumbos circumdans fulciebat.

Attributa *Sephirotica*, VICTORIA & MAJESTAS ad utrumque femur referuntur.

VIII. Poſt תפארת *binæ* rurſum occurrunt *Virtutes*, quas nulli parti corporis commodius quam *Femori* adjudicamus; alteram quidem Dextro, Siniſtro alteram.

IX. Sephira *ſeptima*, quæ eſt in *femore* dextro, appellatur נצח VICTORIA, *octava*, quæ in femore ſiniſtro pingitur, eſt הוד MAJESTAS. Extant illæ voces præter alias nunc expoſitas in Chronicorum Libro Priore [a]: לך (inquit David) יהוה הגבולה והגבורה והתפארת והנצח וההוד כי כל בשמים ובארץ לך יהוה הממלכה *Tibi Jehovah*, MAGNIFICENTIA, & POTENTIA, & DECUS, & VICTORIA & MAJESTAS: *imo omne, quod in cælo & in terra eſt. Tibi ô Jehova eſt* REGNUM. Ubi omnes pene Virtutes Dei eo ordine recenſentur, quo in *Sephiroth* Kabbaliſtarum. Sunt autem Virtutes, quas David hic deprædicat, *Domini* Templi: qui Templi Dominus κυρίως dicitur ille אדון DOMINUS [b], qui ſummum erat objectum *ſpei Iſraëlitarum* ſub OEconomia Vetere. Alibi הוד MAJESTAS directe refertur ad Meſſiam; ut in dicto Zachariæ [c]: ישא הוד *Accipiet* MAJESTATEM. id eſt, *teſtimonio clariſſimo declarabitur & à populo ſuo agnoſcetur Rex*. Sic recte Cl. Coccejus.

Exhibentur ex 1 Chron. XXIX. 11.

Refertur huc & illuſtratur locus Apoc. XIX. 16.

X. Huc jam commode referri poſſe putem, & ex his illuſtrari debere, quæ de Chriſto Imperatore glorioſo habentur in Apocalypſi [d]: Καὶ ἔχει ἐπὶ τὸ ἱμάτιον καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ τὸ ὄνομα γεγραμμένον· Βασιλεὺς βασιλέων καὶ Κύριος κυρίων· *Habebatque in veſtimento* ET IN FEMORE SUO NOMEN SCRIPTUM, REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM. Capiendum id recte eſt, quod Joannes Apoſtolus ait, *veſtimento* Imperatoris aliquod ipſius NOMEN inſcriptum fuiſſe: quod cum uſitatum hodie non ſit, mirum videri non debet obtinuiſſe apud Veteres. Qui enim dignitate inter homines olim excellebant, non modo *varias figuras*, ſed & *literas*, *voces*, & *nomina ſua* veſtimento intexta quandoque habebant; ſecus ac nunc apud nos receptum eſt. Adſtruxit illud idoneis argumentis præter Rubenium [e] Cl. Le Moyne [f], Doctiſſimus Vir,

Ubi obſervatur ritus Veterum *Nomina* inſcribentium aut intexentium veſtibus.

a Cap. XXIX. 11. b Mal. III. 1. c Cap. VI. 13. d Cap. XIX. 16. e Ruben. de Re Veſt. Lib. 1. Cap. X. f Diſſert. III. ad Jer. XXIII. 6. §. VIII.

Vir, cujus ut Præceptoris optime erga me affecti memoriam par eſt colam & celebrem. Nomen autem, quod Chriſti Imperatoris intextum veſtimento & *femori* erat, duplex occurrit: Βασιλεὺς βασιλέων & Κύριος Κυρίων. Reſpiciunt hæc, ut videtur, utrumque femur. τὸ Βασιλεὺς Βασιλέων *femur dextrum*, κύριος κυρίων *ſiniſtrum*. Utrumque egregie refertur ad nomina נצח/ הוד quę depicta heic ſunt in Figura τῶν Sephiroth, quorum illud ad *dextrum*, hoc ad *ſiniſtrum femur* pertinet. Sane ſi non tam verba quam rem ipſam conſideremus: quę poteſt harmonia eſſe major quam intercedit inter τὸ נצח/ quod Victoriam ſignificat, & Βασιλεὺς Βασιλέων, quod transfertur Rex Regum? An non *Regum* eſt *vincere*, & *potentiſſimorum Regum*, qui *Reges Regum* ſunt, omnia *vincere?* Is Victoriam conſequitur, qui *fortitudine*, *prudentia*, *viribus*, & *felicitate* aliis antecellit: qui autem antecellit *omnibus*, *Rex Regum* dicitur, atque illius maxima eſt *victoria*. Sic idem Joannes alibi [a]: *Aſpexi igitur, & ecce, equus albus; & qui inſidebat illi habebat arcum, & data eſt ei* CORONA, *& prodiit* νικῶν καὶ ἵνα νικήσῃ VINCENS ET UT VINCERET. Proponitur nobis *Rex* Chriſtus, *coronam* habens capiti impoſitam, ut Victoriam (נצח) in hoſtes conſequeretur. Eadem etiam ratio conſtat alteri nomini κύριος κυρίων. Tranſponitur id Dominus Dominorum. הוד vero, ſi genuinam illius vocis ſignificationem reſpicias, *Majeſtas*, ſplendor, claritas Regia eſt. Quam eleganter hæc inter ſe conſentiunt? *Majeſtas* ortum ſuum habet ex *dominio*. An non igitur ſumma illi eſt *Majeſtas*, cui ſummum eſt *Dominium*, hoc eſt, qui *Dominus Dominorum* jure dicitur? Perinde igitur eſt, ſive quis *ſummam* alicui *Majeſtatem* adſcribat, ſive illum *Dominorum Dominum* declaret. Unde rurſum, meo judicio, comprobatum eſt evidenter, duplex hoc nomen, quod Meſſiæ Regi & Imperatori in Apocalypſi tribuitur, *duplici Sephiræ* reſpondere.

Et conferuntur Nomina Rex Regum & Dominus Dominorum cum Sephirotieis.

Genuina ſignificatio Hebrææ vocis הוד.

XI. Forte huc etiam reſpexit Propheta in *Cantico*, jam laudato XLV. ubi in hunc modum de Meſſia Rege loquitur [b]: חגור חרבך על ירך גבור הודך והדרך *Accinge gladium tuum femori tuo, o Heros*, Majestatem tuam & decus tuum. Partem priorem hujus *commatis* modo dedimus expoſitam, nunc alteram explicemus.

Et confertur locus Pſ. XLV. 4 atque exponitur.

a Cap. VI. 2. b Verſ. 4.

Videlicet exiſtimo, *gladium*, qui ad *femur* pendebat, hic appellari MAJESTATEM & DECOREM, quia utriuſque indicium fuit. *Gladio* enim *Dominium* ſibi acquirebat Dominus noſter Jeſus, unde *Majeſtas* naſcebatur & *Decus*; ex *Victoria* nimirum in hoſtes. Optime id convenit iis, quę modo ad illuſtrandam hanc Sephiram ex Apocalypſi adducta ſunt. Nomina enim illa Apocalyptica, Βασιλεὺς βασιλέων & Κύριος κυρίων, haud dubie non aliam ob rationem *femori* inſcripta fuerunt, quam quia *femori* accinctus *gladius* erat, quo hoſtes ſuos Chriſtus transfigeret. Quos inter hoſtes nemo gnarus myſteriorum Fidei noſtræ negat eſſe DIABOLUM, omnium hoſtium Chriſti Primipilum & Principem; cujus cum *Serpente prælium* & *de Serpente Victoria* primum fuit & antiquiſſimum ænigma, cui Deus myſterium ſalutis noſtræ involvit. quod ne dubites à Sanctis antiquorum temporum quodammodo intellectum eſſe, deſcribam elegantiſſimum aliquem locum, quem Cl. Rittangelius alibi obſervavit ex libro Kabbaliſtico, Tikune Sohar [a]: אמר לון ההוא חויא דאתון מניהין קרבא בידה איך אשתזבתון מניה דאיהו בלע וקטיל ולאו עוד אלא דאיהו קטיל לאדם קדמאה ולכל דרין דקא אתיין אתברידה וברתא איהי על מגדלא דפרח באוירא ומכריזין בכל יומא ברקיעא דכל מאן דקטיל להאי חויא דיהבין ליה לאנתו ברת מלך פנימאה ממשבצות זהב לבושה והאי זהב איהו ו׳ ימי בראשית וגו׳ בגין דא כרוזא כרין כמה גברין וכמה מארי תריסין אתכנשו בכי מדרשא לאגחא קרבא עם חויא בגיניה וכמא תריסין אתעבירו פסקורת בגיניה דבתי דמלכי: ויפן כה וכה וירא כי אין איש (שמות ב׳) ליה כהון דקטיל להויא עד דייתי ההוא דאתאמר ביה ויפן כה וכה וך את המצרי שלה משה דאיהי מחשבה דיליה ובגין דא בגיניה אתמר ביה עד כי יבא שילה (בראשית מ״ט) דיליה והאי איהו קטיל לחויא ולו יקהת עמים.

Victoria Meſſiæ prima eſſet de Serpente antiqua, de quo inſignis producitur locus ex Sohar.

Quæ ſic ſonant latine: *Dixit eis: Iſte* SERPENS, *cum quo vos certatis certamen, ut effugiatis ab eo, ille eſt, qui deglutivit & occidit, non ſolum, quod* OCCIDERIT PRIMUM HOMINEM, VERUM OMNES GENERATIONES, QUÆ FUTURÆ ERANT AD CREANDUM. *Et* FILIA *eſt ſuper turri volitanti in aëre: Et proclamant ſingulis diebus in cœlo,* QUICUNQUE INTERFECERIT SERPENTEM ISTUM DABITUR EI IN UXOREM FILIA REGIS, *cujus inſtrumentum intrinſece eſt de auro intertexto. Et illud aurum ſignificat ſex dies Creationis. Et propterea vociferarunt vociferatione quam plurimi Heroum, & quam plurimi* Bel-

a Jetſira p. m. 132. Tikun. 22. Fol. 52. col. 2.

Bellatores in domo Orationis congregati ad dimicandum PROELIUM CUM ISTO SERPENTE PROPTER FILIAM REGIS. *Et quam plurimi Viri Clypeati ceſſarunt deficiendo propter hanc Filiam Regis. Et circumſpexit quaquaverſum & vidit, quod non eſſet Vir*, (*Exod.* II. 12.) *quod* NON ESSET INTER EOS, QUI INTERFICERET SERPENTEM, *quouſque venit ille, de quo dicitur.* Et circumſpexit quaquaverſum & percuſſit Ægyptium. SILOH *Moſch, oppreſſio vel dominator ejus. Et propterea dicit Scriptura de eo Gen.* XLIX. 10. Quouſque veniet Siloh. IPSIUS CERTE ERIT INTERFICERE SERPENTEM, *& ipſi erit congregatio gentium.* Habemus hic FILIAM REGIS [a], Eccleſiam Dei. Habemus SERPENTEM, Diabolum [b]. Filia hæc Regis non poteſt in matrimonium concedi, niſi *occiſo Serpente.* Poteſtas Satanæ, quam habet in Eccleſiam, debet tolli, ſi futura ſit uxor Chriſti [c]. Fas non erat, ut Filia hæc alii alicui in uxorem daretur, quam illi, qui Serpentem vicerat. Eccleſia nulli nubere poterat, quam Chriſto [d], qui Diaboli fregit vires. Serpentem quoque trucidare nemo poterat, quam *Siloh*, id eſt, Chriſtus Jeſus, verus Meſſias. Quę ſane omnes ſententiæ fidei iiſdem pene verbis in Scriptura Novi Fœderis expreſſæ ſunt, & non obſcure declarant Fidem Electorum de Eccleſiæ *Statu*, *Diaboli jure*, *Hominum lapſu*, & *Meſſiæ officio*, *poteſtate*, ac *Beneficiis*.

Idemque illuſtratur.

XII. Nona Sephira dicitur יסוד FUNDAMENTUM. Quid ſignificet, quis in tantis, quantis hic obſepti ſumus, tenebris diſtincte explicet? Quam ambigue & obſcure hic ipſe Eruditus Auctor *Kabbalæ Denudatæ? Omnes Interpretes*, ait, *Sephiram Nonam* יסוד FUNDAMENTUM *propterea appellari hoc nomine dicunt, quod ſit fundamentum τῆς Malchuth. Spiritualia enim corporalium contrarium obtinent; & cum corporalium Fundamentum ſit infra, in Spiritualibus Fundamentum eſt ſupra: Malchuth igitur quoad appetitum & deſiderium ſuum aſcendendi in iſto gradu ſtabilitur & per illum ſuſtentatur.* Si per מלכות REGNUM hic intelligenda ſit inhabitatio Divinarum Perfectionum in humana Chriſti Natura & per eam in Eccleſia; tum *Fundamentum* illius Inhabitationis ſignificare debebit *Voluntatem Filii Dei*, qua ſibi humanam Naturam

Nona *Sephira*, quæ FUNDAMENTUM dicitur, expoſitu difficilior.

a Pſ. XLV. 14. b Ap. XII. 15. c Heb. II. 14. d Epheſ. V. 25, 26. e Part. I. p. 440.

turam arctiſſime jungere & Eccleſiam glorioſe inhabitare conſtituit. Hæc *Voluntas Filii Dei*, conformis Voluntati & Conſilio Patris, vere eſt יסוד *Fundamentum* omnis Regni Dei in Gratia & Gloria: verum illud medium, quo Deus homini unitur. Occupat autem hæc *Sephira* locum *membri* ſoboli propagandæ deſtinati, (ſecundum Kabbaliſtarum ſententiam & explicationem:) quia hæc Dei Patris & Meſſiæ Voluntas proxima eſt cauſſa, & unicum medium, quo Deus cum Homine quaſi concreſcit, & Regnum Dei in his terris producitur. In locos Theologiæ Communes hic excurrere opus non eſt.

Tentatur tamen ex noſtra hypotheſi.

Caput IV.

Diſquiritur, quid antiqui Doctores Judæi potuerint intelligere per ultimam Sephiram מלכות Regnum. *Porro indagatur, quid intellexerint per* שכינה Habitationem Divinam, *cujus frequens apud eos eſt mentio; nec non, an* שכינה Habitatio Divina *apud ipſos idem ſit, quod* רוח הקדש Spiritus Sanctus? *Qua occaſione Hebæorum ſententia* de quinque Defectibus Templi ſecundi, *excutitur, & celebre dictum Lev.* XVI. 2. *illuſtratur.*

Ultima *Sephira*, quæ Regnum dicitur, exponitur ex alia notiore, per quam explicari ſolet, h.e. שכינה *Inhabitatio Divina.*

RESTAT nunc tandem exploremus, quid ex ductu noſtræ hypotheſis ſignificare poſſit ultima *Sephira*, cui nomen eſt מלכות Regnum. Quandoquidem vero id prima fronte videtur difficilius, abs re non fuerit hoc vocabulum ex alio notiore interpretari. Scilicet Hebræi Doctores, ut eſt apud Auctorem *Kabbalæ Denudatæ* [a], מלכות *Regnum* ſolent appellare שכינה *Schechinam*. Factum id ab ipſis non fuiſſet, niſi duo hæc vocabula ſingularem ad ſe invicem haberent reſpectum, atque alterum per alterum exponi poſſet. Quoniam vero non adeo in obſcuro eſt, quid Veteres ſibi voluerint per τὴν שכינה *Habitationem Divinam*, conſtituimus id primo agere loco, ut huic voci aliquam adferamus lucem.

II. Quid

a In voce שכינה apud Auct. Kab. D. p. 716.

II. Quid ſit שכינה / alibi docte expoſuit Nicolaus Fullerus[a]. Vox השכינה (*& more Syriaco* שכינתא) *recte*, ait, *ni fallor, exponitur habitatio illa, vel, inhabitatio; Græce ἡ κατοίκησις, aut potius, ἡ σκήνωσις aut ἡ κατασκήνωσις: ita nempe, & erudite quidem, transferunt* LXX. *Sic enim innuunt, (prout ſæpe facere ſolent, noſque alibi obſervavimus) thema Græcum σκηνὴ cum ſuis derivatis σκηνόω, κατασκηνόω, &c. ab hebræo* שכן *originem traxiſſe. Simplicem ergo & dilucidam vocabuli σκηνόω explicationem hanc opinor eſſe, nimirum, ut* השכינה *id dicatur, per quod Deus, cum ſingulari quadam ratione inibi habitaret, peculiari item & ſenſibili modo Iſraëlitis præſentiam ſuam exhibuit, ſeque apud eos habitare teſtatus eſt, propriæ Divinæ cujuſdam prærogativæ beneficio.* Sic eſt; notat vocabulum שכינה vel ipſum Deum, præſentiam ſuam certo quodam ſymbolo exhibentem ſuo populo, vel ipſum illud *σύμβολον*, ipſam illam *σκηνὴν Domum, ipſum* Tabernaculum, in quo Deus ſe exhibet præſentem. Promiſerat Deus ſe *habitaturum* in medio Iſraëlitarum. Sic legimus in Exodo[b]: ועשו לי מקדש ושכנתי בתוכם *Et facient mihi Sanctuarium, &* HABITABO *in medio ipſorum.* & alio etiam loco[c]: ונתתי משכני בתוכם *Et ponam Tabernaculum meum in medio ipſorum.* Quod & aliqua ratione effectum dedit, quando *nubem* atque *ignem* dies noctesque ipſis adeſſe voluit in certiſſimum præſentiæ ſuæ teſtimonium. At vero Iſraëlitarum ſapientiſſimi non credebant hac *habitatione*, quę ipſis in deſerto & poſtmodum in Canaane obtingebat, Divino promiſſo ſatisdari: ſed aliam præſtolabantur digniorem, præſtantioremque. Sufficiat heic producere luculentum illum commentarium *R. Moſe Gerundenſis*, quem alibi exhibet ὁ πάνυ Coccejus[d]: *Dicit Scriptura initio & apparuit Angelus Jehovæ: Et poſtea dicit; & vidit Jehovah, quod diverteret ad videndum, & clamavit ad illum Deus. Atque ideo ait R. Abraham, quod Elohim hic notet Angelum ante memoratum: ut; Quia vidi Elohim facie ad faciem. Quod vero attinet, Ego Deus Patris tui, loqui miſſum verba mittentis. Sed hoc rectum non eſt. Nam Moſes magnus ille Propheta non occultaret faciem ſuam ab Angelo. Et Magiſtri noſtri dicunt in Bereſchit Rabba:* מלאך זה מיכאל וגומ׳ כל מקום שמיכאל נראה שם הוא כבוד השכינה והוא לא׳

De qua voce N. Fulleri ſententia.

Quæ confirmatur & explicatur ex Locis Scripturæ.

Sed præcipue refertur ad Myſterium *Inhabitationis* Filii Dei, ſive *Angeli Fœderis* inter homines.

a In Sacris Miſcellaneis Lib. II. Cap. IV. b Cap. XXV. 8. c Lev. XXVI. 11. d Conſiderat. Reſp. Jud. Cap. IV. p. m. 29.

לא ראה הכבוד כי לא הכין דעתו לנבואה וכאשר כוין לבו וסר לראות נתגלה אליו מראה השכינה † *Angelus hic eſt Michael &c. ubicunque hic Michael apparet, ibi eſt gloria Divinæ Majeſtatis* (τῆς σκηνώσεως HABITATIONIS.) *Intendunt dicere, Moſi ab initio apparuiſſe Michaelem, & adfuiſſe gloriam* τῆς σκηνώσεως (HABITATIONIS;) *ſed Moſen non vidiſſe gloriam, quia non præparaverat animum ſuum ad Prophetiam: ſed cum intendiſſet cor ſuum, & diverteret ad videndum, revelatam ipſi fuiſſe ſpeciem* τῆς σκηνώσεως, *& clamaſſe Deum ex rubo. Et juxta veritatem hic eſt* ANGELUS ASSERTOR, *de quo dictum eſt: Nam nomen meum eſt in medio ipſius.* Similia habet idem *Gerundenſis* ad Exod. XXIII. 20, 21. *Et ſecundum veritatem Angelus hic eſt* ANGELUS ASSERTOR, *in cujus medio eſt nomen illud magnum. Et is eſt, qui dixit: Ego ſum Deus Bethel. Nam mos* REGIS *eſt* HABITARE *in domo. Et Magiſtri noſtri dixerunt, quod is ſit* METATOR. *Et ecce, quando hic* ANGELUS HABITAT *in medio Iſraëlis, non dicit Deus: Nam non aſcendam in medio tui; nam nomen meum eſt in medio ipſius. Sed quum peccaſſent faciendo vitulo, voluit auferre* HABITATIONEM *ſuam ex medio ipſorum; & ut Angelus ex miſſis ejus iret coram ipſis: Sed Moſes ſupplex factus impetravit, ut reverteretur, &* HABITARE *faceret* שכינתו בתוכם HABITATIONEM *ſuam in medio ipſorum.* Perſpicimus ex luculento hoc Gerundenſis teſtimonio, Hebræos Veteres per שכינה *Habitationem* intellexiſſe Angelum *Goëlem*, & *Metatorem*, in quo Deus Divinitatem & Virtutes ſuas occultat; in quo veluti in Tabernaculo quodam & ædificio habitat, atque adeo ipſi infallibile non præſentiæ tantum, ſed & gratiæ Divinæ argumentum haberent; quique olim illuſtrius inter ipſos *habitaret* in carne. Ita profecto eſt. Omnia enim illa externa inſtrumenta, quibus Iſraëlis poſteritati ſe præſentem demonſtravit Deus; veluti Nubes, Ignis, Arca Fœderis, totidem quaſi argumenta & indicia erant, ex quibus conſtaret, Filium Dei olim familiari prorſus modo cum Iſraële acturum, atque in aſſumpto corpore, ceu tabernaculo, habitaturum. Recte admodum Fullerus: *Humana igitur Chriſti natura longe excellentiſſime omnium, quæ ſupra recenſuimus, & quam maxime proprie propter hypoſtaticam unionem*

De quo illuſtri Angelo ſententia Doctorum Judæorum.

Teſtimonium ea de re luculentum R. Moſe Gerundenſis.

Quod declaratur.

Fulleri obſervatio.

† Philo hunc *Angelum* interpretatur de Λόγῳ VERBO Dei PRIMOGENITO, Lib. de *Agricult.* p. m. 140.

nem ſibi nomen השכינה *vindicat.* Habemus hanc in rem luculenta teſtimonia in Sacris Literis. Inſignis locus eſt apud *Joannem* in Apocalypſi [a]: *Et audivi vocem magnam ex cœlo, dicentem. Ecce* ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ TABERNACULUM (שכינה) *Dei eſt cum hominibus, &* σκηνώσει HABITABIT *cum illis.* & in *Evangelio* [b]: Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *Et Sermo factus eſt caro, &* HABITAVIT (שכן) *inter nos.* Evidentia hæc ſunt, neque illuſtratione indigent, dudum ab aliis animadverſa. Videtur quoque huc referendus locus Pauli Apoſtoli, qui eſt in poſteriore *Epiſtola* [c] ad *Corinthios:* Ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐστε ζῶντος, καθὼς εἶπεν ὁ Θεός. Ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω, καὶ ἔσομαι αὐτῶν Θεὸς καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός· *Nam vos* TEMPLUM *eſtis Dei viventis. Sicut dixit Deus,* HABITABO *in eis & inambulabo; & ero ipſorum Deus, & illi erunt mihi populus.* Quæ heic loci dici de Domino noſtro *Jeſu Chriſto*, patet ex contextu [d]. Chriſtus enim *inter nos habitare* dicitur, non tantum quando Spiritu ſuo in animis fidelium operatur, ſed & quando eandem nobiſcum naturam aſſumendo proximus fit noſter, nobiſcum quaſi habitando in eadem domo. Sic enim eleganter *aſſumptio humanæ naturæ* vocatur *viſitatio hominum* [e].

Locus Pauli ex 2 Cor. VI. 16. illuſtratur.

III. Obſervari tamen meretur, idem illud Attributum, quod hic prædicatur de *Filio Dei*, alibi ad *Spiritum Sanctum* referri. Sic Paulus [f]: *An neſcitis, vos* TEMPLUM *Dei eſſe, &* τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖν SPIRITUM DEI HABITARE *in vobis?* & alio loco [g]: *An ignoratis corpus veſtrum eſſe* TEMPLUM SPIRITUS SANCTI, *qui eſt in vobis, quem habetis à Deo, neque vos eſſe veſtri juris?* Quę cum ad animum meum paulo attentius revocaſſem: aliquando cadebat in mentem, an non forte in duobus hiſce locis per *Spiritum Sanctum*, & *Spiritum Dei* intelligi deberet *Filius Dei*; quia in iis alluditur ad שכינה/ quam *Filium* Dei ſignificaſſe modo evicimus; & idem illud, quod *Spiritui* Sancto heic adſcribitur, de *Filio* Dei alibi prædicari videbam. Sic utique diſſerit Auctor *Epiſtolæ* ad Hebræos [h]: Χριστὸς δὲ, ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ· οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς· *Chriſtus autem*, UT FILIUS, *domui ſuæ præeſt:* cujus DOMUS NOS SUMUS. Quod vero aliquanto magis hæc

Nec tamen *Filius Dei* tantum, ſed & SPIRITUS S. dicitur ſtylo S. Scripturæ *inter homines & in iis habitare.*

Ubi proponitur meditatio, an non hic intelligi queat FILIUS DEI?

X 2 nobis

a Cap. XXI. 3. b Cap. I. 14 c VI. 16. d Verſ. 15. e In Pſalmo VIII. 6. & in Cantico Zachariæ apud Lucam Cap. I. 78. f 1 Cor. III. 16. g 1 Cor. VI. 19. h Cap. III. 6.

nobis conjectatio placuerit, Hebræi fecerunt Auctores, quippe qui שכינה *Schechinam*, & רוח הקודש *Spiritum Sanctum* ſolent confundere. Solent, inquam, Hebræi, Deum, præſentiam ſuam certo ſymbolo exhibentem, vocare *Spiritum Sanctum*. Contrarium viſum fuit Præſtantiſſimo Buxtorfio in *Lexico ſuo* ad vocabulum שכינה. Elias tamen Levita in expoſitione hujus vocis id fortiter aſſerit & defendit, &, quod plus eſt, argumentis non contemnendis probat. Sic ille: קראו רז״ל לרוח הקדש שכינה על שם שהוא שכן על הנביאים וכן ותחי רוח יעקב פירש רש״י שרתה עליו שכינה וכו׳ *Rabbini* SPIRITUM SANCTUM SCHECHINAM *vocant, eo quod quieſcit ſuper Prophetas. Unde factum, quod in Hebræo textu de Jacobo dicitur;* [a] *Revixit* SPIRITUS *Jacobi, Salomo Jarchi interpretatus ſit: Habitavit ſuper eo* SCHECHINA. Plura in ſequenti contextu exempla alia Elias adducit, ex quibus patet, *Schechinæ* proprium eſſe *quieſcere* & *habitare:* quod alias *Spiritui* tribuitur *Sancto*. Priora verba teſtimonii *Eliani*, ſi non fallor, ſunt deſumpta ex *Midraſch* in Pſ. xc. Sed quid evidentius etiam eſt ipſa *Talmudica* interpretatione dicti Hannæ ad Sacerdotem Eli: לא אדוני *Non Domine mi*. Reperitur illa apud Jarchium, deſcripta ex Codice *Berachoth*, ſicut jam notatum eſt à Buxtorfio, in hunc modum: לא אדון אתה בדבר זה לאו איכא שכינה ורוח הקדש גבך שדנתני לכף חובה ולא לכף זכות *Non tu es Dominus in hac cauſa: Non eſt* DIVINA HABITATIO (Schechina) *&* SPIRITUS SANCTUS *apud te, quod judicaſti me tanquam culpabilem, non autem ut inſontem.* Ubi duo illa vocabula unum idemque ſignificant.

Utique SPIRITUS S. à Judæis appellatus eſt *Schechina*.

IV. Obſtare equidem nobis videtur celebre dictum Talmudicum [b]: אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני ואלו הן ארון וכפורת וכרובים אש ושכינה ורוח הקדש ואורים ותומים *Iſta ſunt quinque res, quæ fuerunt in Sanctuario primo & non fuerunt in Sanctuario ſecundo: nempe; Arca Sacra cum Propitiatorio & Cherubim. Ignis. &* SCHECHINA. *&* SPIRITUS S. *& Urim & Thummim.* Videntur enim *Schechina* & *Spiritus S.* hic recenſeri tanquam res diſtinctæ. Et ita omnino ſtatuendum eſſet, ſi hic locus Jomæ eſſet incorruptus & nulla illi ſubeſſet ſuſpicio mendæ. Sane R. Bechai ex Doctorum ſuorum mente שכינה & רוח הקדש pro una

Etſi in famoſo dicto Talmudico de *defectibus* Templi Secundi *Sp. S.* à *Schechina* diſtinguatur.

a Gen. XLV. 27. b In Joma, Cap. I. in init.

una eademque re habens, cæteris adjicit שמן המשחה רֹו *Oleum Unctionis*, quod in recenſione præcedenti non reperiebatur. Judicat quidem Cl. Buxtorfius, *lapſam hujus Auctoris* (R. Bechai) *memoriam eſſe*, neque enim, inquit, *ab Authoritate Gemaræ receſſiſſet, ſi eam inſpexiſſet.* ſed fundamento non ſatis ſolido. Secutus enim eſt R. Bechai *Gemaram Hieroſolymitanam*, quę *hæc quinque* ἡττήματα in hunc modum recenſet[a]: אלו ח׳ דברים שחסר מקרש אחרון מכקרש ראשון ואלו הן : אש ארון אורים ותומים שמן המשחה ורוח הקודש *Quinque rebus gaviſum eſt Sanctuarium primum præ ſecundo, & illæ ſunt: Ignis. Arca. Urim & Thummim. Oleum unctionis.* Spiritus Sanctus. Omittitur heic שכינה & loco *Schechinæ* ponitur *Spiritus Sanctus.* Opponimus igitur *Gemaram Gemaræ*, & ſequimur conſtantiſſimam Hebræorum traditionem, quæ רוח הקודש appellavit שכינה. Optime itaque hic in rem noſtram Cl. Coccejus[b], Spiritus S. & שכינה ait, (poſtquam eundem ex *Joma* locum notaſſet, quem nos paulo ante produximus:) *quid differant, obſcurum eſt. Diſtinguit quidem R. David* Kimchi *præfat. Comment. in Pſalmos inter* רוח הקרש & נבואה/ *verum hoc loco* רוח הקרש *generalem notionem habet. Deinde* Elias *in* Tisbi *docet*, שכינה *eſſe idem cum* רוח הקרש. *Quid igitur eſt illud, quod tertio loco à Templo Secundo abfuiſſe ajunt?* David de Pomis *autumat, Deum dici* שכינה *ideo, quia in omni ubi ſit præſens. Sed obſervare licet, hoc vocabuli ut plurimum notare gratioſam Dei præſentiam evidenti & glorioſo ſigno certo in loco manifeſtatam. Ita dicitur:* שכינה בחלק בנימין וסנהדרין בחלק של יהודה *Habitatio Divinitatis eſt in portione Benjaminis & Synedrium in portione Judæ &c.* Apparet, aquam hærere Viro in his literis verſatiſſimo, quando רוח הקרש *Spiritum S.* à שכינה *glorioſa Dei præſentia* ſecundum mentem prioris loci *Joma* eſt diſtincturus. Fateor equidem, ſi שכינה & רוח הקרש accipiamus in ſenſu ſtricto: aliquid huc poſſe adferri, quod ſe ſpecie aliqua commendet. Dici ſcilicet poſſet, per שכינה ſignificari *præſentiam Divinam*, certo ſymbolo ſe manifeſtantem univerſo populo; per רוח הקרש vero ſpeciatim *Deum, ſe manifeſtantem Prophetis inferioris ordinis.* Sed bene obſervatum à Cl. Coccejo, quod רוח הקרש heic *generalem* habeat *notionem.* Id puto eſſe cer-

Sed dubium, an non lectio loci in *Talm. Bab.* ſit affecta.

Cl. Coccejii teſtimonium de hac re & ſenſu Veterum.

Aliud tentatur ad expoſitionem loci.

a Cod. Maccoth, Fol. 32. Col. 1. b Obſervationibus ad Excerpta Gemaræ Codicis Sanhedrin p. m. 64.

certiſſimum. Nam poſtquam Iſraëlitæ externo Symbolo *nubis* ſupra Tabernaculum, vel etiam *in Tabernaculo* & *Templo* quandoque, caruerunt, non potuerunt de Divina apud ipſos præſentia ex ullo alio argumento certius judicare, quam quod per afflatum Spiritus S. certi quidam homines de rebus futuris oracula & cantica funderent; vel etiam, quod *Pontifex Maximus* per *Urim* & *Thummim* in dubiis caſibus Divina conſulta exponeret. Inde, inquam, potuerunt judicium formare, an *Schechina Divina* ſibi adeſſet, nec ne. Unde videtur liquere, רוח הקדש in hoc loco adeo late ſumi, ut illi etiam notioni τὸ

Druſii de eo ſententia.

שכינה includatur. Non movet equidem hanc difficultatem Druſius [a], quando ad hunc locum *Joma* pro ratione ſui inſtituti diſſerit; notat tamen ſub finem, quoſdam inter Doctos, qui de *defectibus ſecundi Templi* agunt, rebus in *Joma* recenſitis addere *Oleum Unctionis*.

Et Seldeni.

Sed eruditiſſimum Seldenum omnino obſervavi in ea eſſe ſententia, quod רוח הקדש *Spiritus S.* & *Schechina* una eademque res ſint. Neſcio, an de hoc *Joma* loco alibi magis preſſe agat, quam in Libris *de Succeſſionibus in Pontificatum* [b], ubi videbis, illum fidem tribuere teſtimonio, quod paulo ante ex *Gemara Hieroſolymitana* notavimus. Eſt tamen, ubi diſertius mentem ſuam explicat. Sic in Libris de *Synedriis* [c] locum profert ex Maimonide [d], in quo dicitur, ſuper *Septuaginta Senioribus habitaſſe* SCHECHINAM, ſive *Divinam Majeſtatem*. Verba ſunt: ושרתה עליהם שכינה Seldenus: *Quam* (Majeſtatem Divinam) SPIRITUM SANCTUM & *Spiritum Domini appellitant etiam illi; cui conſonum eſt illud de Joſua:* מלא רוח חכמה כי סמך משה את ידיו עליו *Plenus erat Spiritu ſapientiæ, quia Moſes poſuit ſuper eum manus ſuas.*

Cujus varia teſtimonia hac de re inter ſe conſentiuntur.

Loquitur certe ex mente Maimonidis. Nam quod hic in verbis Maimonidis vocatur *Schechina*, id alibi à Maimonide vocatur *Spiritus Sanctus*. Locus in *More Nevochim* [e], & hic & alibi ſæpe à Seldeno notatus. Explicat ibidem Maimonides varios gradus Prophetiæ, ſatis quidem obſcure. Sed, quod ad noſtrum facit thema, aſſerit, *ſecundum gradum Prophetiæ* vocari רוח הקדש SPIRITUM SANCTUM. Quem *ſecundum gradum Prophetiæ*, SPIRITUS SANCTUM, attribuit *Septuaginta Senio-*

a Obſ. Lib. xv. Cap. xvi. b Lib. ii. Cap. ix. c Lib. i. Cap. xiv. d Tractatu Sanhedrin Cap. iv. e Lib. ii. Cap. xlv.

nioribus. Atqui vero in loco modo notato de *Septuaginta Senioribus* differens, ſuper iis ait requieviſſe *Schechinam*. Oportet igitur colligere, ex mente Maimonidis idem eſſe *Schechinam*, quod *Spiritus* eſt *Sanctus*. Sed de eo quid ſit apud Judæos *Spiritus Sanctus*, copioſe item atque erudite aliis in locis differit Seldenus, quę inſpici poſſunt. † Commodum igitur videtur ſic ſtatuere, quod רוח הקרש *Spiritus Sanctus* & שכינה *Habitatio Divina* una eademque res ſint in Hebræorum ſcriptis: quod ſi exiſtimes aliquid facere ad illuſtranda loca ſuperius ex *Paulo* allegata de *habitatione Chriſti inter nos* & *in nobis*: tuo arbitrio iis poteris applicare. Chriſti enim Domini *Divinam naturam* ſubinde vocari Πνεῦμα *Spiritum*, & quidem Πνεῦμα ἁγιωσύνης *Spiritum Sanctitatis*, ſacri ſtudii peritis notum eſt. Nec tamen id velim urgere.

Summa eſt, Vett. per *Sp. S.* & *Schechinam* eandem rem intelligere.

V. Verum cum ſat multis probaverimus, Hebræorum antiquiſſimos, id eſt, ipſos quoque Apoſtolos per τὴν שכינה intellexiſſe ipſum Chriſtum, vel potius *Humanam Chriſti Naturam*, quæ ob conjunctionem cum *Divina* quandoque totius Perſonæ nomen conſequitur: haut arduum nobis erit evincere, haſce *decem Sephiroth* non modo ipſum Meſſiam, *Deum* futurum & *hominem*, ſed & *duarum Naturarum* Divinæ & Humanæ conjunctionem in Meſſia modo μυστηριώδει ſignificaſſe. Sacri enim Scriptores quando hoc arcanum nobis voluerunt revelare, clarioribus dicendi modis uti non potuerunt, quam ſi rationi loquendi ab Hebræis uſitatæ inſiſterent. Quemadmodum enim Hebræi omnes illas *Virtutes Divinas in Schechina* dixerunt *habitare*, & *cum ea immutabili prorſus modo unitas eſſe* aſſeruerunt: ita & ſanctiſſimi illi Viri, *Divinam* Chriſti *Naturam* vel τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ in *Humana*, veluti ἐν τῇ σκηνῇ, habitare teſtati ſunt. Non repetam ea, quę modo in patrocinium ſententiæ meæ attuli, ſed unicum modo *Pauli* locum, qui eſt in *Epiſtola* ad *Coloſſenſes*, paulo latius explicabo. Hoc modo procedit Apoſtoli Oratio [a]: Ὅτι

Qua ſupra diſputata ſunt, applicantur ad hypotheſin de *Myſterio Sephirothico*.

Et conjunctione *Naturæ Divinæ* ac *Humanæ* in Meſſia.

ἐν

a Cap. II. 9.

† De *Synedriis* Lib. II. Cap. IV. §. II. III. occaſione loci Num. XII. 24. Vide inſuper eum Lib. II. Cap. VII. §. I. nec non Cap. XV. §. VIII. ubi teſtimonium notatur ex *Talmude Babylonico*, in quo רוח הקרש & שכינה alternantur. Adde etiam, ſi placet, teſtimonium *Maimonidis*, quod apud eundem occurrit Lib. III. Cap. XIII. §. VII. ubi idem reperies.

Illuſtratur locus Col. II. 9.

ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς· *Quia in ipſo* HABITAT *omnis plenitudo Deitatis corporaliter.* Reſpiciunt hæc verba Pauli vel ad *Templum*, vel ad *Arcam.* Utrumque enim fuit σύμβολον τῆς שכינה *Inhabitationis Dei glorioſæ.* De *Arca* videri jam Paulus noſter poſſet cogitaſſe *verſu tertio*, ubi de Chriſto: Ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι *In quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & cognitionis abſconditi.* Nihil enim magis reſpondet τῇ κιβωτῷ *arca*, quam quod res aliqua in illa *abſcondita* ſit. Nihil Hebræi omni ætate ſanctius arca habuerunt. Ad illam preces fuſuri ſe convertebant. Ibi Majeſtatem Divinam venerabantur. Illam Religionis ſuæ μυστήριον maximum eſſe crediderunt. Omnem vero illam ſpem fidemque, quam quondam in Arca repoſitam habebant Judæi, tranſlatam vult Apoſtolus in Meſſiam noſtrum, in quo μυστήρια omnia intelligi poſſunt veritatem ſuam conſecuta eſſe. quam ſententiam hac ratione adſtruit, quia *omne Deitatis* πλήρωμα *in Chriſto habitat, quod quondam creditum eſt habitare in Arca:* quippe quæ, omnium judicio, *ſedes erat Majeſtatis Divinæ* in Tabernaculo & Templo. Id, inquam, ab omnibus pro certo habetur, quippe quod Sacræ Paginæ in laudem Arcæ prædicant: etſi forte non ſatis clare pateſcat, quomodo ſit intelligendum.

Arca ſymbolum inhabitationis Filii Dei in carne.

Diſputatur interim, an ſuper *Arcam* communiter reſederit Nubes cum *Igne*, illi incluſo?

VI. Plurimi Sacrarum Scripturarum Interpretes, qui mihi occurrerunt, exiſtimant, ſuper *Arcam* ſacram reſediſſe *Nubem* cum *Igne*, quę Symbolum fuerit glorioſiſſimæ *Præſentiæ* & *Habitationis* Divinæ apud *Arcam.* Sis, vide, Cl. Buxtorfium Filium in *Hiſtoria Arcæ Fœderis*[a] *&c.* Et conceſſerunt profecto in hanc ſententiam alii Doctiſſimi Viri & inter illos Interpretes Belgæ plurimum venerandi. Cl. Coccejus eandem quoque hanc ſententiam probat[b]. *Quod autem dicitur*, ait, *Deum* VIDERI IN NUBE, *id non tantum propterea dicitur, quia nubes erat effectus Dei, ſingulari Divina diſpenſatione ibi collocata; ſed etiam, quia Deus ex ea loquebatur.* Et alibi[c]: *Super Propitiatorium apparebat nubes: Quæ, ut res Divina, teſtabatur, Deum habitare in Templo.* † At eſt

a Cap. x. p. 107, 108, 109. b In Commentario ad idem caput. §. 111. c In Lexico ad ענן.

† Quæ hic in *prioribus hujus Libri Editionibus* collocaveram, nolui dele-

eſt ratio dubitandi, an ſententia hæc Hominum præſtantiſſimorum vera ſit. Forte enim opus non fuerit ſtatuere, in Sancto Sanctorum ſuper Arcam ordinariam nubem fuiſſe in Tabernaculo, aut Templo Salomonis; ſed ſufficiat dicere, Arcam Habitationis Divinæ σύμβολον fuiſſe; & locum inter Cherubinos ideo dici præſens habuiſſe Numen, quia voluntatis ſuæ revelatione, inde profecta, præſentem ſe Iſraëlitis teſtabatur Deus. Non dubitamus, quin adverſa ſententia multum debeat Judæis, qui de prærogativis ſuæ gentis magnifice loqui ſolent; etſi inter eos aliqui ſint, qui heic loci plus cæteris viderunt. Sed non inutile erit rem totam, paulo altius repetitam, paucis verbis exponere ſecundum ſententiam animi noſtri.

VII. Cum Deus Abrahamidas ex Ægypto in deſertum Arabiæ duxiſſet: *nubis* atque *ignis* columna dies noctesque conſpiciendum ſe illis præbuit, ne populus ille, externum Divinæ præſentiæ ſignum non animadvertens, vel vagus in deſerto oberraret, vel Moſi cæteriſque miniſtris à Deo legatis diffideret. Erat enim gens inculta admodum & rudis, & ad quælibet vitia proclivis. Aſt cum erectum Tabernaculum eſſet, quod juxta præſcriptum Divinum extrui Moſes curaverat: ſacra illa *Columna nubis atque ignis* apud & ſupra Tabernaculum reſidere incepit, quia Tabernaculum illud haberi & coli volebat Deus tanquam *Tentorium* Summi Iſraëlitarum Imperatoris. Hinc cum moveret ſeſe illa Columna; ſe loco illo movendos eſſe intellexerunt Iſraëlitæ: & cum requieſceret certo quodam in loco; in eodem & illi ſedes ſuas fixerunt & caſtrametati ſunt. Atque hoc præſentiæ Divinæ Symbolum adfuit Iſraëlitis, uſque quo deducti ſunt in terram Canaanitarum, quę Parentibus ipſorum jurejurando addicta erat. Hæc patent ex Hiſtoria Moſaica. Huc autem reſpicere videntur pleraque, & forte omnia argumenta, quę Johannes

Sententia de *Nube*, reſidente ſuper *Arcam*, origo altius repetitur.

Unde videtur patere, plures Init. *Nubem*

delere, quia noſtra hæc diſſertatio Viris quibuſdam literatis & veri ſtudioſis non diſplicuit. Nec tamen ſententiam, quam hic defendo, haberi velim pro certa. Imo non negabo, me, ſi non ſecundis, ſaltem tertiis curis, pedem incepiſſe retrahere, & ad Gregem Doctorem, quem deſerueram, retroſpexiſſe. Tu tamen, Lector, tuum judicium tibi hic habe integrum, & rem abſque ulla ἐγκλίσει anticipata tecum expende.

Tabernaculi cum Nube Arca confudiſſe.

hannes Buxtorfius, Vir Doctiſſimus, & cæteri Viri Clariſſimi ad probandam ſuam ſententiam produxerunt. Loca enim, ab iis in medium adducta, de commoratione hujus *nubis* apud Tabernaculum, & quandoque in priori parte Tabernaculi, nulla vero (ἐξὸν ἐπιτὸ μόνα παρρησίας) de *habitatione hujus columnæ* apud vel ſuper *Arcam* intelligenda ſunt. Nimis multum operæ perderemus, ſi ſingula teſtimonia, ab aliis notata, vellemus confutare. Unuſquiſque eorum, quibus ſacra hæc curæ ſunt, abſque ullo labore in lectione Sancti Codicis id præſtiterit. Sufficiet nobis unicum locum proferre *ex libro* Moſis *tertio* [a], qui omnium maxime nobis videtur adverſari. Verba ſic habent:

Locus *Lev.* XVI. 2. qui huc referri ſolet, illuſtratur.

Dixit autem Jehova Moſi; Loquere ad Aharonem Fratrem tuum: Ne veniat omni tempore in locum illum ſanctum intra velum ante illud ἱλαςήριον, *quod ſuper arcam eſt, ne moriatur:* כִּי בֶּעָנָן אֵרָאֶה עַל הַכַּפֹּרֶת QUIA IN NUBE APPAREO SUPER ἱλαςήριον. Difficultas omnis hic repoſita eſt in vocabulo אֵרָאֶה / cujus vis atque ſignificatio genuina heic aperienda eſt. רָאָה apud Hebræos habet ſignificatum *videndi*. Illud autem *videri* & *apparere* aliquando in phraſi Scripturæ ſumitur non *ſimplice*, ſed *reciproco* ſignificatu, ut nimirum notet *videri*, ſive *conſpici* ab alio coram nobis *apparente*. Conſiderentur ſolummodo hæc verba, quę occurrunt in *Exodo* [b]: לֹא יֵרָאוּ פָנַי רֵיקָם *Non conſpicietur facies mea abſque munere.* Belg. Mijn aengeſighte ſal niet ledig geſien worden. Is qui ad Deum accedebat cum ſacrificiis, eaque juxta præſcriptum Legis pio animo faciebat immolari, externum nullum obſervabat Divinæ præſentiæ σύμβολον: quod heic loci polliceri videtur Deus. Neque tamen id hoc in loco ſupponitur aut docetur. Sed *videri* potius hic reciproce notat *comparere coram Deo* ad illum honorandum. Senſus itaque eſt: *Nemo* coram *facie mea comparebit vacuus.* Optime id animadverſum à Belgis eſt Interpretibus, qui ita hunc locum transpoſuerunt: Dog men ſal niet ledig voor mijn aengeſighte verſchijnen. Cum tamen ad verbum in textu ſit; Ik ſal niet verſchijnen. Comparemus jam cum hoc loco præſentem, quem illuſtrandum nobis ſumpſimus. Hebræa habent: בענן אראה על הכפרת *In nube* VIDEBOR *ſuper Propitiatorium.* Belg. Ik ſal in een wolcke geſien worden boven het verſoen-

Ubi ſignificatio vocis ראה tam ſimplex quam reciproca notatur.

a Cap. XVI. 2. b Cap. XXIII. 15.

ſoendekſel. Quorum ſententia eſt: Nullus coram me comparebit, niſi cum *nube*, quę texerit propitiatorium. Belgice id ita enunciem: Niemant ſal ſonder Wolcke / die boven het verſoendekſel ſy / voor mijn aengeſigte verſchijnen. Cujus expoſitionis ut pleniſſima conſtet ratio, mentem meam paucis explicabo. Caverat Deus *Capitis hujus initio*, ne Aaron vel Filii ejus omni tempore ſanctiſſimum Tabernaculi Adytum ingrederentur; niſi forte male multari vellent. Nolo enim, inquit Deus, ut alio tempore Sanctum illud adeant, quam quo accenſo thuribulo *nubem fumi* in Adyto illo ſuſcitabunt juxta præſcriptum Legis: quod unico & ſolo fiebat die Expiationis Publicæ. Pontifex enim Hebræorum non habebat poteſtatem ſolenni Expiationis die ingrediendi Sanctiſſimum illum locum, priuſquam accenſo ſuffitu *nubem* procreaſſet ex fumo *coram Propitiatorio*; ad quem ritum hic reſpicitur. Hæc illa *nubes* eſt, ſine qua heic loci acceſſum ad ſe Deus prohibuit. Notanda hunc in finem ſunt verba de hoc Ritu clariſſima, quę in *conſequente* hujus Hiſtoriæ contextu occurrunt: *Et accipiet plenum thuribulum prunis ardentibus ex ipſo altari à conſpectu Jehovæ & plenos pugillos ſuos ſuffitu aromatum attenuato, & inferet illa intra velum: & imponet* SUFFITUM ILLUM *igni coram Jehova*, UT TEGAT NUBES ILLA SUFFITUS OPERCULUM, QUOD SUPER TESTIMONIO EST, ET NON MORIATUR. Dicitur hic explicate, ipſum Pontificem excitare ſuffitu ſuo debuiſſe *illam nubem, quæ ἱλαστήριον tegeret ne moreretur*, cujus *nubis* mentio erat facta *Capitis* hujus *initio*. Si enim fuiſſet *nubes* in Sancto Sanctorum ſuper Propitiatorio, antequam in Adytum veniret Pontifex: eccur, cedo, *nubem* creare aliam debuit? Nullum igitur huic Legi ſubeſt arcanum, niſi quod perſpicuis verbis à nobis declarari poteſt. Voluit Deus, ut Pontifex illo die ſæpius ingreſſurus in Adytum *fumum* inſtar *nubis* ex *ſuffitu* conficeret, qui rebus ſacris induceret caliginem, ne ſecreta Adyti oculis omnium paterent. Non poſſunt hæc videri longe petita eſſe. certe nova non ſunt, ut ipſe mihi fere in initio perſuadebam: ſed ab aliis jam cogitata. Aben-Eſra utique *Nubem*, de qua mentio eſt in ỳſ. 2. intelligit de *Fumo Nubis* creando ex incenſo ſuffitu à Pontifice: licet alias non neget, ſuper *Arcam* fuiſſe aliquod ſymbolum *Gloriæ Divinæ*. Habe hæc ejus

Quæ ad præſentem caſum applicatur.

Docetur que, Pontificem ipſum, ingredientem *Adytum*, *Nubem* parare debuiſſe ex accenſo ſuffitu.

Aben-Eſræ & aliorum ſententia de loco *Lev.* XVI. 2.

verba [a]: כי בענן הטעם שלא יכנס כי אם בקטרת שיעשה ענן ולא יראה הכבוד פן ימות Nam in nube: *Senſus eſt, quod non ingrederetur niſi cum ſuffitu, quo excitanda erat nubes, ne videret Symbolum illud* GLORIÆ, *ne moreretur.* Sed præter Aben-Eſram alii Interpretes non pauci hanc interpretationem amplexi ſunt. Ainſworthus locum obſervat ex *Chaskuni*, in quo idem docetur. Sed & mentio illius eſt in Annotationibus *Salomonis Jarchii.* Sic ille ad hæc verba: כי בענן אראה כי תמיד אני נראה שם עם עמוד ענני ולפי שגלוי שכינתי שם יזהר שלא ירגיל לבא זהו פשוטו ומדרשו לא יבא כי אם בענן הקטרת ביום הכפורים Nam in nube videbor. *Semper appareo* (videor) *ibi cum columna nubis mea; & quandoquidem ibi glorioſa præſentiæ Divinæ* φανέρωσις *eſt, monet, ne nimis familiariter eo accedat. Hic ſenſus eſt* (literalis:) *ſimplex. Sublimior vero ſenſus hic eſt: Ne accedat, niſi cum nube ſuffitus die Propitiationis.* Sed & Abarbanel ſatis manifeſte hanc fulcit exegeſin [b], Jarchio etiam, qua parte nobis adverſus eſt, refutato. Pariter Kimchius alibi [c] duplicis, jam memoratæ, interpretationis hujus loci aperte meminit. Inter Chriſtianos pro his partibus ſtat Sheringhamius [d]. *Fumus,* ait, *ille, qui à ſuffimento incenſo in die Expiationis aſcendebat, in Sacra Scriptura* NUBES *vocatur, Lev.* XVI. 2. Sed utcunque etiam hæc ſe habeant, poſſunt etiam verba Apoſtoli (ut redeat unde digreſſa eſt oratio:) quibus ait, ἐν αὐτῷ IN IPSO, hoc eſt, Chriſto vel humana illius natura, κατοικεῖν πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, *habitare* OMNEM PLENITUDINEM DEITATIS; commode referri ad *Tabernaculum*, vel *Templum* [e], ejuſdem habitationis Filii Dei in Humana Natura ſymbolum. Cum enim Deus in utriuſque domicilii ſui, Tabernaculi atque Templi, inauguratione *nubem* adeſſe voluiſſet, extraordinarium præſentiæ atque *glorioſæ* Majeſtatis ſuæ teſtimonium, dicitur: כבוד יהוה מלא את המשכן *Gloria Jehovæ* IMPLEVIT *Tabernaculum.* Quod idem de *Templo* repetitur. Illa igitur PLENITUDO Divinæ Majeſtatis, quæ quondam de Templo & Tabernaculo τυπικῶς prædicata eſt, ſedem nunc elegit ſuam *carnem* Chriſti, in qua demum eſt σωματικῶς VERE.

Seringhamius pariter adductus, & laudatus.

Kabbaliſtarum ſententia

VIII. Addere liceat: Kabbaliſtas tradere, Deum cum *Sche-*

a Com. in h. l. b Com. ad h. l. c Com. ad II. Paralip. Cap. VI. I. d Not. ad Cap. V. Cod. Jomæ, §. 11. e 1 Reg. VIII. 10.

Schechina ſua unitum eſſe conjunctione arctiſſima & *indiſſolubili.* quod utique nos de *Conjunctione Naturarum* in Chriſto *duarum* certo prædicare poſſumus. Notabo duntaxat dictum R. Eleezeris, apud Rittangelium [a]: אמר רבי אלעזר הא לא אתאמר אני יהוה לא שניתי ואמר ליה וי לבני עלמא דאינון אטימין לבא דחשבין דידעין ולא ידעין ודאי אני איהי שכינתא איהי לא אשתני ולא איהי תמורא באחרא ואיהו לא אשתני ולא אסתתר מנה *Dixit R. Eleazer: Ecce nonne dicitur: (EGO) Jehovah non mutor. Et dixit illis: Væ Filiis hujus ſeculi, qui ſunt obturati corde, qui ſe ſapere putant, & non ſapiunt. Certe τὸ* אני EGO *ſignificat* DIVINITATEM (Habitationem Divinam.) ILLA *non mutatur, nec eſt* ILLI (Schechinæ) *commutatio in aliud. Et* IPSE QUOQUE (Deus: *Divina* Chriſti *natura*) NON MUTATUR NEC ABSCONDIT SE AB EA. Et in ſequentibus. לא אשתני דא מן דא NON MUTATUR ILLE AB HAC.

de *unione Dei* cum *Schechina* ſua.

IX. Sic quidem expoſitum quodammodo dedimus, quid Veteres Kabbaliſtæ ſecundum *ἀναλογίαν* veræ Fidei, nixæ Revelatione antiqui temporis, intelligere potuerint per שכינה *Schechinam.* Non conſtat tamen hactenus, quid voluerint ſignificare per מלכות REGNUM; neque liquet etiam, quænam convenientia ſit inter שכינה *Schechinam* & מלכות *Regnum.* Id igitur brevibus nunc expediendum.

Inquiritur preſſius, quid *Schechina* commune habeat cum מלכות REGNUM.

X. Non neſciunt, qui Sacras pervolverunt Paginas, Deo inter cætera ἐπίθετα ſæpe adſcribi REGNUM. Exemplum cape unum ex multis aliis ex *παραινέσει* Davidis [b]: לך יהוה הממלכה *Tibi Jehova eſt* REGNUM. Quid eo ſignificare voluerunt antiquorum temporum Sancti? An id tantum, quod Deus mundum ſua regat providentia, & in mundo Iſraëlitas ſingulari cura proſequatur? Non opinor. Conſtat ex iis, quę alibi produximus ad *Deut.* VI. 4. [c] pios priſcæ ætatis Iſraëlitas ex Vaticiniis credidiſſe, tempus aliquando ejuſmodi venturum eſſe, quo Deus cum Judæis gentes ſibi haberet ſubjectas, earumque pariter ac Judæorum Rex diceretur ac Dominus. Hanc ſpem tam conſtanter & firmiter tenuerunt, ut nullam precationem publicam in ſuos admiſerint cœtus, in qua מלכות *Regni* nulla eſſet men-

Ubi obſervatur, *Fidem de Regno Dei* olim glorioſe manifeſtando cum adventu Meſſiæ, fuiſſe magnum Caput Doctrinæ *Veteris Synagogæ.*

a R. Eleazeris: in Tykun. XXVI. Fol. 70. Col. II. in Jezirah p. 130.
b I Paral. XXIX. 11. c De Syn. Vet. Lib. III. Part. II. Cap. XVII. p. 1084.

mentio facta. Chriſtus ipſe in Oratione, quam diſcipulis ſuis formulam præſcripſit, τῆς βασιλείας REGNI bis meminit. Apoſtoli, prænunciaturi ſtatum Eccleſiæ ſub N. T. eum paſſim ſolent exprimere per βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *Regnum Cælorum*, ſive, quod idem eſt, βασιλείαν τοῦ Θεοῦ *Regnum Dei*. Certa fides erat gentis Judaicæ, *Jehovam* ſe aliquando exhibiturum eſſe *ut Regem univerſæ terræ*.

Quæ traditio Vetus de *Regno Dei* eadem eſt cum Doctrina de *inhabitatione Dei* inter homines.

Quod ita cum ſit, non eſt dubium, quin Veteres Kabbaliſtæ id voluerint ſignificare per vocabulum מלכות *Regnum*. Certe in *Kabbala Denudata* ad hanc Vocem illuſtrandam ex *Schaare Orah* quædam adducuntur, quę plane faciunt ad hanc noſtram hypotheſin confirmandam. מלכות / REGNUM enim refertur ad TIPHERETH, ſive ad nomen *Jehova*, quod ad hanc *Sephiram* explicandam adhibetur, & per *Tiphereth*, id eſt, per *nomen Jehova* omnia ſua munia dicitur obire.

Conſenſus Kabbaliſtarum.

Quid hoc, obſecro, aliud ſignificet, quam per מלכות debere intelligi *Regnum Jehovæ* in ſumma ἐμφάσει? *Schechina* vero & *Malcuth* optime inter ſe conveniunt, & ſibi reſpondent, quia *Deus ille* qui Gratia & Gloria ſua replet Humanam aliquam Naturam, eadem illa *Gratia* & *Gloria* totam replet *Eccleſiam*. quæ eſt Regnum Filii Dei. Per Chriſtum Jeſum שכינה *Tabernaculum Dei* eſt cum hominibus & inter homines. Hæc pro inſtituto præſenti ad illuſtrandam *tabulam Sephirothicam* dicta ſufficiant. Habeantur illa pro luſu aliquo Ætatis meæ Juvenilis, ſi ſeverioribus ingeniis probari non poſſint ut vera vel probabilia.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA
AD
Loca quædam S. Scripturæ.

CAPUT I.

Lux affunditur tribus difficilioribus ſententiis, quarum prima *Gen.* XLIX. 4. *rationem continet, propter quam* Rubeni *negata ſunt privilegia Primogenituræ;* ſecunda *Exod.* IV. 6. *cauſam atque originem detegit calumniæ, populum Judæum cauſſa* Lepræ *pulſum eſſe ex Ægypto;* tertia *vero* 2 *Sam.* 1. 18. Saulis & Jonathanis, *defunctorum, elogium comprehendit.*

ANimus eſt, poſtquam duo ſatis illuſtria argumenta pertractaverimus, ſpecimina quædam dare *Obſervationum*, quas per Libros Scripturarum Sacrarum ſatis habemus frequentes. Fieri enim nequit, quin Verbum Dei attente & diligenter legens, legendo faciat profectum. Tentemus ergo, quid in pauciſſimis exemplis poſſimus præſtare, libero, ut ſolemus, ſcribendi genere. *Præfatio ad novam digreſſionem.*

II. In Fatidico Carmine Jacobi apud Moſen hæc leguntur verba [a]: פחז כמים לא תותר Junius & Tremellius. *Rapiditate, aquarum inſtar* ruens, *ne excellas.* Sed fateor, me mentem illorum vix aſſequi. Belgæ: Snellen afloop / als der wateren. Addunt in expoſitione: *Quando Patris tui torum polluiſti: nempe ut aqua ex altiore loco in declivem rapidiſſime decurrit, ſic tu impura incitatus libidine, cum magna audacia & protervia conjuncta, te in turpe flagitium & ignominiam effudiſti.* Coccejus: *Futilis, ut aqua; ne excellas.* Adjicit in Commentario: *Nominat* פחז / *quod futi-*

Locus Gen. XLIX. 4. *illuſtrandus ſumitur.*

Belgarum Intt. ſententia.

Et Coccejii.

a Gen. XLIX 4.

futilitatem, ac levitatem, ac celerem fluxum notat. פּיחזים *dicuntur homines leves, inſtabiles, qui in fuga ſunt.* Sed videamus nos, an non aliquanto propius accedere queamus ad Vatis ſacri mentem. Verto igitur: *Saltus inſtar aquarum.* Belgice: **Een opſpringen als der wateren.** Quod ut recte factum exiſtimetur, ſententiam animi mei explicabo.

Alia loci verſio proponitur.

Vocis פחז genuina ſignificatio declarata.

III. Vocabulum פחז ſignificatum habet apud Chaldæos & Syros *ſaliendi* conſtantiſſimum. Jonathan uſurpat vocem hanc in ſua παραφράσει[a]: ויתרו בית ישראל ופחזו *Et divites facti ſunt Iſraëlitæ, & ſubſilierunt.* Syrus quoque Interpres aliquoties. Atque ad hunc ſignificatum maxime etiam pertinent illa Sanctæ Scripturæ loca, in quibus vocabulum hoc reperitur. Ita apud *Tſephaniam*[b]; נבאים *Prophetæ* dicuntur פּיחזים / quod R. David per קלים *leves* & רקים *temerarios* interpretatur; quod idem facit ad *Jerem.* cap. XXIII. 32. ubi פחזות / ex τὸ פחז formatum, extat. Interpretes Belgæ plane ſatisfaciunt poteſtati hujus vocis, cum τὸ פחזות vertant per **lichtveerdigheyt** / & פוחזים per **lichtveerdige** / & utroque hoc in loco, & alio aliquo, qui eſt in Libro *Judicum*[c]. *Levitas* enim & *temeritas* animum vagum & quaſi perpetuo *ſubſilientem* indicant. Nunc porro notari velim, primo quidem *ſalire* & *ſubſilire* aquis ſæpe ſed *vivis*, ex fonte ebullientibus, tribui: ut ſit in inſigni illo Chriſti effato in Evangelio *Joannis*[d]: Ὃς δ᾽ ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος, οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα· ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον: *Fons* AQUÆ SALIENTIS *in vitam æternam.*

Notat proprie *Levitatem*, qualis eſt *ſubſilientium*.

Et referri ad *libidinem*.

Deinde, *ſemen*, quo Natura mares inſtruxit ad procreandam ſobolem, quandoque comparari cum *aqua viva*, hoc eſt, ex fonte proſiliente; quod uti comprobemus, teſtimonium unum atque alterum illuſtrandum nobis eſt. Facit huc, quod legimus apud *Jeſaiam*[e]: *Audite hoc familia Jacobi, qui denominati eſtis ab Iſraële & egreſſi eſtis ex* AQUA *Jehudæ.* Ubi מים *aqua* omnino exponenda per זרע *ſemen*, monentibus id etiam verſatiſſimis Hebræorum magiſtris. Comparemus cum hoc loco elegans pariter illud dictum ejuſdem eloquentiſſimi Vatis[f], quo *homines generantes* cum PUTEO, hoc eſt, *aquarum ſcaturigine* confert.

Quod locis quibuſdam illuſtratur.

Ita

a In Deut. XXXII. 15. b Cap. III. 4. c Cap. IX. 4. d Cap. IV. 14. e Cap. XLVIII. 1. f Cap. LI. 1.

Ita habet: *Audite mihi proſequentes juſtitiam, quærentes Jehovah: Intuemini in rupem, unde exciſi eſtis,* ואל מקבת בור *& in foramen* CISTERNÆ, *unde effoſſi eſtis.* Aliud eſt dictum apud Moſen dignum ad quod animum noſtrum advertamus [a]: וישכן ישראל בטח בדר עין יעקב אל ארץ רגן ותירוש: Belgæ:- **Iſrael dan ſal ſeker alleen woonen / (ende) Jacobs ooge ſal ſijn op een Landt van koorn ende moſt.** Coccejus ingenioſe admodum: *Et habitat Iſrael ſecure ſeorſim apud fontem Jacobi.* Rationem hujus interpretationis ex accentuum diſpoſitione petit. Sed nec accentuum hoc in loco magna vis eſt; nec ſi eſſet, eorum diſpoſitio veræ interpretationis locorum difficilium certa norma eſt. Ego ſimpliciter verto: *Et habitet Iſraël ſecure ſeorſim;* FONS JACOBI (Poſteri Jacobi:) *in terra frumenti & muſti,* Belgice: **Ende Iſrael woone ſeker alleen: de bronne Jacobs (de nakomelingen van Jacob) in een landt van koorn ende moſt.** Ubi per *Fontem Jacobi* intelligo *aquam*, quę ex fonte illo proſiliit, hoc eſt, Jacobi poſteros. Imo eadem etiam metaphora obſervatur in Pſalmo LXVIII. 27. *In Eccleſiis benedicite Deo: Domino*, inquam, ממקור ישראל qui eſt EX SCATURIGINE *Iſraëlis*, id eſt, qui prognatus eſt ex Iſraële. Quibus ex locis omnibus certum eſt, homines operam dantes humano generi propagando cum *Fonte*, & τὸ σπέρμα זרע *ſemen* cum *aqua viva* מים חיים comparari.

Illuſtratur locus Deut. XXXIII. 28.

III. Convenit autem hæc noſtra Expoſitio egregie reliquis Orationis partibus & ſcopo Vatis. Ediſſerit hic Vates Filiorum & Poſterorum ſuorum Fata. Primæ partes Benedictionis Paternæ debebantur Rubeni, ut Primogenito. Ab illo itaque hoc ſuum carmen orditur. Concedit Patriarcha in Orationis ſuæ initio, Rubeni, quod Primogenitus ſit, primas deberi. Negat tamen, id fieri poſſe vel futurum eſſe ob delictum ab ipſo perpetratum cum *Bilha*, Parentis ſui Conjuge. Cujus delicti ſpeciem quando mente ſua format, in hanc erumpit Orationem metaphoricam: SALTUS INSTAR AQUARUM. Hoc eſt: *Tibi quidem ô Ruben, qui primum virtutis meæ ſpecimen es, honores atque commoda primogenituræ deberentur: Sed turpem illum & laſcivum aquarum tuarum ſaltum recordor, quo factum, ut fontis inſtar eo in loco aquas tuas* (ſemen) *effuderis, quo non oportebat: quam ob ratio-*

Interpretatio conciliatur cum ſcopo Vatis.

a Deut. Cap. XXXIII. 28.

tionem tua te jacturam feciſſe excellentiæ atque honoris prædito. Quo inſuper facit, quod vox פחז omnino *laſcivia* habeat ſignificatum apud Syros. Ita in altera Pauli Epiſtola ad *Corinthios* conqueritur Apoſtolus, *quoſdam non reſipuiſſe* ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ ἀσελγείᾳ. quod ultimum vocabulum ἀσέλγεια Syrus Interpres per פחותא vertit. Pariter in Epiſtola ad *Epheſios* : Οἵτινες ---- ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Ubi Syrus: ואשלמו נפשיהון לפחותא.

Locus Exod. IV. 6. in quo de *lepra manus* Moſis, enarratur.

IV. Exod. IV. 6. ויאמר יהוה לו עוד הבא נא ידך בחיקך ויבא ידו בחיקו ויוציאה והנה ידו מצרעת כשלג *Et dixit ipſi* (Moſi) *Jehova amplius : Adduc, age, manum tuam in ſinum tuum, & adduxit manum ſuam in ſinum ſuum, & eduxit eam, & ecce* MANUS EJUS LEPROSA, UT NIX. Non eſt dubitandum, quin Moſes hoc ipſo quoque argumento Pharaoni demonſtraverit, ſe vere à Deo ad ipſum delegatum eſſe. Sic enim Deus exerte ipſi præceperat: [c] *Dixit autem Jehova Moſi, cum reverſus fueris in Ægyptum, vide, omnia illa prodigia, quorum patrandorum facultatem conſequutus es, facias coram Pharaone.* Quod ſi vere ita geſtum ſit: non hæſitabimus amplius, unde originem traxerit calumnia, qua Moſes & quos ex Ægypto duxit Judæi à Gentilibus ſunt adſperſi, acſi *lepra* fuiſſent infecti. Videlicet Joſephus Hiſtoriographus, in primo contra *Apionem* Alexandrinum libro, erudite elucubrato, in quo & antiquitatem ſuæ gentis ex Scriptoribus exteris probat, & eorum ſimul Scriptorum errores detegit atque calumnias retundit, non ſemel tradit, Hiſtoriographorum etiam antiquorum plurimos narrare in monumentis ſuis, *Moſen lepra fuiſſe infectum*, & univerſum etiam populum, cui ſe ducem præbuit, fuiſſe ulceroſum, & ſcabie laboraſſe. Sic utique apud Joſephum Lyſimachus [d]: Ἐπὶ Βοκχόρεως τῶν Αἰγυπτίων βασιλέως, τὸν λαὸν τῶν Ἰουδαίων λεπροὺς ὄντας καὶ χωροὺς καὶ ἄλλα νοσήματά τινα ἔχοντας, εἰς τὰ ἱερὰ καταφεύγοντας μεταιτεῖν τροφήν· παμπόλλων δὲ ἀνθρώπων νοσηλείᾳ περιπεσόντων ἀκαρπίαν ἐν τῇ Αἰγύπτῳ γενέσθαι. Βόκχορειν δὲ τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα· *Ægyptiis imperante Bocchori* POPULUM JUDÆORUM LEPRA, SCABIE, *& aliis quibuſdam morbis* INFECTUM *ad templa confugiſſe cibum mendicandi gratia. Quare cum fieret, ut multi homines morbis corriperentur : ſterilitatem in Ægypto extitiſſe. Bocchoˍ*

Unde ratio petitur calumniæ, qua Iſraëlitæ, Ægyptum egreſſi, traducti ſunt ut *leproſi*.

Locus Joſephi de hac re.

a Cap. XII. 21. b Cap. IV. 19. c Verſ. 21. d p. 1058.

Bocchorin igitur Ægyptiorem Regem, & quę ſequuntur. At præſertim tradiderunt illud Scriptores Ægyptii de *Moſe*, voluntque illum hominem fuiſſe *leproſum*, licet cæteroquin in virtutibus illius deſcribendis parci non ſint. Paulo altius igitur in Joſephi noſtri diſcurſu aſcendemus. Ita diſſerit eruditus Scriptor contra verba *Manethonis*, quę antea allegaverat; Λοιπὸν μοι πρὸς αὐτὸν περὶ Μωϋσέως· τοῦτον δὲ τὸν ἄνδρα θαυμαστὸν μὲν Αἰγύπτιοι καὶ θεῖον νομίζουσι, βούλονται δὲ προσποιεῖν αὑτοῖς μετὰ βλασφημίας ἀπιθάνου, λέγοντες, Ἡλιουπολίτην εἶναι τῶν ἐκεῖθεν ἱερέων ἕνα, διὰ τὴν λέπραν συνεξεληλασμένον· *Reſtat contra ipſum diſceptem de Moſe. Mirabilem equidem & Divinum fuiſſe hunc hominem exiſtimant Ægyptii, ſibi tamen illum vindicare ſtudent incredibili Blaſphemia, dicentes: Heliopolitanum ipſum fuiſſe, & quidem ex Sacerdotibus ejuſdem loci unum*, PROPTER LEPRAM *una cum aliis pulſum.* Largiar Joſepho, Hiſtoriographos Ægyptios, cum antiquiſſimas illas res omnes perſpectas non haberent, & gentis ſuæ, hoc eſt Ægyptiæ gloriam deprædicare vellent, quædam hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſe vel ex conjectura vel fama illius temporis, quę dubio procul in Judæorum contemptum multa ſpargebat, fidei veritatis contraria: aſt ex malitia fabulam hanc totam confictam ab iis eſſe non opinor. Facilius crediderim, ipſos in monumentis antiqui temporis omnino quædam legiſſe de *Moſe* & *Populo Judæo leproſo*, ex quibus occaſio iis nata eſt hanc calumniam fingendi & ſpargendi. Si Moſes coram Pharaone *manum* ſuam exhibuerit *lepra infectam:* ut ipſa Sacra Hiſtoria narrat: quam facile inde ſpargi potuit rumor & ad Moſis invidiam confictum mendacium, *Moſen* vere fuiſſe *leproſum*? Id haud dubie in vetuſtis commentariis ita perſcriptum eſt, & poſteriorum temporum Hiſtoriographi fidei poſteritatis ad Judæorum invidiam commiſerunt. Quando autem deinceps copiam habuerunt inſpiciendæ ipſius Moſis hiſtoriæ: plurimas in *Levitico* offenderunt Leges de *Lepra* & *Leproſis*. quod ipſum fecit ut in errore, quem ex traditione imbiberant, magis ſint confirmati. Imo extant etiam alia apud Moſen verba, quę in materiam & argumentum hujus calumniæ trahi potuerunt; ut nempe eſt hæc pars Orationis Dei ad Populum [a]: כל המחלה אשר שמתי במצרים לא אשים עליך כי אני יהוה רפאך *Omni mor-*

Præſertim vero Moſes eorum Dux & Imperator.

Verba Joſephi.

Videtur enim probabile, aliquid fuiſſe ejuſmodi in hiſtoria hujus Populi, quod *calumniæ* dederit occaſionem.

In quem finem producitur quoque locus *Exod.* xv. 26.

a Cap. xv. 26.

morbo, quo affeci Ægyptum, non afficiam te, nam ego Jehova ſum SANATOR TUUS. Et quis neget, in Populo, dudum multis malis vexato & afflicto, multos fuiſſe, ulceribus, lepra, & ſcabie, quod morbi genus inſolens non erat Ægyptiis, infectos?

Locus 2 *Sam.* 1. 18. illuſtrandus ſumitur. Tremellii, & Belgarum Verſio.

V. 2 Sam. 1. 18. הצבי ישראל על במותיך חלל Jun. & Tremellius. *O decus Iſraëlis, in excelſis tuis confoſſi.* Belgæ: **O cieraedt Iſraels / op uwe hooghten is hy verſlagen.** Imitati dubio procul Interpretes Hebræos, qui illud ה acceperunt, ut הקריאה/ hoc eſt, vocativum. At quam quæſo ob rationem verba hæc, tranſpoſitu certe quam facillima, obſcura fecerunt? Neceſſe enim eſt, ut, qui hanc admittit verſionem, plurimis ſe faceſſat difficultatibus, quarum movendarum nulla eſt occaſio, ſi hæc verba plane accipias, ut jacent. Non eſt tamen in obſcu-

Cujus oſtenduntur incommoda.

ro, quid celebres Interpretes eo duxerit. Scilicet voci במותיך adjunctum eſt *affixum ſecundæ perſonæ:* quam *Perſonam* putarunt demonſtrari non poſſe niſi in figurata denominatione צבי ישראל *Decus Iſraëlis.* Quo admiſſo principio, omnino neceſſe erat, ut τὸ צבי ישראל in *Vocativo* ab ipſis acciperetur. Sed commodius longe hæc pericopa vertitur & exponitur, noſtro quidem judicio, ſi illud *affixum ſecundæ Perſonæ* referatur ad rem, mente quidem Vatis conceptam, ſed verbis non expreſſam: *Montanum* nempe *Gilboæ*, in quo commiſſum erat prœlium, & Saul ac

Alia producitur interpretatio.

Jonathan occubuerant. Liceat itaque ſic concipere loci ſententiam: ORNAMENTUM ILLUD ISRAELIS *in excelſis tuis proſtratum eſt.* Belgice: **Die cieraed van Iſrael is op uwe hoogten verſlagen.** Plene: O montanum Gilboæ! *Ornamentum illud Iſraelis in excelſis tuis proſtratum eſt.* **O geberchte van Gilboa / die cieraedt van Iſrael (Saul ende Jonathan) is op uwe hoogten verſlagen.**

Et confirmatur ex more Poëtarum, ſubjectum orationis, quod notum eſſe ſupponitur, elegantiæ cauſſa reticendi:

Scilicet ſciendum eſt, (in eo enim cardo rei vertitur:) Davidem Regem hoc ſuum lamentum maxima cum elegantia ex abrupto exordiri, quippe qui pro more eorum, qui ſumma affecti ſunt triſtitia, meditationes ſuas defixerat tam in Perſonis, quę ceciderant, quam in loco, in quo occubuerant, nullam tamen vel Perſonarum vel loci facit mentionem, quia utrumque notiſſimum iis erat, coram quibus hi threni erant recitandi.

Qui illuſtratur ex exemplo

Liceat id illuſtrare ex exemplo non diſſimili, quod occurrit in

Euan-

Euangelio Joannis[a]. Maria, piiſſima mulier, cujus animum caſtus Chriſti amor occupaverat, cum Chriſtum in ſepulcro, in quo repoſitum eum ſciebat, non reperiret, graviſſime doluit. Cum autem in loco illo oberraret, ipſe Chriſtus illi apparuit, ſed ignotus: quem illa mœſta & dolore ſupra modum afflicta hortulanum eſſe arbitrata, abſque ulla præfatione in hæc erumpit verba: Κύριε, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν εἰπέ μοι ποῦ αὐτὸν ἔθηκας, κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ: *Domine, ſi tu ipſum aſportaveris, dicito mihi, ubi poſueris eum.* Mulier dolore plena oculos mentis ſuæ in certam Perſonam & locum defixos habens, neutrius tamen meminit: ſupponens nempe, quod in graviſſimis doloribus ſupponitur, cauſſas doloris & mœſtitiæ omnibus patere; neminem latere poſſe.

historico Joh. xx 15.

Idem pulcre obſervatur in Pſ. LXXXVII. 1. Auctor Cantici ibi intendit deſcribere præſtantiam Civitatis Hieroſolymæ ſpiritualis. Quaſi vero admiratione illius objecti totus fuiſſet extra ſe raptus, Pſalmum ſuum ex abrupto ita exorditur: יסודתו בהררי קדש *Fundatio* EJUS *eſt in montibus ſanctitatis.* *Cujus* obſecro, *fundatio? Tſionis*, ut ex ſequentibus liquet. Neque tamen Vates in initio ullam *Tſionis* mentionem facit, ut raptum animi ſui ſignificaret: quod in carminibus, quę in laudem notiſſimarum Perſonarum aut Rerum panguntur, maximæ eſt elegantiæ.

Et alio plane ſimili ex Pſ. LXXXVII. 1.

Davidem autem hic meditationibus ſuis intentum fuiſſe *Montano Gilboa*, liquere poteſt ex ℣ſ. 21. הרי הגלבע אל טל ואל מטר עליכם O MONTES GILBOÆ, *nec ros nec pluvia ſuper vos!* Ubi rurſum locutio defectiva eſt, & vocabulum יפול per lamenta & ſuſpiria abſorbetur; quod pariter ad carminis hujus elegantiam pertinet.

Refertur etiam huc verſ. 21. & exponitur.

Neque eſt, quod quem offendat, in poſteriori hoc loco ſcriptum eſſe הרי הגלבע *Montes Gilboa* in *Numero Plurali*, quia quod hic dicitur הרי הגלבע *Montes Gilboa*, exponendum eſt per *montanum Gilboa*. Het gebergte van Gilboa. Patet id ex hiſtoria, quæ de eo ita habet[b]: *Factum autem eſt poſtridie, ut cum venirent Philiſchtæi ad exuendum proſtratos, repererint Saulem & tres Filios ejus* נופלים בהר הגלבע *proſtratos* IN MONTE (montano) GILBOÆ. ubi ipſi Belgæ τὸ הר vertunt per gebergte. Conferantur inſuper verba prorſus παράλληλα ex ℣ſ. 26. quæ noſtram hanc interpretationem valide adſtruunt: *Quomodo*

Removetur difficultas, quæ interpretationi huic objici poſſet.

a Cap. xx. 15. b 1 Sam. xxx. 8.

modo ceciderunt fortes in medio belli! Jonathan in excelſis tuis proſtratus eſt. יהונתן על במותיך חלל/ ubi rurſus τὸ יהונתן habet accentum Sakeph, eundem qui erat in צבי ישראל.

Caput II.

Duo expenduntur dicta S. Scripturæ, 2 *Sam.* VI. 2. *Pſ.* XXII. 17. *In quorum* altero non exigua *tollitur difficultas, quam lectio textus Hebræi cuique parit ad eam attendenti; In* alterius *autem expoſitione ratio redditur, cur* כארי *in lectione vulgata textus hebræi legatur pro* כרים: *qua occaſione comprobatur, literas* אוי *Hebræis Veteribus inſerviiſſe loco* punctorum vocalium, *poſtea adinventorum.*

Tentatur locus 2 *Sam.* VI. 2. ubi repetitur vox שם. Verſio Jun. & Trem. Belgarum.

2 SAm. VI. 2. *Et ſurrexit, & progreſſus eſt David & omnis populus, qui cum ipſo erat ex Baal Juda, ut inde adducerent Arcam Dei:* את ארון האלהים אשר נקרא שם שם יהוה צבאות יושב הכרובים עליו Jun. & Trem. AD QUAM *invocatur* NOMEN, NOMEN *Jehovæ Exercituum inſidentis Cherubim.* Primo intuitu ſpecioſe. Belgæ tamen aliquanto aliter & rectius, quia τὸ עליו reduxerunt ad יושב & non ad אשר נקרא. **Om van daer opte brengen de Arcke Godes/ by de welcke de naeme wordt aengeroepen/ de naem des Heeren der Heyrſcharen/ die daer op woont tuſſchen de Cherubim.** *apud quam invocatur Nomen, Nomen Jehovæ Domini Exercituum,* qui SUPER EA (עליו) *habitat inter Cherubinos.* Utraque Verſio ſenſum parit commodum, ſed hebraiſmo non ſatisfacit. Verba enim אשר נקרא שם non poſſunt tranſponi: *Apud quam invocatur nomen:* **By de welke de naeme wort aengeroepen:** ſed tranſponi neceſſario debent. *Quæ appellatur nomen.* **De welcke genoemt wordt de naeme.** Inter quę non eſt exigua differentia.

Quæ demonſtrantur non ſatisfacere Hebraiſmo.

Ludovici de Dieu conſiderationes ad h. l.

Ludovicus de Dieu, qui Linguæ Hebrææ genium optime intellexit, heic quidem loci non ſpernendum probavit acumen, ſed tamen quod verum eſt aſſecutus non videtur. Primo Junium laudat, quod ille τὸ עליו/ quod in ultima parte verſus eſt, retulerit ad אשר: ſententia ſic concepta: *Super quo invocatur:*

vel:

vel: *Ad quam invocatur.* Videtur enim tum & ſpecioſus ſenſus eſſe, & ſatisfactum plane huic loco. Sed ſi rem diligentius conſideres, deprehendes adverſam eſſe hanc expoſitionem conſtructioni vocum, & genio Linguæ. Si enim τὸ עליו pertineret ad אשר / an non deberet ſcriptum eſſe אשר נקרא עליו? Cur illud עליו demum reperiretur in *fine verſus* poſt alias voces in oratione interpoſitas? An non *affixa relativa* referenda ſunt ad immediate præcedentia nomina, ſi nihil obſtet? Accedit, quod φράσις אשר נקרא עליו שם aliud plane ſignificet apud Hebræos. Conſulamus unicum locum παράλληλον & manifeſta res evadet. Hæc verba leguntur in *Quinto* Moſis *Libro* [a]: וראו כל עמי הארץ כי שם יהוה נקרא עליך ויראו ממך *Et videbunt omnes populi terræ, quod* NOMEN JEHOVÆ VOCETUR (male *invocetur:*) SUPER TE *& timebunt à te.* Id eſt, videbunt omnes populi, quod vos ſitis *populus Dei*, *Filii Dei*, quod *à Deo denominemini*; quod Deus *Parens*, Tutor, Conſervator veſter ſit. Belgæ Interpretes optime in margine: **Dat ghy nae den naeme des Heeren genaemt ſijt.** Atque jubent comparationem inſtitui inter hunc locum & alium, qui eſt lib. I. cap. XLVIII. 6. 16. Sic itaque eſſent vertenda verba hujus ſententiæ, quam nunc premimus: *Quæ denominatur* à Jehova, *Domino Exercituum.* quod ſenſum fundit tenuem & exilem. *Arca* quidem à Deo denominata fuit, quatenus dicta eſt *Arca Dei:* ſed Templum quoque, & omnia Templi Inſtrumenta ſacra dicta ſunt *Dei*, & *Jehovæ*, & ab ipſo *denominata* ſunt. *Nomen* Dei ſuper iis hoc ſenſu *vocatum*, non *invocatum* eſt. Hic autem peculiare quid & ἐξόχως de *Arca* prædicatur. Aliam itaque Cl. de Dieu produxit interpretationem: ſed forte præcedentibus non meliorem. Ita habet: Ut inde adducerent *Arcam* Dei, qui *vocatur Nomen*, *Nomen Jehovæ Exercituum ſedentis in Cherubim ſupra eam.* Sed ſi concederem ego, *Deum* appellari *Nomen*, (quod tamen non concedo, ſed à Judæis ex locis quibuſdam Sanctæ Scripturæ male acceptis fictum arbitror:) an tolerabilis eſt oratio, *Deum* appellari *nomen Jehovæ Exercituum?* An *Deus* poteſt appellari *nomen Dei?* Num Joannes poteſt appellari nomen Joannis? Mihi igitur (ut ſententiam libere eloquar:) omnino videtur, in mendo cubare hunc locum non

quoad

Quarum prima refellitur.

Phraſis Hebræa נקרא cum עלי quid ſignificet? Illuſtratur locus Deut. XXVIII. 10.

Alia Cl. Viri meditatio, nec tamen ipſa quoque expeditur.

a Cap. XXVIII. 10.

quoad literas, ſed *puncta*, & poſſe exigua mutatione lectionis illi ſuccurri. Bis hic occurrit vocabulum שֵׁם; pro quo ſi legas שָׁם, ubi in hoc commate prius occurrit, omnia plana erunt & facilia. Sic igitur convertes locum: *Ut inde adducerent Arcam Dei*, UBI (Hebraiſmus: AD QUAM) *invocatur Nomen Jehovæ Exercituum*, *qui ſuper ipſam habitat inter Cherubim*. Belg: Om van daer op te brengen de Arke Godes / daer (by de welcke) aengeroepen word de Naem des Heeren der Heyrſcharen.

Juvatur tandem hic locus mutata lectione alterius שֵׁם in שָׁם.

Quod inſtitutum hic modeſte defenditur.

II. Sic ſcripſi olim, neque muto ſententiam. Verum enim adeo clare hic pellucet, ut vix poſſit magis. Lxx Interpretes non legerunt in hoc textu vocem שם ſignificatu *Nominis*, niſi ſemel. quod noſtræ interpretationi conſonum eſt. Apud Cappellum tamen in *Critica ſacra* nihil notatum repperi. Hoc unum forte ſolicitam habere poſſet mentem Divini Verbi ſtudioſam, an auſus non ſit nimis temerarius in conſtantem Lectionem Codicis Sacri interpoſita κρίσει mutationem inducere? Quid dicam? Verbum Dei reverenter tractandum eſt, neque occaſio danda eſt impiis & blaſphemis hominibus ſpem fidemque noſtram irridendi. Quem in finem viſum eſt prudentibus veritatis amatoribus ſatius eſſe ad difficiliora loca ἐπέχειν, quam temere aliquid in ſacris audere. Neque ſane mea ſententia ab hac admodum differt. Improbo enim, ſi quiſquam, omnes quaſcunque ad Sacri Codicis receptam lectionem conjecturas, ſive variantibus lectionibus textus Samaritani aut Lxx Interpretum, ſive rationibus quibuſcunque aliis levioribus ſubnixas, ad quas extrema deſperatio nos non ducit. Non eſt dubitandum, quin Doctiſſimus Cappellus in *Critica Sacra*, ſuavitate operis allectus & incenſus, κρίσει ſuæ plus indulſerit, quam utile, quam neceſſe, imo quam par erat. Hoc tamen lubenter expendendum velim dare non piis tantum, ſed & Doctis Scripturarum Interpretibus, an, ſi in narratione hiſtorica occurrat ſcrupulus, qui ſervata ordinaria lectione, quocunque etiam modo res tentetur, tolli nequit, ſed contra quam facillime tollitur, ſi unius puncti mutatio fiat ſecundum genium Linguæ Hebrææ; in extrema hac neceſſitate non liceat opinari, lectionem incuria hominum eſſe corruptam, & illi admovere medicinam? Si liceat; exiſtimo, nos recte divinaſſe. Si non licere Docti arbi-

Et diſputatur de limitibus libertatis circa emendandas affectas S. Scripturæ lectiones.

arbitrentur; non intercedo, quo minus quæ hic ſcripſi inducantur.

III. Pſal. xxii. 17. כי סבבוני כלבים עדת מרעים הקיפוני כארי ידי ורגלי Mirum profecto eſt, tot celebres atque eruditos Viros in vera ratione famoſiſſimi illius vocabuli כארי reddenda hæſiſſe, antequam digniſſimo commentario illud illuſtrarunt Eduardus Pocockius [a] & Jacobus Altingius [b]. Eorum ſententia eſt, τὸ כארי eſſe participium præſens in Kal ex inuſitato כור / & ſcriptum eſſe כארי pro כארים / ut aliis etiam plurimis in vocabulis factum eſt. At licet erudite & copioſe omnia illa ſua exequuti ſint Viri Doctiſſimi, in mentem tamen ipſis non venit inquirere in rationem, qua factum, ut ultima Litera ם omiſſa ſit, & litera א inſerta inter τὸ כ & ר. Quod itaque nos operæ pretium duximus tentare.

Ad vocem כארי in Pſ. xxii 17. quædam monentur.

IV. Puncta illa Vocalia, quę hodie ſub literis hebræis formæ quadratæ ſignata videmus, eam ob cauſam à Judæis diligentioribus adinventa ſunt, ut vera legendæ S. Scripturæ ratio conſervaretur, & ad poſteritatem tranſmitteretur. Illi enim, cum deſtructum viderent Templum, commune quaſi gentis ſuæ Aſylum; in fumum iviſſe ſpes novas, quas in Ægypto ſub Trajano, & in Canaanæa ſub Hadriano, de Republica ſua inſtauranda conceperant; ſacra frigere; Scripturæ ſtudium negligi, atque inde graviora etiam ſibi metuerent mala: omni ſtudio & induſtria in id incubuerunt, ut Scriptura Sacra illibata conſervaretur & à poſteris ſuis ſecundum traditionem majorem legeretur. Tanta enim rationum evidentia id adſtructum eſt à præſtantiſſimis ſæculi noſtri Viris, ut vel ignorantiam vel contumaciam prodat, quiſquis ille etiam ſit, qui contrarium opinetur. Cum tamen Vocales reliquis literis ſonum dent, ac proin ad enunciationem ſyllabarum prorſus ſint neceſſariæ; tum etiam vix abeſſe poſſint in ſcriptura: putari nequit, Hebræos Vetuſtiores nullis prorſus in ſcriptione uſos eſſe Vocalibus. Rabbini, ut ſatis notum eſt, literis אוי nunc utuntur loco Vocalium, & ſcribentes in hunc modum facile intelliguntur. Eædem illæ literæ, ut dudum à magnis Viris Scaligero, Druſio, Bochar-

Ubi inquiritur in rationem ſuperfluæ literæ א, & neglectæ ם in hac voce.

Quæ arceſſitur à more ſcribendi abſque punctis vocalibus, olim Hebræis recepto.

Quando literæ אוי iis inſervierunt pro vocalibus.

a In Porta Moſis Cap. iv. b Diſſertatione Philologica V. de Integritate vocis כארי.

Bocharto, Morino, aliiſque obſervatum eſt, hunc uſum habuerunt apud Veteres. Punctis enim Vocalibus additis, Literæ illæ nunc ſæpiſſime in vocibus prorſus otiantur. Liceat itaque ſupponere, Vetuſtiores Hebræos vulgares ſaltem ſuos Codices eo prorſus modo ſcripſiſſe, quo hodie ſuos conſignare conſueverunt Rabbini, hoc eſt, quod literis אוי uſi fuerint loco vocalium; ſic ut א vocalem α & ε, ו ο & υ, & י denique τὸ ι expreſſerit: Cum autem poſtea puncta vocalia ſubſtituerentur, utpote quę longe certiora & evidentiora ſunt veræ lectionis indicia, factum eſſe, ut literæ hæ אוי paſſim ex vocabulis, ut non neceſſariæ & ſupervacaneæ, ſublatæ ſint; id tamen, (in quo nulla eſt difficultas, quantum video:) non tam factum eſſe diligenter & accurate, ut non quædam remanſerint veſtigia, ex quibus id factum fuiſſe hodie à nobis quam evidentiſſime probari poſſit. Quę cum vera animi noſtri ſententia ſit, pauciſſimis quibuſdam exemplis illuſtranda eſt.

Quæ cum dein ſupervacaneæ erant, exemptæ ſunt.

V. Notemus igitur locum, qui eſt apud Hoſeam [a]: וְקָאם שאון בעמיך Obſervamus heic, participium præſens à קום ſcriptum eſſe קָאם / quod debebat ſcriptum eſſe קָם. Quænam, quæſo, hujus ſcriptionis ratio? Nulla certe alia præter eam, quam modo dedimus: quod videlicet Veteres, cum puncta vocalia adinventa nondum eſſent, literam א uſurparint in Bibliis pro vocali *Kamets*, atque ita ſcripſerint קאם / quod nos קָם quam literam א per primos Punctationis Auctores heic per incuriam relictam tollere poſteriores non ſuſtinuerunt. Similis ratio eſt otiantis literæ א in vocibus [b] ראמה pro רָמָה & ראמות pro רָמוֹת / & השאטים & השאטות pro הַשָּׁטִים & הַשָּׁטוֹת / quę exempla notata quidem ab his Auctoribus; etiam à doctiſſimo Fullero [c] ſunt frequentia ſatis, licet rationem hanc non adjecerint. Addam ego ex plurimis aliis, à me obſervatis, quod apud *Amoſum* [d] legitur, duplice loco: השאפים על עפר ארץ בראש דלים / & השאפים אביון / ubi הַשָּׁאֲפִים debet accipi, acſi שאפים occurreret abſque ullis adjectis punctis; quod שאפים / ſi puncta adderes, eſſet שָׁפִים ex שוף / quod *conculcandi*, *conterendi* gaudet ſignificatu; in Participio præſenti שָׁף / quod Veteres ſcripſerunt שאף.

Sic tamen ut ſuperſint veſtigia Scripturæ antiquæ, cujus proferuntur exempla.

Non

a Cap. x. 14. b Ezech. xxviii. 24. c Miſcel. Lib. iii. Cap. xii. Cap. ii. 7. d Cap. viii. 4.

Non diſpar colligi poteſt argumentum ex voce יככה [a]/ quę occurrit apud Moſen. Conſtat equidem, ſecundum hodiernam ſcriptionem legendum fuiſſe יַכְּךָ/ ſed cum ſacer Codex ſcriptus fuerit abſque punctis vocalibus, non videtur eſſe dubium, quin affixum ך expreſſum ſit plerumque per integrum כה/ quemadmodum in hoc loco videre eſt. Etſi enim hodie genus Rabbinorum non ſoleat affixum hoc ſecundæ perſonæ ſingularis numeri deſignare, niſi per ſimplicem literam *Caph finalem:* negari tamen nequit, hanc ſcriptionem eſſe imperfectam, quia vocalis tota in ſcriptione reticetur, abſque qua tamen dictio enunciari non poteſt. Atque illa eadem ratio eſt ſcriptionis primæ Syllabæ כארי צד/ in cujus expoſitione verſamur. Eſt enim illud ab inuſitata radice כור/ quę vox in participio nunc ſcribitur כָּר/ Veteribus vero ſcribebatur כאר/ quia א reſpondebat vocali Kamets, quæ remanſit hoc in vocabulo, ut in plurimis aliis.

In quibus etiam comparet vox יככה, apud Moſen.

Quæ applicantur ad rem præſentem.

VI. Sed alia inſuper in hac voce difficultas eſt. Scribitur illa in hodiernis Codicibus כארי/ cum tamen, obſervante Altingio, ſcriptum deberet eſſe כארים. Adduxit exempla ſimilia multa, in quibus litera ם finalis, pluralium maſculini generis nota, deſideratur: ſed rationem hujus ſcriptionis adjeçit nullam. Nos id facile ex iiſdem præſtabimus principiis. Conſtat, Rabbinos in familiari ſcriptione finales literas ם aut ן in *pluralibus maſculini* & *fœminini generis* ſemper fere omittere, & illius abſentiæ indicium facere per *virgulam aliquam* voci obverſam. Ita ארונים ſcribunt ארוני׳/ & בגדים omiſſa litera ם per בגרי׳. Ponamus itaque, in ſcriptione textus hebræi literam ם finalem pariter compendii ergo ſæpe omiſſam eſſe ab iis, qui textum deſcribebant, & per *lineolam transverſam* compenſatam, ut in familiari ſcriptione accidebat. Quæ *lineola* cum procedente tempore in quibuſdam vocabulis deſiderata fuerit: non videntur illi, qui textum Scripturæ ſerio recollegerunt, ubi puncta vocalia textui ſunt addita, tantum ſibi ſumere voluiſſe libertatis & audaciæ, ut illum defectum ſupplerent. Judæi enim ea fuerunt erga ſacrum Codicem religione, ut, ubi manifeſtum in lectione mendum occurrebat, privati tamen id minime auſi ſint emendare, ſed vitium, in textu relictum, notaverint in margine appoſita lectione

Similis ratio redditur neglectæ literæ ם *finalis.*

Quippe quæ ſcribendi ratio recepta adhuc eſt Rabbinis.

Ubi aliqua adſperguntur de inſtituto Criticorum Hebræorum in recenſenda Scriptura.

a Deut. XXVIII. 22.

ctione genuina: quod non veremur dicere ſummæ prudentiæ, & ad integritatem Scripturæ conſervandam non minus quam pravas omnes ſuſpiciones de ipſorum labore præveniendas removendaſque, utiliſſimum fuiſſe opus. Sic, inquam, factum eſſe potuit, ut litera ם finalis non tantum in hac voce כארי / ſed & in perpluribus aliis omiſſa ſit. Sic שלישי occurrit pro שלישים / & צירני pro צירנים / & עמי pro עמים / quæ voces ſignatæ fuerunt Veteribus שלישי' / צרני' / עמי'. Quod vero literæ אוי' in ipſis Codicibus Hebræis olim uſurpatæ fuerint loco vocalium, quæ prima fuit noſtræ aſſeverationis pars: certum eſt, ante nos dudum à Viris Doctis obſervatum eſſe. En Druſium idem omnino ſcribentem non tantum de eadem re, ſed & ad idem vocabulum[a]: *Primum Aleph indicem vocalis* (א) (loquitur de voce כארי) *cum puncta abeſſent retinuerunt, quæ tamen punctis additis omitti debuit.* Ad finem commodiora etiam ſecundum ſuam mentem exempla profert, פאריר / כאביר / נאשאר / valde ad rem præſentem facientia. Conſentit, quod alibi de litera ע ſcribit[b].

Caput III.

Quinque loca, quæ in Vaticiniis Jeſaiæ *reperiuntur,* Cap. VII. 6. & 9. XII. 3. XIV. 4. & 8. *diſtincte enarrantur, explicantur, & illuſtrantur, verſionibus aliorum modeſte collatis.*

Locus Jeſ. VII. 6. producitur. Verſiones Jun. & Tremel. & Belgarum. Ut & Cocceji.

JEſaiæ Cap. VII. 6. נעלה ביהודה ונקיצנה ונבקענה אלינו Jun. & Trem. *Adſcendamus contra Judæam, ut fatigemus eam, & diſſectam adjungamus eam nobis.* Belgæ: **Laet ons optrecken tegen Juda / ende haer verdriet aendoen / ende haer onder ons deylen.** Coccejus eodem modo: *Aſcendamus in Judam, & tædio eam afficiamus, & findamus eam ad nos.* Non ſunt equidem Verſiones hæ incommodæ adeo, ut à nobis neceſſario debeant emendari, nec tamen adeo etiam accuratæ, ut emendari nequeant. Nos omnino opinamur, τὸ נקיצנה / quod in his verbis extat, aliter accipi debere, ac factum eſt ab Interpretibus

a Quæſt. Hebræarum Lib. I. Cap. I. b Quæſt. Hebræar. Lib. III. Cap. LXXXIII.

bus hujus loci. Quod ut manifeſtum evadat, notari velim, ſignificatum vocis הקיץ / quem Interpretes illi *hoc* in *commate* affingunt, plane formatum eſſe juxta ipſorum placita, neque ullibi in univerſa Scriptura Sacra uſu venire. הקיץ conſtanter ſignificat *expergiſci*, *evigilare*. Exemplum contrarium, ni fallor, non extat. Dein, facile eſt videre, ſignificatum, quem Interpretes *voci* illi hoc in loco tribuunt, non ſatis emphatice exprimere conſilia, quę hoſtes adverſus Canaanæam agitabant. Neque enim hoſtium horum animus modo erat *tædio afficere* terram Judaicam, ſed eam occupare, ſpoliare, Regnum Achazo eripere, & vim omnem hoſtilem adverſus eam exercere. Quibus accedit, nullam analogiam eſſe inter hanc φρασιολογίαν & immediate ſequentem, hoc eſt, inter τὸ *tædio afficere* & *diffindere*. Sunt enim hæc longe diverſiſſima. Exiſtimavi igitur, vocabulum hoc נקיצה ad aliam radicem reducendum eſſe. Obvenit autem ſponte radix קצץ / quę huic voci valde affinis eſt, & conſtanter apud Hebræos notat *amputare*, *abſcindere*, ἀποκόπτειν, ut verſa eſt ἀπὸ τῶν ό. Habet autem hæc ſententia unicam, ſed hanc non magnam difficultatem, quod tunc ſcriptum debuiſſet eſſe נקצנה abſque litera י / & punctatum נְקִצֶּנָה. Sed nullius fere ponderis hæc objectio eſt, ſiquidem litera י quieſcens in Chireck plane reſpondeat puncto *Tſere*. Præterquam quod exempla dentur, ex quibus liquet, literam י etiam in ſimilibus vocabulis, quę geminatam habent radicalem ſecundam, reperiri in hac eadem forma τῶ Hiphil. Sis, conſule *quartum* Moſis *Librum* [a], ubi τὸ נשים eſt pro נשם. Cauſa inſertæ hujus literæ י in his vocibus alia non eſt, quam præcedentem ad obſervationem dedimus. Veteres enim Judæi vocabula geminatæ radicalis ſecundæ, cum punctis deſtituerentur, non potuerunt in Hiphil commodius exprimere, quam per inſertam Literam י / quippe quæ multo magis cum natura & genuina pronunciatione τῶ *Tſeri* convenit, quam litera א. Verte itaque verba ſi placet: *Adſcendamus in Judæam*, *&* *abſcindamus* (amputemus) *eam*, *& findamus eam ad nos*. Belgice: **Laet ons optrecken tegen Juda / ende haer afſnijden / ende haer ons in ſtucken toedeylen.**

Adverſus quas aliquæ inferuntur difficultates.

Quare alia tentatur expoſitio voce נקיצה deducta à קצץ.

Et Verſio.

a Cap. XXI. 30.

Quæ Verſio & expoſitio defenditur ex analogia Orationis, & parallelia phraſium ſimilium.

II. Videt quiſque, hac admiſſa interpretatione loco huic ſuam conſtare emphaſin & elegantiam, & duas illas voces, quibus hoſtium conſilia adverſus Judæos exprimuntur, quam amiciſſime inter ſe convenire. Primo enim animus hoſtium erat *amputare* & *abſcindere* Jehudam, & dein *abſciſſam diffindere*, atque inter ſe dividere. Nec eſt illa phraſis inſolens in ſacro Codice. Adſcribo locum, qui eſt in Vaticinio ſequente [a]: ויכרת יהוה מישראל ראש וזנב כפה ואגמון יום אחד: *Et* EXSCINDET *Jehova ex Iſraële caput & caudam, ramum & juncum, die eodem.* Novimus enim ex lectione Scripturæ, Iſraëliticam gentem quandoque cum *arbore*, aliquando cum *vinea*, alio rurſum in loco cum *horto* comparari: quibus ſubjectis omnibus τὸ *abſcindere, exſcindere*, ἀποκόπτειν commode applices. Alius non diſſimilis locus eſt in *Poſteriore* Libro *Regum* [b]: בימים ההם החל יהוה לקצות בישראל *Diebus illis incepit Dominus* AMPUTARE *in Iſraële.* LXX. συγκόπτειν. Belgæ: **af te kortten/** ſed in margine habent: **af te ſnijden.** Meo judicio, phraſis, לקצות בישראל/ non incovenienter redderetur: **Iſrael te beſnoeyen.** Vox autem קצה à ſignificatione τȣ̃ קצץ parum omnino differt.

Alterius loci Jeſ. VII. 9. Verſiones aliorum proferuntur, & nova additur.

III. Jeſ. VII: 9. אם לא תאמינו כי לא תאמנו Jun. & Trem. *An non creditis? quod non confirmamini.* Belgæ: **Indien ghy lieden niet en gelooft / ſekerlijck ghy en ſult niet beveſtight worden.** Coccejus: *Etſi non creditis, quia non permanebitis.* Nulla harum verſionum ſpernenda eſt. Addamus tamen, verba hæc ita quoque poſſe verti: *Certe non creditis, quia non eſtis confirmati.* **Seeckerlijck ghy en gelooft niet/ om dat ghy niet beveſtight zijt.** Sumitur enim vocula אם quandoque ut nota adſeverationis pro *certe, ſane*, in Codice Veteris Inſtrumenti. Memini me id non ſemel obſervare apud Ludovicum de Dieu. Adjiciam unum atque alterum documentum. Ita eſt apud *Jeremiam* [c]: הבן יקיר לי אפרים אם ילד שעשעים *An Filius pretioſus mihi eſt Ephraim?* CERTE *natus oblectationum.* Similiter in Pſalmis [d]: אם תקטל יהוה רשע CERTE *occides Domine impium.* Atque idem docetur à Kimchio in libro *Radicum*, qui plurima adjicit exempla alia: licet non ignoremus, eſſe Doctiſſimos Viros, qui diſſentiant. Dubitari autem nequit, quin verba hac ratione accepta ſenſum faci-

Ubi obſervatur, voculam אם aliquando habere *aſſeverandi* ſignificatum.

a Cap. IX. 14. b Cap. X. 32. c Cap. XXXI. 20. d CXXXIX. 18.

Quæ Verſio defenditur ex circumſtantiis & contextu Orationis.

facilem fundant & commodum. Nimirum duo Reges, Syriæ & Iſraëlis, junctis viribus decreverant non oppugnare modo terram Jehudæ, ſed Hieroſolymam quoque expugnare, ſibi eam vindicare, & *Achazum* regno ſuo ſpoliare. Et certe, ſi externa Jehudæ atque regni totius conditio conſideraretur: omnino videbatur eventus ſententiæ hoſtium reſponſurus. Erant enim Judæi eo tempore in ſtatu tenuiſſimo & afflictiſſimo. At Jeſaias Vates extraordinarius à Deo ad ipſos nuncius mittitur, qui vice Dei Achazo Regi & univerſo populo certiſſimam victoriæ & conſervationis ſpem faceret. Cui ſalutis nuncio inopinato fidem vix habuerunt Judæi, tenuitatis rerum ſuarum & debilitatis Regni ſibi conſcii. Perſpexit hoc Propheta Jeſaias, atque ideo, cum vaticinium hoc ſuum retuliſſet, dixit: *Certe non creditis, quia non eſtis confirmati.* Hoc eſt: *Licet ego norim, gratiſſimum vobis hunc meum accidere nuncium, poſſum tamen facile ex veſtro de præſentium rerum conſtitutione judicio intelligere, quod huic meo vaticinio fidem non habeatis, quia regni debilitatem atque veſtram impotentiam conſideratis: Attamen, ut pleniſſimam habeatis miſſionis meæ πληροφορίαν, eja Achaz Rex, ſignum à Deo pete vice totius populi, ne vel minimus vobis ſcrupulus atque dubitandi anſa ſuperſit.* Quam ego παράφρασιν omnibus aliis faciliorem judico.

Paraphraſis loci.

Et tentatur tamen locus alio etiam modo.

Si vero durius paulo videtur, voculam אם in loquutione familiari ſignificatu minus frequenti accipere: vide an magis placeat hæc tranſpoſitio: *Si non creditis, inde id eſt, quod non ſitis confirmati.* **Indien gy lieden niet en gelooft/ het komt daer van daen/ dat gy niet beveſtigt zyt.** Conferatur locus parallelus, ex quo poteſtas phraſium, quæ hic occurrunt, facile poteſt illuſtrari. Eſt is in Poſteriore Libro Chronicorum [a]: האמינו ביהוה אלהיכם ותאמנו האמינו בנביאיו והצליחו: *Credite in Jehovam Deum veſtrum &* CONFIRMABIMINI; *Credite in Prophetas ejus, &* PROSPERE AGITE. ubi τὸ תאמנו omnino videtur exponendum eſſe de *confirmatione* Reipublicæ.

Ad locum Jeſ. XII. 3. Kimchii adducitur Commentarius.

IV. Jeſ. XII. 3. ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה *Et haurietis aquas cum gaudio ex fontibus ſalutis.* Juvat elegantiſſimam Kimchii παράφρασιν hujus loci Latine converſam huc adducere: ושאבתם מים בששון דרך משל כמו השואב מים מן המעין שלא יפסקו מימיו כי בבל

[a] 2 Chron. XX. 20.

בכל עת ימצא בו לשאוב כי הוא מקור תמידי כן לא תפסוק מהם חדותה והישועה ויהיו בששון כל ימיהם ויונתן תרג׳ הפסוק במשל למוד החכמה כי החכמה נמשלת למים והמלמדים הם כמו המעין והתלמידים הם השואבים וכת׳׳ ותקבלון אולפן חדת ואמר חדת לפי שאותו הלמוד יהיה חדש וכן ילמדו אז דעת את ה׳ מה שלא למד אדם עד אותו היום כמו שאמר כמים לים מכסים. Et haurietis aquas cum gaudio. Παραβολικῶς. *Sicut ſi quis aquam hauriat ex fonte, cujus aquæ non deficiunt, quoniam ex ſcaturigine inexhauſta magna aquæ copia quotidie ei affluit: ſic omnibus qualibuſcunqne beneficiis ſalutaribus ſumma cum lætitia fruentur, qui tempore Meſſiæ vivent, omnibus diebus ſuis. Verum Jonathan interpretatur hoc comma parabolice de* STUDIO SAPIENTIÆ. *Sapientia enim comparatur cum aquis. Docentes vero ſunt inſtar fontis, & diſcipuli inſtar haurientium. Ita enim παραφράζει: Et accipietis doctrinam novam. Dicit vero* חדת *novam: quia* REVERA DOCTRINA ILLA ERIT NOVA. *Ita enim tum diſcent cognoſcere Jehovam, uti nullus didicerat hominum uſque ad illum diem, prouti dixerat:* [a] *Sicut aquæ tegunt mare.* Quam dictum hoc eſt recte ab homine Judæo poſteriorum temporum! Vere enim ſub Regno Chriſti [b] *Nova lex, Nova Doctrina, Novum Nomen, Nova Beneficia* conferenda eſſent ſubditis Meſſiæ, ut multis Scripturæ locis traditur ſano ſenſu intelligendis. *Deus, quem nemo viderat, ab unigenito Dei Filio erat declarandus. Scio,* ait Samaritana [c], *Meſſiam venturum: cum venerit ille ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα.* Quod autem Paraphraſtes *Aquas* ex *Fonte* potandas, per Sapientiam à Doctoribus (& Doctorum Principe, Spiritu S.) propinandam interpretetur: an non etiam ex profanis Auctoribus illuſtrari poterit? Compara hiſtoriam, quæ eſt apud Tacitum [d]: *Adpellit* (Germanicus) *Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina illic, ut apud Delphos, ſed certis è familiis & ferme Mileto accitus Sacerdos, numerum modo conſultantium & nomina audit. Tum in ſpecum digreſſus,* HAUSTA FONTIS ARCANI AQUA, *ignarus plerumque literarum & carminum, edit reſponſa, verſibus compoſitis ſuper rebus, quas quis mente concepit. Germanico per ambages, ut mos oraculis, immaturum exitium ceciniſſe ferebantur.* & apud Ammianum Marcellinum [e] in quo

Qui laudatur & illuſtratur.

Simul adſcribuntur loca Taciti,

Et Ammiani Marcellini.

a Cap. XI. 9. b Vide Joh. XIII. 34. Apoc. V. 3. Matth. IX. 17. Joh. I. 18. c Joh. IV. 25. d Annalium Lib. II. Cap. LIV. e Lib. XXII.

quo habemus, primo quidem *Hadrianum Imperatorem*, dein *Julianum*, ex *Caſtalii fontis* aquis certiores eſſe factos de futuro Imperio: *Hæc dum ita procedunt more pacis, multorum curioſior Julianus novam conſilii viam ingreſſus eſt*, VENAS FATIDICAS *Caſtalii recludere cogitans* FONTIS, *quem obſtruxiſſe Cæſar dicitur Adrianus mole ſaxorum ingenti, veritus, ne ut ipſe præcinentibus aquis capeſſendam Rempublicam comperit, etiam alii ſimilia docerentur: ac ſtatim circumhumata corpora ſtatuit exinde transferri, eo ritu, quo Athenienſes inſulam purgaverant Delon.*

Loci Jeſ. XIV. 4. expenduntur Verſiones receptæ.

V. Jeſ. XIV. 4. ונשאת המשל הזה על מלך בבל ואמרת איך שבת נגש שבתה מרהבה: *Et pronunciabis parabolam hanc contra Regem Babelis, & dices:* Jun. & Trem. *Quomodo ceſſavit exactor, ceſſavit aurea!* Belgæ: **Hoe houdt de Drijver op? (hoe) houdt de goudene op?** Coccejus: *Quomodo deſtitit exactor, deſtitit tributum!* Quod tamen diſplicet. Jarchium ſequutus eſt Vir Doctiſſimus; cujus tamen mihi non patet ratio. Difficultas hujus loci interpretandi eſt in voce מרהבה *Aurea*. Belgæ Interpretes eam retulerunt ad Urbem *Babelem*, quod ſpendida eſſet & opibus potens.

Difficultas loci eſt in voce מרהבה *aurea*.

Bene quidem: ſi circumſtantiæ orationis huic expoſitioni faverent. Neque enim prima in parte hujus parabolæ oratio dirigitur ad Civitatem, ſed ad Regem, ejuſque auctoritatem & inſignia. Ego igitur τὸ מרהבה referre malim ad *Sceptrum*, quod Orientis Reges ex *auro* confectum habebant. Sic eſt in Libro Eſtheræ[a]: *Factum autem eſt ut Eſthera Regina animadverſa à Rege conſiſtens in Atrio gratiam conſecuta ſit in oculis ejus*, ויושט המלך לאסתר את-־שרביט הזהב אשר בירו *& porrexerit Rex Eſtheræ* SCEPTRUM AUREUM, *quod in manu ipſius erat*. Sequentia ſuccurrunt huic interpretationi.

Quæ videtur referenda ad *Sceptrum*.

Mox enim ſubjicitur: *Confregit Jehova* מטה VIRGAM *Improborum*, שבט SCEPTRUM *dominantium*. Imo ex ipſis his verbis, ſi provide expendantur, hanc Verſionem noſtram facile demonſtramus: *Quomodo ceſſat* נוגש EXACTOR! *ceſſat* AUREA! Mentio hic eſt *Exactoris*. At vero *Exactoribus* propria erant *ſceptra*, hoc eſt, *virgæ* & *baculi*. id enim τὸ שבט ſignificat. En locum apud eundem *Jeſaiam*[b]: *Nam* שבט נוגש בו VIRGAM EXACTORIS *ejus* (exigentis eum) *contriviſti*. Plena igitur ſententia hæc eſſet: איך שבת נוגש שבתה מרהבה *Quomodo ceſſat*

Vindicatur interpretatio ex contextu.

a Cap. v. 2. b Cap. IX. 4.

Exactor! ceſſat aurea! ſive; *Aureum illud.* Reſpectu habito ad שבט aut מטה. Sed elegantius τὸ מרהבה ſolum ponitur, quia *ſequenti in verſu* mox ſubjicitur: שבר יהוה מטה רשעים *Confregit Jehova Virgam improborum.*

Rurſus verba Vatis ex eadem Oratione verſ. 8.

VI. Jeſ. XIV. I. גם ברושים שמחו לך ארזי לבנון מאז שכבת לא יעלה הכורת עלינו: *Etiam abietes lætantur propter te* (ל hic *propter* ſignificat, ut & quandoque τὸ אל) *Cedri Libanon*: Belgæ: **Sint dat Gy daer nederligt / en komt niemandt tegen ons op / die ons af houwe.** Jun. & Trem. *Ex quo occubuiſti, non aſcendit ullus cæſor contra nos.* Coccejus: *Ex quo decubuiſti, non aſcendit cadens in nos.* Simili modo alii, quos inſpexi, Interpretes. Vertenda tamen ſunt verba: *Ex quo decubuiſti, nemo adſcendit cadens* (venit cæſum:) FOLIA *noſtra.*

Quorum nova proponitur verſio.

Primo velim notari, vocabulum כרת nunquam conſtrui cum vocula על / ut nota *caſus accuſativi*, quantum mihi conſtat. Vel conſtruitur abſque vel cum vulgata nota caſus Accuſativi את. Ita, כרת ברית *pepigit fædus*, proprie, ſecuit fœdus; כרת האשרה *Exſcidit lucum*, ולא תכרית את חסרך *Et non reſcindes benignitatem tuam*, hoc eſt, ſtudium tuum in me, quæque ſimilia plura ſunt.

Ubi quædam obſervantur de voce כרת, conſtructa cum על.

Accedit, כרת dure conſtrui cum על: quemadmodum Latinis eſſet: τὸ *cadere contra nos*, & Belgis: **Tegen ons af houwen.** Cum igitur & Φρασιολογία dura ſit, & nullibi uſitata in Codice ſacro: nemo cum ratione vitio mihi verterit, faciliorem quæſiviſſe loci hujus verſionem. Belgice itaque ſic concipiamus verborum horum ſententiam: **Sint dat gy daer nederligt / en komt niemandt tegen ons op / die onſe bladeren af houwe.** Nimirum familiaris uſus vocabuli עך ſignificatione *contra, adverſus, ſuper, pro, ad, cum affixo primæ perſonæ pluralis*, עלינו / fecit, ut Doctiſſimi Viri de alia illa ſignificatione vocis עלינו / quam nos illi damus, ne cogitaverint quidem.

Vox עלינו hic repetenda eſt à עלה *folium.*

Poteſt tamen eam commode ferre, & optime convenit huic loco. עלה capitur pro *folio* Lev. XXVI. 36. קול עלה נרף *Sonus folii impulſi.* Eſ. XXXIV. 4. כנבל עלה מגפן *Ut decidit folium à vite.* Gen. III. 7. עלה תאנה *Folium ficus.* Habet autem τὸ עלה in plurali עלים / ut liquet ex phraſi: עלי זית *Folia oleæ*, apud Nehemiam [a]. Si quis itaque hebraice dicere velit, *Folia noſtra*, non poteſt id aliter exprimere

a Cap. VIII. 15.

Interpretatio comparatur cum circumſtantiis.

mere quam per עלינו. ut hic ſcriptum eſt. Vide etiam, an non faveant circumſtantiæ. Memoratur hoc in Vaticinio caſus Regis Babyloniæ per modum Cantici, quo populi, à Rege Babyloniæ ſubjecti & durius habiti, ſibi mutuo gratularentur illius Principis lapſum. Proponuntur autem illi Reges & Principes, illi ſubjecti, ſub emblemate *Abietum* & *Cedrorum Libani*. Argumentum gaudii erat, quod is cecidiſſet, qui *frondes & folia eorum amputabat*, hoc eſt, qui eos omni decore & ornatu ſuo ſpoliabat. Arbor enim, cujus folia decidunt, marceſſit. Eleganter id exprimitur in Parabola Pſalmi Primi [a]: *Et erit inſtar arboris plantatæ ad diviſiones aquarum, quæ fructum ſuum edit in tempore ſuo,* ועלהו לא יבול *&* cujus FOLIUM *non decidit*. Per *arbores* haſce haud dubie intelliguntur aliarum gentium Reges, Principes, & Magnates, ut nunc incepi dicere, quippe qui cum *arboribus* ſæpe numero comparantur: ut exemplum habemus in Viſione ſatis nota Danielis [b], ubi Nebucadnezar cum *arbore ingenti, foliorum & frondis plena*, comparatur, ſub cujus umbra & fronde aves cœli nidos ſuos componebant. Non fuit quoque emblema illud ignotum Gentilibus; ita enim eſt apud Suetonium [c]: *Apud Mundam D. Julius caſtris locum capiens, cum ſylvam caderet*, ARBOREM PALMÆ *repertam conſervari ut omen victoriæ juſſit. Ex ea continuo* ENATA SOBOLES *adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis: quamvis id avium genus duram & aſperam frondem quam maxime vitet. Illo & præcipue oſtento motum Cæſarem ferunt, ne quem alium ſibi ſuccedere, quam ſororis nepotem vellet.* Quod autem hic dicatur Rex Babyloniorum *Arborum folia cadere:* ne quis putet non ſatis eſſe emblema efficax ad depingendum durum imperium quod Babyloniorum Rex in reliquos Principes exercebat: illi revocandum eſt in memoriam, Arbores, quę hoc in loco memorantur, ejuſmodi eſſe, quarum folia nunquam decidebant, & quarum decus omne dependebat à *fronde viridi*. Plinius [d]: *Sylveſtrium generis folia non decidunt* ABIETI, *larici, pinaſtro, junipero,* CEDRO, *terebintho, buxo, ilici, aquifolio, ſuberi, taxo, tamarici.*

Illuſtratur locus Pſ. 1. 3.

Per arbores myſtice deſignantur Reges, Magnates, Proceres.

Locus Suetonii.

Alluditur autem hic ad Cedros.

Bb 2 Ca-

a Verſ. 3. b Cap. IV. 10, 11. c In Octavio Cap. XCIV. d Hiſtor. Natur. Lib. XVI. Cap. XXI.

Caput IV.

Inquiritur in veram interpretationem Tituli מדבר ים *Deſerti maris, vaticinio contra Babelem, apud Jeſaiam Cap.* xxi. 1. *præfixi, adjecta obſervatione alia ad locum inſignem* Zachariæ *Cap.* iii. 9.

Præſcripti tituli Deſerti Maris, Jeſ. xxi. 1. ſenſus inveſtigatur.

Jeſ. xxi. 1. משא מדבר ים Jun. & Trem. *Oneroſa Prophetia* DESERTI MARIS. Belgæ: **De laſt der woeſtijne aen de zee.** Coccejus: *Sententia deſerti maris.* Agitur autem in hoc Vaticinio de *Babele:* quę quomodo vocari poſſit *Deſertum maris*, ambigunt. Cl. Coccejus hujus φράσεως expoſitionem petiit ex Apocalypſi *Joannis* [a], ubi *meretrix illa magna* dicitur καθημένη ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν, quę exponuntur per λαοὺς καὶ ὄχλους καὶ ἔθνη καὶ γλώσσας. adeo ut *deſertum maris* heic loci idem ſit quod *deſertum populorum*, apud Ezechielem [b]. Ego vero nolim diſſimulare, hanc interpretationem mihi nunc magis placere quam olim, ubi illius partes omnes inter ſe de novo comparo. Sed videamus prius, quam eo veniamus, quid alii Divini Verbi Commentatores huc attulerint.

Coccejі ſententia.

Belgarum Intt. qui reſpici putant Stagnum Nitocris Reginæ.

II. Belgæ Interpretes exiſtimant, *Babyloniam* eam ob cauſſam heic *Deſertum maris* appellari, quod *Nitocris* Regina extra Babelem Urbem magnum terræ tractum *deſertum* fecerit, magnum illud & celebre ſtagnum (non utique *Pallacopæ*, quod erat ad *meridiem*, ſed aliud in climate ſeptentrionali Occiduo:) effodiendo, in quod Euphratem fluvium deduxit. Sed aſſenſum non impetrant. Fuit enim hoc opus egregium, & Urbi ac Regioni vicinæ utiliſſimum; dignum prudentia & magnanimitate Reginæ Nitocris. Audiamus Herodotum [c]:

Quod deſcribitur ex Herodoto.

Κατύπερθε δὲ πολλῷ Βαβυλῶνος ὤρυσσε (Βασίλεια τῇ οὔνομα ΝΙΤΩΚΡΙΣ) ἔλυτρον λίμνης, ὀλίγον τι παρατείνουσα ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, βάθος μὲν ἐς τὸ ὕδωρ αἰεὶ ὀρύσσουσα, εὖρος δὲ τὸ περίμετρον αὐτῆ ποιεῦσα, εἴκοσί τε καὶ τετρακοσίων σταδίων· τὸν δὲ ὀρυσσόμενον χοῦν ἐκ τούτου τοῦ ὀρύγματος ἀναισιμου παρὰ τὰ χείλεα τοῦ ποταμοῦ παραχέουσα· ἐπεί τε δέ οἱ ὤρυκτο, λίθους ἀγαγομένη, κρηπῖδα κύκλῳ περὶ αὐτὴν ἤλασε, ἐποίεε δὲ ἀμφότερα ταῦτα, τὸν δὲ ποταμὸν σκολιόν, καὶ τὸ ὄρυ-

γμα

a Cap. xvii. 2. b Ezech. xx. 35. c Lib. 1. p. m. 84.

γμα πᾶν, ἕλος, ὡς ὅ τε ποταμὸς βραδύτερος εἴη, περὶ καμπὰς πολλὰς ἀγνύμενος, καὶ οἱ πλόοι ἔωσι σκολιοὶ εἰς τὴν Βαβυλῶνα. ------ ὡς δὲ τό τε ὀρυχθὲν λίμνη πλῆρες ἐγεγόνεε ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ καὶ τὰ περὶ τὴν γέφυραν ἐκεκόσμητο, τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν εἰς τὰ ἀρχαῖα ῥέεθρα ἐκ τῆς λίμνης ἐξάγαγε, καὶ οὕτω τὸ ὀρυχθὲν ἕλος γενόμενον ἐς δέον ἐδόκεε γεγονέναι καὶ τοῖσι πολιήτῃσι γέφυρα ἦν κατεσκευασμένη: *Multo ſupra Babylonem, aliquantulum ſeorſim à Flumine effodit* (*Nicotris Regina*) *paludis eluviem* (receptaculum) *profunditate quidem ad aquam uſque ſemper ducta* (quoad fodientes aquam invenirent:) *latitudine ejus quaquaverſus trecentorum viginti ſtadiorum. Hæc foſſitia humus ad fluminis ripas aggeſta eſt. Quem locum ubi depreſſit, crepidinem ambitus ejus lapidibus induxit. Hæc duo ut flumen flexuoſum & lacuna tota foſſa eſſet, ideo fecit, ut fluvius per multos anfractus retentus, ſedatior mearet, & navigationes Babylonem verſus eſſent tortuoſæ ----- Ubi porro lacuna repleta fuit flumine, & opus pontis exornatum, tum fluvium Euphratem ex palude in priſtinum alveum revocavit, & ita palus, quam effoderat, viſa eſt neceſſario facta, & pons in uſum Civium extructus.* Certe in his Herodoti verbis nihil continetur quicquam, quod ad laudem Reginæ *Nitocris* non pertineat, nec fuit Babeli inutile.

Quæ tamen minus videtur probabilis.

III. Potiori itaque jure quis *Babelem* vocari dicat *Deſertum Maris*, quod Regio, Babyloni verſus Meridiem ſubjecta, *in foſſas diſſecta* & paludoſa fuerit: inprimis poſtquam ſub Cyro Rege, qui *obſeſſa Babylone totum Euphratis flumen immiſit in Pallacopam, ruptis repagulis deſtructiſque Stagni aggeribus, Babyloniæ planicies verſus Arabiam* PALUDOSA FACTA EST ET DESERTA: quę fere verba ſunt Marshami [a], Stagnum hoc ex Herodoto aliiſque deſcribentis. Et errat tamen Marshamus, ubi identidem Pallacopam confundit cum Stagno Nitocris, quod uſui fuit Cyro; & me etiam pertraxerat in errorem. Sed certum eſt, diverſa eſſe. Pallacopas tamen, de quo Arrian. Lib. VII. Cap. XXI. hic recte ad rem meam facit, cum Alveus ille Babeli ad meridiem fuerit ſubjectus; de cujus terræ ſitu hic ago. Plinius de Euphrate [b]: *Dexteriore autem alveo Babylonem quondam Chaldææ caput petit, mediamque permeans, item quam Otrin vocant,* DISTRAHITUR IN PALUDES. Sed omnium clariſſime Strabo [c], ubi *Babyloniorum*

Potiori jure ſic forte diceretur, quod infra Babelem variæ fuerint paludes.

De quo Vett. teſtimonia.

 rum

a Can. Chran. ad Sec. XVIII. p. 589. b Hiſt. Nat. Lib. V. Cap. XXVI. c Geograph. Lib. XV. p. 599.

rum Regionem depingit, hac de re loquitur, & *foſſas* ac *paludes* Babylonias deſcribit. Imo id verum. Sed ipſa tamen Babylon hactenus ſtetit, & *deſerta* facta non eſt.

Kimchii ſententia qui titulum vertit per *Deſertum Occidentale.*

IV. Kimchii hic peculiaris eſt ſententia. Exiſtimat ille, titulum, huic vaticinio præſcriptum, מדבר ים/ vertendum eſſe *Deſertum Occidentale.* Sic ille [a]: וקרא בבל מדבר ים לפי שמדי ופרס היו במזרחית צפונית של בבל כמו שאמר העירותי מצפון ויאת ממזרח שמש והנה בבל מערב למדי ופרס והמערב יקרא ים ואמר מדבר כי מדבר יש בין בבל למדי ופרס. *Vocat vero Babelem* מדבר ים/ *propterea quod Perſæ & Medi fuerint in plaga Orientali & Septentrionali reſpectu Babelis. Prouti dicitur* [b]: *Suſcito eum* EX AQUILONE, *& venit ab* ORTU SOLIS. *Eſt autem Babel occidentalis reſpectu Medorum & Perſarum: Occidens enim appellatur* ים MARE. *Et dicit* מדבר *Deſertum, quia deſertum interjacet inter Babelem & Medos Perſaſque.* Sane certum eſt, quod primo loco aſſeverat Kimchius, vocem ים *Mare* ſæpiſſime pro Occidente ſumptam eſſe Scriptoribus Sacris, quia Hebræis, qui juxta regionis ſuæ clima univerſum orbem terrarum diſpeſcebant & denominabant, mare mediterraneum erat ad occaſum. Sic eſt in Libro Joſuæ [c]: וגבול ים הימה הגדול *Et terminus occidentis, verſus* MARE MAGNUM. Et apud Moſen in Geneſi [d]: *Et erit ſemen tuum ſicut pulvis terræ, & erumpes* ימה *verſus* OCCIDENTEM, *& Orientem, & Aquilonem, & Auſtrum.*

ים *Mare* Hebræis ſubinde ſumitur etiam pro *Auſtro.*

Imo *mare* (ים) in Sacris quoque accipitur pro *Auſtro*, ſiquidem Iſraëlitis ab Auſtro æque erat mare cognitum, ac ab Occidente. Locus manifeſtus eſt in Pſalmo CVII. 3. ומארצות קבצם ממזרח וממערב מצפון ומים *Et quos collegit ex Regionibus ab Oriente & ab Occidente, ab Aquilone, & à* MARI, *hoc eſt, Auſtro.* Paraphraſtes recte: ומן ימא דרומא Licet itaque, quod Kimchius vult, τὸ מדבר ים convertere per *Deſertum Occidentale*, vel *Auſtrale.* Belg. **De zuyd ofte weſt Woeſtijne**/ vel, **de Woeſtijne die na het weſten is.** Laborat nihilominus Kimchii ſententia hac difficultate, quod Babylonia non ſatis commode videatur denominari à *deſerto*, quod inter ipſam fuit & *Mediam.*

In medium itaque conjicitur, an non hic intelligi queat *Perſia?*

V. In mentem itaque nobis veniebat, an non ſatius eſſet ipſam PERSIAM heic loci intelligere per DESERTUM. Et certe dubitari minime poteſt, quin *Perſia*, terra non admodum culta, quo

a Com. in h. l. b Jeſ. XLI. 25. c Cap. XV. 12. d Cap. XXVIII. 14.

quo tempore hæc ſcripſit Jeſaias, vocari potuerit מדבר *Deſertum*, & quidem מדבר ים *Deſortum Auſtrale*, quia *Perſia* ſita eſt ad *Auſtrum*, etſi ſe latiſſime diffundat. Strabo [a]: Οἱ δὲ Πέρσαι τὴν πλείστην οἴκησιν ἐπὶ τῇ ἐρυθρᾷ θαλάττῃ κέκτηνται, μεσημβρινότεροι καὶ Βαβυλωνίων ὄντες καὶ Σουσίων: *Perſæ autem habitationem ſuam ut plurimum habent ad rubrum mare*, MERIDIONALIORES *Babyloniis & Suſiis.* Quod ſi obtineret, τὸ מדבר hic poſitum eſſet pro ממדבר Ex DESERTO. Litera enim מ orta ex מן / aliquando abeſt, ubi debebat adeſſe [b]. Argumento mihi erat, quod mox in *verſu ſequente* huc videatur alludi, in his verbis: כסופות בנגב להלוף ממדבר בא. מארץ נוראה: *Sicut turbines* IN AUSTRO *ad pervadendum*, EX DESERTO *venit*, *ex terra terribili*. Sic itaque concipiebam ſententiam hujus ἐπιγραφῆς: *Onus* (Babelis) EX DESERTO AUSTRALI. *Sicut turbines* IN AUSTRO *ſunt ad pervadendum*, EX DESERTO *venit*, *ex terra terribili*. Interpretes intelligunt *Deſertum*, quod inter *Mediam* & *Babyloniam* medium eſt. Sed mihi omnino videtur, ipſam potius *Perſiam* hic intelligendam eſſe. Solent enim Prophetæ, quo majorem terrorem incutiant hominibus, quibus judicia Dei denunciant, de *hoſtibus*, à Deo adverſus ipſos ſuſcitandis, loqui tanquam de hominibus trucibus, feris, incultis, ex *deſertis incultiſque* Regionibus prodituris: ut de Babyloniis apud Habakukum. Poterat Propheta de Perſis ſic optimo jure loqui, atque adeo non video rationem, quare hæc expoſitio non poſſit tolerari. Forte tamen aliud adhuc ſupereſt, quod majore cum ſpecie huc adferri poſſit.

Nomen illi ſatis bene videtur convenire.

Quando מדבר hic ſcriptum eſſet pro ממדבר ex deſerto.

Quæ cum verſ. ſeq. & circumſtantiis componitur.

VI. Jeſaias Propheta in vaticiniis, huic proximis, Inſcriptiones vaticiniorum propoſuit myſticas, ſive allegoricas, quę tamen elegantiſſime applicari poterant ad loca, de quibus vaticinabatur. *Verſu undecimo* hujus Capitis orditur vaticinium adverſus Idumæos. In illo vaticinio *Idumæorum* ſtatus comparatur cum *nocte*, quemadmodum conſtat inſpicienti. Inde vero Propheta, eo alludendo, אדום *Edomum*, una litera dempta vocat דומה *ſilentium:* quod proprium eſt nocti. Sequenti *commate tertio decimo* impetit *Arabiam*. Illius titulus his verbis conceptus eſt; משא בערב *Onus in Arabia*. Sed cur non dixit; משא ערב *Onus Arabiæ?* Quia in ſequenti commate mentio eſt *de pernoctatione*

Tandem docetur, titulum eſſe myſticum ut aliarum Gentium apud Jeſaiam.

Quod exemplis declaratur.

a Lib. XI. p. m. 362. b Glaſſ. *Gram. S.* Lib. IV. Obſerv. IV. p. 663.

ſtatione Dedanitarum in Sylva, hiſce quidem verbis: ביער בערב חלינו ארחות דדנים *In ſylva, in Arabia pernoctabitis Caterva Dedanitarum.* Atqui vero illud בערב/ ſi puncta vocalia immutes, æque verti poteſt; *In veſpera*, quam; *in Arabia*. Vaticinio ſequenti adverſus Hieroſolymam ejuſdem generis præſcriptus eſt titulus: משא גיא חזיון *Onus vallis viſionis*. Patet titulum eſſe ἀλληγορούμενον, qualis & ille Æthiopiæ, aut Ægypti [a]: הוי ארץ צלצל כנפים *Væ terræ obumbratæ alis*. In rationem & veram ſignificationem harum inſcriptionum inquirere, inſtituti noſtri nunc non patitur ratio. Sufficit nunc nobis hypotheſin noſtram inde confirmare. Ponamus itaque, *Babelem* myſtice dici מדבר ים *Deſertum maris*. quod nimirum, ut Coccejus optime obſervavit, tantundem valet ac apud Ezechielem [b], מדבר העמים *Deſertum populorum*. ים *Mare* in ſacris eſt emblema populorum: מדבר *Deſertum* eſt emblema *vaſti imperii*. מדבר ים tantundem dicit, ac latinum, *vaſtum mare*, ac Belgicum. De woeſte zee. Sic dicitur ſtylo prophetico ingens multitudo hominum & Gentium longe lateque diffuſa & à cognitione Dei aliena. Id vero optime applices Babeli. *Romanum imperium*, vel, ut alii volunt, *Germania* in *Apocalypſi* [c] Joannis *deſertum* dicitur; illiuſque Imperii, ſive Gentilis ſive Pſeudochriſtiani Præſes, qui ibi proponitur ſub emblemate *meretricis*, dicitur *ſedere* (imperium habere) [d] ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν *apud aquas multas*, (ut Babylon, quam mediam ſecabat Euphrates:) quas ipſe Spiritus interpretatur per *Populos*, *Confluxus hominum*, *Nationes*, & variarum Dialectorum *Gentes*.

Qui ſecundum hanc hypotheſin exponitur.

Expenditur locus Zach. III. 9.

VII. Zachar. III. 9. כי הנה האבן אשר נתתי לעני יהושע על אבן אחת שבעה עינים הנני מפתח פתוחה נאם יהוה צבאות ומשתי את עון הארץ ההיא ביום אחד: Verba hæc exigua cum differentia ab Interpretibus tranſponuntur. Jun. & Trem. *Nam ecce lapis eſt, quem pono coram Jehoſua, apponens lapidi unico ſeptem oculos: ecce ego ſculpturus ſum ſculpturam ejus, dictum Jehovæ Exercituum, & amoturus iniquitatem terræ iſtius die uno.* Priora non ſatis liquide. Melius De Dieu & Coccejus: *Nam ecce quod attinet ad lapidem, quem poſui coram Jehoſua, ſuper lapidem unum* (Coccejus: *In lapidem unum*) *ſeptem oculi ſunt.* Belgæ non diſſentiunt: Want ſiet aengaende dien

Aliorum Int. & Belgarum Verſiones.

a Cap. XVIII. 1. b Cap. XX. 35. c Cap. XVII. 1. d Verſ. 15.

dien ſteen / welcken ick gelegt hebbe voor het aengeſigte van Joſua/ op dien eenen ſteen ſullen ſeven oogen weſen: Siet ick ſal ſijn graveerſel graveeren/ ſpreeckt de Heere der Heyrſcharen/ ende ick ſal de ongerechtigheyt deſes Landts op eenen dag wegnemen. Verſiones hæ non ſunt contemnendæ. Nec tamen diſſimulabo, me quondam de alia quadam horum verborum tranſpoſitione cogitaſſe, quę ſententiam contineret ſatis elegantem. In recepta enim eorum Verſione id merito quis deſideret, quod partes orationis de *intuitu in lapidem* & *amotione iniquitatis* minus commode inter ſe videantur cohærere. Etiamſi enim verum ſit, Credentes in Chriſtum Jeſum, ipſum oculis fidei & amoris contuentes, à Deo per ipſum impetrare ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν: non videbatur tamen mihi illud in hoc loco ſufficere, quia in emblematica & parabolica inſtitutione id requiri videtur, ut partes emblematis ſibi mutuo reſpondeant, & res diverſæ naturæ inter ſe non miſceantur. Contra obſervabam, orationis partes optime inter ſe conſenſuras, ſi verba hunc in modum transferre inſtituerem: *Nam ecce, ad lapidem quod attinet, quem poſui coram Jehoſua; ſuper lapide uno ſeptem fontes ſunt: Ecce aperio aperturam ejus, dicit Jehova Exercituum, & abſtergam iniquitatem terræ iſtius die uno.* Belgice: Want ſiet/ aengaende dien ſteen/ welcken ick gelegt hebbe voor het aengeſigte van Joſua / op dien eenen ſteen ſullen ſeven fonteynen zijn/ ende ick ſal ſijne openinge openen/ ende ick ſal de ongerechtigheyt deſes Landts op eenen dag uytwiſſchen. Examinemus novam hanc noſtram Verſionem, quam tamen nemini obtrudimus, & videamus, ſtare num poſſit an potius exigenda ſit.

Nec tamen liberæ ab omni difficultate.

Verſio alia.

VIII. 1. Novum eſt, vocem עינים hic verti per Fontes, quam tamen vulgo reddunt per Oculos. Nemo tamen mihi facile negabit, poſſe hanc vocem illum in interpretatione ſenſum ſuſtinere. Occurrit utique ea notione apud Moſen[a]: ותשב בפתח עינים אשר על דרך תמנתה *Et conſedit in apertione* FONTIUM, *qui in via verſus Timnam ſunt.* Verto τὸ עינים hoc in loco per *fontes*, Interpretes communiter per *duos fontes.* vocabulum enim in duali eſt. Stat tamen à partibus meis Onkelos, qui heic habet: בפרשות עינן *In diviſione fontium. Dualem* cenſuit hic uſurpari

Vox עינים hic vertitur per *Fontes.*

Quæ ſignificatio vocis alibi quoque eſt recepta.

a Gen. xxxviii. 14.

pari pro *Plurali*: ut in ſimilis generis vocabulis ſæpe accidit. Videlicet עין in terminatione ſingulari *fontem* apud Hebræos

Illius ratio.

ſignificat, uti etiam *oculum*: Foramen enim *fontis* oculi figuram habet. Cæterum cum עין in duali עֵינַיִם flectatur, quia geminum oculum natura dedit animantibus: id fert genius Linguæ Hebrææ, ut vocabula, quę ſua natura dualia ſunt, non modo per *dualem*, ſed & *pluralem* numerum poſſint exponi. Rem ma-

Exempla in vocibus רגלים & כנפים.

nifeſtam faciam exemplis. Sic רגלים capitur apud Moſen Lib. III. cap. XI. 13. *Et omne reptile volucris, cui* ארבע רגלים *quatuor pedes*. רגלים eſt in numero *Duali*, qui hic idem valet quod *Pluralis*. Sumitur igitur τὸ רַגְלַיִם/ quaſi ſcriptum eſſet רְגָלִים/ quia natura geminus homini pes eſt. Sic pariter de Cherubinis apud *Ezechielem* [a]: וארבע כנפים *Et quatuor alæ unicuique*. Nemo putem adeo ineptus fuit hactenus, qui τὸ ארבע כנפים transpoſuerit per *octo alas*, id eſt, quatuor alarum paria, licet τὸ כנפים in duali ſit numero. כְּנָפַיִם idem hic valet quod כְּנָפִים. Sic omnino qui עֵינַיִם hic vertunt per *Oculos*, dualem numerum per *pluralem* interpretantur. Hac itaque in re non eſt difficultas.

Quo ſenſu *Fontes* dici queant *ebulliſſe* in *lapide*?

IX. 2. *Fontes* illos ponimus fuiſſe על אבן אחת *ſuper* ſive *in lapide uno*. Poreſt על hanc ferre ſignificationem, nemine, quod ſciam, nunc negante. Videatur Glaſſius, qui inter alios dabit exempla [b]. Fontes autem in petroſis locis potiſſimum ebullire, & ſibi meatus ſtruere per lapidum rimas & petroſæ terræ fiſſuras, res ex experientia omnibus eſt nota. Habemus prætерea in hiſtoria Populi Dei [c], *Rupem* in Deſertis Arabiæ Moſis

Fontes in *petroſis* locis, & in *Petra* Deſerti.

percuſſam Baculo & fiſſam aquas magna dediſſe copia. David ad id non ſemel alludit in Pſalmis, veluti quando Deo accinit [d]: אתה בקעת מעין ונחל *Tu* FIDISTI FONTEM *& torrentem*. & alibi [e]: פתח צור ויזובו מים *Aperuit rupem & profluxerunt aquæ*. Quam *Petram* Paulus nos docet fuiſſe figuram Chriſti, qui in hoc ipſo Zachariæ loco per *Lapidem* deſcribitur [f]. ἡ δὲ πέτρα (inquit) ἦν ὁ χριστὸς RUPES *autem erat* CHRISTUS. Certe πέτρα (reſpondens He-

Significatio vocis צור.

braicæ voci צור) non *rupem* modo ſignificat male formatam, rudem, & aſperam, ſed & *lapidem*; at ſolidum, & ſtabilem inſtar rupis, qui ſuſtinere ædificium queat: ut ſatis patet ex verbis

a Cap. I. 6. b Gram. Sacr. Lib. III. Tract. VI. Cap. XII. c Exod. XVII. 6. d Pſ. LXXIV. 15. e Pſ. CV. 41. f 1 Cor. X. 4.

bis Domini apud Matthæum [a]: Ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν *Super* HAC PETRA *ædificabo Eccleſiam meam.* Qui enim hic πέτρα, alibi *lapis* appellatur. Petrus [b] ex Jeſaia [c]: Τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον. Apud *Jeſaiam* vero אבן & אבן מוכר.

Vox פתח hic propriiſſime adhibetur.

X. 3. Nec denique quicquam difficultatis habet, quod vocabulum פתח interpretati ſimus de *apertura* ſive *fiſſura*, per quam Fons ebullit. Sumitur enim omnino hac ſignificatione in Verbo Dei, ut apud eundem Prophetam noſtrum, in ſequentibus [d]: ביום ההוא יהיה מקור נפתח לבית דויד וליושבי ירושלם *Illo die erit Fons* APERTUS *Domui Davidis & habitantibus Jeruſalem.* Et in Pſalmis [e]: פתח צור APERUIT *rupem.* Nec forte aliter accipitur in Hiſtoria Moſis [f], *ubi Thamar conſediſſe dicitur* בפתח עינים/ quod *Belgæ* vertunt: **Aen den ingance der twee fonteynen.** Ego vero putem verti poſſe: **Aen de openinge der fonteynen/** *Apud aperturam fontium.* Hoc eſt, eum apud locum, ubi fontes ebulliunt.

Et commendatur verſio à convenientia partium hujus emblematis.

Utique, quod modo jam monebamus; ſi hæc interpretatio admittatur, ratio dari poterit, quare *apertura Lapidis* conſequens & fructus ſtatuatur *Deterſio*, ſive *Amotio iniquitatum.* Sic enim hæc verba Prophetæ omnino reſpondebunt ſequentibus apud eundem noſtrum Vatem [g]: *Illo die erit fons apertus Domui Davidis & incolis Hieroſolymæ* לחטאת ולנדה *pro peccato & pro fœditate.* Et poſtea [h]: והיה ביום ההוא יצאו מים חיים מירושלים *Fiet autem illo die, ut egreſſura ſint aquæ vivæ* (aqua fontana) *ex Hieroſolymis.*

a Cap. XVI. 18. b 1 Cap. II. 6. c Cap. XXVIII. 18. d Cap. XIII. 1. e Pſ. CV. 41. f Cap. XXXVIII. 14. g Cap. XIII. 1. h Cap. XIV. 8.

Caput V.

Ex Euangelio Matthæi *pauca deſcribuntur teſtimonia, quibus lux aliqua affunditur. Imprimis vero genuina notatio vocabuli* πληρόω *eruitur ex ſignificatu vocabuli* נפש/ *& inquiritur in rationem, cur Judæi* monumentum ſepulchrale *ſoleant appellare* נפש/ *quod propriè* animam *notat.*

Locus *Matth.* v. 17. illuſtrandus ſumitur.

MAtth. v. 17. Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι ἀλλὰ πληρῶσαι. Beza: *Ne exiſtimate, me veniſſe, ut diſſolvam Legem aut Prophetas: Non veni ut diſſolvam, ſed ut impleam.* Belgæ: **Meint niet dat ick gekomen ben om de Wet ofte de Propheten te ontbinden: Ick ben niet gekomen om die te ontbinden / maer te vervullen.**

Phraſis, πληροῦν τὸν νόμον, ſingularis.

Phraſis πληροῦν τὸν νόμον obſcuri quid habet, quæ tamen & alibi uſurpatur à Paulo in ejus ad Romanos Epiſtola [a] his verbis: ὥστε με ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. Beza: *Adeo ut ab Hieroſolymis & circumjacentibus regionibus uſque ad Illyricum impleverim prædicandi Euangelii Chriſti munus.* Sane ſi quid judico, non admodum ἀκριβῶς.

Bezæ & Belgarum ſententiæ.

Belgæ: **Soo dat ick van Jeruſalem aen ende rontomme tot Illyricum toe het Euangelium Christi vervult hebbe:** *Ita ut ab Hieroſolymis & circumjacentibus Regionibus* Euangelium *Chriſti* Impleverim. In margine vero adſcripſerunt: *Omnes illas Regiones Prædicatione & Scientia Euangelii impleverim.* Unde quidem conſtat, eos non longe aberraſſe à ſenſu horum verborum, quippe qui ex circumſtantiis & ſcopo Apoſtoli manifeſtiſſimus erat: rationem tamen loquendi ipſam aſſequutos eſſe, non liquet.

De iis judicium.

Aliud enim eſt, *implere Euangelium*; aliud, *regiones implere Euangelio*: quod poſterius dicere debuiſſet ſanctiſſimus Paulus, ſi Belgarum expoſitio obtineret. At quis eruditiſſimis hiſce Interpretibus vitio id vertere poteſt, cum Syrus Interpres, qui hunc modum loquendi certe debuiſſet intelligere, utpote ſua ex Lingua vel hebræa exponendum, utrumque hunc locum neglexerit,

a Cap. xv. 19.

rit, transferendo τὸ πληρῶ per מלא/ qua in voce nulla vis atque ἔμφασις eſt? Imo in Epiſtola quoque ad Coloſſenſes[a] Paulus hanc ῥῆσιν adhibet, ubi ſcribit: *Cujus* (Eccleſiæ) *Ego factus ſum miniſter ex diſpenſatione Dei, quæ data eſt mihi erga vos*, πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ *ad* IMPLENDUM SERMONEM DEI. Videamus itaque, num quid ad eam illuſtrandam quod in medium adferamus nobis ſuppetat.

II. Ergo ut in clariorem phraſios notitiam veniamus: obſervo, quod certiſſimum eſt, loquendi modos in Codice N.F. uſurpatos plane flexos eſſe ad genium Linguæ Hebraicæ vel Syriacæ, vel etiam illas ad loquendi formulas & ἰδιωτισμοὺς, quibus Judæi, & Hebræo-Syri, tempore illo conſueverant uti in vulgari commercio. Actum agerem, ſi paucis id exemplis demonſtrare aggrederer; ſunt enim hujus rei adeo copioſa ab aliis producta argumenta, ut hodie quidem vix ullum inter Doctos reperiri autumem, qui non id ultro agnoſcat. Neque profecto id mirari oportet factum ab Euangeliſtis & Apoſtolis, ut in Lingua Græca idiotiſmos Hebrææ & Syræ exprimere voluerint, cum nitidiſſimi etiam † Scriptores Latini idiotiſmos Græcæ Linguæ ſua in Lingua, cujus puritatis alias maxime æmuli erant, expreſſerint.

Hypotheſis veræ interpretationis, Scripturam N.T. multos continere hebraiſmos.

Quomodo Latini quoque uſi ſunt Græciſmis.

a Cap. 1. 24.

† Petrus Victorius, in *Variis* ſuis *Lectionibus*, eruditione & elegantia plenis, plurima congeſſit exempla Locutionum, quibus Romani Græcos imitati ſint. Imprimis id obſervat feciſſe Lucretium & Horatium. *Præcipue autem*, ait, *hoc committebant, ut à conſuetudine diſcederent, qui Græcos Scriptores volutabant:* VERSATI ENIM DIU IN SERMONE ILLO, IMITABANTUR ETIAM MODOS LOQUENDI, PROPRIOS EJUS NATIONIS: *verbaque aliter conſtruebant, quam ſuæ Gentis homines vulgo facerent.* Bene id habet: res enim eſt certiſſima, non de his tantum Poëtis, ſed & aliis, quin imo de Auctoribus caſtigatiſſimi ſermonis. Utique Macrobius obſervat, *Virgilium ſe libenter addixiſſe Græcæ Linguæ:* & quod plus eſt, Budæus allatis Græciſmorum ex ipſo Cicerone exemplis, ita de eo: *Cicero enim omnium maxime transferre Scriptorum Græcorum elegantium Græcorumque Verborum vim in Romanum Sermonem voluit, ut nos in hac commentatione docere conabimur, quoties digrediendi occaſionem ſcribendi ſeries nobis dederit.* Ergo miſſis, quæ apud alios obſervavimus, hæc inſuper pauca, Lector, noſtræ quoque debe diligentiæ, quæ tamen hic magna non eſt. *Habeo polli-*

Var. Lect. Lib. x. Cap. xxii.

Saturn. Lib. v. Cap. xvii.

Com. Ling. Græc. p. m. 31.

Exempla, horum idiotiſmorum producta ex Suetonio.

ſerint. Operæ pretium erit, documenta proferre ex Suetonio, eleganti Scriptore [a]. Is in *Nerone* ita diſſerit: *Donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis & fuſcæ) prodire in ſcenam concupiit, ſubinde inter familiares Græcum proverbium jactans, occultæ Muſicæ nullum eſſe* RESPECTUM. Certe ultima verba, quę ipſum nobis adagium exhibent, Latina in Lingua ad modum Græci ſermonis compoſita ſunt, quo dicebatur: τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος, uti recte adnotavit Caſaubonus. At clarius forte eodem hoc in Capite exemplum habemus in his verbis: *Ibidem ſæpius & per complures cantavit dies: ſumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens ſecreti à balneis in theatrum tranſiit, mediaque in orcheſtra frequente populo epulatus*, ſi paullum ſubbibiſſet, aliquid ſe ſufferti tinniturum, *Græco ſermone promiſit*. Ecquis, obſecro, illud *ſufferti aliquid tinnire*, intelligeret, niſi eruditiſſimus Turnebus [b] nos docuiſſet, τὸ *ſuffertum tinnire* Græcis eſſe ὑπόπυκνόν τι ἠχεῖν, uti τὸ *ſubbibere* Tranquilli noſtri Græcorum eſt ὑποπίνειν. Quicum conſentit modo laudatus Caſaubonus, qui hæc Græca ſubſtituit: ἐὰν μικρὸν ὑποπίω, ὑπόπυκνόν τι τονθορύσειν. Cum quibus comparari poteſt, quod idem Tranquillus habet de *Tiberio* [c]: *Nurum Agrippinam, poſt mortem mariti, liberius quiddam*

a Cap. xx. b Adverſariorum Lib. xxviii. c Cap. liii.

Ad Famil. Epiſt. 5. Lib. 1. Lib. 1. Verſ. 87. Lib. III. Od. xxvii. l. 69. Epigr. Lib. III. lvii. Lib. v. xv. & xvii. Lib. I. Cap. ix. Lib. xxix. Cap. xxii.

polliceri, apud Ciceronem; *Delecti*, *prima Virorum*, apud Lucretium; *Abſtineto irarum*, apud Horatium; *Domus longe*; *Et queritur læſus carmide nemo meo*; *Diſcat Catharædus aut choraules*, apud Martialem: ſunt Græciſmi, ſive Phraſes Latinæ ad imitationem Græcarum conſtructæ. Flori; *ex ſummo ſtudio*. Græcum eſſe: ἐκ πολλῆς σπουδῆς, obſervavit Salmaſius. Cæſaris Dictatoris dictum apud Ammianum: *Miſerum eſſe inſtrumentum ſenectuti recordationem crudelitatis*: recte intelliges cum Valeſio, ſi *inſtrumentum* hic idem valere obſerves quod Græcis ſonat τὸ ἐφόδιον. Quid de Latiniſmis dicam, qui ipſi quoque non deſunt in Libris N. Fœderis? veluti, δὸς ἐργασίαν *da operam*, Luc. xii. 58. Hæc enim procul dubio vera verſio eſt; non quam Salmaſius, eumque ſequuti, inculcant. Ἔχε με παρῃτημένον, *habe me excuſatum*, Cap. xiv. 18. Item, ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, *Charitas non agit perperam*, 1 Cor. xiii. 4. nec ſperno tamen interpretationem vocis ex Heſychio, quam urget Caſaubonus. Καρπὸς ἔργου, *operæ pretium*, Phil. I. 22. Τυρβάζῃ περὶ πολλά, *ſatagis de multis*. multis diſtringeris & turbaris curis, Luc. x. 41. Alia non attingo. Inſpice etiam, ſis, & lege, ſed cum judicii diſcrimine, Crojum, *Obſerv.* in N. T. p. 269.

dam queſtam, *manu apprehendit*: *Græcoque verſu*, Si non dominaris, *inquit*, filiola, injuriam te accipere exiſtimas; *nec ullo mox ſermone dignatus eſt*. Quę Doctiſſimus hujus loci Interpres Torrentius Græcis; εἰ μὴ τυραννεῖς, θύγατερ, ἀδικεῖσθαι δοκεῖς, obſervavit reſpondere Si igitur Scriptores Latini in exprimendis ſententiis Græcis loquendi rationes Græcas ſecuti ſint: an mirari licet, Apoſtolos & Euangeliſtas, natione Hebræos, Græce ut plurimum ſcribentes, ſententias, quas Græco in ſermone conſignarunt, juxta Linguam Hebræam, hoc eſt, ſuam concepiſſe, & ad modum idiomatis hebræi protuliſſe? Id itaque nunc in uſum noſtrum convertamus.

Quæ hypotheſis ad hunc locum applicatur, docetúrque, Græcam vocem πληρῶν reſpondere Hebrææ, ſive Chaldææ גמר *Docere* & *diſcere*.

III. Apud Paraphraſtas Chaldæos uſitatum eſt vocabulum גמר / quod Implendi, *complendi*, *perficiendi*, *abſolvendi* gaudet ſignificatu. Id plane reſpondet τῷ πληρόω apud Græcos, quod in locis modo notatis occurrit. Exempla innumera ſuppeditant Lexicographi, quibus recenſendis ſuperſedeo. At idem hoc vocabulum גמר / Docendi & *diſcendi* ſignificatum habet, eoque frequens fuit apud illius temporis homines. Paraphraſtæ enim eo uſi fuerunt ſermone, qui illo tempore vulgari uſu receptus fuit, quippe qui Sanctum Codicem ex Hebræa Lingua in vernaculam tranſtulerunt. Nota itaque hunc uſum vocis גמר ex Chaldæa παραφράσει Libri Jobi [a]: גמר כען מפומיה אוריתא Disce *nunc ex ore ejus Legem*. & ex Deuteronomio [b]: ותגמרון לבנך *Et* Docebis ea verba *Filios tuos*. Quo ſenſu ſæpe etiam occurrit in Codice Talmudico. Nemo jam negabit, vocem Græcam πληρόω, reſpondentem Chaldæę גמר / eaſdem induere poſſe formas, hoc eſt, ſignificationes, quę in voce גמר obtinent. Solent enim Scriptores Novi Fœderis Græcas voces, ſi in principali ſignificatu cum vocibus Hebræis conveniant, ad cæteros hebræarum vocum ſignificatus ex principali derivatos flectere. Hinc ῥῆμα *verbum*, exprimens Hebraicum דבר / ſimul *rem* ſignificat, quia τὸ דבר Hebræorum pro *re* ſumitur; νικη *æternitatem*, quia convenit cum נצח / quod proprie *victoriam*, & inde quoque *æternitatem* notat. Vocabulum itaque πληρόω, conveniens ſignificatione τῷ גמר / ſignificatum Docendi facile ſibi adſciſcit, ac proinde poſſunt Loca modo notata commode in hunc

Flectuntur autem in tali caſu voces Græcæ ſecundum ſignificatum hebræarum.

a Cap. xxv. 22. b vi. 7.

hunc modum converti: *Non veni, ut Legem diſſolvam, ſed ut illam* DOCEAM. Belgice hoc modo: **Ick ben niet gekomen om de Wet te ontbinden/ maer om die te leeren.** *Ab Hieroſolyma ad Illyricum docui Euangelium Chriſti.* **Ick hebbe het Euangelium Chriſti geleert van Jeruſalem af tot Illyricum toe.** Pauli hæc verba ſic eſſe interprĕtanda, ne dubitandum quidem eſſe reor. Quod vero ad verba Domini apud Matthæum attinet: ſi verſionem hanc ſequare, ſatisfacies contextui orationis, & circumſtantiis. *Diſſolvere* enim phraſi hebræa eſt, *non docere*, uti à Viris doctis dudum evictum eſt. *Docere* autem & *non docere*, ſibi ſunt oppoſita. Circumſtantiæ autem adeo favent huic interpretationi, ut non poſſint magis. Vindicat enim hac oratione Chriſtus Legis Moſaicæ primaria capita à receptis Phariſæorum gloſſis, atque male ſanis interpretationibus. Quod ubi agere inſtitueret: præmittit orationi ſuæ hanc admonitionem, qua Auditores ſuos docet, minime ſibi propoſitum eſſe impetere auctoritatem Legis Moſaicæ, aut Doctrinam ei contrariam tradere: contra velle ſe *Moſaicam Legem* IMPLERE, hoc eſt, *perfecte docere*, & multo perfectius quam Phariſæi, qui eam ſuis Gloſſis & Interpretamentis corruperant.

Locus 2 Tim. III. 17. ex eodem themate illuſtratus.

IV. Forte autem ad hanc loquendi rationem reduci etiam poteſt quę occurrit in altera Pauli Epiſtola ad *Timotheum* [a]: Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. *Ut* PERFECTUS *ſit homo Dei, ad omne opus bonum* PERFECTE INSTRUCTUS. Vocabula enim ἄρτιος & ἐξηρτισμένος reſpondent voci נגמר / ita ut *perfectus*, *impletus*, *conſummatus*, tantundem valeant ac BENE ERUDITUS. Loquutus enim ibi fuerat Apoſtolus περὶ τῶν γραμμάτων, quę poſſunt hominum σοφίσαι εἰς σωτηρίαν. Παράλληλον eſt dictum ad Coloſſenſes [b]: *Ut ſtetis* τέλειοι *perfecti*, καὶ πεπληρωμένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ *& impleti* (גמורים) *omni voluntate Dei.*

Petitio *tertia* Orationis Dominicæ illuſtrata ex ſimili phraſi Rabbinis uſurpata.

V. Matth. VI. 10. Γενηθήτω τὸ θέλημά σου *Fiat voluntas tua.* Ligtfootus notavit locum, in quo ratio loquendi ſimilis, unum; ego addam alium ex *Pirke Avoth* [c]: יהודה בן תימא אומר הוי עז כנמר וקל כנשר ורץ כצבי וגבור כאריה לעשות רצון אביך שבשמים *Jehuda Filius Tema dicit: Eſto validus, ſicut pardus, & levis, ſicut aquila, & velox ſicut*

a Cap. III. 17. b Cap. IV. 12. c Cap. V. §. 20.

ſicut hinnulus, & fortis, ſicut Leo, ad FACIENDAM VOLUNTATEM PATRIS TUI, QUI EST IN COELIS. Sed eſt phraſis deſumpta ex Pſ. CIII. 21.

VI. Matth. VI. 12. Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν· *Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* & 14. ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἀφήσει καὶ ὑμῖν ὁ Πατὴρ ἡμῶν οὐράνιος. Quam his ſunt ſimilia quę leguntur in eleganti Libello, *Sepher Lekach Toof*, Cathecheſi Judaicâ? כן אם יחטא איש באיש מצוה שלא לנקום ולנטור אבל למחול לו מיד ולהתפלל אל ה׳ עליו שימחול *Si quis in alterum peccet: pracepti Divini ratio fert, ne id vindicet, aut iram animo conceptam ſervet, ſed ut lædenti ſtatim ignoſcat; Deumque pro illo precetur, ut itidem illi velit condonare crimen.* Quibus hæc ſubnectuntur: גם כן יחשוב בלבו כמה אנחנו מוסיפין לחטא בכל יום ויום לפניו ית׳ והוא מוחל לנו על העונות ואם אנו בניו כד״א בנים אתם לה׳ אלהיכם מחויבים אנו גם כן למחול כמוהו *Hoc etiam quiſque apud ſe meditetur, quemadmodum nos omni die peccata noſtra cumulemus coram Deo benedicto, qui tamen peccata noſtra nobis clementer remittit:* SI VERO NOS FILII IPSIUS SIMUS, *ſicut ſcriptum eſt* [a]; *Filii eſtis Domino Deo veſtro: noſtri omnino officii eſt delicta quoque Proximo remittere ad exemplum clementiæ, quam Deus in nos exercet.*

Et pariter *quinta.*

VII. Matth. XXIII. 27. 29. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις, *quia ſimiles eſtis* SEPULCHRIS DEALBATIS. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι οἰκοδομεῖτε τοὺς τάφους τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων. A præſtantiſſimis Viris, Johanne Ligtfooto [b] & Eduardo Pococke [c], tanta lux huic affuſa eſt loco, ut vix quicquam ad illum illuſtrandum amplius addi poſſe videatur. Luſimus tamen aliquando ad vocabulum נפש *animæ*, quo ſignificatu accipitur in Codice *Schekalim* pro *monumento ſepulchrali*, & in illius ſignificationis inquiſivimus rationes. Ita habetur in Codice *Schekalim* [d]: *R. Nathan inquit, ex reſiduo mortui* (ſc. *ex nummis ad ipſum ſepeliendum collectis*: ut Pocockius;) *ædificant ipſi monumentum ſuper ſepulchrum ejus.* Mirari ſane licet, נפש hoc in loco *monumentum ſepulchrale* ſignificare, cum alias apud Hebræos, Chal-

Ad locum Matth. XXIII. 27. 29. inveſtigandum ſumitur, quare Judæi Monumentum ſepulchrale appellent נפש *Animam.*

Locus ex Cod. *Schekalim*, ubi hæc ſignificatio vocis occurrit.

 dæos,

a Deut. XIV. 1. b Hor. Heb. ad h. l. c Not. Miſcel. ad Portam Moſis Cap. V. d Cap. II. §. V.

dæos, Syros, *Animam*, notet. Et tamen non hoc modo ex loco de hac vocis ſignificatione conſtat, ſed & aliunde, ut dudum Viris Doctis obſervatum eſt.

Ligtfooti & Pocockii ſuper eo ſententiæ.

VIII. Sed quę ratio ſignificationis adeo inuſitatæ? Lightfootus putat, ſic appellatos eſſe *cippos*, quod *memoriæ mortuorum conſervandæ* inſervirent. Pocockius in eandem ſententiam videtur propendere. Nec vehementer refragabor. Liceat tamen aliam quoque conjectationem de eadem hac re in medium projicere, & Doctis expendendam committere.

Alia appellationis ratio ex hypotheſi Vett. de *animabus* circa *cadavera* oberrantibus.

Vulgus vetuſtioribus Mundi temporibus *Animas*, à Corporibus per mortem ſolutas, putabat, *Cadavera ſua oberrare*, ut Macrobius [a]; & ſi *Cadavera tumulo conderentur*, eodem in loco apud Cadavera ſua quandiu illa ſupereſſent, QUIESCERE. Habes hanc Veterum ſententiam in Verbis Virgilii [b]:

Hypotheſis adſtructa ex Vett. locis.

ANIMAMQUE *ſepulchro*
CONDIMUS, *& magna ſupremum voce ciemus.*

Ad quæ Servius: *Legimus præterea in Sexto: inſepultorum animas vagas eſſe: & hinc conſtat, non legitime ſepultum fuiſſe. Rite ergo reddita legitima ſepultura, redit* ANIMA AD QUIETEM SEPULCHRI, *quam Stoici herciſcundi, id eſt, medium ſecuti, tam diu durare dicunt, quamdiu durat & corpus. Unde Ægyptii periti ſapientiæ, condita diutius reſervant cadavera: ſcilicet ut anima multo tempore perduret, & corpori ſit obnoxia, nec cito ad alia tranſeat.* Inde jam Fato functi, quorum exuviæ Sepulchro conditæ erat, dicuntur *Quieſcere*. Eadem ſententia de *Quiete Animarum* poſt mortem recepta fuit Judæis: licet illi *Quieti Piorum* locum conſtituerint, non *Sepulchrum*, ſed *Paradiſum*.

Inde *animæ* dictæ *quieſcere*, alio tamen ſenſu apud Hebræos, quam Gentiles.

Inde apud Sirachidem [c]; Ἐν ἀναπαύσει νεκροῦ κατάπαυσον τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ: & quod huc propius ſpectat, in Apocalypſi [d] ipſæ ANIMÆ dicuntur QUIESCERE, in *Paradiſo* nimirum, Loco Quietis & Voluptatis, quem Deus Animabus, à corporibus ſuis ſejunctis, deſtinavit. Unde Formula de Mortuis apud Judæos receptiſſima, in Epitaphiis & Monumentis Memorialibus apud Cl. Beckium [e]: מנוחתו חהא בגן עדן SIT REQUIES IPSIUS IN PARADISO. Quo Dominus reſpiciens La-

a Saturn. Lib. I. Cap. IX. b Æneid. Lib. III. verſ. 68. c Cap. XXVIII. 24. d Apoc. VI. 9. 11. XIV. 13. Conf. 1 Sam. XXVIII. 4. e In Monument. Sepulcr.

Latroni à cruce pendenti dixit[a]: Σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. Quę cum ita ſe habere conſtet: in mentem mihi venerat, an non forte Monumentis Sepulchralibus antiqui ævi hujuſmodi aliqua Formula Memorialis Vulgata inſcripta fuerit: חנוח נפשו ANIMA hujus vel illius *hic loci*, vel in *Paradiſo* QUIESCIT, vel cum voto, *quieſcat*; & inde à prima Vulgata hujus Inſcriptionis voce נפש *Anima*, integer *Cippus* ſepulchralis ita denominatus fuerit: fere ad idem exemplum, quo Faſciculi, in Tabernaculorum Feſto agitandi, inter concentus *Hoſannæ*, ipſi quoque nomine הושענא *Hoſannæ* inſigniti ſunt, notante Caninio[b]; & *Scheda*, ex Præcepto Divino *Poſtibus* Ædium infigenda, מזוזה *Poſtis* dicta eſt Judæis, obſervante alibi Seldeno[c]. Certe phraſis *Quietis Animæ* Judæis, ubi de ſtatu Mentium Sanctorum Hominum loquuntur, ſatis eſt familiaris, & probabile, in Monumentis Sepulchralibus antiqui temporis eam minime eſſe neglectam. Habe eam ex *Voto pro Mortuo* apud Munſterum & Fagium[d]: תנוח נפשו ומשכבו בשלום ישכב בשלום ויישן בשלום עד יבא מנחם משמיע שלום אבות עולם ישני חברון גן עדן פתחו לו ואמרו שלום בואו שומרי גנזי גן עדן פתחו לו שערי גן עדן ויבא בגן וישתעשע מפרי גן עדן Fagius ita reddidit: REQUESCAT ANIMA EJUS, *& dormitio ejus in pace*; *cubet in pace & dormiat in pace*, *donec veniat Conſolator*, *qui facit audire pacem Patrum ſeculi*, *dormientium in Hebron. Portas paradiſi aperite ei*, *& dicite pacem*; *venite*, *qui cuſtoditis theſauros paradiſi*, *ut intret paradiſum & oblectet ſe fructibus Paradiſi.* Sic pariter in Traditionibus Veterum de *Jeſaia Propheta*, DEGLUTITO AB ARBORE (paradoxum!) & una cum Arbore ſecuri diſſecto[e]: כי מטא נרגא להדי פומא דישעיה נסרוה לפומיה ונח ליה נפשיה *Cum perveniſſet Securis uſque ad os Jeſaiæ*, *ſecuerunt per os ejus*, *&* QUIEVIT ANIMA *ipſius*. mortuus eſt. Cippi itaque, ſi ita placet, fuerunt Monumenta teſtantia de *Quiete Animarum*: & inde ipſi, ut ſit, *Anima* (נפשות) dicti fuerunt.

Exempla ſimilia appellationum tranſlatarum.

Inſignis Inſcriptio Sepulchralis Judaica.

a Luc. XXIII. 43. b Ad Loca Quædam N. T. Cap. IV. c De Syned. Lib. III. Cap. XIV. §. 11. d Ad Deut. XIV. 1. e Jevammoth. Fol. 49. col. 2. Apud Buxtorf. in Voce נרג.

Caput VI.

Alia quædam teſtimonia ex Cantico Zachariæ, Actis Apoſtolorum, & *Epiſtolis ad* Galatas & Theſſalonicenſes *adducuntur, iiſque ex quibuſdam ad ea obſervatis lux affunditur.*

Locus ex Luc. I. 72, 73, 74. productus.

LUc. I. 72, 73, 74. Ὅρκον, ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν τοῦ δοῦναι ἡμῖν. Ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ. Quando animum meum ad hunc locum quondam adverti: videbatur is mihi non ſatis commode diſtinctus eſſe, uti nunc legitur: quod mirum, Bezam, alioſque, quos inſpexi, Interpretes quoſdam non obſervaſſe. Ita igitur eum lego & diſtinguo: Ὅρκον, ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, τοῦ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ. Ita ut verba, τοῦ δοῦναι, non referantur ad ὅρκον, ſed ad τὸ λατρεύειν ἀφόβως. Certe non putem, φράσιν Hebraicam eſſe vel Græcam: *Dare alicui jusjurandum*, pro τῷ *Juramentum præſtare*. Neque huc quicquam facit locus, qui à Beza adductus eſt ex lib. V. Moſis, cap. XXVI. 3. כי באתי אל הארץ אשר נשבע יהוה לאבותינו לתת לנו *Quod venerim in terram*, QUAM JURAVIT *Jehova Patribus noſtris*, SE NOBIS DATURUM. Manifeſtum enim unicuique eſt ex loco illo obiter etiam inſpecto, τὸ *dare* ibi reſpicere ad הארץ *terram* Juramento promiſſam, non vero ad ipſum Jusjurandum. At φρασιολογία, ut in mea illa diſtinctione comparet, τοῦ δοῦναι ἡμῖν λατρεύειν, adeo familiaris eſt Hebæis & Græcis in Fœderis utriuſque Codicillis, ut ubique occurrat. Sumitur autem τὸ נתן vel δίδωμι illis in locis pro *facere* vel *præſtare*, *ut aliquid hac aut illa ratione ſit* vel *fiat*, atque conſtruitur cum *Verbo modi infinitivi* ſequente. Sic nimirum in Pſ. XVI. 10. לא תתן הסידך לראות שחת Ad verbum: NON DABIS VIDERE CORRUPTIONEM. Senſus eſt; Facies, ut pius tuus non videat corruptionem. Job. XXXI. 30. לא נתתי לחטא חכי *Feci, ut non peccaret palatum meum.* I Sam. XVIII. 2. לא נתנו לשוב בית אביו *Fecit, ut non reverteretur in domum Patris ſui.* Alia prætermitto. Hæc habe ex Novo Teſtamento; Matth. XIII. 11. ὅτι ὑμῖν δίδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας

In quo vox δοῦναι non ſatis commode refertur ad *Jusjurandum*.

Nec favet huic ſententiæ locus *Deut.* XXVI. 3.

Referendum igitur τὸ δοῦναι ad ſequentia, & idem hic valet, quod *præſtare*.

πλείας τῶν οὐρανῶν. Joan. III. 27. Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Rom. XV. 4. Ὁ' γὰρ Θεὸς τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως δώη ὑμῖν τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἐν ἀλλήλοις κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν. 2 Tim. I. 18. Δώη αὐτῷ ὁ Κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίου. Apoc. VII. 2. Οἷς ἐδόθη αὐτοῖς ἀδικῆσαι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν. Ita igitur plane cenſeo pericopam hanc totam vertendam eſſe: *Ut exerceret miſericordiam cum Patribus noſtris, ac memor eſſe pacti ſui ſancti: Nec non Jurisjurandi, quo juravit Abrahamo Patri noſtro, ſe daturum nobis* (φράσει Hebraica: *ſe facturum, ut nos*) *ut ſine metu è manu inimicorum noſtrorum liberati ipſum coleremus.* Belgice: **Op dat hy gedagtig ware des eeds / dien hy Abraham onſen Vader geſworen heeft: Om ons te geven verloſt ſijnde uyt de handen onſer Vyanden hem te dienen ſonder vreeſe.** Quod autem legam ὅρκου & ὅρκον, novum non eſt, cum ipſe Theophylactus ita legerit, & contextus manifeſto evincat reducendum eſſe hoc vocabulum ad τὸ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ, quod præceſſerat.

Exempla illius locutionis.

Commodior loci verſio.

II. Act. XX. 28. Ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος *Ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ille proprio ſuo ſanguine acquiſivit.* Notandum eſt, cum græce hæc ſcripta extent, reſpectum habere illam ad Dialectum, qua tunc temporis uſi fuerunt Judæi. Quod ſi cogitemus: ſingularem ἔμφασιν obſervabimus in vocabulo αἷμα, quod reſpondet Syriaco רמין/ plurali τοῦ רם/ quod *Sanguinem* ſignificat. Supponendum enim, Hebræos & Syros non tantum רם dixiſſe in ſingulari, ſed & רמים & רמין. Ita Gen. IV. 18. ויאמר קול רמי אחיך צעקים *Vox* SANGUINUM *fratris tui clamantium.* quod ipſum רמים numeri pluralis nihilominus Auctor Epiſtolæ ad Hebræos per αἷμα *Sanguinem* convertit[a]. At, τὸ αἷμα hoc in loco reſpicere ad רמין in *numero plurali*, mihi inde vero ſimile fit, quod Paulus heic deſignet *effuſionem ſanguinis Christi* factam in cruce. αἱματεκχυσία vero hebræis efferebatur per שפיכות רמים *Effuſionem ſanguinum*, non שפיכות רם *effuſionem ſanguinis.* Obſerva nunc porrò, idem hoc vocabulum רמין *pretium* ſignificare apud Chaldæos & Syros; qui ſignificatus vocis ætate Domini noſtri fuit receptiſſimus. Exempla apud Paraphraſtas plurima ſunt. Sic apud Jeſaiam[b]: ואליפו בלא ברמין *Diſcite abſque pretio.* Quod ſi admiſeris, mox advertas ſua-

Obſervatio alia ad locum *Act.* XX 28.

Ubi inſignis luſus eſt in voce αἷμα; quæ reſpondet voci רמין, & tam *pretium*, quam *ſanguinem* ſignificat.

a Cap. XII. 14. b Cap. LV. 1.

ſuaviſſimum luſum in vocabulo αἷμα, quod nimirum ejuſmodi *ſanguinem* ſignificet, qui ſimul ſit *pretium*. Quam concinne hæc conjunxit Petrus Apoſtolus ſua in Epiſtola priore [a]: Εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε ἐκ τῆς ματαίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου· ἀλλὰ τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου Χριστοῦ.

Quid ſit ἡ ἄνω Ἱερουσαλήμ, Gal. IV. 26. quæritur.

III. Gal. IV. 26. Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. Beza: *Illa vero, quæ ſurſum eſt Hieroſolyma, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum.* Belgæ: **Maer Jeruſalem / dat boven is / dat is vry / 't welck is ons aller moeder.** Coccejus cum Beza atque Belgis conſentit. Grotius τὸ ἄνω capit pro ἄνωθεν, idque interpretatur: *Hieroſolyma, quæ deſurſum eſt.*

Aliorum ſententiæ.

Sed recte animadverſum à Viris Doctis, qui priorem interpretationem tuentur, τὸ ἄνω eam ſignificationem admittere non poſſe.

Vertenda eſt phraſis: *Superior Hieroſolyma*, & accipienda de Monte *Tſione*, ſive illa *Urbis* parte, quæ, Joſepho ἡ ἄνω πόλις dicitur.

Nos vero nulli dubitamus, quin verba Apoſtoli vertenda ſint: *Superior Hieroſolyma*. eodem prorſus modo, quo Joſephus Hiſtoriographus diſſerens de Hieroſolyma, montem *Tſion* ſæpius appellat τὴν ἄνω πόλιν, quod nihil aliud eſt, quam τὴν ἄνω Ἱερουσαλήμ. Belgice id optime exprimimus: **De boven ſtadt.** Civitatis nimirum Hieroſolymorum pars illa, quam complectebatur *Mons Tſion*, reliquis Urbis illius Partibus in Acra & Bezetha altior fuit & munitior. Verum non Joſephus modo, de *Hieroſolyma* diſſerens, ſæpe adhibet nomina τῆς ἄνω καὶ κάτω πόλεως, quibus *Tſionem* montem à reliqua parte *Hieroſolymorum* diſtinguit; ſed & Græci Scriptores admodum frequenter, quando *Athenarum Arcem*, quę ἀκρόπολις dicebatur, à reliqua parte Urbis illius ampliſſimæ ſeorſim deſignant. Illi, inquam, τὴν ἀκρόπολιν *ſummum Urbis* nomine τῆς ἄνω πόλεως *Urbis ſuperioris*, & reliquam partem, urbi deinceps adjectam, (eodem enim plane modo hoc in caſu ſe res habuit cum *Athenis* ac cum *Hieroſolymis*:) nomine τῆς κάτω πόλεως inſignire ſolent. Obſervavi præterea apud *Plautum* [b], hunc Græciſmum (addere poſſem Belgiſmum, quia Belgæ in hac phraſi Græcis prorſus conſentiunt:) in Latinam Linguam tranſlatum eſſe.

Phraſis ſatis recepta.

Al. *Vin' proferri pateram?* Am. *proferri volo.*
Al. *Fiat. tu, Theſſala,* INTUS PATERAM *proferto foras,*

Qua

a Cap. I. 18. b In *Amphitruon.* Act. II. Gen. II.

Qua hodie meus vir donavit me.

Douza: Intus Pateram proferto. *Ex Helleniſmi forma interpretandum, qua dicunt τὸ ἔνδος ποτήριον: ut fiat, Proferto pateram eam, quæ intus eſt.* Cæterum cum ἡ ἄνω πόλις tantundem valeat ac ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, ut jam incepi dicere: haud dubie Apoſtolus per τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ intellexit montem *Tſion*, ſic vulgo Græcis dictum. Videndum ſolummodo, an hæc interpretatio ſatisfaciat ſcopo *Pauli*.

IV. *Paulus* Apoſtolus *duo* inter ſe comparat *Teſtamenta*, duaſque *matres*, quarum illa ad *ſervitutem* pariebat, hæc ad *libertatem*. *Prius* Teſtamentum (quod tamen apud Apoſtolum *poſterius* eſt, quia *Bona* illius Teſtamenti poſt bona *Teſtamenti*, ad montem Sinai confirmati, demum diſtribuuntur:) eſt *Teſtamentum Gratiæ*, quod Patribus ante Legem, ſignate vero Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo revelatum eſt, & cujus vi illi in cœlum ſunt tranſlati. *Poſterius* eſt Teſtamentum confirmatum ad montem *Sinai*. *Populus* vero, qui ſub illis Teſtamentis vixit, comparatur cum duplici matre; cum *matre ſterili* & *fœcunda*. *Mater ſterilis* erant Patres ante Legem, præſertim Patriarchæ, qui nullum aliud audiverant verbum, quam *promiſſionis bonorum Teſtamenti Gratiæ*, & unice per fidem in eas promiſſiones ſalvati erant & tranſlati in cœlum. Illi vero vocantur *Mater ſterilis* ex vaticinio Jeſaiæ [a], quia nullos habuerunt *filios*, ſibi ſimiles in ſua poſteritate, poſtquam *Lex* ad montem Sinai Promiſſioni adjecta eſt. Ab eo enim tempore præter verbum Promiſſionis verbum *Legis* auditum eſt, quod cauſa fuit *ſervitutis*. *Mater fæcunda* erat populus, qui cum Deo fœdus iniverat ad montem Sinai, per quod obligabatur *ad ſervitutem*. Hic vocatur *mater fæcunda*, quia innumeri ex hoc populo orti ſunt poſteri, ad eandem ſervitutem obſtricti. Sed apud Jeſaiam prædicitur, certo tempore eventurum, ut *mater ſterilis* plurimos pareret liberos, multoque plures, quam *mater fæcunda*, id eſt, ut per idem Verbum gratiæ, quod audiverant Patres ante Legem, plurimi in Eccleſiam reciperentur homines, Judæi & Gentes, inſtar Patrum, qui nunc in cœlis ſunt, *liberi* ab omni Jugo, vere Filii *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*. Quę cum ſic habeant, Apoſtolus

Interpretatio comparatur cum ſcopo Pauli.

Duæ *Matres ſpirituales*, quarum Apoſt. hic meminit exponuntur.

Altera *Eccleſia Patriarchalis libera*;

Altera, Iſraëlitæ in ſervitutem redacti ad montem Sinai.

Prior quo ſenſu *ſterilis* longum tempus, altera *fæcunda*?

Exponitur locus *Jeſ.* liv. 1.

a Cap. liv. 1.

lus *matrem fœcundam* comparat cum *Hagare*, *ſterilem* cum *Sara:* Item confert *Matrem fœcundam* cum *Sina monte*, & *matrem ſterilem* cum τῇ ἄνω Ἱερουσαλὴμ *Superiori Hieroſolyma.* Quid vero convenientius eſt, quam ut in hac comparatione per *Hieroſolymam ſuperiorem* intelligamus *montem Tſion*? Nam mons cum monte optime comparatur, & mons *Sinai* monti *Tſion* optime opponitur; & quod maxime ad rem noſtram facit, *Tſion* mons in Vaticiniis proponitur ut *mater* eorum, qui ſub Novo Teſtamento in Chriſtum Jeſum crederent. Quid eo clarius quod nos offendit in Pſ. II. 6. ואני נסכתי מלכי על ציון הר קדשי *Ego vero unxi Regem meum ſuper* TSIONEM MONTEM *ſanctitatis meæ.* & Pſ. LXXXVII. 2. *Diligit Jehova portas* TSIONIS *præ omnibus Tabernaculis Jacobi. Honorificentiſſima dicuntur de te Civitas Dei: Sela. Faciam in memoria eſſe Rahab & Babylonem cognoſcentibus me. Ecce Palæſtinum & Tyrium cum Æthiope*, QUI NATUS EST IBI; ולציון יאמר איש ואיש ילד בה והוא יכוננה עליון *&* DE TSIONE *dicetur:* QUI LIBET NATUS EST IN ILLA: *& ipſe conſtabiliet eam altiſſimus. Jehovah recenſebit, in deſcribendis populis*, QUI NATUS EST IBI. An hoc aliquid aliud eſt, quam quod *Tſion* dicatur *mater* eorum, qui Eccleſiam conſtituerent ſub OEconomia Nova? De eo vero, quod *Tſion* mons commode opponatur monti *Sinai*, clariſſimus locus eſt in Epiſtola ad Hebræos[a], ubi comparatio inſtituitur inter montes *Sinam* & *Tſionem:* quorum ille Veteris, hic vero Novi Teſtamenti figuram geſſit. Οὐ γὰρ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ ὄρει καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ καὶ γνόφῳ, καὶ θυέλλῃ (hic erat *mons Sinai:*) ---- ἀλλὰ προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει καὶ πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ, καὶ μυριάσιν Ἀγγέλων. His igitur nixus principiis locum præſentem ita convertendum cenſeo: *Superior Hieroſolyma libera eſt, quæ eſt omnium noſtrum mater.* Belgice: **Het boven Jeruſalem/ (de boven Stadt: De Bergh Zion) is vry/ welke is onſer aller Moeder.**

Libera autem & prior Mater, longum tempus *ſterilis*, liberos ederet ſub OEcon. N. eſtque ejus emblema *Tſion*, phraſi Prophetarum.

Locus Heb. XII. 18, 19. hinc illuſtratur.

V. Si quis autem Verſioni priori mordicus vellet adhærere: poſſet is, meo judicio, τὸ ἄνω Ἱερουσαλὴμ conferre cum phraſi μυστικωτέροις Judæorum Theologis recepta: ירושלם של מעלה/ HIEROSOLYMÆ SUPERNÆ, quę reſpondet ירושלים של מטה אָז HIEROSOLYMÆ INFERIORI. Sic enim illi eleganter: æque ac diſtinxerunt inter מקרש של מטה *Sanctuarium inferius* & מקרש של מעלה *San-*

Communis tamen interpretatio juvatur phraſi Vett. Hebb. qui loquuntur de *Hieroſolyma ſuperna.*

a Cap. XII. 18, 19, 20.

Sanctuarium ſuperius: ישיבה של מעלה *Academiam ſuperiorem*, hoc eſt, quę *in cœlis eſt*, & ישיבה של מטה *Academiam inferiorem*, quę in hiſce terris eſt. Solent enim omnino per ירושלם של מעלה *Hieroſolymam Supernam* Myſtici illi Judæorum Theologi intelligere *Cœtum Sanctorum*, qui *Civitatem Dei* componunt in Cœlis: quam Dei Civitatem in Cœlis Paulus alibi ſimili dictione vocat *Hieroſolymam* ἐπȣράνιον COELESTEM. Loca hac de re inter alios dudum notata ſunt à Raymundo [a] & Voiſino. Unum modo ex iis, à [b] Voiſino adductum ex [c] Midraſch Thillim, deſcribam: ומי איכא ירושלם למעלה אין דכתיב ירושלם הבנייה כעיר שחוברה לה יחדיו אמ״ל עוד שהיא עושה כל ישראל הוברי׳ *Eſtne aliqua* HIEROSOLYMA SUPERNA? *Ita: Scriptum eſt enim*: (Pſ. CXXII. 3.) Jeruſalem, ædificata eſt ut Civitas, quę eſt ſibi ſimul juncta. *Dixit R. Joſue, Filius Levi, præterea quæ facit omnes Iſraëlitas* SOCIOS. h. e. Legis Divinæ peritos, & ut tales, arcta inter ſe ſocietate devinctos. — Loca Vett.

VI. 2 Theſſ. II. 1. Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ ὑπὲρ τῆς παρȣσίας τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριστȣ̃, καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν· Εἰς τὸ μὴ σαλευθῆναι ἀπὸ τȣ̃ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι, μήτε διὰ Πνεύματος, μήτε διὰ λόγȣ, μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τȣ̃ Χριστȣ̃. Beza: *Rogamus autem vos, Fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtri ad eum aggregationem: Ne cito à mente dimoveamini, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos* ſcriptam, *quaſi inſtet Dies ille Chriſti*. Belgæ: **Ende wy bidden / U / Broeders / door de toekomſte onſes Heeren Jeſu Chriſti ende onſe toevergaderinge tot Hem / dat gy niet haeſtelijk beweeght en wort ofte verſchrickt / noch door geeſt noch door woord / noch Send-brief als van ons** (geſchreven,) **als of de dagh Chriſti aenſtaende ware.** Coccejus non multum diſſentit. Memini quondam in hiſce verbis aliquam conſtructionis σύγχυσιν obſervare: Nunc vero, quando rem attentius conſidero, non tantum probo cogitationes priores, ſed & plane in illis acquieſco. Mea nimirum ſententia hic eadem eſt quæ Flacii, & ante eum Lutheri, voculam ὑπὲρ hic ſignificare materiam, de qua Apoſtolus Theſſalonicenſes voluit monere, ac proinde — Loci 2 *Theſſ.* II. 1. Verſiones producuntur & expenduntur. Et in conſtructione obſervatur aliqua verborum tranſpoſitio.

E e ver-

a Vide Raymund. Pug. Fid. Part. II. Cap. IX. Fol. 309, 310. b Obſ. Procem. Pug. Fid. Raym. Fol. 142. c Ad Pſ. CXXII.

vertendam eſſe per DE: cum paſſim Interpretes eam hic vertant per PER, tanquam deſignaret argumentum, quo Apoſtolus obteſtationem ſuam adſtringit. Flacius[a]: *Omnes h. l. vertunt illud Græcum* ὑπὲρ *præpoſitione* PER; *cum potius in ſua nativa ſignificatione intelligendum ac vertendum eſſet* DE, *ſicut ſolus Lutherus in vulgari convertit. Indicat enim ibi Apoſtolus materiam aut argumentum, de qua re Theſſalonicenſes orare aut monere velit, nempe de extremo judicio, ne id putent prorſus inſtare, eoque temere tumultuentur. Quare alii verſores vel mutilum obſcurumque efficiunt textum, vel etiam de ſuo ſupplere coguntur.* Ita igitur verba Græca concipio: Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοός, μήτε θροεῖσθαι μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ· *Rogamus autem vos fratres, ne cito concutiamini à ſententia, neque turbemini, neque per Spiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam, tanquam per nos* (ſcriptam) SUPER *adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtra ad ipſum congregatione, quaſi inſtaret dies ille Chriſti.* Belg. **Ende wy bidden u / Broeders / dat gy niet haeſtelijck beweeght en wort van verſtandt ofte verſchrickt noch door Geeſt / nochte door Woordt / nochte door Send-brief / als door ons** (geſchreven) **over de toekomſte onſes Heeren Jeſu Chriſti ende onſe vergaderinge tot Hem / als of de dagh Chriſti aenſtaende ware.** Duas has Verſiones inter ſe comparare, meo judicio eſt laudare poſteriorem. Quam enim quæſo incommodè dicitur, *Rogo vos per adventum Chriſti?* Quis Scriptorum ſacrorum ita unquam loquutus eſt? Dein, an particula ὑπὲρ poteſt tranſponi per PER? Non putem illam ea ſignificatione uſurpari in univerſo Novo Teſtamento, neque loca etiam apud probatos Auctores Græcos hactenus occurrerunt, in quibus illum voculæ uſum obſervavi. Nulla etiam hujus ſignificationis exempla adſcripſit diligentiſſimus Glaſſius. Vocula autem ὑπὲρ ſignificatu *materia* Græcis admodum familiaris eſt. Loca petantur ex Glaſſio. Utique ſignificatus ille voculæ ὑπὲρ à Græcis ad Latinos tranſiit, qui ſuum *ſuper* eodem modo uſurpant.

Flacius Illyricus laudatus.

Verba ſententiæ ſuo ordine poſita.

Adſtruitur hæc verſio, & præ priore commendatur.

Uſus vocularum ὑπὲρ & *ſuper* ubi *materia* & argumentum orationis exponitur.

Vir-

a Clave Scripturæ Part. I. Apud Glaſ. Gram. S. Lib. III. Tr. VI. p. 559.

Virgilius [a]:

Hæc SUPER *arvorum cultu pecorumque canebam*, *&* SUPER *arboribus*.

Alibi [b]:

Multa SUPER *Priamo rogitans*, *ſuper Hectore multa*.

Vocum vero ſignificatus cudendi non ſunt pro noſtro arbitrio, ſed ex ipſis libris ſacris ſunt percipiendi, addiſcendique. Sed multo clarius etiam de hac re conſtabit, ſi ipſum locum, & orationis Apoſtolicæ contextum paulo preſſius conſideraverimus. Paulus Apoſtolus miſerat ad Theſſalonicenſes Epiſtolam ante hanc aliam, quę nunc prior dicitur, atque in ea multis diſſeruerat de glorioſo Chriſti Domini adventu ad judicium. Locutus autem fuerat illo de adventu Domini ea ratione, ut rudiores inde colligere ſe poſſe exiſtimarent, Adventum hunc Chriſti Domini inſtare. Expendamus prioris Epiſtolæ cap. IV. 15. Ita diſſerit illo in loco Paulus: Τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν ἐν λόγῳ Κυρίου ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν Κυρίου οὐ μὴ φθάσωμεν τοὺς κοιμηθέντας. & commate 17. Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ περιλειπόμενοι ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις εἰς ἀπάντησιν τοῦ κυρίου εἰς ἀέρα. & cap. V. 23. Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ ἡμῶν τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη. Quis miretur, rudiores ex his Apoſtoli verbis in eam perductos eſſe ſententiam, fore ut Chriſtus Dominus brevi tanquam humani generis Judex de cœlis glorioſe appareret? E re itaque eſſe putabat Apoſtolus, ut hunc errorem animis illorum evelleret: quod agit hujus *Capitis* initio, docens, ante illum Glorioſum Domini adventum alia adhuc fieri debere juxta prædictiones Vatum, quę longioris alicujus temporis moram requirebant & cum opinione de adventu Domini proxime inſtante non poterant conſiſtere. Sunt autem ejuſmodi ὕστερα πρότερα, ſive ſententiarum συγχύσεις & ἐμπλοκαί, in Contextu ſacræ Scripturæ ſatis frequentia. Exempla dabit Glaſſius [c]. Ego forte hoc in Capite μετάθεσιν verborum ſimilem obſervavi, quę digna notatu eſt. Ita habet comma 7. μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται. Beza: *Tantum qui nunc retinet*, retinebit, *uſquedum è medio tollatur*. Belgæ:

Senſus collatus cum ſcopo & contextu orationis Paulinæ.

Adducto loco 1 Cap. IV. 15, 17.

Similis verborum μετάθεσις indicata in verſ. 7.

a Georgic. Lib. IV. verſ. 559, 560. b Æneid. Lib. I. verſ. 750.
c Lib. III. Tract. VI.

Alleenlijk die hem nu wederhoudt (die ſal hem wederhouden) **tot dat hy uyt het midden ſal** (wegh gedaen) **worden.** Ego ita lego: μόνον ἕως ὁ κατέχων ἄρτι ἐκ μέσου γένηται *Tantum uſque quo is, qui nunc retinet, è medio tollatur.* Belg. **Alleenlijk tot dat hy/ die hem nu wederhoudt/ uyt het midden wegh gedaen worde.** Quæ verſio pariter nihil peregrini habet in textum illati.

Caput VII.

Duo Loca ex Epiſtolis Pauli *ad* Timotheum *notantur; quorum alter exponitur, alter illuſtratur. Ex Epiſtola item ad* Hebræos *producitur monitum* Pauli, *cum quo comparantur dicta quædam Doctorum Judæorum ex* Pirke Avoth. *Poſtea docetur, quid in* poſteriore Epiſtola *Petri intelligendum ſit* per vocationem διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς per gloriam & virtutem. *Coronidis loco additur obſervatio ad vocem* Φαρισαῖος.

In loco 1 Tim. VI. 3, 4 diſquiritur, an verba Apoſtoli verſ. 4, 5. pertineant ad ſubjectum vel prædicatum orationis?

1 TIm. VI. 3, 4. Εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, τετύφωται μηδὲν ἐπιστάμενος, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας· ἐξ ὧν γίνεται φθόνος, ἔρις, βλασφημίαι, ὑπόνοιαι ------ ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. Beza: *Si quis diverſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ: Is inflatus eſt, nihil ſciens: ſed inſaniens circa quæſtiones & pugnas ex verbis ----- abſcede ab iis, qui ejuſmodi ſunt.* Belgæ: **Indien iemandt een andere leere leert/ en niet over een en komt met de geſonde woorden onſes Heeren Jeſu Chriſti/ ende met de leere/ die nae de Godtſaligheyt is/ Die is opgeblaſen ende en weet niets/ maer hy raeſt omtrent twiſt vragen en woorden ſtrijdt -------- wijckt af van de ſulcke.** Neque, quod vidi, cæteri Interpretes diſſentiunt. Videntur tamen mihi Interpretes *prædicati* loco ponere verba hujus textus in *commatibus* 4. & 5. quę ad deſcriptionem *ſubjecti* pertinent. Placuit illa ſententia Bezæ, quem alii fere ſecuti ſunt. Ego tamen

Poſterius paſſim tenent Intt. ſed quæ

exi-

exiſtimo, longè minorem vim ineſſe in oratione Apoſtoli, ſi τὸ τετύφωται & quę ſequuntur, ſumantur ut *prædicatum*: &, ut verum fatear, non video, orationem Apoſtoli ſecundum illam hypotheſin decore cohærere. Num is qui ἑτεροδιδασκαλεῖ ſemper τετύφωται? An quis aliam doctrinam docere non poteſt ex ignorantia? Quin an ὁ ἑτεροδιδασκαλῶν ſemper occupatus eſt circa *quæſtiones inutiles*, & circa *eas inſanit*? An non aliquando contingit, ut qui verum ſtudioſe colunt, circa magni momenti quæſtiones ambigant, eaſque aliter exponant ac oportet, qui nullo jure dici poſſunt *turgidi eſſe*, μηδὲν ἐπιστάμενοι? Sed & ultima illa verba; ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων: quæ partem faciunt hujus contextus, juxta hanc verſionem, à prioribus per punctum diſtinguenda eſſent, quę tamen omnino cum præcedentibus cohærent. Capio igitur verba *verſuum quarti* & *quinti* tanquam quę pertineant ad deſcriptionem ſubjecti ἑτεροδιδασκαλοῦντος, eaque ita verto: *Si quis aliter doceat & non accedat ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, Doctrinæ, inflatus* (ſi ille ἑτεροδιδασκαλῶν ſimul ſit inflatus & nihil ſciens &c.) *nihil ſciens*, (imperitus:) *ſed ægrotans circa quæſtiones & verborum pugnas ------- abſtine à talibus.* Belg. **Indien iemandt een andere leere leert / en niet over een en komt met de geſonde woorden onſes Heeren Jeſu Chriſti / ende met de leere / die nae de Godtſaligheyt is: Opgeblaſen is** (**dat is** / indien die geene, die een andere leere leert te gelijk opgeblaſen is ende een weet niet:) **ende een weet niet / maer raſende ontrent twiſt vragen ----- wijckt af van de ſulcke.** Atque ita illud vocabulum τετύφωται alias etiam ab Apoſtolo noſtro in duabus hiſce ad *Timotheum* Epiſtolis ſumitur in deſcriptione *ſubjecti* reprobi [a]. Μὴ νεόφυτον: ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. Alibi [b]: Προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι.

ſententia laborat difficultate.

Rectius itaque verba commatum 4. & 5. referuntur, ad *ſubjectum* quando facilis eſt ſenſus.

II. 2 Tim. II. 19. Ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην· Solidum *vero* Fundamentum Dei *ſtat*, *habens hoc ſigillum*. Chryſoſtomus per *ſolidum Dei Fundamentum* ipſos intelligit Credentes. αἱ στερεαὶ, inquit, ψυχαὶ ἑστήκασι πεπηγυῖαι καὶ ἀκίνητοι. Quam expoſitionem huic loco & phraſi congruam eſſe eru-

Expoſitio Doctorum Virorum, qui in loco 2 Tim. II. 19. per *ſolidum* Dei *fundamentum*

a 1 Ep. III. 6. b 2 Ep. III. 4.

intelligunt credentes, illuſtratur ex ſimilibus phraſibus Scriptorum Judæorum.

dite demonſtrarunt Cll. Viri Coccejus [a] & Witſius [b]. Ego igitur nihil aliud in præſenti adjiciam, quam Φρασιολογίαν hanc, uti expoſita eſt à Chryſoſtomo, nec Hebræis nec Chriſtianis Scriptoribus eſſe inuſitatam. Sic utique alibi Aben-Eſra de antiquis Maſorethis [c]: וכן מנהג חכמי טבריא והם העקר כי מהם היו אנשי המסורה *Talis eſt conſuetudo Sapientum Tiberiadis*, QUI FUNDAMENTUM SUNT, *nam ex iis ſunt Viri Maſorethæ.* Maimonides de Abrahamo [d]: ועל דרך זו היה העולם הולך ומתגלגל עד שנולד עמודו של עולם והיא אברהם אבינו *Atque hoc modo Mundus incedebat & volvebatur, donec nata eſt* COLUMNA MUNDI, *Abraham Pater noſter.*

Et Chriſtianorum.

Euſebio Pamphilo [e] aliiſque antiquæ Eccleſiæ Doctoribus recepta pariter hæc fuit locutio. Sic ubi refert partem Epiſtolæ Lugduno & Vienna in Aſiam miſſæ: Ἀντιστρατήγει δὲ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ τοὺς μὲν ἀσθενεῖς ἐῤῥύετο· ἀντιπαρέταττε δὲ στύλους ἑδραίους, δυναμένους διὰ τῆς ὑπομονῆς πᾶσαν τὴν ὁρμὴν τοῦ πονηροῦ εἰς ἑαυτοὺς ἑλκῦσαι. Henricus Valeſius: *Viros autem illi oppoſuit Columnarum inſtar firmos ac ſtabiles.* Proprie: COLUMNAS FIRMAS. Sed clarius in ſequentibus de *Attalo:* καὶ εἰς Ἄτταλον στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῶν ἐνταῦθα ἀεὶ γεγονότα· *Et in Attalum*, qui COLUMNA & FIRMAMENTUM (vel *Fundamentum*, quia reſpondet τῷ עקר & יסוד) *Eccleſiæ noſtræ ſemper fuit:* ita enim ſenſum Doctiſſimus Interpres expreſſit. Comparemus etiam ea, quę alibi leguntur [f]: οἱ δὲ στεῤῥοὶ καὶ μακάριοι στύλοι τοῦ Κυρίου κρατυνθέντες ὑπ' αὐτοῦ, καὶ τῆς ἰσχυρᾶς ἐν ἑαυτοῖς πίστεως ἀξίαν καὶ ἀνάλογον δύναμιν καὶ καρτερίαν λαβόντες, θαυμαστοὶ γεγόνασιν αὐτοῦ τῆς βασιλείας μάρτυρες. In quibus ſimul ratio redditur, cur ita appellentur. *Columnæ* autem heic loci non habent ſignificationem ab ea *Fundamenti* diverſam, ſed capiuntur pro fulcris & baſibus ædificiorum.

Loca Euſebii in hanc rem.

Et Ignatii.

Ex Ignatii etiam Epiſtola ad *Philadelphios* idem notavi. οἱ στύλοι, inquit ille, τοῦ κόσμου οἱ ἀπόστολοι COLUMNÆ MUNDI, *Apoſtoli.* Fieri tamen poteſt, ut hæc ratio loquendi primorum Eccleſiæ Doctorum originem debeat aliis locis S. Scripruræ, in quibus hæc Φράσις extat.

Loca parallela ex Scriptis N. T.

Sic eſt apud Joannem in Apocalypſi [g]: Ὁ νικῶν ποιήσω αὐτὸν στύλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ μου· *Qui vicerit, faciam ut ſit* COLUMNA *in Templo Dei mei.* Et apud Paulum in Epiſtola ad Galatas [h]:

a Com. in h. l. b OEcon. Fœd. Lib. III. Cap. XIII. §. XXXVI. c Libro צחות Fol. 138. d De Idol. Lib. I. §. V. e Hiſt. Eccl. Lib. V. Cap. I. f Lib. VI. Cap. XLI. g Cap. III. 12.

tas[a]: Καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι· *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui exiſtimantur* Columnæ *eſſe.* Horatius (ſit enim venia id ſubtexendi dictis:) de Cæſare Auguſto ad Fortunam[b]:

Injurioſo ne pede proruas Stantem columnam.

III. In Epiſtola ad *Hebræos*[c] extat loquendi modus aliquis de habitu diſcipulorum erga Præceptores, eorumque inſtituta, qui alibi non facile reperitur: Διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι μήποτε παραῤῥυῶμεν· *Propterea oportet nos eo magis attendere ad ea, quæ audivimus, ne forte* perfluamus. Belgæ: **Op dat wy niet t' eeniger tijt door en vloeyen.** Beza[d], & cum eo Doctiſſimi Belgæ, judicarunt, Paulum voce παραῤῥύειν notare vitium illud Auditorum, quo audita non conſervant animo, ſed cribri inſtar, ſive vaſis rimarum pleni, tranſmittunt. Beza: Perfluere *dicitur qui auditum ſermonem non continet: ut Terentianus ille Parmeno ſe plenum eſſe rimarum dicit, qui* hac & illac perfluat. Nolim aſſeverare, Paulum id hoc loco, & nihil aliud, hac phraſi intendiſſe. Quod ſi tamen hæc expoſitio admittatur, habeo quo eam illuſtrem. Veteres enim Hebræos eadem comparatione & phraſi in oblivioſis & ſtupidis auditoribus deſcribendis uſos eſſe, liquet ex Pirke Avoth. Sic in eo eleganter de R. Eliezere[e]: רבי אליעזר בן הורקנוס בור סיד שאינו מאבד טפה *Ribbi Eliezer Filius Hyrcani eſt* cisterna calce obducta, *quæ nec* guttulam perdit. Alibi etiam in hunc modum[f]: ארבע מדות ביושבי לפני חכמים ספוג ומשפך משמרת ונפה : ספוג שהוא סופג את הכל : משפך שמכנים בזו ומוציא בזו : משמרת שמוציאה את היין וקולטת את השמרים : ונפה שמוציאה את הקמח וקולטת את הסולת : *Quatuor ſunt genera eorum, qui ſedent coram Sapientibus:* Quidam ſunt, ut *ſpongia*; alii ut *clepſydra*; alii, ut *ſaccus facinaceus*; alii, ut *cribrum. Spongia, quia illa ſugendo attrahit omnia. Clepſydra,* quia una ex patre attrahit, et alia ex patre effundit. *Saccus facinaceus, quia effundit vinum, & colligit fæces. Cribrum, quia emittit farinam, & colligit ſimilam.* Profecto tres poſteriores phraſes analogicæ omnino conveniunt cum illa Scriptoris Epiſtolæ ad *Hebræos.* Quemadmodum enim heic loci auditores cum

Locus ad Heb. 11. 1. allegatur in quo *perfluere* dicuntur auditores Evangelii, minus diligentes.

Bezæ expoſitio, hujus phraſis.

Illuſtrata ex *Pirke Avoth.*

a Cap. 11. 9. b Lib. 1. Od. xxxv. verſ. 13, 14. c Cap. 11. 1. d In h. l. e Cap. 11. §. 7. f Cap. v. §. 15.

cum CLEPSYDRA, *ſacco ſetinaceo*, & *cribro* comparantur, ita etiam ſuos monet *Auditores* Apoſtolus, ne *clepſydræ* vel *cribro* ſimiles evadant, quæ *humorem* vel *farinam* facile quidem recipiunt, at mox tranſmittunt. Imo Philo Judæus hujus comparationis alibi quoque rationem habet, ubi de *myſteriis* Religionis non temere niſi apud initiatos vulgandis diſſerit [a]: Τὸ γὰρ τῆς ἀκράτορος ψυχῆς νᾶμα ἔξω ῥέον διὰ στόματός τε καὶ γλώττης, πάσαις ἀκοαῖς ἐπαντλεῖται· ὧν αἱ μὲν εὐρυχώρους δεξαμενὰς ἔχουσαι, τὸ ἐπιχεόμενον φυλάττουσι ἀσφαλείᾳ· αἱ δὲ διὰ στενότητα πόρων, ἀδυνατοῦσιν ἀρδεύεσθαι· τὸ δὲ ὑπερβλύζον ἀκατασχέτως ἐκχεόμενον σκίδνασθαι πάντη· *Nam incontinentis animæ fluenta per os linguamque manantia, inundant aures omnium. Harum*, QUÆ CAPACIORES LACUNAS HABENT, *libenter ſervant quod infunditur. aliæ vero propter anguſtias foraminum rigari nequeunt.* QUOD AUTEM SUPEREBULLIT EFFUSUM IN PARUM CAPACIA, PASSIM DIFFLUIT. Eleganter!

Et ex Philone Judæo.

IV. 2 Pet. I. 3. Ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν δεδωρημένης διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Beza. *Prout divina vis ipſius omnia nobis donavit, quæ ad vitam & pietatem pertinent per agnitionem illius, qui vocavit nos ad gloriam & virtutem.* Belgæ: **Gelijck ons ſijne Goddelijcke kracht alles/ wat tot het leven ende de Godtſaligheyt behoort/ geſchonken heeft door de kenniſſe des geenen/ die ons geroepen heeft tot Heerlijckheyt ende deught.** Præcipua difficultas horum verborum recte exponendorum eſt in verbis διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, vel ſi rem recte putamus, in vocula διὰ, quam dum Beza atque Interpretes noſtrates per *ad* vertunt, longius videntur receſſiſſe à genuino ſenſu hujus loci. Monent tamen, voculam διὰ ut plurimum *per* ſignificare. Ita in Notis ad N. 18. **Ofte/** door ſijne heerlijckheyt ende deught. **Doch het Griex woort** διὰ **beteeckent niet altijt** door, **maer oock ſomtijts** tot. Rom. VI. 4. Deſumpta hæc ſunt ex Beza, qui eundem hunc locum adduxerat, atque omnino exiſtimat, τὸ διὰ quandoque *ad* ſignificare. Mihi tamen id parum videtur probabile. Vocula διὰ cum *gignendi caſu* conſtructa in ſacro Novi Teſtamenti Codice, reſpondet Literæ apud Hebræos præfixæ ב/ quæ ſignificatu convenit cum Latinis præpoſitionibus *in*, *per*, *de*, *cum*, ſed nunquam, quantum

Quæritur, quid in loco Petri, 2 Cap. 1. 3. ſignificent verba: διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς.

An διὰ hic recte vertatur per *ad*?

a Lib. de Sacr. Abel. & Cain. p. m. 108.

tum quidem (nobis liquet, ſignificat *ad*. Exempla in re ſatis nota adducere, opus non fuerit. Quem enim tyronem latet, Hebræam Literam ב/ nominibus præfixam, & Græcam voculam διὰ, paſſim deſignare *inſtrumentum*, per quod quid peragatur? An vero etiam *ſtatum* ſignificet vocula διὰ ad exemplum hebrææ Literæ ב/ de eo forte quis ambigat. Sed en loca! *Paulus* ad *Romanos*[a]: Εἰς τὸ εἶναι Πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας· *Ut eſſet* (Abrahamus) *Parens omnium illorum, qui credunt* IN PRÆPUTIO, *id eſt, non circumciſi.* & in Epiſtola ad *Timotheum* priore[b]: Σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας· *Servabitur autem* LIBEROS GIGNENDO. Videndum itaque, an talis aliqua ſignificatio voculæ διὰ, quę comparari poſſit cum ſignificatu Literæ ב/ Nominibus præfigendæ, ſecundum ſtylum Scriptorum N. T. hic locum habere non poſſit. Atqui videbimus nihil obſtare, ſi loca hæc duo diligenter conſiderentur. Petrus ait, Deum *nos vocaſſe* διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, quod nos omnino vertimus: PER GLORIAM ET VIRTUTEM: Paulus ait, Chriſtum Jeſum *eſſe ſuſcitatum* διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς; id nos pariter vertimus, non AD *Gloriam Patris*, ſed PER *Gloriam Patris.* Videamus, quo fundamento & ſenſu.

An ſignificare poſſit *ſtatum* rei aut *perſonæ*? Adducta loca quæ id adſtruunt.

Doceturque vocem διὰ hic verti poſſe per *per*.

V. Nempe cum præcipue adverſus hanc verſionem inferatur, quod Beza ait, ἀρετὴ *multo melius convenire hominibus quam Deo*: id primo hic obſervemus, vocem ἀρετὴ Deo optime & commodiſſimè tribui ea ſignificatione, quæ recepta erat Helleniſtis, h. e. ut Heſychius jam notavit, ſumptam pro τῇ θείᾳ δυνάμει DIVINA POTENTIA. LXX Interpretes vocem hebræam הוד/ quę de Deo ſatis frequenter uſurpatur, tranſponere ſolent quibuſdam locis per Græcum ἀρετή[c]. הוד vero notat *claritatem Regiam*, demonſtratam in excellentibus quibuſdam effectis, *Regia virtute* & VIGORE editis. inde ipſam quoque *Virtutem*, *Robur*, *Vigorem*, &c. Sic haud dubie pro *Virtute* & *Vigore* ſumitur hæc vox Prov. v. 9. *Ne des aliis* הודך VIGOREM TUUM. Quod enim hic dicitur הוד/ mox vocatur שנות VIGOR ÆTATIS, & כח ROBUR & *Facultas Vitæ*. הוד itaque, Deo adſcriptum, ut non raro fit in Sacro Codice[d], notat *Regiam* Dei *Majeſtatem*, clareſ-

Nec obſtat ſignificatio vocis ἀρετὴ, quippe quæ recte vertitur per *Virtutem Divinam*.

Et comparatur cum Hebræa הוד.

 cen-

a Cap. IV. 11. b Cap. II. 15. c Hab. III. 2. Zach. VI. 13. d Job. XXXVII. Pſ. CXLVIII. 13.

centem in Exercitio *Divinæ Potentiæ*, & *Vigoris*, Potente Rege digni. Sic v. gr. apud Habakukum[a]: כסה שמים הודו *Texit Cœlos* CLARITAS EJUS. Effecta ſc. Gloriæ & Majeſtatis, quibus Deus ſe præſentem adeſſe Iſraëlitis ad montem Sinai demonſtravit. Apud Jeſaiam[b]: *Audiri fecit Dominus* את הוד קולו CLARITATEM VOCIS SUÆ. Vocem Dei viventis & vigentis, cui tota rerum natura in exequendis ipſius judiciis paret. Sic itaque Deus *nos* vocat δι᾽ ἀρετῆς PER VIRTUTEM, quando in nobis vocandis & in ſtatum Gratiæ transferendis ſummam illam exerit *Virtutem*, qua Chriſtum Jeſum *ſuſcitavit ex mortuis*[c].

Quæ eadem virtus Divina, quia *glorioſo modo* à Deo exercetur, vocatur *gloria*.

VI. Sed *Virtus illa*, quam Deus exerit in Electis efficaciter vocandis, eſt *Glorioſa* & digna Deo, ſumma majeſtate prædito Rege. Inde Apoſtolus ait Deum nos vocare διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς *per* GLORIAM & VIRTUTEM: h.e. per Virtutem Regiam Glorioſiſſimam. Modus ille loquendi, Hebræis inprimis Scriptoribus familiaris, dicitur *Hendiadys*, ἓν διὰ δυοῖν, quo *duo ſubſtantiva vel Synonyma vel diſparatæ ſignificatisnis* quandoque *conjunguntur*, *& eorum alterum adjectivi vicem ſuſtinet*, *ejuſque habet ſignificationem cum emphaſi*. Sic Doctiſſimus Glaſſius[d]: cui debemus exempla, quę ad Canonem hunc illuſtrandum faciunt, in quibus tandem hunc ipſum quoque *Petri* locum, quem tractamus, recenſet. Jer. XXII. 3. *Sic dixit Dominus*, *facite* משפט וצדקה *judicium & juſtitiam.* hoc eſt, judicium juſtum. Job. IV. 16. דממה וקול *Silentium & vocem audivi.* i. e. vocem ſubmiſſam, vel ex ſilentio alto ortam. Jer. XXIX. 11. *Ad dandum nobis* אחרית ותקוה *finem & expectationem.* h. e. expectatum. Job. X. 17. חליפות וצבא *vices & exercitus ſunt contra me.* i. e. qui per vices eunt redeuntque. Act. XIV. 13. ταύρους καὶ στέμματα, h. e. *tauros coronatos.* Verte itaque nunc ſi placet verba Petri: QUI VOCAVIT NOS PER GLORIOSAM SUAM & INDICEM MAJESTATIS VIRTUTEM. id eſt, qui glorioſæ ſuæ majeſtatis ſpecimen dedit, atque potentiam vere Divinam exercuit in nobis vocandis. Belgice: Door het geloove in hem / die ons geroepen heeft door ſijne Heerlijcke (Goddelijcke ende Koninckljcke) kracht. & compara cum hac Petrina ſententia Paulinam illam ad Epheſios[e]: Εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τί τὸ ὑπερβάλλον

Hendiadys in Scriptura frequens.

Exemplis illuſtrata.

Verſio loci ſecundum hanc hypotheſin inſtituta.

a Cap. III. 3. b Cap. XXX. 30. c Epheſ. I. 19. d Phil. Sacræ Lib. III. Tract. I. Can. VI. e Cap. I. 18, 19.

βάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τοὺς πιστεύοντας κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, Ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

VII. Alluſit autem Apoſtolus haud dubie, ubi hæc ſcripſit, ad *Vocationem Iſraëlitarum* ad Communionem & Fœdus Dei, quo tempore Deus illos ex Ægypto eduxit, & illis apparuit ad Montem Sinai. Illa Vocatio Vetus erat *Glorioſa*, & conjuncta cum *claritate* & demonſtratione Majeſtatis Regiæ apud Iſraëlitas præſentis. Erat ibi [a] כבוד הוד *Gloria Majeſtatis* & *Claritatis Regiæ:* tam in externis Divinæ Gloriæ ſignis, quam in illuſtribus Divinæ Virtutis & Vigoris effectis, quę apparitionem illam Divinam comitabantur. Non minor *Gloria*, non minor *Claritas*, Majeſtas, Virtus, & Vigor Dei demonſtratur, & demonſtrata eſt in OEconomia Novi Fœderis inſtituta. Illa κλῆσις facta pariter eſt διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Et pertinent etiam huc alia Scripturæ dicta, quę Deo vindicant *Gloriam Virtutis* & *Potentiæ*, quam ſummam & inſuperabilem exerit in Statu Gratiæ. Sic eſt in Pſalmo LXII. 3. לראות עוך וכבודך *Ad videndum fortitudinem tuam & gloriam tam.* hoc eſt, glorioſiſſimum robur tuum. **Uwe ſeer heerlijcke ſterckte.** Et cum vocabulo תפארת Pſ. LXXXIX. 18. כי תפארת עזמו אתה *Nam gloria roboris eorum tu es.* id eſt, glorioſiſſimum eorum robur. Et Dominus apud Marcum [b]: Ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης, *Venientem* cum POTENTIA *multa &* GLORIA. i. e. cum glorioſiſſima ſua potentia. Sic pariter eleganter in Pſalmo XXIV. 8. מי זה מלך הכבוד יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה *Quis eſt ille Rex* GLORIÆ? *Jehova* ROBUSTUS *&* POTENS: *Jehova bello potens.* Jeſ. LXVI. 19. האיים אשר לא ראו כבודי והגידו את כבודי בגוים *Inſulæ quæ non viderunt gloriam meam: Ut annuncient* GLORIAM *meam inter gentes*, id eſt, glorioſam virtutem Domini, cujus paulo ante Vates meminerat.

Illuſtratur ex comparata Vocatione Iſraelitarum ex Ægypto.

Et conferuntur alia loca, quæ de glorioſa Vocatione Divina in ſtatu gratiæ agunt.

VIII. Hac itaque eadem prorſus ratione puto accipiendum eſſe vocabulum δόξα in Epiſtola *Pauli* ad Romanos [c], *ubi Chriſtus dicitur ſuſcitatus ex mortuis* διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρός, PER GLORIAM PATRIS. **Door de heerlijke kracht des Vaders.** Qui ſecundus locus eſt à nobis hac ex phraſi exponendus, à Beza, ſecundum eandem illam hypotheſin, verſus: AD *gloriam Patris.* Belgæ:

Illuſtratur ex iiſdem principiis locus Rom. VI. 3.

a Pſ. CXLV. 5. b Cap. XIII. 26. c Cap. VI. 13.

gæ: **Is opgewerkt tot de heerlijckheyt des Vaders**/ cum tamen *διὰ per* ſignificat, uti ante evictum; & cum præterea hic dicendi modus elegans ſit & vel maxime emphaticus: ut jam demonſtratum. Ita Exod. xxix. 43. ונקדש ישראל בכבודי *Et ſanctificabitur Iſraël* PER GLORIAM MEAM.

Ε'πίμετρον de origine vocis φαρισαῖος.

IX. De origine vocabuli φαρισαῖος verbum addere liceat. Petitur illa communiter à voce פרש quę notat *ſeparare*, quia hoc hominum genus à cæteris erat ἀφωρισμένον: Religionis cauſſa ab aliis ſecretum, metuens, ne ex commercio cum ignotis quibuſlibet hominibus, maxime ex conſuetudine Vulgi, immunditiem ſibi contraheret. Non ſperno hanc etymologiam & ſignificationem vocis, ea nixam. Mihi tamen aliquando ex *Pirke Avoth* repetenti ſtatum controverſiæ, quę fuit inter *Sadducæos* & *Phariſæos*, in mentem veniebat, an non forte *Phariſæorum* illa ſecta nomen hoc ſuum deberet voci פרס PHARAS: de qua re inter Phariſæos & illorum Antagoniſtas diſputatum eſt.

An non forte duci poſſit à voce פרס?

Sic legitur in *Pirke Avoth*[a]: אנטיגנוס איש סוכו קבל משמעון הצדיק הוא היה אמר אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב על מנת שלא לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם *Antigonus vir Socho accepit à Simeone juſto. Ille dixit: Ne ſitis tanquam ſervi, qui ſerviunt Magiſtro ea conditione, ut accipiant* MERCEDEM (פרס PHERAS, vel PHARAS:) *ſed eſtote tanquam ſervi, qui ea conditione non ſerviunt Domino ſuo, ut accipiant mercedem, ſitque timor Dei ſuper vobis.*

Significatio hujus vocis.

פרס Hebræis eſt quod Græcis μισθαποδοσία, *præmii retributio*, quo vocabulo utitur Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad *Hebræos*[b] diſſerens de *Moſe*: Μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ· ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν. Plane enim opinor, reſpexiſſe Paulum Apoſtolum ad hoc ipſum vocabulum פרס/ quod eandem in ſignificatione vim habet. Fuit enim Apoſtolus φαρισαῖος, uti ipſe profitetur. Scripſit autem hac in Epiſtola ad Hebræos, quos partem maximam atque nobiliſſimam Phariſæis addictos fuiſſe, ex Vetere hiſtoria conſtat. *Phariſæi* autem hoc nomine à *Sadducæis* erant diſtincti, quod *illi* propugnarent *Pharas* μισθαποδοσίαν poſt hanc vitam: hi negarent. Quare itaque ab hac ſua ſententia dici non potuerunt *Phariſæi*? Nihil ſane video, quod magnopere obſtet, niſi

a Cap. I. §. III. b Cap. XI. 26.

niſi quod Abarbanel alibi doceat, referente L' Empereurio [a], פרס tantum ſignificare *præmium liberale hujus vitæ*, quod confertur ex *arbitrio*, non ex *debito*; quale *Filiis* datur à Parentibus & *ſervis* à Dominis ſuis. Abarbanelis verba, huc ſpectantia, ſunt: פרס יאמר תמיד על הגמול הגשמי בעולם הזה ולא יאמר בשום צד על הגמול הנפשי אמנם השכר נאמר פעם על הגמול הגשמי ופעמים רבות יאמר על הגמול הנפשי Pheras *ſemper dicitur de compenſatione corporali in hoc mundo, non vero dicitur ullo modo de præmio ſpirituali; at* Merces *dicitur quandoque de mercede corporali, & ſæpe dicitur de præmio ſpirituali.* Sed, etiamſi Cl. Buxtorfius idem moneat, nihil tamen video cauſſæ, quę nos ſignificationem hujus vocis tantopere jubeat reſtringere. In contrarium certe it Cohen de Lara, qui פרס deducit à Græco φόρος tributum. Utique in verbis Antigoni Sochæi, modo recenſitis, פרס idem prorſus ſignificare debet quod apud Paulum μισθαποδοσία. quod nobis omnino ſufficit.

Et ſententia de ea Abarbanelis.

a Notis ad Bertramum de Repub. Jud. Cap. xix.

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

CAMPEGII VITRINGA
OBSERVATIONUM
SACRARUM
LIBER
SECUNDUS

IN QUO

De Rebus varii argumenti, & utiliſſimæ inveſtigationis, *Critice* ac *Theologice*, diſſeritur; *Sacrorum* imprimis *Librorum* Loca multa obſcuriora nova vel clariore luce perfunduntur.



FRANEQUERÆ,
Ex Officina WIBII BLECK Bibliopolæ,
MDCCXI.

Generoſiſſimis, Ampliſſimis, & Magnificis

VIRIS,

JARICHO AB OCKINGA,

In Ampliſſimo Supremæ Friſiorum Curiæ Senatu Primæ Sedis honore Conſpicuo ac Venerabili.

WILHELMO AB HAREN,

Diœceſis Biltanæ Ex-Prætori; In Conſeſſu Celſorum & Præpotentium Belgii Fœderati Ordinum Aſſeſſori; Nobilium & Potentium Friſiæ Ordinum Delegato ad Acta Octo-Viro; Variis pro Republica Legationibus ſapienter & ex voto obitis Illuſtri.

DANIELI BLOQ à SCHELTINGA,

Diœceſis Schoterlandicæ Ex-Prætori; ad Comitia Friſiæ Delegato; variis & ampliſſimis Dignitatibus in Illuſtribus Friſiæ & Fœderati Belgii Conſeſſibus per plures annos feliciter perfuncto.

SICCONI à GOSLINGA,

Libero & Hæreditario Amelandiæ Domino; Diœceſis Franekeranæ Prætori; In Ampliſſimo Conſeſſu qui Rationibus Publicis præeſt hoc tempore Aſſeſſori.

Academiæ Friſiorum, quæ Franekeræ eſt,
CURATORIBUS Prudentiſſimis

S. P. D.

C. VITRINGA.

DEDICATIO.

RES Academica & Litteraria nemini in Patria noſtra cordi eſt, Illuſtres Viri, qui non ſerio & vere gaudeat, illius curam Vobis demandatam commiſſamque eſſe. Habet enim in Vobis ſimul Fautores Potentes & Magnificos, tanquam qui Natalium ſplendore & dignitate auctoritateque in Republica excellitis; ſimul omnis veræ elegantiæ, ſapientiæ, & eruditionis quoque cultioris, Exempla. Ex ipſis enim illis Literis, in quarum Patrocinium Divina Providentia Vos provexit, primo Vobis comparaſtis omnem illum Cultum, Humanitatem, & Prudentiam, quæ Vobis ad res graviſſimas in honorem atque emolumentum Patriæ noſtræ, ac totius Belgarum Populi, egregie ac feliciter gerendas uſui atque ſubſidio eſſe poterant. Ad quæ cum acceſſerit experientia tot annorum, quibus ſive diſtrahendis controverſiis & gravibus

publi-

publicorum judiciorum caſibus decidendis in Supremo Gentis noſtræ Dicaſterio præfuiſtis; ſive clavum Reipublicæ tam in Friſiorum noſtrorum quam in Belgicæ Fœderatæ omnium Ampliſſimis Senatibus & Conciliis prudenter & circumſpecte gubernaſtis; ſive etiam in Legationibus ad Potentiſſimos Europæ Reges, aut ardua Pacis negotia tractanda, feliciter ſapienterque obitis, ſalutem Publicam conſtabiliviſtis, (quod inſuper Tuum eſt, Illuſtris HARENI, decus:) uſque eo perfecti eſtis & conſummati, ut Belgarum Populi habere non poſſint aut cupiant utilitatis ſalutisque ſuæ æquiores Arbitros, & Diligentiores Cuſtodes; nec Athenæum quoque hoc noſtrum digniores & Prudentiores rerum ſuarum Curatores. Nos enim vere ita exiſtimamus, Splendidiſſimi Viri, Excellentiæ & Virtutum Veſtrarum Gloriam omnino etiam in noſtram refundi Academiam; & tanto altius caput extollimus, quanto rem melioribus gerimus auſpiciis, & honoratiore gaudemus Præſidio. Tantum, noſtri intelligimus eſſe officii, eſtque ea non exigua noſtræ ſolicitudinis pars, operam dare, quantam licet, ut providæ illius curæ, & ſingularis affectus, quo nos proſequimini & fovetis, fructus aliquis Vobis conſtet, & ad Publicum quoque redundet non pœnitendus, nec Vobis inglorius. Qua in re ſi deficimus: imbecillitatis id noſtræ, non voluntatis, vitium erit. etſi ſatis conſtat, & res

 ipſa

ipſa loquitur, poſſe nos hic abſque pudore coram Vobis conſiſtere. Ego utique inter alios hanc mihi in univerſa vitæ meæ ratione fixi Legem, Divinæ Vocationi, & Veſtræ de me exſpectationi, quantum facultatis mediocritas & vires ferunt, ſatisfacere, & provinciam, mihi demandatam, ea adminiſtrare fide, cujus rationem Vobis, & Chriſto quoque Jeſu, ſummo ſtudiorum noſtrorum Præſidi & Arbitro: pro humanæ imbecillitatis ratione, cujus conſcientiam neutiquam dimiſi: exponere poſſem. Certe enim probe percepi, cum ad Veſtram commendationem admodum Juvenis admoverer ad ſpectabile docendi Munus in publica eruditorum hominum luce gerendum. non eſſe me vocatum ad otium ſed ad labores; proin cavendum mihi ſedulo, ne otii nimis prodigus, aut laboris impatiens viderer. Et vero ſi id illo etiam tempore, quo ætas ſolicitiores animi curas facilius diſpellebat, non tam alte inhæſiſſet: potuit me experientia plurium jam annorum docere, illam vitæ ſectam, quam profiteor, totam fere conſtare occupatione ſæpe ad laſſitudinem laborioſa, cui ſi ulli apte quadret illud Cothurnati Tragœdi: Πόνος πόνῳ πόνον φέρει. etſi tamen ſolatio eſt, eo nos verſari in genere exercitationis, quod omnium in hac vita pulcherrimum & præſtantiſſimum eſt, &, ſi prudenter ac feliciter excolatur, fructum facit quem ipſa non abolebit æternitas. Specimen aliquod hujus

juſmodi meorum conatuum curæ meæ fuit Vobis exhibere ante hos aliquot annos, ubi primo in publicum extuli *Secundum* hunc *Obſervationum* Mearum *Librum*, qui nunc denuo typorum operas exercuit & Illuſtribus Nominibus Veſtris iterum dicatus prodit. Sentiebam enim me hoc officii genus Vobis debere, ut argumentum eſſet animi in Vos obſequioſi, & beneficiorum in me collatornm memoris: licet parum reſpondeat Dignitatum Meritorumque Veſtrorum amplitudini. Veſtri favoris fuit, Divina faciente Providentia, me in lucem Eccleſiæ primo protrahere, & honeſtiſſimam mihi procurare vitæ conditionem, eandemque identidem cum varia Veſtri in me affectus ſignificatione honoratiorem & luculentiorem efficere. quæ beneficia ſentio eſſe maxima & me Vobis validiſſime obſtringere, Neque ſane Ego etiam hic refugere velim ullam ſanctiſſimæ obligationis conditionem, quia Vobis maxime inter homines debere velim, quibus nemo debet abſque honore. modo à Vobis impetravero, quod enixe & reverenter contendo, ut acceptum denuo habeatis munus, antea non ſpretum, quod cum his ipſis Obſervantiæ Publicæ Literis Vobis nunc repræſento; tum etiam ſtudia & conatus, quæ Eccleſiæ impendo, Vobis commendata habere velitis, quod feciſtis hactenus. Ego vero ut Deo non ſimulate gratias ago, quod Vos, partem non exiguum humani ævi ſpatium jam

præ-

prætergreſſos, hactenus indeflexo animi & corporis vigore ex voto, quod ante hos undecim annos conceperam, clementer conſervaverit; licet interea noviſſimis iiſque difficillimis Patriæ temporibus magnum ſuſtinueritis rerum Commodo Publico gerendarum onus: ſic ſupplice prece idem Divinæ Majeſtatis Numen veneror, ut hujus beneficii uſuram Vobis provida ſua & ſingulari cura in longum adhuc protrahat, quo Rem Patriæ, Eccleſiæ, atque hujus maxime Academiæ, Veſtra porro auctoritate, prudentia, conſiliis, & cura, egregie juvetis, foveatis, promoveatis; & Literarum ſtudia pro generoſitate, peritia, atque experienta Veſtra, ad ſummum extollatis decus. Valete Felices. Scripſi Franekeræ in Friſiis, A. D. IV Kal. Feb. CIϽ IϽCC.

C. VITRINGA
OBSERVATIONUM
SACRARUM
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Genuinus ſenſus celebris Loci Amoſi, *cap.* v. 25, 26. *in medium profertur; adſtruiturque variis argumentis, quod in eo traditur de Cultu Idolorum* Molechi & Remphan, *quo ſe Iſraëlitæ in* Deſerto *polluiſſent, non* figurate *ſed vere* & quoad literam eſſe *intelligendum. Quam in rem alia quoque producuntur Sacræ Scripturæ Loca & illuſtrantur, quæ affinem continent ſententiam.*

Qui ex titulo hujus Diſſertationis videt, nos ad inſignem hunc *Amoſi* Locum commentationem inſtituiſſe: fortean non abſque ratione præſumat, in animo nos habere ut excurramus in interpretationem Vocum & Phraſium intellectu difficiliorum, quę in hoc Amoſi dicto occurrunt; de quibus vix ullus Virorum celebrium eſt, qui ſuam non dixerit ſententiam. Sed non ſtat hoc nobis nunc propoſitum. Cum enim tanti ea non eſſent, quę eas ad difficultates cogitaveramus, ut præter tot eruditorum Hominum conjecturas ampliorem huic Loco lucem dare poſſent: non facile ad eum fuiſſemus commentati, niſi illius occaſione apud animum noſtrum ſæpe numero motum fuiſſet non leve dubium, Præloquium ad hanc diſſertationem.

Illius argumentum.

bium, an *Poſteri Iſraëlis præter delicta, in idololatria Vituli* & *Baal Peoris in Deſerto* commiſſa, quorum explicita mentio eſt in Hiſtoria Moſaica, *non dicendi ſint alias etiam ejuſdem Idololatriæ criminis perpetraſſe ſpecies*, licet earum ſacer Hiſtoriographus non meminerit? Quod cum ipſi apud nos cuperemus reſolvere: placitum eſt, has illi dare theſes, Locumque *Amoſi*, cujus genuini ſenſus inveſtigatio eo plurimum faciet, brevibus examinare, & quę plura huc pertinere videbuntur, æqua lance perpendere.

Locus Amoſis cap. v. 25, 26. productus ut baſis quæſiti de *Idololatria* ab Iſraëlitis commiſſa in Deſerto.

II. Amoſi Locus [a] ita habet: הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל: ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם *An* SACRIFICIA *&* MUNUS *obtuliſtis mihi in Deſerto* PER QUDRAGINTA ANNOS, DOMUS ISRAEL? *Immo vero portaſtis tentorium* MOLECHI VESTRI, *&* CIUN, *imagines veſtras, ſtellam Deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis.* LXX. Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι οἶκος Ἰσραὴλ τεσσαράκοντα ἔτη ἐν τῇ ἐρήμῳ; καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφὰν, τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς. A quibus non diſſentit *Lucas* in recenſione Orationis ſancti Stephani coram Synedrio habitæ, (dubium enim non eſt, quin *Stephanus* Syriace loquutus fuerit, & *Amoſi* verba vel Hebraice vel Syriace ex Paraphraſibus allegaverit:) quam fecit in Apoſtolorum Actis cap. VII. 42. niſi quod οἶκος Ἰσραὴλ apud ipſum in *prioris commatis* fine legatur, uti in Hebræo Codice eſt, quod apud τοὺς LXX in medio reperitur, & *ultima poſterioris commatis*, quę οἱ LXX expreſſerunt: τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς, reddiderit exigua varietate: τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς: notante tamen doctiſſimo Beza, Veteres Chriſtianos, ubi hunc locum deſcripſerunt, τοὺς LXX ad omnia heic loci ſequutos fuiſſe. Satis enim apparet, τὸ προσκυνεῖν explicationis gratia eſſe adjectum, ne quis exiſtimaret, peccati nequitiam *efformatione* τῶν τύπων *aſtrorum*, ſive צלמי הכוכבים/ vel ſi mavis cum Talmudicis, צורי הכוכבים/ conſtitiſſe: de quo forte in ſequentibus ex Hebræorum ſententia latius. Neceſſe erit prius ad intelligentiam contextus tam Hebræi quam Græci quædam adnotare, quam de re ipſa ex conſilio noſtro diſſeramus.

LXX Intt. verſio hujus loci cum ea Lucæ in oratione Stephani comparata.

Obſervatio generalis ad

III. Obſervetur igitur ad *prioris commatis* intellectum, literam

a Cap. v. 25, 26.

ram ה *interrogativam*, quando ſententiæ integræ *affirmativæ* adjecta eſt, vim habere *negandi* validiſſimam, quam ſimiliter habet *affirmandi*, ſi præpoſita ſit *negativæ*, obſervantibus Præſtantiſſimis hujus Linguæ Magiſtris Judæis & Chriſtianis. Exemplum eſt clariſſimum 2 *Sam.* VII. 5. *Abi & dic ſervo meo Davidi: Ita dicit Jehova:* האתה תבנה לי בית AN TU *mihi* ÆDIFICARES *domum?* Exprimitur enim hæc ſententia 1 *Chron.* XVII. 4. לא אתה תבנה לי הבית לשבת NON *tu mihi* ÆDIFICABIS *domum inhabitandam*. Similiter apud *Zachariam* cap. I. 5. והנביאים העולם יחיו *Et Prophetæ an in perpetuum vivent?* Paraphraſtes habet: נביייא לא לעלמא קיימין *Prophetæ in æternum non permanent*. Verba itaque Amoſi: *An ſacrificia & munus obtuliſtis mihi*, hanc in ſententiam capienda ſunt: *Non obtuliſtis mihi ſacrificia & munus in Deſerto per quadraginta annos*. Aben-Ezra: ה״א הזבחים ה״א התימה ותגרת הטעם שלא הגישו *Litera* ה/ *quæ in voce* הזבחים *eſt*, *eſt* ה *Interrogativum*, *ita ut ſenſus ſit*, *quod non obtulerint*. Ad *poſterius comma* velim animadverſum, literam ו in voce; ונשאתם: elegantiſſime hic uſurpari in oppoſitione duarum ſententiarum fortiſſima, quando vertenda eſt: *Tantum abeſt*, *ut contra*. quemadmodum in Verbis Davidis [a]: אם גמלתי שולמי רע ואחלצה צוררי ריקם *Si malum tribuerim colenti mecum pacem!* ET *eripui*, *qui ut hoſtem me immerito tractabat*. Senſus eſt: *Tantum abeſt*, *ut contra hoſti ac inimico meo benefecerim*. Ita igitur *Amoſi* hunc locum cónvertas: *Non obtuliſtis ſacrificia*; IMO TANTUM ABEST, UT CONTRA *portaveritis tentorium Molechi veſtri*. Belgæ: Jae 't is daer ſoo verre van daen/ dat gy in tegendeel. En Hebrææ Dialecti elegantiam, in qua unius hujus literæ ea vis eſt, quę in aliis Linguis plurium demum vocum.

Intellectum horum verborum, *interrogationem* hanc *affirmantem* per negationem validiſſimam interpretandam eſſe.

Exempla illius locutionis.

Litera præfixa ו in voce ונשאתם vertenda: *Tantum abeſt ut contra.*

IV. Græca vero Verſio nequaquam exprimit hanc Hebrææ Linguæ emphaſin & elegantiam, ſed Hebræum Contextum, uti conſuevit, ad verbum ſequitur. Sed unde, ais, igitur in Verſione Græca illa ordinis & ſeriei verborum contextus Hebræi mutatio? Hebræa habent: *Portaſtis tentorium Molechi veſtri*, *& Ciun imagines veſtras*, *ſtellam Deorum veſtrorum*, *quos feciſtis vobis*. Græca: *Portaſtis tentorium Molech*, *& ſtellam Dei veſtri Raiphan*; *imagines illorum*, *quas feciſtis vobis*, vel: *imagines*,

Specialis ad Verſionem Græcam, in qua hic occurrit tranſpoſitio verborum.

a Pſal. VII. 5.

Quæ ex diverſo lectionis ordine nata eſt.

nes, quas feciſtis vobis. Differentiam vides manifeſtam: ita ut ſatis conſtet, notante etiam in *Critica* ſua Cl. Cappello, legiſſe ſuis in Codicibus τὺς Lxx. תשאתם את סכות מלככם כוכב אלהיכם כיון צלמיכם אשר עשיתם לכם pro eo, quod nunc τὸ כוכב אלהיכם ſequitur τὸ כיון צלמיכם / in quarum vocum tranſpoſitione tota differentis Lectionis ratio conſiſtit. Quænam, inquam, hujus Lectionis variantis cauſa & origo? Licet enim conſtet, τὺς Lxx Codice uſos, ab Hebræorum vel Maſoretharum Codicibus non parum diſcrepante, in multis etiam corrupto, ita ut illi ipſi Interpretes neceſſe habuerint κρίσιν ſuam ſæpe numero interponenere, cum Lectionem communem non intelligerent: certum tamen eſt, conſtitiſſe maxime illam varietatem in literarum mutationibus & tranſpoſitionibus, & ut plurimum ortam eſſe ex abſentia punctorum vocalium, qua fieri poterat, ut vox una diverſis acciperetur modis. Cogitare enim oportet id, quod certiſſimum eſt, ante tempora Chriſti tantam non fuiſſe in recenſendis deſcribendiſque Codicibus Sacris accurationem apud priſcos Judæos, quanta poſt deſtructum Templum à Maſorethis adhibita eſt, & quidem per Chriſtianos ad zelum provocatis, quos illi putabant Scripturam corrupturos. Cæterum, quia non licet exiſtimare, id ſponte vel caſu factum: neceſſe eſt dicamus, vel illos κρίσιν ſuam hic interpoſuiſſe, judicando, verba, ceu ab ipſis tranſpoſita ſunt, commodiorem ſenſum fundere, ſicuti revera ſenſum fundunt commodiſſimum, cum Hebræa obſcuriora ſint; vel excogitemus rationem, qua concipere poſſimus hanc Lectionis varietatem accidiſſe. Ego vero magis feror in poſteriorem ſententiam, ideoque mente mea concepi modum, quo ea Lectionis diverſitas, quam modo notabamus, potuit orta eſſe. Nempe obſervari hic debet, ineſſe *commati poſteriori egregiam quatuor* ſententiarum conſonantiam, hodiernis Rhythmis non diſſimilem. Terminantur illæ omnes in ſuffixum *ſecundæ Perſonæ Pluralis* כם / ad eundem modum quo antiqua Judææ Gentis Carmina, ſive Cantica, compoſita & deſcripta ſunt. Obtinuiſſe enim apud Hebræos olim Poëſin non *Metricam*, ut Cl. Gomarus operoſe demonſtrare conatus eſt, ſed *Rhythmicam*, qualis apud nos in uſu eſt, minus tamen politam[*],

Qui ordo lectionis inde repetitur, quod pericopæ quædam S. Scripturæ olim Rhythmice conſcriptæ ſint.

tam[a], certum habeo. Capiamus licet exemplum ex *Pſalmo Secundo:*

Cujuſmodi Poëſios Rhythmicæ producuntur ſpecimina.

ננתקה את מוסרותימו
ונשליכה ממנו עבתימו
יושב בשמים ישחק ארוני ילעג למו
אז ידבר אלימו באפו
ובחרונו יבהלימו
ואני נסכתי מלכי
על ציון הר קדשי

אספרה אל חק יהוה אמר אלי בני אתה
אני היום ילדתיך
עבדו את יהוה ביראה
וגילו ברעדה

כי יבער כמעט אפו
אשרי כל חוסי בו

Dubitandum autem non eſt, quin Veteres Hebræi ejuſmodi ſententias, quæ in modum Carminis digeſtæ erant, aut in quibus ſyllabarum conſonantiam Rhythmicam deprehendebant, eum in modum ſcripſerint, ut verſus verſui ſubjiceretur, & ſententia ſententiæ rhythmice conceptæ reſponderet: ut hodieque in hebræis Codicibus fieri advertis in Cantico *Moſis*, quod Deut. xxxii. extat:

Eſtque ſcriptionis ille & lectionis modus tranſlatus ad alias etiam Pericopas, in quibus aſſonantia Rhythmica deprehendebatur.

האזינו השמים ואדברה ותשמע הארץ אמרי פי
יערף כמטר לקחי תזל כטל אמרתי

Pariter in altero *Moſis* Cantico Exod. xv. 1. Cantico *Debora* in Judicum lib. cap. v. Cantico *Davidis* 2 Sam. xxii. & forte id olim locum habuit in omnibus Canticis Davidicis. Neque in Canticis tantum & Carminibus, ſed & in Pericopis hiſtoricis, quæ in verſus commode diſtingui poterant, & in vocibus aut ſyllabis conſonantibus terminabantur: ut fit Joſ. xii. 9. Eccleſ. iii. 1. Eſther. ix. 7, 8. Num. vi. 25, 26. Fac igitur, hunc ad

Quæ hypotheſis applicata ad hunc locum Amoſi detegit cauſſam veram differentiæ lectionis LXX Intt.

a Clare & docte hanc ipſam hypotheſin adſtruxit Eruditus, Vir Joh. Clericus, in Specimine Critico, inſerto Vol. ix. *Biblioth. Hiſtoric.* p. 219.

ad modum in vetuſtiſſimis Editionibus Prophetæ *Amoſi* manuſcriptis *ultimum comma* fuiſſe exaratum:

כיון צלמיכם	ונשאתם את סכות מלככם
אשר עשיתם לכם.	כוכב אלהיכם

Ita ut mox continua ſerie ſequuta ſint verba: והגליתי אתכם מהלאה לדמשק אמר יהוה אלהי צבאות שמו: Finge, inquam, ita ſcriptum fuiſſe in Codicibus, quibus οἱ ἑβδομήκοντα uſi fuerunt, & ipſos has quatuor ſententias non legiſſe ordine recto *à dextra ad ſiniſtram*, ſed *à ſummo ad imum*, & † habebis plane eandem verſionem, & in verſione verborum ordinem, quem apud priſcos illos Interpretes Græcos licet obſervare.

Interpretatio realis horum verborum optima eſt, quæ proxime accedit ad mentem & ſcopum Stephani.

V. De *Interpretatione* vero horum Verſuum ita exiſtimo, eam omnium eſſe optimam, quæ proxime ad *Græcorum* Interpretum verſionem accedit, quam ſua auctoritate confirmavit Divus *Lucas*, & ex cujus ſenſu ſanctus *Stephanus* orationem ſuam coram Synedrio inſtruxit. *Stephanus* intendit probare, Iſraëlitas *ſerviviſſe* τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ *Exercitui Cœli*. Quo nomine juxta phraſin hebræam, in Codice Veteris Inſtrumenti receptiſſimam, oportet intelligere *Solem*, *Lunam*, ſtellaſque, & ſtellaturas inſigniores. Ita eſt apud Moſen [a]: *Et ne tollas oculos tuos cœlum verſus, & videas* SOLEM, LUNAM, *& ſtellas*, כל צבא השמים TOTUM EXERCITUM COELI. Et in ſequentibus [b]: ויעבוד אלהים אחרים וישתחו להם ולשמש או לירח או לכל צבא השמים *Et ſerviverit Diis alienis, & incurvaverit ſe iis, Soli aut Lunæ, aut omni* EXERCITUI COELORUM. LXX habent πάντα τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ utroque in loco, ceu etiam alibi inſtituerunt Gen. II. I. Καὶ συνετελέσθησαν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν. Habent tamen φράσιν eandem Græcam, qua utitur *Stephanus*, in verſione τοῦ מלכת השמים Jer. VII. 18. conſentientibus Veteribus Interpretibus, qui teſtante Abarbanele, hac dictione *totum cœlum* ſignificari crediderunt. Si igitur

Secundum quem hic locus agit de *idololatria*.

per

a Lib. v. Cap. IV. 19. b Cap. XVII. 3.

† Sic omnino res ſe habet, ut hoc in typo vides:

כיון צלמיכם	ונשאתם את סכות מלככם
Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους,	Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ
אשר עשיתם לכם	כוכב אלהיכם
Οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς	Καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν

per *Exercitum Cœli* intelligere oportet *Solem*, *Lunam*, & *Stellas:* neceſſe eſt, verba *Amoſi* ex mente *Stephani* ita exponamus, ut in iis *Solis*, aut *ſtellarum* inſigniorum, fiat mentio.

Et quidem Lxx Intt. quos ſequutus eſt Stephanus, & Lucas, vocem, *Regis veſtri*, hic acceperunt de *Molecho*.

VI. Obſervamus autem primo, Interpretes Græcos vocem מלך / quæ alias ſimpliciter *Regem* ſignificat, accepiſſe pro *Molecho*, Idolo in Scriptis Veteribus notiſſimo. Ego vero putem, Interpretes Græcos optime ſic inſtituiſſe, & prudenter hos imitatum fuiſſe Lucam ex intentione etiam *Stephani*. Videri poſſet obſtare, vocem hanc pro *idolo* acceptam ordinario punctari מֹלֶךְ / non מֶלֶךְ / neque illi addi *affixa Perſonalia*, ſed eam omnino haberi ad modum *Nominum Propriorum*. Nec tamen hæc tanti ſunt. Quod enim Vox מלך / pro *Idolo Molechi* accipienda, מֹלֶךְ non מֶלֶךְ punctetur in Scripturis: non hoc ſane variat illius nominis naturam, ſed inde tantum colligas, quomodo pronunciatum ſit hoc nomen ab iis populis, *Ammonitis* & *Syris*, à quibus Sol hoc nomine *Molechi* vel *Melechi* colebatur. Cum enim vicinarum gentium illarum dialectus parum fuerit variata ab ea Hebræorum: illæ enunciarunt per *cholem* quod hi per *ſegol*: quæ ſane exigua differentia eſt. Vere enim τὸ מֹלֶךְ nihil aliud eſt, quam מֶלֶךְ Rex, quo nomine, ut modo jam monebam, Populi Orientales deſignarunt Solem, *Cœli Regem* ac *Dominum*, eandemque ob rationem בעל *Dominum* nuncupatum, ſicuti *Luna* dicitur מלכת שמים *Regina Cælorum* [a]: *Solem* nempe ac *Lunam* ſub *Maris* ac *Fœmina* ſpeciebus venerati. Abarbanel [b]: הבעל שהיו עובדים היה כנגד השמש והוא הנקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ והאשרה שהיו עובדים היתה כנגד הלבנה היא גם כן והנקראת מלכת השמים כמו שכנה הכתוב השמש בשם מולך כן כנה הירח בשם מלכת השמים Baal, *quem colebant, reſpectum habebat ad Solem, qui & Molech nominabatur, quia omnium ferocium* [c] *Rex eſt: & Aſchera, cui ſerviebant, reſpectum habebat ad Lunam, qua & appellatur* Regina Coeli. *Sicut enim Scriptura Solem deſignat nomine Molechi:* (Regis) *ita Lunam, nomine Regina Cælorum.* Nempe, cum Scriptura, uti modo intelleximus, *ſidera omnia*, egregio ordine in Expanſo Cœli fulgentia, nomine צבא *Exercitus* ſignaverit: fas erat in eo aliquem notari מלך *Regem*, Imperatorem, בעל *Dominum*; qui omnium ſententia *Sol* eſt, maximum, præſtantiſſimum ac

Quæ interpretatio laudatur, & illuſtratur.

Molech idem qui *Melech*, Sol, Rex Cœli.

Qui idem Baal, & Bel.

a Jer. VII. 18. b Com. ad Jer. Cap. XLIV. 17. c Job. XLI. 25.

ac lucidiſſimum *ſidus*, & procul omni dubio Planetarum *centrum.*

Nec vox מלך, ſumpta pro *Sole*, ſemper punctatur per *cholem*.

Quod probatur ex *Tſeph.* I. 5.

VII. Sed nec illud etiam verum eſt, *Idolum*, voce מלך deſignatum, vel ſemper per *cholem* punctari, vel affixa perſonalia illi nulla adjungi in Sanctis Scripturis. Utrumque enim non difficulter ex Verbo Dei demonſtrari poteſt. Argumento ſint verba Dei apud *Tſephaniam* directa adverſus Molechi Cultores[a]: *Extendam manum meam adverſus Eos, qui ſe incurvant ſuper tectis* לצבא השמים Exercitui coelorum, *& eos, qui adorant & jurant per Jehovam, & jurant* בְּמַלְכָּם per Regem suum, hoc eſt, *Molechum ſuum.* Sic nimirum hebraice nunc enunciatur. *Solem*, qui Siderum Rex eſt, ipſi colebant ut *Regem* & *Dominum ſuum.* Imo videtur noſter *Amoſus* ita etiam deſignaſſe hoc idolum cap. I. 15. והלך מלכם בגולה *Et ibit* Rex eorum *in Captivitatem.* Interpretes Hebræi *Molechum* intelligunt, ſiquidem de *Ammonitis* ſermo eſt.

Et aliunde.

Alia loca, (qualia extant Amoſ. VII. 13. Jerem. XLIX. 1. 1 Chron. XX. 2.) nunc tranſeo. Recte itaque LXX Interpretes vocem מלך in his Amoſi verbis interpretati ſunt de *Idolo Molechi*: nec multum peccarunt, quod *Affixi Perſonalis* nullam in hac voce interpretanda habuerint rationem, quia Syri hoc idolum promiſcue, tam cum *Affixo* quam abſque *Affixo* (*Molech* nimirum & *Milcom:*) ſolebant appellare. Belgæ Interpretes Græcos cum ratione ſunt imitati: Jae gy droeget de tente van uwen Melech.

Major difficultas eſt in voce כיון, quam illi verterint per Ῥαιφάν.

VIII. Sed magis forte laborandum erit in concilianda tranſpoſitione pericopæ ſequentis cum contextu Hebræo, cum non modo in ea occurrat ſententiarum aliqua μετάθεσις, in cujus rationem modo inquirebamus: ſed & nomen quoddam *idoli*, cujus in his Amoſi verbis mentio eſt, aliter in Hebræo, aliter in Græco textu ſignetur. Verum quod ad μετάθεσιν ſententiarum attinet: non eſt in ea magna difficultas. Tantum enim abeſt, ut ea ſenſum genuinum turbet, ut potius eum multo reddat faciliorem; quin, ſi recte attendamus, vix quicquam differentiæ inducat; ſive enim dicas: *Portaſtis Tabernaculum Molechi veſtri, & Ciun imagines veſtras: ſtellam Dei veſtri;* ſive: *Portaſtis Tabernaculum Molechi veſtri, & ſtellam Dei veſtri Ciun, imagines veſtras:*

a Cap. I. 5.

ſtræ: parum videtur referre. Licet enim in verſione priori τὸ *ſtellam Dei veſtri* ad *Ciun*, & *imagines*, τύπȣς, ad *Molechum* & *Ciun*, æque referre ac in poſteriori. Sola igitur in eo reſidet difficultas, quo modo Lxx Intt. dicant Ῥεφὰν vel Ῥαιφὰν, vel Ῥεμφὰν, vel Ῥόμφᾶ, (omnibus enim his modis in Codicibus variis & Scriptoribus antiquis legitur:) quod *Amoſus* expreſſit per כיון *Ciun.* illa enim inter nomina non exiguum quoad enunciationem videtur eſſe diſcrimen. An hic erraruut Interpretes Græci, vel male legendo textum, vel quod bene lectum erat, ingenio ſuo indulgentes, perperam interpretando? An ſimul erraruut eos ſequuti Stephanus & Lucas? Varia hic cogitarunt Eruditi Viri, ut hunc nodum ſolverent, & Lucæ tuerentur auctoritatem; quę inſtituti noſtri ratio non patitur omnia recenſere. Ludovicus de Dieu, cum cogitaſſet de origine hujus vocabuli Ῥεμφὰν & Ῥεφὰν deducenda ex Dialecto Arabica, in qua τὸ רף valet ſignificatu *movendi*, *agitandi* ſe, alaſque ſuas expandendi, ſimul etiam *vorandi*, eaque omnia pro ea, qua fuit, ingenii felicitate *Saturno* applicuiſſet, quem Hebræorum Interpretum ſententiam ſequutus exiſtimabat per כיון intelligi: tandem expeditum ſe hac difficultate ſcribit à Salmaſio, quippe qui ſibi oſtenderit *Alphabetum Ægyptiacum*, Roma miſſum, ubi nomina Planetarum ſeptem hoc ordine ſcripta ſimul & explicata continerentur: Πιρη, *Sol.* Πιια, *Luna.* Ρηφαν, SATURNUS. Πίζευς, *Jupiter.* Μολοχ, *Mars.* Σȣροτ, *Venus.* Πιερμης, *Mercurius. Jam cecidit*, ait Vir Doctiſſimus, *recepta illa apud omnes fere eruditos ſententia*, Ῥεφὰν *apud* Lxx *Interpretes corruptum eſſe ex Hebræo* כיון */ pro quo* ריון *legerint, inde* ῥεφὰν. *Laudandi jam doctiſſimi prudentiſſimique Interpretes, quod, cum in Ægypto, in Ægyptiorum gratiam, à Philadelpho Ægyptiorum Rege vocati, Biblia in Græcam Linguam transferrent, ignotum Ægyptiis Ebræorum* כיון */ in notiſſimum ipſis* ῥεφὰν *tranſmutarint.* Idem exhibet ex *Onomaſtico Copto-Arabico* Kircherus in *OEdipo* ſuo *Ægyptiaco.* Ego vero vellem, ut hac de ſententia ſuum dixiſſet judicium Joannes Seldenus, in his ſacris verſatiſſimus. Nunc de re dubia, & mihi non ſatis perſpecta, abſque hæſitatione & metu erroris non pronuncio. Certe ſi omnino eſſem perſuaſus eo tempore, quo facta eſt verſio Græca ſacri Codicis à quibuſcunque tandem

Variæ de eo Eruditorum Virorum ſententiæ.

Et prima quidem Lud. de Dieu, qui per *Rephan* intelligit *Saturnum.*

Quæ firmatur ex *Alphabeto Ægyptiaco.*

Ad eam ἐπίκρισις.

Interpretibus, vocem ῥηφὰν apud *Coptos* pro *Saturno* communiter acceptam uſurpatamque eſſe: nullus ego dubitarem, quin eo reſpexiſſent ſua in verſione Interpretes Græci. Sed novi ego ſane, quam ſubleſta ſæpe eorum fides ſit, quę ex Orientalibus illis regionibus Doctiſſimo Kirchero (cujus tamen per me ſalva ſint exiſtimatio & merita:) per Monachos Romam miſſa fuerunt, indeque inter eruditos Viros per Europam diſperſa. Mihi itaque, ut verum fatear, ſuſpectum eſt hoc Alphabetum Ægyptiacum, & omnino in hanc propendeo opinationem, Vocem *Rephan* à Judæis Helleniſtis, qui magno numero in Ægypto egerunt, ex ipſa Græca Verſione in familiarem ſermonem tranſlatam & pro *Saturno* ab eo demum tempore, quo Græca illa Verſio inſtructa eſt, acceptam uſurpatamque eſſe. non eſſe igitur *Rephan* vocem Copticam vel Ægyptiacam, vel omninò etiam verum *Idoli* alicujus nomen, ut mox intelligemus, ſed nomen qualiſcunque Idoli per errorem ita ſcriptum & enunciatum, quo Judæi Helleniſtæ paſſim putabant deſignari *Saturnum*.

Rectius illud Ῥέφαν *Rephan* videtur derivari à vitioſa lectione vocis כִּיּוּן pro רִיּוּן.

IX. Quid igitur dicendum? Ego profecto id dici velim, quod fidenter & quod vere dixit Joannes Druſius, & cum eo & poſt eum plures alii ſtatuerunt eruditi homines. *Eſſet*, ait ille, CHEVAN, (ſic Druſius recte ex mente Veterum τὸ כיון legit:) *niſi manus aberrans maluiſſet ſcribere* Ῥέφαν, *ϱ pro* κ, *aut forte ipſi Interpretes legerunt* ריון *pro* כיון. Breviter quidem ille, ſed docte & ad noſtrum guſtum. *Sane Interpretes Græcos* (inquit Seldenus [a]:) *ſæpius hallucinatos elementorum Ebraicorum ſive adfini figura, ſive mala ſcriptione quadam ita vertiſſe, ut ob eam ſolummodo rem ab Ebraica veritate aberraſſe videantur; plurimis poteſt demonſtrari. De elementis* ו *pro* י / ך *item pro* ר *ab iis ſubinde perperam ſumptis, & id genus aliis monet Hieronymus ad Oſeam ſæpius, & alibi. Sed piaculum eſto tale quid ſtatuere de iis, qui Spiritu Sancto dictante ex Veteri Inſtrumento ad rem Chriſtianam promovendam quid adduxere.* Quanta præjudicatarum opinionum vis eſt, etiam apud doctiſſimos & limati ceteroquin judicii viros! Quaſi vero Lucas, licet ductus ſit à Spiritu Sancto, (Stephanus enim Syriace dixit:) in Hiſtorica narratione uti non potuerit Verſione Græ-

Græci Intt. ſæpe elementa inter ſe confuderunt, aut vitioſe legerunt.

Seldeni de hujuſmodi lectionibus mutatis judicium.

a De *Dis Syris* Syntag. II. Cap. XIV.

Græcorum Interpretum *in una litera nominis idoli plane ignoti* (quod perinde erat, qua notione deſignaretur:) à lectione Hebræa diſſentiente, qua aliquando uſi fuerunt *Paulus* aliique Scriptores Sacri in probatione Dogmatum Fidei majoris momenti; etiam tum, quando multum ab Hebræo textu hodierno deflectit, ſi modo ſenſum integrum non turbaret! Non hæc religio amplius, ſed ſuperſtitio dicenda. Si enim Sanctus Spiritus omnium prudentium conſenſu in loquendo cum hominibus eorum ſæpe ſupponat opiniones, etiam erroneas, ut ab iis poſſit intelligi: plane ſicuti in diſputando adverſario noſtro aliquid poſſumus *dare*, vel *concedere*, licet illud, quod concedimus, ideo non habeamus pro vero, vel *verum* eſſe fateamur: eccur idem non poteſt facere in Verſione, ab hominibus, quibuſcum diſputat, accepta, licet ideo eam verſionem non probet? Immo cur id facere non poteſt in verſionis illius minima particula circa nomen, cujus perierat intellectus, & quod variata litera ab omnibus pronunciabatur, pronuntiatumque intelligebatur? Oratoris enim ſapientis (Spiritus autem ſapientiſſimus eſt:) eo major eſt in dicendo felicitas, quo perſpicuitas in dicendo major eſt. Atque hæc adeo ratio etiam fuit, cur Vir hic eruditiſſimus eas ad anguſtias fuerit compulſus, ut dixerit, in *obſcuro hoc Amoſi Prophetæ loco ſe tam cæcutire, ut nihil omnino videat.* unde nullam etiam ſententiam vel ipſe profert novam, vel aliorum adoptat. Mihi vero ita videtur ſolida eſſe (ſic animi hominum in contraria feruntur:) ea *recepta* Virorum celebrium opinio, ut nihil unquam aliud hac in difficultate cenſuerim tentandum eſſe. Quod ut & aliis perſuadeam: obſervari velim, vocem כיון / quę hodie à *Maſorethis* punctata reperitur כִּיּוּן / *Kiun*, à Veteribus ut plurimum Judæis pronuntiatam fuiſſe כֵּיוָן obſervante Aben-Eſra ad hunc locum, cujus non pigebit adſcribere commentarium: ומלה כיון ידועה בלשון ישמעאל גם פרס כי הוא כיואן והוא שבתי כי עשו לו צלם: *Dictio verò* כיון *nota eſt in Lingua cum Arabica tum Perſica. Eſt enim* Kevan, *qui Saturnus eſt, cui fecerant imaginem.* David Kimchi ad eundem modum: ועוד פירשנו כיון שהוא כוכב שבתי וכן נקרא בלשון ישמעאל ופרס כיואן: *Amplius etiam exponimus τὸ* כיון / *per* Saturnum, *qui in Lingua Arabica & Perſica Kevan dicitur.* Legendum enim procul dubio

In Scriptura S. multa hypothetice dicuntur, prudenter accipienda.

Sententia autem Druſii inde probabilis fit, quod vox כיון olim punctata ſit כֵּיוָן.

Aben Eſra & Kimchius producti.

bio ultimum vocabulum eſt כיואן/ cum Kimchius hæc ab Aben-Eſra videatur accepiſſe, & in *Libro Radicum* hanc vocem ita exprimat, ut *Aben-Eſra* facit. R. Salomo vero agnoſcit ſimpliciter eſſe כוכב *ſtellam*, & שם ע״ז *Nomen idoli*, quod *Stephani* ſententiæ eſt congruum; neque aliter feciſſe videtur *Paraphraſtes*, qui vocabulum hoc non transpoſuit, quod egiſſet, ſi illud non pro *nomine* proprio ſtellæ habuiſſet, cujus forte originem & ſignificationem veram & ipſe ignoravit.

Nec probabile eſt, LXX Intr. nominis hujus lectionem voluiſſe mutare cum id habuerint pro *proprio*.

Et quid aliud licet cogitare de *Septuaginta* Interpretibus, quos, cum tot nomina in Verſione accuratiore exponenda non tranſlata reliquerint, nomina vero propria non tranſtulerint; probabile non eſt hanc vertere voluiſſe vocem, cujus ſignificatio genuina priſcos omnes fugit, & quam proprii nominis vim habere priſci omnes Interpretes fatentur. Ego plane non poſſum induci, id ut credam. Hoc vero ut cogitemus facillimum eſt; cum ſignificatus hujus vocis paſſim ignoraretur, quæ etiam non in Lege, quam omnes colebant & legebant, ſed in Prophetis Minoribus reperiebatur: in ſcriptione illius vocis à Librariis potuiſſe errari, eamque ob rationem facili negotio evenire, ut litera כ/ parte ima literæ non ſatis inflexa, vel ſcripta fuerit in Codice aliquo ut ר ab incurioſa manu, vel ita lecta ob ambiguitatem ſcripturæ à Septuaginta Viris eo in Codice, quo ipſi fuerunt uſi: unde itaque natum τὸ Ῥέφαν, vel Ῥήφαν, vel Ῥαίφαν, uti Vetus eſt Lectio, pro Κέφαν & Καιφάν.

Et mutatio ריון in כיון facili negotio fieri potuit.

Ita enim neceſſario exprimenda Græce fuiſſet notio כיואן ex *Aben-Eſræ* Lectione, quę omnium dubio procul antiquiſſima veriſſimaque. Quid clarius? quid evidentius? quænam religio illa eſt, quæ hoc dicere prohibeat, quod verum eſt? Septuaginta enim Interpretes non ſemel, non bis, non ter aut quater, ſed centies ita impegerunt, cum Codicem haberent non punctatum, qui ſcripturam ab ea noſtrorum Codicum variantem contineret. Imo Septuaginta illi Interpretes, ut dicuntur, haſce etiam literas כ & ר alias pro iiſdem acceperunt, cum in Codice ſuo non ſatis apparerent diſcretæ, vel ab imperita manu in ſcriptura commutatas male legerunt. Documenta apud Criticæ Sacræ Auctores videantur.

Extantque exempla ſimilia in Scriptura S.

Evidentiſſimum profert Glaſſius [a] ex *Nahumi* vaticiniis cap. 1, 6. ubi ſcriptum

a Philol. Sacræ. Lib. IV. Tract. III.

ptum extat. חמתו נחכח כאש/ quod οἱ LXX: ὁ θυμὸς αὐτοῦ τήκει ἀρχάς· τὸ כָּאֵשׁ manifeſto errore, ex litera כ vel vitioſe ſcripta, vel inferiore ſui parte eraſa, verterunt ἀρχὰς, illud accipientes pro ראש/ quod ἀρχὴν ſignificat. Habemus igitur noſtra opinione leviſſimam in Lectione hujus nominis mutationem, ſed quę mutationem nullam inducit in ſenſum, quia per Ῥεφὰν nihil aliud intelligitur quam per כיון; utriuſque autem nominis origo, ſignificatus, & uſus dudum perierunt: niſi illud Aben-Eſræ accipiamus, de quo tamen nihil mihi certius conſtat quam de *Coptico* illo Kircheri & Salmaſii. Id certum eſt, priſcorum Interpretum omnium conſenſu *nomen* hoc eſſe *proprium*, & quidem *ſtellæ* inſignioris, ſive *Syrii*, ſive *Saturni*, ſive *Lunæ*, quę culta fuerit apud Iſraëlitas. Neque enim ullæ Virorum Doctorum conjecturæ heic ſatisfaciunt, quia multorum inſtrumentorum antiquæ ſuperſtitionis periit intellectus: quod Divinæ gratiæ maximum debemus beneficium. Hoc vero, quod nos ſtatuimus, liquet ex ſcopo Stephani, hoc ex loco probaturi, ſerviviſſe Iſraëlitas τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. unde τὸ כיון pro ſtella ſumendum erat, qua in re illi cum priſcis omnibus Interpretibus convenit. quod nobis debet ſufficere, licet ignoremus, quæ ſignate *ſtella* hæc fuerit, & quis circa hanc *ſtellam* fuerit obſervatus cultus.

Eſt autem ſignificatio genuina hujus vocis, quocunque modo lectæ, plane incerta.

X. Tantum dicere nos oportebat de genuina contextus Hebræi interpretatione, ejuſdemque inſigni convenientia cum verſione *Græca*, quam Lucas probavit, & intentione beati Martyris. Hoc enim ſolvendo dubio ſubſternendum judicamus fundamentum, quod propoſuimus Exercitationis hujus initio. Animadvertimus enim Viros Doctiſſimos, qui negant hoc Prophetæ dictum ad literam eſſe intelligendum, hoc eſt, *Idololatriam externam, præter eam Vituli & Baal Peoris, ab Iſraëlitis in Deſerto eſſe perpetratam*; parum curare *Verſionis Græcæ* cum Hebræo textu convenientiam, multo minus eam ſolicite demonſtrare, ſed aliam potius concinnare vocum Hebræarum tranſpoſitionem, ingenioſam equidem & doctam, ſed ab illa Græcorum Interpretum haud parum diſcrepantem. Horum in numero eſt celeberrimus Coccejus: qui cum verba Prophetæ πνευματικῶς voluerit intellecta, pro eo, quo fuit, acumine verſionem pro-

Cl. Cocceji, & aliorum de hoc loco ſententia & verſio verborum Amoſi, ab ipſo inſtituta.

Verſio loci ipſa.

duxit hujus loci elegantem quidem & eruditam, ſed ab ea Græcorum, & Divi Lucæ, &, ut exiſtimo, intentione *Stephani*, haud parum diverſam. Ita ille[a]: *An ſacrificia & munus obtuliſtis* MIHI *in deſerto, quadraginta annis, ô domus Iſraël? At tuliſtis tugurium* REGIS VESTRI, *&* LOCAMENTUM IMAGINUM VESTRARUM, imaginum *ſtellæ Deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis.* Vin' commentarium? Adſcribam etiam illius verbis: *In hoc verſu Iſraëlitis, tabernaculum & arcam & Cherubinos portantibus, imputat portationem tentorii regis ſui (nomen hoc ipſo in loco eſt idololatricum; quale* מולך *&* מלכום*: fortaſſe Rex deorum, Princeps horoſcopi, aut neſcio quid aliud intelligitur:) & baſeωs imaginum ſtellæ deorum ſuorum. Ab ævo putatum eſt, ſtellas vel eſſe animalia, vel eſſe corpora quaſi geniorum, quos intelligentias nuncupant, aut ſaltem eorum quaſi vehicula. Hinc cultus ſiderum. Quum Iſraëlitæ à talibus opinionibus non eſſent alieni, & Deum in Chriſto non agnoſcerent plerumque, Cherubinos autem ut ſymbola Angelorum haberent ſupra arcam; non injuria illos vocat per irriſionem imagines aſtri deorum ipſorum: & Arcam locamentum imaginum; propter ſimilitudinem.*

Et in eum *Commentarius* Cl. Cocceji.

In verſione verborum ipſa nihil habeo quod carpam. Poſſunt enim voces Hebrææ conſtructæ eam efficere ſententiam, quam Vir Doctiſſimus expreſſit. Poteſt τὸ כיון / licet id fiat adverſus Hebræorum Veterum mentem; poteſt tamen inquam, ex vi ſuæ originis *locamentum* ſignificare. poteſt etiam accipi in ſtatu conſtructo, quia ſyllabis conſtans mutari neſciis nullam utroque in ſtatu patitur variationem. Cur tamen heic loci non potius probamus Verſionem Septuaginta Senum, imo verſionem Lucæ, quam ille orationi Stephani congruam eſſe exiſtimavit? Cur, cum omnes Viri Docti hactenus id egerint, ut, quantum fieri poſſet, hebræi & græci contextus conſonantiam monſtrarent, ne ſacros N. T. Scriptores, Veteres illos Interpretes ut plurimum ſequutos, ab Hebraica veritate receſſiſſe, cogerentur affirmare: ingenii hic intenditur acumen, ut, cum duo illi textus commode inter ſe conciliari poſſint, ex mente etiam Veterum, tamen ulla abſque neceſſitate à Græco textu, à Luca etiam probato, & Stephani verbis accommodato, recedatur? Sed videtur etiam mihi *intentio* & *ſcopus* dicentis ac perorantis

Quæ tamen improbantur quia pugnant cum oratione & ſcopo Stephani.

a Com. in h. l.

tis Stephani, quem jam aliquoties memoravi, huic *Verſioni*, vel Commentario in eam inſtituto, non reſpondere, licet Doctiſſimus Vir ad illam ipſam orationem ſimiliter fuerit commentatus, &, uti mihi videtur, planius etiam, quam ad locum Amoſi. Apponamus hæc etiam ejus verba, ut tanto uberior ſit diſputandi materies[a]: *Amos Tabernaculum, quod portarunt in deſerto, vocat ſcenam Molochi, & arcam cum Cherubinis locamentum imaginum ſtellæ Deorum ſuorum. Nam* Cherubinos pro Angelis accipiebant, *Angelis aſſignabant motum ſiderum, ſive ſtellas habebant pro animalibus, quarum animæ eſſent intelligentiæ. Ita etiamnum Judæi tabernaculum habent pro imagine triplicis mundi, nempe animarum, ſtellarum, & corporum. Qui autem hanc de Deo opinionem habet, quod ille tantum ut Creator & Dominus Creaturarum habitet in Iſraële, & nullam aliam de Deo fidem habet, quam eum creaſſe omnia, & approbare juſtitiam humanam, cujus pars ſit victimas offerre pro peccatis, is, quia non habet meliorem fidem eo, qui Molochum adorat, Molochum potius, quam Deum colit.* Liceat tamen nobis hic a Viro Docto modeſte diſſentire, ut qui prorſus nobis perſuademus, Verba Amoſi κατὰ γράμμα eſſe intelligenda de Cultu externo, quo Iſraëlitæ *Molechum* & alia Idola Orientalium Populorum in Deſerto Arabiæ vere proſequuti ſint. Quam ſententiam argumentis claris primo ſtudebimus adſtruere; & dein difficultates, illi à Doctis Viris objectas, removere.

Ejuſdem Viri Docti verba in hanc rem allegata ex Comm. ad Act. vii. 25, 26.

Sed quæ ipſa quoque non probantur.

XI. Primo pro ſententia mea expendi cupio orationem Stephani Martyris, quę enarrat caſus, qui Judæę Genti evenerunt in Deſerto. Eam Lucas nobis his verbis reliquit in Actis[b]: *Et vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque ſacrificium idolo, & oblectarunt ſeſe operibus manuum ſuarum.* Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν. (במגלת הנביאים) Μὴ σφάγια.---- *Vertit autem* ſeſe *Deus*, & tradidit eos ad serviendum Exercitui coeli, *ſicut ſcriptum eſt in Libro Prophetarum: An ſacrificia* ---- Fas nunc ſit dicere μετὰ πολλῆς παῤῥησίας, φράσαι; עבד לצבא השמים λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, nunquam in Sanctis Veteris Teſtamenti Scripturis alio ſenſu uſurpari, quam quo denotat Cultum externum, qui

Maxime cum Iſraelitæ omnino operam dediſſe videantur cultui *Molechi* & alio ſe polluiſſe genere idololatriæ in *deſerto*. Quod primò probatur ex *Oratione Stephani*.

a Ad Act. vii. 25, 26. b Cap. vii. 41, 42.

Verſio loci ipſa.

duxit hujus loci elegantem quidem & eruditam, ſed ab ea Græcorum, & Divi Lucæ, &, ut exiſtimo, intentione *Stephani*, haud parum diverſam. Ita ille[a]: *An ſacrificia & munus obtuliſtis* MIHI *in deſerto, quadraginta annis, ô domus Iſraël? At tuliſtis tugurium* REGIS VESTRI, & LOCAMENTUM IMAGINUM VESTRARUM, imaginum *ſtellæ Deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis.* Vin' commentarium? Adſcribam etiam illius verbis: *In hoc verſu Iſraëlitis, tabernaculum & arcam & Cherubinos portantibus, imputat portationem tentorii regis ſui (nomen hoc ipſo in loco eſt idololatricum; quale* מולך & מלכום: *fortaſſe Rex deorum, Princeps horoſcopi, aut neſcio quid aliud intelligitur:) & baſeos imaginum ſtellæ deorum ſuorum. Ab avo putatum eſt, ſtellas vel eſſe animalia, vel eſſe corpora quaſi geniorum, quos intelligentias nuncupant, aut ſaltem eorum quaſi vehicula. Hinc cultus ſiderum. Quum Iſraëlitæ à talibus opinionibus non eſſent alieni, & Deum in Chriſto non agnoſcerent plerumque, Cherubinos autem ut ſymbola Angelorum haberent ſupra arcam; non injuria illos vocat per irriſionem imagines aſtri deorum ipſorum: & Arcam locamentum imaginum; propter ſimilitudinem.*

Et in eum *Commentarius* Cl. Cocceji.

In verſione verborum ipſa nihil habeo quod carpam. Poſſunt enim voces Hebrææ conſtructæ eam efficere ſententiam, quam Vir Doctiſſimus expreſſit. Poteſt τὸ כיון / licet id fiat adverſus Hebræorum Veterum mentem; poteſt tamen inquam, ex vi ſuæ originis *locamentum* ſignificare. poteſt etiam accipi in ſtatu conſtructo, quia ſyllabis conſtans mutari neſciis nullam utroque in ſtatu patitur variationem. Cur tamen heic loci non potius probamus Verſionem Septuaginta Senum, imo verſionem Lucæ, quam ille orationi Stephani congruam eſſe exiſtimavit? Cur, cum omnes Viri Docti hactenus id egerint, ut, quantum fieri poſſet, hebræi & græci contextus conſonantiam monſtrarent, ne ſacros N. T. Scriptores, Veteres illos Interpretes ut plurimum ſequutos, ab Hebraica veritate receſſiſſe, cogerentur affirmare: ingenii hic intenditur acumen, ut, cum duo illi textus commode inter ſe conciliari poſſint, ex mente etiam Veterum, tamen ulla abſque neceſſitate à Græco textu, à Luca etiam probato, & Stephani verbis accommodato, recedatur? Sed videtur etiam mihi *intentio* & *ſcopus* dicentis ac perorantis

Quæ tamen improbantur quia pugnant cum oratione & ſcopo Stephani.

a Com. in h. l.

tis Stephani, quem jam aliquoties memoravi, huic *Verſioni*, vel Commentario in eam inſtituto, non reſpondere, licet Doctiſſimus Vir ad illam ipſam orationem ſimiliter fuerit commentatus, &c, uti mihi videtur, planius etiam, quam ad locum Amoſi. Apponamus hæc etiam ejus verba, ut tanto uberior ſit diſputandi materies [a]: *Amos Tabernaculum, quod portarunt in deſerto, vocat ſcenam Molochi, & arcam cum Cherubinis locamentum imaginum ſtellæ Deorum ſuorum. Nam* CHERUBINOS PRO ANGELIS ACCIPIEBANT, *Angelis aſſignabant motum ſiderum, ſive ſtellas habebant pro animalibus, quarum animæ eſſent intelligentiæ. Ita etiamnum Judæi tabernaculum habent pro imagine triplicis mundi, nempe animarum, ſtellarum, & corporum. Qui autem hanc de Deo opinionem habet, quod ille tantum ut Creator & Dominus Creaturarum habitet in Iſraële, & nullam aliam de Deo fidem habet, quam eum creaſſe omnia, & approbare juſtitiam humanam, cujus pars ſit victimas offerre pro peccatis, is, quia non habet meliorem fidem eo, qui Molochum adorat, Molochum potius, quam Deum colit.* Liceat tamen nobis hic a Viro Docto modeſte diſſentire, ut qui prorſus nobis perſuademus, Verba Amoſi κατὰ γράμμα eſſe intelligenda de Cultu externo, quo Iſraëlitæ *Molechum* & alia Idola Orientalium Populorum in Deſerto Arabiæ vere proſequuti ſint. Quam ſententiam argumentis claris primo ſtudebimus adſtruere; & dein difficultates, illi à Doctis Viris objectas, removere.

Ejuſdem Viri Docti verba in hanc rem allegata ex Comm. ad Act. VII. 25, 26.

Sed quæ ipſa quoque non probantur.

XI. Primo pro ſententia mea expendi cupio orationem Stephani Martyris, quę enarrat caſus, qui Judæę Genti evenerunt in Deſerto. Eam Lucas nobis his verbis reliquit in Actis [b]: *Et vitulum fecerunt per illos dies, obtuleruntque ſacrificium idolo, & oblectarunt ſeſe operibus manuum ſuarum.* Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν. (במגלת הנביאים) Μὴ σφάγια.---- *Vertit autem* ſeſe *Deus*, & TRADIDIT EOS AD SERVIENDUM EXERCITUI COELI, *ſicut ſcriptum eſt in Libro Prophetarum: An ſacrificia* ---- Fas nunc ſit dicere μετὰ πολλῆς παῤῥησίας, φράσιν; עבד לצבא השמים λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, nunquam in Sanctis Veteris Teſtamenti Scripturis alio ſenſu uſurpari, quam quo denotat Cultum externum, qui

Maxime cum Iſraëlitæ omnino operam dediſſe videantur cultui *Molechi* & alio ſe polluiſſe genere idololatriæ in *deſerto*. Quod primò probatur ex *Oratione Stephani*.

a Ad Act. VII. 25, 26. b Cap. VII. 41, 42.

Ubi exponitur phraſis: *Servire exercitui cæli.*

qui Soli, Lunæ, cæteriſque ſtellis, & τῷ שמים/ *Cælo*, exhibetur. In Hebræa dialecto τὸ עבד *ſerviendi* vocabulum, reſpectu אלהים *Dei* uſurpatum, ſive *veri* ſive *alieni* & *falſi*, ſummam ac maximam venerationem, quę in Divino Cultu locum habere poſſit, ſignificat: cujus generis ſunt, per Numen aliquod conceptis verbis jurare; vota illi & ſacrificia facere; preces ad illud ſumma cum reverentia dirigere; ſtatuas, Templa, & Aras illi ponere; res nobis caras aut ἀναθήματα eidem devovere: & quæ hujus ſpeciei alia. Obſervari poteſt ea hujus vocabuli vis ad Decalogi caput ſecundum [a], ubi ſapientiſſimus Νομοθέτης inſigni uſus gradatione tria vitia diſtincte vetat: לא תעשה לך פסל *Non* FACIES *Tibi ſculptam imaginem.* לא תשתחוה להם *Non* INCURVABIS *te* IIS. לא תעבדם Μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς *Non* SERVIES IIS. Vetat, *ſculptilia facere*, quæ haberent תמונה *ſimilitudinem.* hoc eſt, rem aliam, quæ cultus objectum eſſe poſſit, per modum ſtatuæ ſive ἀγάλματος repræſentarent. Gravius crimen, *ſe coram iis factis incurvare*; quia τὸ השתחוה honoris quidem *gradum* ſignificabat, maximum etiam, non tamen illum omnium ſummum, qui ſolis Dis debetur. Graviſſimum igitur, *iis ſervire*, hoc eſt, iis aliquid vovere, per ea jurare, iis *ſacrificia facere*, (עבד בזבח/) Templaque iis conſecrare. Poſſemus id latius monſtrare, ſi in

Adducto & illuſtrato *Interdicto ſecundo Decalogi.*

Unde collectio integra conficitur.

breviſſima diſſertatione placitum eſſet excurrere. Si igitur recedere nolumus à φράσει Scripturæ: non licet Stephanum aliter intelligere, quam Iſraëlitas, quando ab ipſo dicuntur *ſerviiſſe Exercitui cæli*, illi Cœli exercitui, hoc eſt, *Soli*, *Lunæ*, *ſtellis*, ſtatuas, ædiculas, & σκηνόρια conſecraſſe; vota iis &, ſi occaſio faveret, ſacrificia feciſſe, & ſummos omnes honores externos iis detuliſſe, qui vero Deo debentur. Quod certum ſi eſt: ruit omnino ſententia, quæ ſtatuit, *Amoſum* Prophetam & *Stephanum* eum allegantem *animi* tantum ad idololatriam proclivis & conceptus foventis idololatricos intellexiſse cultum: corruit quoque *Verſio* verborum, quæ ea nititur.

Accedit autem robur huic argumento ex phraſi Græca: Ἔστρεψε δὲ

XII. Mirum robur huic argumento accedit ex recto intellectu φράσεως; Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς καὶ παρέδωκε, quæ primum ad aſpectum huc aliquid facere poſse non videtur: quod itaque nunc *ſecundo* obſervari cupio. Beza tranſtulit illa verba: *Vertit autem*

a Exod. xx. 4.

tem ſeſe *Deus*, textui inſerens voculam *ſeſe*, quam tamen omiſerat *Vulgata*, quæ ſimpliciter habet: *Convertit*. In notis vero adſcripſit: Ἔστρεψε. Heb. ויתהפך. *Hoc autem intelligo dictum non ipſius Dei, ſed eorum reſpectu, qui ſunt iratum experti, quem prius tam benignum ſenſerant. Quod ſi dura videbitur hæc phraſis, licebit* ἔστρεψε *accipere pro* ἀπέστρεψε *avertit ſeſe*. Viden' quod hæreat? Nam nec ויתהפך / quod ſciam, eo occurrit ſignificatu, nec vertendum erat, ἔστρεψε, ſed ἔστρεψε ἑαυτόν. Nititur quidem id confirmare Caſaubonus duplici loco ex Homero enotato: ſed quid ex *Poëtarum* rariſſimis, & ſæpe ob metri rationem imperfectis dictis, (quod alii tamen quoque fecerunt Auctores, qui Linguæ Græcæ puritatem in Sacris Scriptoribus ſectantur:) illuſtramus ſimpliciſſimum ſcribendi genus Auctorum Novi Fœderis? Neque felicius Belgæ noſtri Interpretes: **Ende Godt keerde hem, ende gaf haer over.** Quam ſententiam eadem plane ratione in Annotationibus ſuis exponunt, qua ſuam Doctiſſimus Beza, unde ſuum hunc commentarium deſcripſerunt. Ego vero, cum hæc verba attentius conſiderarem; mox hebraiſmum iis ſubeſſe vidi, tam manifeſtum, ut mirarer eum in vulgatiſſimis etiam Commentariis non reperiri adnotatum, donec eum tandem expoſitum invenerim apud Ludovicum de Dieu. Ita ille: *Poteſt quoque ſenſus eſſe, & reverſus eſt, & tradidit eos*, id eſt, *&* RURSUS TRADIDIT EOS, *quod aliter Hebræi efferre nequeunt, quam* ישב ונתנם. Mirum, confidentius non loqui Virum eruditum, cum certiſſima & veriſſima illa expoſitio ſit, neque præter hanc ulla admittenda alia. Uſurpatur enim hac ratione vocabulum שוב pro *iterum*, ſive *iteratione* inſtituti vel *actionis*, quam Græci vocula πάλιν, Latini *rurſus* ſignificant, quam frequentiſſime. Sic Gen. xxx. 31. אשובה ארעה *Revertar* (vertam) *paſcam:* Hoc eſt: *Rurſus paſcam*. LXX: πάλιν ποιμανῶ. Lucas diceret: Στρέψω καὶ ποιμανῶ. Deut. xxx. 3. ושב וקבצך *Et vertet & congregabit te*. LXX: καὶ πάλιν συνάξει σε. Lucas diceret: Στρέψει καὶ συνάξει σε. Belgæ: **Ende hy ſal u weder vergaderen.** Hebræa: **Ende hy ſal wederkeeren en u vergaderen.** Exempla alia ſunt abſque numero. Notemus ex iiſdem his Apoſtolorum Actis locum ſimilem, qui cap. xv. 16. extat: Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν· *Poſt hæc vertam & ædificabo tu-*

ὁ Θεὸς καὶ παρέδωκε.

Bezæ de hac phraſi ſententia.

Sed quæ improbatur.

Ut & ea Interp. Belgarum.

Hebraiſmus ſubeſt phraſi, obſervatus à L. de Dieu.

Reverti cum verbis conſtructum Hebræis notat *iterationem actionis*.

Exempla hujus loquendi modi.

gurium

gurium Davidis, quod cecidit. Belgæ: Nae deſen ſal ick weder-keeren ende weder opbouwen. Cur non verterunt? Nae deſen ſal ick wederom opbouwen. Liceat itaque hanc partem Orationis Stephani cum Ludovico de Dieu tranſponere: *Et vertit Deus & tradidit eos.* Ende Godt keerde en gaf haer over / pro & *rurſus tradidit eos.* Ende Godt gaf haer wederom over. Quæ genuina eſt dicti hujus ſententia. Cæterum, quando Deus Iſraëlitas *rurſus* dicitur *tradidiſſe*; manifeſtum eſt, id reſpicere ad *traditionem* aliam, quæ præceſſerat, quę ſimilis debuit eſſe naturæ cum *traditione* hac *iterata*. Primæ verò *traditionis* mentio eſt in *commate* immediate præcedenti 41. καὶ ἐμοσχοποίησαν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ ἀνήγαγον θυσίαν τῷ εἰδώλῳ *Et* VITULUM FECERUNT *per illos dies, obtuleruntque ſacrificium idolo.* Poſt peccatum itaque cum *vitulo* commiſſum, cui eos *tradiderat* pro juſtitia ſua Deus, *tradidit eos iterum ad ſerviendum Exercitui cælorum*, Soli, Lunæ, & Sideribus Cœleſtibus. Ita ſi concipias nexum orationis ſancti Stephani: an fieri poteſt, ut poſteriorem illam iteratamque traditionem de *affectu* tantum *idololatrico* exponas? Affectum enim idololatricum jam habuerunt cum egreſſu ex Ægypto; ſed affectum illum ſuum idololatricum demonſtraverant illi primo in *Cultu Vitulino*, cui Deus ipſos ad idololatriam propenſiſſimos pro ſanctitate & ſeveritate ſua tradiderat; dein in *Cultu Molechi*, ad quem idem juſtus & ſanctus Deus ipſos prolabi paſſus erat. Quid evidentius, quam *Cultum* externum *duplicem* heic intelligi ſimilis naturæ, cui *traditi* à Deo fuerunt Iſraëlitæ ex juſta ejus ſententia ob *affectum ſuum idololatricum*?

Quæ obſervatio ad præſentem locum applicatur.

Unde evincitur, Iſraëlitas in Deſerto aliud etiam idololatriæ genus perpetraſſe, præter illud μοσχοποιΐας.

Idololatriam autem illos commiſiſſe circa *Cherubinos*, non videtur probabile.

XIII. Quod autem Viri Docti hic inſuper in ſuis Commentariis monent de *Cherubinis*, circa quos æque ac circa Tabernaculum Iſraëlitæ perverſo ſtudio affecti fuiſſent: *tertio* obſervari velim, mihi hactenus probatum non eſſe, circa *Cherubinos* idololatriæ ſpeciem ullam commiſſam fuiſſe ab Hebræis, neque in deſerto, neque ſequenti tempore, quamdiu eorum duravit πολιτεία. Non erant ſane in *Cherubinis* figuræ *Solis*, *Lunæ*, *exercituſque cælorum*. Sidera vero per intelligentias regi Vir Cl. ait, quę acceptæ pro Angelis; *Tabernaculum* quoque etiamnum ab Hebræis ſtatui *imaginem eſſe triplicis mundi.* Sed quis credat, altum adeo philoſophatum fuiſſe populum rudem, ſtupidumque?

que? Poſteriorum temporum illi fuerunt Judæi, qui Philoſophia *Platonica* & *Ariſtotelica* imbuti Templum totum & quę in Templo omnia erant ad *Sophiam* naturalem, quę de cœlo, terra, elementis, agit, voluerunt reducere, ceu ex Joſepho, Philone, aliiſque abunde conſtat; qui צורות חמה לבנה כוכבים ומלאכים *Imagines Solis*, *Lunæ*, *Stellarum*, & *Angelorum* etiam conjunxerunt, ut Maimonides [a] Philoſophiæ Peripateticæ ſupra modum deditus; non poſteri Jacobi, Ægyptum egreſſi, mortalium ſimpliciſſimi, qui horum omnium nihil intellexerunt.

Judæi poſteriorum temporum, imbuti Philoſophia Platonica, in apparatu Tabernaculi & Templi quæſiverunt myſteria phyſica.

Si *Cherubinos* igitur illi voluiſſent colere: eos certe per *humanas* vel *bovinas* imagines expreſſiſſent. *Bos* vero cultus ab illis fuit jam ante factos *Cherubinos*; & quum cultus eſt iterum juſſu *Jeroboami*, ſatis eſt certum, non id factum fuiſſe ad μίμησιν *Cherubinorum*, ſed *Apidis*, Ægyptiorum idoli, cujus cultui aſſuefactus erat Jerobeam in Ægypto. Humanas vero ſpecies dudum ante factos Cherubinos in idololatria Orientali uſum habuiſſe, ex Teraphim apparet, qui *Penates* Veterum. De Cherubinorum igitur *cultu* nihil apud Veteres occurrit. Quin tradiderunt nobis Hebræi, curaſſe Deum pro ſumma ſua ſapientia, ut Cherubini ejus eſſent formæ, ut nihil quicquam vel in cœlo, vel in terra iis inventum ſit ſimile, ne eos alicujus rei *imagines* eſſe Judæi crederent ad idololatriam proclives, quas veneratione illicita proſequerentur.

Cultus vituli in Deſerto non eſt referendus ad Cherubinos.

Verba ſunt R. Iſaaci, Ben Aramæ, in libro, cui titulus *Akedath Iiſchack* [b]: אין מעשה כרובים בכלל שהרי אין צורתם נמצאת בשום אחר מהמרורים *Non comprehenditur opus Cherubinorum in generali* (interdicto,) *quia eorum forma non reperitur in ullo mundi habitaculo.* Quo ſane pertinet, quod nec *forma Cherubinorum* nobis deſcribatur in ullo librorum Moſis, niſi ea tantum generalis, quod fuerint animantia hieroglyphica alata; nec *Arca* cum Cherubinis unquam venerit in conſpectum Iſraëlitarum. quod Providentia Divina ſignate cautum videtur, ne Iſraëlitæ ea cum *Cherubinis* abuterentur ad idololatriam. Aſſervata fuit in Sanctiſſimo Tabernaculi loco ut quoddam Religionis Judaicæ ſecretum; &, quando caſtra mutaret univerſus exercitus, multis involuta tegumentis ea anteceſſit, ab aliis non viſa, quam Levitis, qui res Tabernaculi ſanctiſſimas tractabant.

Cherubini fuerunt alata Hieroglyphica, formæ ſingularis, & vulgo ignotæ.

a Hilch. Avoda Sara. Cap. III. b Fol. CXLIX. Col. I.

bant. Quid poſtea factum fuerit, quando turbata fuit Res Hebræorum publica, non diſputo. Sufficiat mihi; verum hoc eſſe de temporibus, quę egit illa gens *in Deſerto*, circa quę verſamur. Non putem igitur, ſalva Viri Doctiſſimi exiſtimatione, hic reſpici poſſe ad idololatricum Hebræorum animum, quo affecti fuiſſent erga Tabernaculum, quod ideo ſecundum ipſum *Tabernaculum Molechi* dictum fuiſſet; vel *Arçam* ſacram, eique *impoſitos* CHERUBINOS, quę כיון צלמי כוכב אלהיהם *Locamentum* IMAGINUM STELLÆ DEI IPSORUM diceretur: ſed cum ex vi verborum, tum ex mente *Stephani* cultum ſignificari idololatricum externum, in Deſerto perpetratum circa *Solem*, *Lunam*, aſtra, quę vicinæ gentes adorabant.

Collectio ſuperioris ratiocinii.

Unde ſimul cadit aliorum inter Doctos, & Lud. Cappelli ſententia.

XIV. Nec tamen ſolius Cocceji ea, quam refutamus, ſententia eſt. Inter Veteres Hieronymum, inter recentiores Junium & Tremellium, Cappellum, alioſque multos habet ὁμοψήφους. Ludovici Cappelli ſunt clariſſima verba [a]: *At* JUXTA HODIERNUM HEBRÆUM *textum mens Propheta Amos hæc videtur fuiſſe, quaſi Deus per os ipſius Iſraëlitas ſic compellaret: Sacrificia veſtra, quæ vos in deſerto obtuliſtis, ea non mihi, ſed idolis veſtris, Diiſque fictitiis, quos occulte animo fovebatis & colebatis, obtuliſtis. Tabernaculum illud, quod vos ibidem humeris bajulaſtis, non meum fuit, ſed Molochi veſtri: hoc eſt: non me in eo Tabernaculo coluiſtis, ſed idolum, quod vos taciti animo cogitabatis, & totam illam imaginum, quibus ſanctuarium intus erat decoratum, ſtructuram* (*nam* כיון à כון *deformatum* ſtructura ſtabilis *reddi* poteſt:) *eo loco & numero habuiſtis, quo hodie aſtrorum, quæ à vobis Ethnicorum more coluntur, ſimulacra & imagines habentur: hoc eſt: Vos non me, ſed idola veſtra coluiſtis; cor nempe veſtrum à me ſemper alienum fuit.* Ita pulcre ludit humanum ingenium. Nos vero rogamus, quid cauſæ ſubſit, ut, cum verba *Amoſi* nos ducant ad externam idololatriam; cum *Stephanus* hæc verba de externo idolorum cultu, idolis ipſis nominatis *Molech* & *Remphan*, intellexerit, quod egit Sancti Spiritus inſtinctu: nos aliam nobis fingamus mentem *Amoſi*, aliam *Stephani*, & verba hæc de *externa idololatria* in Deſerto commiſſa nolimus accipere? Hoc ſcilicet, quod non legamus in Moſaicis Hiſtoriis, præter *idololatriam*

Quæ ſeorſim excutitur.

a Obſerv. in Act. VII. 43.

latriam cnm *Vitulo* & *Baale Peoris* commiſſam, ullius externæ idololatriæ fieri mentionem, quam certiſſime, ajunt, feciſſet Moſes, ſi tale ſcelus in Deſerto fuiſſet patratum. Amplius inquiunt, veriſimile non videri per illos *quadraginta annos* idololatriam externam vel committi vel tolerari potuiſſe, *Moſe Duce* & *Gubernatore* populi, qui in id facinus ſevere animadvertiſſet. Hæ rationes ſunt, quas urgent ſententiæ modo memoratæ Patroni. ad quas ſi commode reſpondeatur, nulla, ut putem, ſupererit difficultas, quæ nos prohibeat, eam ſequi verborum Amoſi explicationem, quam omnes ex iis proprie directeque profluere fateri coguntur.

In hac præcipue fundatæ ratione, quod Moſes in hiſtoria ejus rei non meminit.

XV. Samuel Petitus nobiſcum tenens, ex verbis *Amoſi* & ſcopo *Stephani* ſatis eſſe manifeſtum, de *idololatria externa* agi, in *deſerto* commiſſa; has difficultates remoturus, omnino putavit dici poſſe, in hiſtoria Moſaica vere illud extare & literis conſignatum eſſe vitium, quod Deus hoc in loco Iſraëlitis exprobrat. Nimirum exiſtimat, *idololatriam* illam, qua Iſraëlitæ ſe hiſce in verbis in Deſerto dicuntur polluiſſe, fuiſſe ipſam illam *idololatriam*, quam in Hiſtoria Moſaica circa finem quadraginta annorum moræ in Deſerto dicuntur commiſiſſe cum *Baal-Peore*. cenſuit, inquam, [a] exprobrationem hanc Dei apud *Amoſum* pertinere ad poſtremam idololatriæ ſpeciem, quæ cum *Baal-Peore* commiſſa eſt, quem מלך & כיון appellari potuiſſe exiſtimavit, intellecto per utrumque *Saturno*. Qua in ſententia fuiſſe etiam videtur Theophylactus. Et ſane non diffiteor, difficultates memoratas non modo per hanc opinionem tolli, ſed & eſſe illam, ſi non *veram*, de quo multum dubitavi, ſaltem *vero* proximam ſimillimamque. Non ſunt multa & gravia, quę huic ſententiæ Petiti opponi poſſint; ſunt tamen aliqua: ut v. gr. apud Moſen in deſcripta idololatria cum Baal Peore commiſſa nullam omninò mentionem eſſe *Molechi*; *Molechum* in Scriptura Sacra paſſim vindicari *Ammonitis*, non Moabitis. tum etiam, unius Baalis Peor Cultus ſi hic deſignetur, cur additur כיון/ cur *ſtella Dei?* cur memorantur *imagines* ab illis factæ, & *tentoria*, aut potius, *thenſæ* ab illis circumlatæ? quorum omnium nihil apud Moſen legere eſt: imo cur id extenditur ad integros illos

Samuelis Petiti de hac difficultate ſententia, qui idololatriam, de qua *Amos*, refert ad eam quæ commiſſa eſt cum *Baal-Peore*.

Cui ſententiæ aliqua opponuntur.

 qua-

a Lib. 1. Variar. Lection. Cap. 1.

quadraginta annos, quibus mactata non erant ſacrificia, cum cultus *Baalis Peor* ſubito ortus fuerit ad finem hujus temporis, ſubito quoque extinctus? Certe quod Petitus vult, unum eundemque Baalem Peor in loco Amoſi vocari tam Molech quam Chevan: mihi non admodum ſit probabile. Nos itaque videamus, an quid aliud in medium adducere poſſimus, quod ad rem, quam agimus, applicari commode queat.

Obſervatur itaque preſſius ad ſuperiorem difficultatem, deficere nos hiſtoriam XXXVIII annorum moræ Iſraëlitarum in *Deſerto*.

XVI. Ad *primam* itaque difficultatem quod attinet, nobis objectam ex eo, quod Moſes hujus Idololatriæ Iſraëlitarum nullam mentionem fecerit in hiſtoria ſua: obſervari velim, ad quod forte multi non ſatis attendunt, nos in Libris Moſaicis minime habere hiſtoriam omnium, notabilium quoque rerum, quæ in Populo Dei geſtæ fuerunt per *quadraginta* illos *annos*, quos egit in Deſerto: imo vero illam hiſtoriam vel maxime nobis deeſſe, & quæ in Hiſtoria hujus Gentis apud Moſen nobis enarrantur, *anno primo*, *primis menſibus* ſecundi, & *ultimis quadrageſimi* contigiſſe. Conſtat id ex libro *Numerorum*, in quo *triginta & octo annorum* ſaltus reperitur, conſentientibus præſtantiſſimis Chronologis. Egregie David Ganzius [a]: רוב הספורים על חומש הפקודים מניני ישראל התאוה עשיית פסח שני עניני מרים אוננים קברות מרגלים ק״ח הכל היה בשנה השנית ליציאת ממצרים *Plurima autem eorum pars, quæ in Pentateucho habentur; Præcepta, Numerationes Filiorum Iſraël, Celebratio Paſchatis ſecundi, Negotium Lugentium, Sepulcra Concupiſcentiæ*, Hiſtoria *Korachi*; *omne id factum eſt anno ſecundo exitus ex Ægypto.* Complectitur vero brevi hac enumeratione celeberrimus Auctor omnes pene res geſtas, quæ *Numerorum* libro continentur, eadem quoque obſervata ſerie. Tantum igitur abeſt, ut in hoc libro XXXVIII annorum hiſtoria contineatur, quod paſſim præfigunt illi Libro Commentatores: ut potius hiſtoriæ XXXVIII annorum defectus ex eo luculentiſſime pateat. Quid igitur? An abſonum eſt, imo an non neceſſe eſt cogitare, populum maxime ſtupidum & rebellem, qui brevi adeo temporis ſpatio, cujus Hiſtoriam ſuis libris complexus eſt Moſes, toties iram Dei provocavit graviſſimis peccatis, bis ad externæ idololatriæ crimen turpiſſime prolapſus fuit, cæteris illis annis ſimilibus ſe contaminaſſe ſceleri-

Quæ hypotheſis elucidatur.

Unde conficitur, hoc tempore à Populo rebelli multa commiſſa eſſe adverſus Dei voluntatem.

a Tſemach David ad M. III. A. CCCCXLIX.

leribus? Vel, an cogitari poteſt à Viro prudenti, gentem Judaicam, quæ, cum recentiſſima eſſet Legiſlatio non minus terribilis, quam glorioſa; cum recens eſſet memoria miraculorum in ipſius ſalutem à Deo præſtitorum; cum ipſi recenti beneficio maximo ducti eſſent ex Ægypto & Præcepta Divina ipſis à Moſe ſerio commendata, brevi tempore tam grandia commiſit crimina: tempore omni XXXVIII annorum, quorum hiſtoriam non habemus, nihil ejuſmodi vitii commiſiſſe? Omnino probabile eſſe ſtatuo, vere commiſiſſe: nec neglexiſſet Moſes illius in Hiſtoria ſua mentionem facere, ſi hiſtoriam totius illius temporis conſcripſiſſet. Nunc illud apud Sanctos conſervatum eſt per *traditionem*, vel in aliisquibuſdam Monumentis, quæ nunc inter Scripta Hiſtorica Veteris Teſtamenti non recenſentur, conſignatum fuit in uſum Poſteritatis: ut alia quædam ſimilis generis geſta aut caſus, quorum in antiqua hiſtoria mentio non eſt, ſed quæ tamen ſequentium temporum Sanctis nota & recepta fuerunt. Memorat *Stephanus* in ejuſdem hujus *Capitis* initio, Moſen per *quadraginta annos* in Midianitarum regionibus ſe detinuiſſe poſt Ægyptii illam cædem; cujus rei nulla omnino mentio, quantum ſcio, in Hiſtoria Moſaica, quam omnium ſententia ipſe conſcripſit. Quin, quod digniſſimum obſervatu eſt: Ezechiel Propheta [a] exprobrat Iſraëlitis Idololatriam in Ægypto commiſſam ante eorum ex Ægypto ἔξοδον: quam tamen Moſes Hiſtoriographus totam præterit, licet illius temporis res geſtas deſcripſerit. Et ubi, ſodes, idololatriæ ab Abrahamo ante vocationem commiſſæ mentionem facit Moſes in Libro Geneſis, memoratæ tamen à *Joſua* [b]? Hiſtoriæ hujuſmodi in Eccleſia conſervatæ ſunt per *traditionem* inter Sanctos, aut potius Schedis, vel etiam Canticis & Odis commiſſæ, eratque earum priſca illa ætate certa & indubia fides. Et poteſt certe illa traditio antiquæ Eccleſiæ Judaicæ de idololatria ab Iſraëlitis in Cultu Molechi in Deſerto perpetrata ex ſequentium temporum monumentis clare demonſtrari, licet apud ipſum Moſen illius non fiat mentio. Quod cum vel maxime huc pertineat: quædam hanc in rem Scripturæ teſtimonia expendere operæ pretium fuerit.

Et extant alia geſta hiſtorica, quorum explicita memoria non eſt in hiſtoria, & de quibus tamen aliunde edocemur.

Quo modo ejuſmodi hiſtoriæ apud Iſraëlitas conſervatæ ſint?

XVII.

a Cap. XX. 7, 8. b Cap. XXIV. 2.

Imo extant monumenta hujus traditionis de Idololatria, perpetrata præter eam *Vituli aurei*: ubi primo producitur locus Pſ. xcv. 10.

XVII. Conſideremus eum in finem primo verba Prophetæ in Pſ. xcv. 10. ארבעים שנה אקוט בדור ואומר עם תועי לבב הם והם לא ידעו דרכי QUADRAGINTA ANNIS *nauſeavi in generatione* illa (David Kimchi: הייתי בקטטה עמהם *Fui in rixa cum ipſis*:) *& dicebam: Populus errantium corde illi ſunt, & illi non norunt vias meas.* Quo Paulus alludens in Epiſtola ad Hebræos [a]: Τίσι δὲ προσώχθισε τεσσαράκοντα ἔτη; οὐχὶ τοῖς ἁμαρτήσασι; Mox dictum, non tradere Moſen, quid *quadraginta annorum* ſpatio inter Iſraëlitas geſtum ſit: quod & hunc ad locum recte notat Aben-Ezra: & dicitur tamen hoc in Cantico, per *quadraginta* illos *annos* Deus quaſi *rixatus* fuiſſe (ita etiam R. Salomo:) cum illo populo, eumque *faſtidiviſſe*, quod inſigniora quædam peccata, & *idololatriam* videtur ſupponere. unde *Chaldæus Paraphraſtes* ejus hoc quoque in loco meminit. Quod quam egregie cum hoc *Amoſi* vaticinio conſentit? Optime quoque huc refert Aben-Eſra verba Moſis ex ejus oratione ad Iſraëlitas, quibus de totis ארבעים שנה QUADRAGINTA ANNIS illis, quos Iſraëlitæ in Deſerto egerunt, ita fatur [b]: ולא יתן יהוה לכם לב לדעת ועינים לראות ואזנים לשמוע עד היום הזה *Et non dedit Jehova vobis cor ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum uſque ad* HUNC DIEM. Ad finem vero *quadrageſimi anni* nomine Dei hæc pronunciavit Moſes. Quid igitur? Si occulto Dei judicio factum eſt, ut Iſraëlitæ ab ipſo reprobati ipſum non *cognoverint*, aut *amaverint*, aut *venerati* fuerint: an mirari poſſumus, prolapſum illum populum fuiſſe ad idololatriam, & in illius exercitio etiam aliquantiſper perſeveraſſe, ut graviorem poſtea Dei vindictam experiretur? Neque alia erat ratio, cur Deus Iſraëlitas judicio ſuo* pateretur prolabi ad *cultum Baalis Peor* idololatricum, quam quia ad finem illorum quadraginta annorum, quo hoc ab iis commiſſum eſt peccatum, multi reſtabant ex generatione illa, quam Deus hæreditate Canaanis excluſerat & in *deſerto* perituram juraverat, qui plerique hac occaſione ſublati ſunt ex juſtiſſima Dei vindicta. quod quin *quadraginta* illis annis etiam contigerit, hoc exemplum nos non ſinit dubitare. Sed quid moramur in eo producendo loco, qui noſtra ſententia ſolus hunc Amoſi poſſet illuſtrare? Eſt is apud *Ezechielem* Cap. xx. ubi

Et pertinet quoque huc Deut. xxix. 3.

Arcanum Dei judicium in permiſſa idololatria *Baal Peoris*.

a Cap. iii. 17. b Deut. xxix. 3.

ubi Deus gravi oratione Iſraëlitis ſcelera ſua omnia exprobrat, maxime in exercenda idololatria perpetrata, ſecundum exactas temporum rationes. Loquitur de *idololatria* in Ægypto commiſſa ℣ſ. 9, 10. De *tentationibus* in Deſerto, eo maxime crimine, ob quod juravit, *generationem* illam in *Deſerto perituram* ℣ſ. 14, 15. De peccatis *Filiorum*, ſive *ſecundæ* generationis in *Deſerto*, commiſſis his ipſis *quadraginta annis*, ℣ſ. 19, 20. qui dicuntur *ambulaſſe* אחרי גלולי אבותם *poſt abominanda Patrum ſuorum.* Idolorum hoc nomen eſt, quo ſignificatur, *Filios* ſpatio illorum quadraginta annorum eandem patraſſe *idololatriam*, qua ſe polluerant ipſorum Parentes. Additur ℣ſ. 25. וגם אני נתתי להם חקים לא טובים ומשפטים לא יחיו בהם ואטמא אותם במתנותם בהעביר כל פטר רחם למען אשמם למען אשר ידעו אשר אני יהוה *Quin dedi ipſis* STATUTA NON BONA, *&* JUDICIA, IN QUIBUS NON VIVERENT, *& impuros illos reddidi in donis eorum*, *cum* TRADUCERENT OMNE APERIENS VULVAM, *ut vaſtarem eos, ut cognoſcerent, me eſſe Jehovam.* Magna eſt copia Doctorum hoc noſtro præſertim tempore, qui Hieronymum inter Veteres & Coccejum inter Recentiores ſequuti, hunc locum Ezechielis intelligunt de *Lege Præceptorum Cærimonialium*, ſive *Carnalium*, Iſraëlitis à Deo per Moſen data, qua ipſi in *ſtuporem acti* ſunt, (ſic enim interpretantur vocem שמם:) & *ab altari remoti*, dum Sacerdotum Aaronicum inſtitutum eſt, & Levitæ Primogenitis ſubſtituti. Verum poteſtas phraſium, quibus Propheta hic utitur, & ἡ συνάφεια orationis, ut ego quidem judico, huic expoſitioni obſtant: quod in proclivi eſſet demonſtrare, ſi id nunc agere propoſitum eſſet. Agit *Ezechiel* noſtro judicio, (quod nunc ſupponere nobis liceat:) de graviſſimo crimine idololatriæ, cui *traditi* Iſraëlitæ ſunt à Deo, poſtquam Deum per multiplicem aliam idololatriæ ſpeciem ad iram provocaſſent. Quia vero gravior idololatriæ ſpecies nulla erat, quam quæ committebatur in *Cultu Molechi*, cui Filios ſuos, & *primogenitos* quidem, Deo *ſacros*, & repræſentantes Chriſtum, inter Fratres ſuos *primogenitum*, tradebant comburendos: hinc Propheta eam in fine hiſtoriæ Deſerti ut ſcelerum omnium complementum memorat. *Dedi*, inquit *Deus*, *ipſis* PRÆCEPTA NON BONA. ἐν ἐμφάσει: In quibus nihil inerat boni, hoc eſt, omnium peſſima. ea enim vocu-

Præcipue tamen firmatur hypotheſis ex gravi prophetia Ezechielis, Cap. xx. 25.

Verba Prophetæ.

Sententia Hieronymi, qui *ſtatuta non bona* in hoc loco accipit de Lege cærimoniali.

Sed præfertur alia, quæ locum interpretatur de ſtatutis Gentium idololatricis.

Imprimis idololatria *Molechi*.

Quare dicta præcepta NON BONA?

vocculæ negantis cum poſitiva junctæ vis eſt. Et *dedi* ipſis. R. Salomo: מסרתים ביד יצרם להכשל בעונם וכן ת״י *Tradidi illos in poteſtatem* FIGMENTI SUI, *ut offenderent in pravitatibus ſuis. quomodo hæc verba interpretatus eſt Jonathan.* Vel potius: *Dedi*, ut *peſſima* etiam *gentium præcepta*, *Religionem* turpiſſimam & deteſtabilem, ac cærimonias rituales maxime abominandas, in ſui poſteritatiſque ſuæ interitum acceperint: quod *dare* Dei, eſt *vindicta* ejus maxime *ſevera* effectum. Conſuevit enim Deus rationes providentiæ ſuæ ita diſponere in gubernando peccatore reprobo, ut ab uno peccato relabatur in aliud, & ſæpe graviſſimum, quod contra rationem communem pugnat, & ipſius cauſa eſt interitus. Certum habemus Auctorem hujus expoſitionis *Stephanum*, qui in ipſo illo Loco, quem tractamus, diſſerens de graviſſimo hoc Idololatriæ crimine, hac eadem uſus eſt dictione: Καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ· *Et* TRADIDIT *eos ſervire exercitui cæli.* Quomodo hebraice hæc expreſſerit Stephanus? Sic putem: ונתנם לעבור לצבא השמים. Atque ita habes ipſiſſimum נתן *dare*, quod Stephanus uſurpavit non ſane ad alium, quam hunc, alludens locum, in quo ſimili φράσει ſimili de re agitur. Quod ubi ſcribo: longe hic abeſſe velim cogitationem omnem profanam, & Deo indignam, acſi ipſe hominem impulſu ſuo ad idololatriam induceret, & quidem gravem illam & deteſtabilem, de qua hic agitur. Certe, non eſt hoc Dei opus, ſed Satanæ, hoſtis humani generis. Deus tamen, ſtylo Scripturæ, in ejuſmodi caſibus *facere* dicitur, quod *fieri* permittit à *Satana*, homines ad turpiſſimam ſuperſtitionem ſeducente; nec tamen permittit otioſe, ſed ita ut tanquam juſtiſſimus Rector & Judex hominem, qui hunc actum committit, in omni circumſtantia ſua eum in modum circumſcribat, ut clare pateat, permiſſionem hanc eſſe effectum juſti & ſeveri Dei judicii.

Quid ſit, dare præcepta non bona?

Paraphraſis verſ. 26.

XVIII. Pergit Oratio Dei apud Ezechielem: *Et* IMPUROS REDDIDI IPSOS CUM DONIS EORUM, IN TRANSIRE FACIENDO OMNE PRIMOGENITUM. Confer, ſi placet, ℣ſ. 31. & intelliges de *Molechi* Cultu ſermonem eſſe. *Et* IN OBLATIONE DONORUM VESTRORUM, IN TRANSIRE FACIENDO FILIOS VESTROS PER IGNEM VOS IMPURI REDDITI ESTIS, ſacri (ita τὸ ל in לכל accipio:) *ſter-*

ſtercoreis Diis veſtris hunc ad uſque diem. Phraſes hæ, etſi Docti quidam Viri nobis contrarium perſuadere vellent; nihil differunt. *Impuros reddere cum donis ſuis* eſt, meâ ſententia, facere ut in oblatione cariſſimorum donorum cultui ſe dederint omnium impuriſſimo. *Reddidit* igitur Deus Iſraëlitas *impuros*, quando occulto ſuo judicio permiſit, ut cultu omnium impuriſſimo ſe *contaminaverint.* unde eos poſtea ut *impuros* tractavit & à facie ſua longiſſime repulit. *Facere* enim, ut modo monebam, dicitur Deus etiam ea, quę ipſe quidem *phyſice* non efficit, ſed tamen ſua providentia ita circumſcribit, ut nihil eorum fiat præter ipſius conſilium. Cultus vero ille abominandus conſiſtebat in *tranſire faciendo primogenitos.* h. e. Primogenitos alicui Numini conſecrando. Phraſis eſt in Lege Exod. xiii. 12. והעברת כל פטר רחם ליהוה TRANSIRE FACIES *omne primogenitum Jehovæ.* Belgæ: **Gy ſult tot den Heere doen overgaen dat den baarmoeder opent.** Improprie. Vertendum: **Gy ſult den Heere overgeven dat den baarmoeder opent.** Sic eſt cap. xxii. 28. בכור בניך תתן לי *Primogenitum Filiorum tuorum* DABIS MIHI. Sed & ea φράσις uſitata erat in Cultu *Molechi.* Unus ſufficiat locus ex Jeremia [a]: להעביר את בניהם ואת בנותיהם למלך *Ad* TRANSIRE FACIENDUM *Filios & Filias ſuas Molecho.* Verti debet: *Ad tradendum*, ſive *conſecrandum.* ut mox latius dicam. Poteſt itaque, ſi rem in genere contempleris, vel *Deo* aliquid *tradi* & conſecrari, vel *Molecho.* Dubium ſolummodo, utrum horum Subjectorum intelligendum ſit in verbis Ezechielis, quæ nunc tractamus. Docti enim Viri, qui *ſuperius comma* interpretantur de Legibus cærimonialibus, per Moſen datis, hæc verba explicant de *conſecratione Primogenitorum* aut *Levitarum*, iis ſubſtitutorum. Mirum id quidem, cum *conſecratio Primogenitorum*, quę Deo ſecundum Legum facta eſt, Iſraëlitas *impuros reddere* non potuerit, ſed potius omnes Iſraëlitarum familiæ in *Primogenitis* & *Levitis* ſint *ſanctificatæ* & Deo conſecratæ. Res ipſa itaque poſtulat & jubet, Ezechielem hic intelligere de *conſecratione Primogenitorum*, quę facta ſit *Molecho*, quam ipſe Ezechiel, eadem phraſi uſus ℣ſ. 31. ait *Iſraëlitas impuros reddidiſſe.* Quod vero hic excipiant Viri Docti; ea ſi fuiſſet mens Ezechielis, ſcripu-

Impuros reddere cum donis, quid ſit?

Tranſire facere Primogenitos eſt illos Numini alicui conſecrare.

Quæ phraſis illuſtratur.

An id in loco Ezechielis referendum ſit ad Deum verum, vel falſum?

Poſterius eligitur, & docetur, in

a Cap. xxxiii. 35.

phraſi nullam eſſe ellipſin. pturum illum fuiſſe; *tranſire faciendo omne aperiens vulvam* באש PER IGNEM; id ſane profectum eſt ex errore, qui, quantum ſcio, Viros Doctiſſimos, qua Hebræos, qua Chriſtianos, hactenus detinuit; iis etiam, qui nobiſcum in eadem opinione ſunt, putantibus, hanc vocem hic ἐκλείπειν. Dicam igitur, φράσιν: העביר בנים באש / male paſſim transferri; *Tranſire facere Filios per ignem:* **De Kinderen doen doorgaan door het vier** / quaſi Liberi, Molecho devovendi, per *ignem* tantum *traducerentur*, Vera illius verſio in medium producta. vel *luſtrarentur:* (quę Maimonidis, Hebræorumque, atque hinc multorum Chriſtianorum Interpretum fuit opinio, nata ex hac phraſi male intellecta, refutata tamen à Seldeno, licet hactenus ipſam hanc phraſin non expoſuerit:) ſed verti debere: *Tradere Filios ſuos in igne*, quando ſubintelligitur ſemper: למלך *Molecho.* **De Kinderen** den Molech **overgeven in 't vier.** † Non igitur deficit in hac dictione τὸ באש / ſed למלך: quod multis aliis in locis additur. Rationem addit Deus: למען אשמם

Ut

† Quam prava hujus phraſis interpretatio tranſverſos egerit Doctiſſimos etiam & Peritiſſimos Viros, videre licet in *Diſſertatione* de hoc De Leg. Heb. Lib. II. Cap. II. argumento cæteroquin erudita Cl. Spenceri, ubi verſatur in hac phraſi explicanda. Per totam illam Diſſertationem vertit illam phraſin; *tranſire facere per ignem:* cum tamen ſatis conſtet, quod ipſe ille Vir Doctus quoque probat, in Cultu Molechi ut plurimum Liberos non per Ignem traductos luſtrationis cauſſa, ſed Igne conſumptos eſſe. Hæret itaque Vir Doctus & vacillat in hoc negotio. Solummodo ſub finem hujus Diſſertationis oculos quaſi aperuit, & hæc habet notatu digniſſima, & noſtræ ſententiæ congrua: „ Notari poteſt 5. Phraſin hanc „להעביר למלך / UT TRANSIRET AD MOLECHUM, ſenſum peculiarem „olim geſſiſſe, ut *Molecho nomen tradere*, *ad partes ejus tranſire*, *ſe* Hebr. XI. 6. „*ritibus ejus totum addicere*, ſignificaſſe videatur. prout olim προσέρχε-„σθαι τῷ Θεῷ *accedere ad Deum*, phraſis erat, ad proſelytum, hominem Dei cultui devotum, indicandum uſurpata. Hanc opinionem eo „pluris æſtimo, quod phraſis illa; והעברת ליהוה *Tranſire facies ad Do*-„*minum*, ſenſum affinem ferat, & homines Deo ſacrandos indicet. Operæ pretium fuiſſet in principio hujus Diſſertationis id obſervare: quando Vir Cl. multis parcere potuiſſet verbis. Ita vere res habet: העביר למלך באש eſt *quid conſecrare Molecho per ignem*, ſive luſtrandum, ſive conſumendum. Communiter ſic obtinebat uſu in Oriente, ut qui Mich. VI. 7. Liberi, præcipue *Primogeniti*, Molecho devoverentur, igne toti conſumerentur. qua de re præter alia habemus clariſſimum locum Diodori Si-

Ut eos deſolarem. Quis dicat, Legem Iſraëlitis per Moſen datam hoc conſilio, ut Iſraëlitas deſolaret Deus? hac fine juſſiſſe Deum Primogenitos ſibi ſacros eſſe, vel Levitas Primogenitis ſubſtitui? Quis non videt id pertinere ad *Cultum Molechi*, ad quem Iſraëlitæ terribili Dei judicio prolapſi ſe liberis orbarunt, familias ſuas vaſtarunt, & graviſſimam Dei indignationem & iram provocarunt? Conſtet itaque ex hoc loco, *Molechum* vere ab Iſraëlitis cultum eſſe in Deſerto Arabiæ. Memorantur enim hic, ut jam ante dictum, geſta in Deſerto.

Quo eodem pertinent verba: *Ut eos deſolarem.*

XIX. Jungamus huic loco verba Prophetæ ex Pſ. cvi. 35, 36. quibus poſtquam diſtincte recenſuiſſet beneficia à Deo præſtita Iſraëlitis ductis ex Ægypto, & ipſorum frequentes adverſus Deum rebelliones, tandem notat nefarium hoc crimen, quod commiſerunt in *Cultu Molechi: Et permixti ſunt gentibus, & didicerunt opera eorum: Et ſerviverunt idolis eorum, fueruntque illis laqueo:* ET SACRIFICARUNT FILIOS SUOS ET FILIAS SUAS DÆMONIBUS, ET EFFUDERUNT SANGUINEM INNOCENTUM, SANGUINEM FILIORUM ET FILIARUM *ſuarum*, QUOS SACRIFICARUNT IDOLIS CANAANIS. Quid clarius? Non negem, commiſſum ab illis eſſe hoc ſcelus in terra Canaan: ſed nec excluditur, quod geſtum in *Deſerto.* Subtexuntur enim hæc ἀμέσως recenſioni eorum, quæ in Deſerto ab iis patrata erant. Facit quoque huc inſignis locus Pſalmi lxxxi. 13. Jeremiæ xxxi. 32. maxime vero Cantici Moſaici lib. v. cap. xxxii. 17. יזבחו לשדים לא

Locus Pſ. cvi. 35, 36, 37. in eundem ſcopum productus.

Et alia ſimilis argumenti.

ri Siculi, ſuperſtitionem hanc in hiſtoria Carthaginenſium, origine nimirum Phœnicum, horrendam certe & flagitioſiſſimam, tum quoque *Molechi*, ſive Saturni in idolo culti ſpeciem, deſcribentis. uno nimirum & eodem tempore Carthaginenſes ab Agathocle obſeſſi, & ad extrema redacti, *ducentos* τῶν υἱῶν τοὺς κρατίστους, *ex præcipua delectos nobilitate pueros*, Saturno ſive *Molecho* immolarunt, igne cremandos. Alias tamen *luſtrationem per ignem* in more quoque fuiſſe antiquis Gentibus, liquere poteſt ex Halicarnaſſenſi Dionyſio, ubi verſatur in hiſtoria Romuli, civitatem Romanam poſt fratris cædem fundantis & initiantis: Μετὰ δὲ τοῦτο πυρκαιὰς πρὸ τῶν σκηνῶν γενέσθαι κελεύσας, ἐξάγει τὸν λαὸν τὰς φλόγας ὑπερθρώσκοντα τῆς ὁσιώσεως τῶν μιασμάτων ἕνεκα· *Mox pyris ante tentoria accendi juſſis, educit populum, &* PIACULI CAUSSA PER FLAMMAS SALIRE JUBET. En *luſtrationem per ignem*, diſtinctam ab *immolatione*, quæ paſſim antiquiſſimis ſæculis in Phœnicia obtinuit!

Biblioth. Hiſtor. Lib. xx. p. m. 756, 757.

Ant. Rom. Lib. i. p. m. 75.

אלה SACRIFICARUNT DÆMONIBUS, *non Deo.* Ne dicam, interdictiones frequentiores hujus Cultus Molechi in libris Moſaicis, certo mihi eſſe argumento, populum valde illum ad Cultum propendiſſe, eoque ſe quandoque polluiſſe. Utique quod aliud deſiderari poteſt clarius & expreſſius teſtimonium de idololatria Iſraëlitarum in Deſerto, quam hæc ſunt verba Dei apud Moſen [a], poſtquam prohibuiſſet alibi ſacra facere quam in Tabernaculo: *Neque offerent amplius ſacrificia ſua* לשעירים *Dæmonibus*, אשר הם זונים אחריהם POST QUOS SCORTANTUR. Non affectu tantum, ſed & quoties occaſio id ipſis permitteret, ipſo actu illos colentes ac venerantes.

Ut & ex Lev. XVII. 7.

Objectio, à præſentia Moſis deſumpta, removetur.

XX. Sed obſtat, ais, Moſe duce & Inſpectore Populi tantum facinus ab Hebræis non facile potuiſſe patrari. Fateor ad primam ſpeciem id nobis obſtare. Sed obſervari cupio, α. Deum hoc occulto judicio ſuo ad tempus permiſiſſe ad populi pœnam & interitum, quia *generationem* illam in deſerto perituram ἠμέλει (uti Apoſtolus) *non curabat*, vel οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν. β. Populum Judæum ampliſſimum in caſtris locum occupaſſe, qui adeo non permiſerit Moſi, ut ut diligentiſſimo Inſpectori, eorum facinora omnia obſervare & cenſere. γ. Dubitandum non eſſe, quin turpes hi idololatræ *pœnam*, vindictamque Divinam, maxime ſeveram, ſuo tempore fuerint experti, ut paſſim alii ipſorum contribules, quando ſimilis generis criminibus ſe obſtrinxerunt. Tandem expendi velim, δ. Moſe Duce & Inſpectore Populi alia etiam eveniſſe, quæ nobis admirationi eſſe debent; ut v. gr. ſunt Rebellio Koræ; neglecta Circumciſio & Paſcha, & forte etiam Sacrificia reliqua ¶; Cultus Peoris; & quæ ejuſdem ſpeciei alia. Difficile ſane fuit regere & intra æqui ac honeſti terminos continere multitudinem pravi & pertinacis ingenii, & moribus prorſus inculti & horridi. †.

C A-

a Lev. XVII. 7.

¶ Diſputatum hac de re, florente Hebræorum Republica, inter Hillelianos & Schammæanos, an ſacrificia Deo in Deſerto ſecundum Ritum Moſaicum ſpatio horum quadraginta annorum ſint oblata, obſervante Morino. Negans ſententia mihi placet, ob rationes facile producendas.

Lib. II. Exerc. XV. Cap. IV. §. 1, 2.

† Si quid huic deſit noſtræ diſſertationi, ante plures annos ſcriptæ: ſuppleat

ſuppleat licet Lector meus illud ἔλλειμμα ex Cl. Spencero, qui hunc Amoſi locum erudite tractavit & eandem, quam ego hactenus ſuſtinui, defendit hypotheſin, etſi conſequutiones, quas Spencerus inde elicit, non probem.

De Leg. Heb. lib. III. Hiſt. I. cap. III,

Caput II.

Vulgata ſententia Doctorum, quæ refert, Sacerdotium olim fuiſſe inter Prærogativas Primogenitorum, *modeſto ſubjicitur examini, ac refellitur; & quæ pro ea facere creduntur teſtimonia ex Scripturis Divinis petita, explicantur.*

Transitur ad Quæſitum, an *Sacerdotium* olim pertinuerit ad prærogativas *Primogenitorum*?

DOctiſſimi Viri, qui apud *Ezechielem*, [a] חקים לא טובים STATUTA NON BONA, de inſtitutis legis Moſaicæ interpretantur, quæ nos præcedenti *Capite* urſimus exponenda eſſe de inſtitutis Gentium idololatricis; quod ℣ſ. 26. ſubjicitur: ואטמא אותם במתנותם *& impuros illos declaravi cum muneribus ſuis, tranſire faciendo* (conſecrando) *omne aperiens vulvam*: explicare ſolent de *electione Primogenitorum*, vel *Levitarum*, ipſis brevi poſt ſubſtitutorum, per quam ſtatuunt factum eſſe, ut totus populus Iſraëlis, *ab altari* & ſacris rebus remotus, *veluti impurus* palam ſit declaratus & traductus. In qua ſententia cum ſupponatur, *Primogenitos electos fuiſſe ad Sacerdotium*, & non *Levitas* modo ſed & *Sacerdotes* iis fuiſſe ſubſtitutos: viſum eſt hoc argumentum examini ſubjicere, & quid de univerſa judicandum ὑπόθεσιν ſit, aliquanto diſtinctius ediſſerere. Quod eo facio lubentius, quia alii mihi in hac diſputatione præiverunt Scriptores minime contemnendi; &, quod plus valet, confido, me rationes adeo ſolidas in hanc rem poſſe adducere, ut ab æqua mente omnino debeant admitti.

Vulgata de hac re ſententia verbis Seldeni expoſita.

II. *Jus Sacerdotii* antiquiſſimis temporibus ad *Primogenitos* pertinuiſſe; idemque iis per inſtitutionem Sacerdotum Aaronicorum fuiſſe ademtum, vulgatiſſima fuit Veterum Hebræorum & Chriſtianorum quoque Interpretum opinio. Juvat id ex Seldeno intelligere [b]. *Ex jure ordinario*, inquit, *ſeu communi mares*

Pri-

a Cap. XX. 25. b Lib. I. Cap. I. de Succeſſione in Pontif. Hebræorum.

Primogeniti *ante Legem Leviticam Sacerdotali in familiis ſuis gaudebant munere. Sic docemur ex Miſna Talmudica. Verba ſunt* [a]: עד שלא הוכן המשכן היו הבמות מותרות ועבורה בבכורות *Antequam Tabernaculum conſtructum eſt, altarium ſeu excelſorum uſus licitus fuit, atque ſacro ad ea fungebantur munere* Primogeniti. *Quo etiam ſpectare volunt illud Exod.* XXIV. 5. *Moſes mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis & duodecim titulos ſeu columnas ſecundum duodecim tribus Iſraël, miſitque Juvenes de filiis Iſraël, qui obtulerunt holocauſta atque immolaverunt victimas & pacifica Domino, ſcilicet boves. Qui* נערים *ſeu* JUVENES *heic dicti ſunt, pro* PRIMOGENITIS, *utpote qui jure ſuo tunc Sacerdotes fuere, ſumunt. Unde etiam eodem in loco Chaldæus Paraphraſtes Onkelos expreſſim pro*, miſit Juvenes, *ſubſtituit, receptiſſimæ ſententiæ ſatis callens*, שלח ית בכורי miſit Primogenitos. *Quem ſequitur item Auctor Paraphraſis* Uzielidi *tributæ, in qua ratio etiam redditur, quia nondum initia habuere Sacerdotes Aaronici. Quin aſſentiunt heic Patres Chriſtiani, ut videre eſt apud D. Thomam in prima ſecundæ Quæſt.* 103. *art.* 1. *ad tertium.* Plura etiam ad hoc argumentum adfert Seldenus in Libro de *Succeſſionibus in Bona Defunctorum* [b], quæ non licet intacta præterire. *Et Primogenituræ jus*, ait, *memoratur* Gen. XXV. 31. *quod* τὰ πρωτοτόκια *Primogenita & Primitiva appellant. Sic enim interpretantur* בכורה/ *quo Jus primogeniti ſeu Primogenituræ denotatur. Vide etiam in Paralipomen:* ℣I. 1. *Sed jus illud* SACERDOTALEM FUNCTIONEM *ſpectaſſe ajunt Magiſtri, quæ ante Tabernaculum & Aaronis Sacerdotium à Primogenitis exercebatur. Unde* Bereſchith Rabba [c]: מה ראה אבינו יעקוב שנתן נפשו על הבכורה דתנינן עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבודה בבכורות משהוקם המשכן נאסרה הבמה ועבורה בכהנים *Quænam erat cauſa unde Jacob Pater noſter Primogenituræ jus ita cupiebat? Quoniam traditur, ante Tabernaculum conſtructum excelſa fuiſſe in uſu, nec illicita; atque ad ea Sacerdotii munere fungi ſolitos Primogenitos. Extructo vero Tabernaculo, excelſa illicita erant & functio ſacra ad Sacerdotes ſpectabat. Inde eſt, quod Eſau, qui* ἀντὶ βρώσεως μιᾶς propter unam eſcam *primogeniti jus illud ſacrum vendidit*, βέβηλος *ſeu profanus appellatur* [d]. Huc uſque deſcripſimus Seldenum.

Verba ejuſdem alia de eodem hoc argumento.

III. Imo

a Zebachim, ſeu de Sacrificiis Cap. XIV. b Cap. V. c Fol. 71. col. 1. d Heb. XII. 16.

Fuitque hæc ſententia Vett. Hebræorum.

III. Imo certe, quod Seldenus recte notavit, tenaciſſimi hujus opinionis fuerunt Docti inter Hebræos Veteres. Miſſo Cartwrichto [a], qui ipſe quoque hac de re luculenter teſtatur: notemus ſolummodo Paraphraſin Hieroſolymitanam ad Gen. XLIX. 3. Eſt ea hic clara & facilis, in hunc modum:

Verba Paraphraſtæ Hieroſolymitani in hanc rem.

ראובן בכורי את חילי ושרוי צערי חמי הוה לך ראובן ברי למסב תלתא חולקים יתיר על אחך בכורתא כהונתא מלכותא ועל דחטית ראובן ברי אתיהבת בכורותא ליוסף ומלכותא ליהודה וכהונתא רבתא לשבטא דלוי *Ruben! primogenitus meus es tu, robur meum & principium doloris mei. Conveniens quidem erat, ut tu acciperes tres portiones præ fratribus tuis; Primogenituram. Sacerdotium. Regnum. Verum Ruben, Fili mi, quia peccaſti,* τὰ πρωτοτόκια (duplex portio hæreditatis:) *data ſunt Joſepho; Regnum vero Judæ, & Sacerdotium Magnum tribui Levi.*

Ut & Onkeloſi.

Quin & Onkelos ipſe, qui alias literam ſectatur, vulgatam hanc expoſitionem heic loci verſioni ſuæ inſeruit: לך הוה חזי למסב תלתא חולקין בכורותא כהונתא ומלכותא *Tu accepturus eras partes tres.* PRIMOGENITURAM. SACERDOTIUM, & REGNUM. Nempe Interpretes hi ingenio ſuo luſerunt in verbis; יתר שאה/ ויתר עז: quaſi τὸ יתר hic ſignificaret *prærogativam*.

Hieronymi quoque & Doctorum inter Chriſtianos.

Hieronymus vero eandem Hebræorum ſententiam non uno loco [b] plane commemorat & amplectitur. A quo tempore adeo hæc opinio fuit recepta inter Chriſtianos Doctores, ut ſi eorum teſtimoniis deſcribendis operam vellem dare, plurima mihi commaculanda eſſet charta. Nemo initiatus eſt noſtris ſacris, qui id ex Doctoribus voce aut ſcripto non intellexerit. Mihi vero aliud ſedet, poſtquam hoc de argumento Outramum legi, doctum & veri ſtudioſum Virum [c]. Negat is, &, ut mihi videtur, ſumma cum ratione, quod plerique, magis capti auctoritatibus quam rationibus, fidenter aſſerunt.

Laudatur Outramus, qui eam in dubium vocavit.

Eſt tamen Outrami diſſertatio de hoc argumento brevior, quam pro illius præſtantia debebat. Nobis itaque nemo vitio verterit, quod idem nobile quæſitum noſtris quoque meditationibus ſubegerimus, & nos ad Outrami ſententiam copioſius illuſtrandam inſtruxerimus.

Ordo ſequentis tractationis.

quod hac methodo commode præſtiterimus, ſi *Primo* exploremus fundamenta, quibus recepta opinio paſſim ſuperſtruitur:

M m *Dein*

a Mell. Heb. Cap. I. Lib. I. b Quæſt. Heb. in Gen. Cap. XVII. Epiſt. CXXVI. ad Evagrium. c De Sacrif. Lib. I. Cap. IV.

Dein rationes adferamus validas, quibus contrarium evincamus.

Fundamenta quibus hæc ſententia ſuperſtruitur tam reſpectu temporis, quod Exitum ex Ægypto conſequutum eſt:

IV. Quod ad *primum* attinet noſtræ Diſputationis articulum, Fundamenta, ex quibus vulgatum hoc dogma adſtruitur: licebit ea repetere ex Seldeno [a], Cloppenburgio [b], Heideggero [c], & ipſo quoque Outramo [d]. Obſervant ſcilicet Docti Viri, *Primogenitos* paulo ante exitum ex Ægypto Divina Lege declaratos eſſe *ſacros*; poſt exitum ex Ægypto memorari כהנים *Sacerdotes*, ut & נערי בני ישראל *Juvenes Filiorum Iſraëlis*, quibus oblationem pecudum Moſes demandavit. qui vix alii cogitari poſſunt à *Primogenitis*, quia his, ut Deo ſacris, operæ Sacerdotii optime conveniebant. Porro, *Levitas* deinceps dici aſſumtos fuiſſe in locum *Primogenitorum.* unde conſtet, Primogenitos ante id tempus ſacris Religionis adminiſtrandis fuiſſe admotos. Atque hæ ſunt rationes, quæ evincunt illorum Auctorum judicio, *Primogenitos* ab eo ſaltem tempore, quo Deus illos ſibi conſecravit, Sacerdotio fuiſſe functos.

Quam quod eum præceſſit.

Quod ad tempus attinet, quod Exitum Iſraëlitarum ex Ægypto anteceſſit: animadverti jubent, Eſavum ab Apoſtolo appellari βέβηλον *profanum*, quia τὰ πρωτοτόκια vendidit. cujus rei rationem inde repetunt, quod exciderit ipſe Jure *Sacerdotii*, quando τὰ πρωτοτόκια vendidit fratri ſuo, atque adeo ex Perſona Sacra, quam hactenus ſuſtinuerat, ipſe factus ſit βέβηλος PROFANUS. Videmus itaque diſtinguenda eſſe intervalla temporum duo, *alterum* ante, *alterum* poſt electionem Primogenitorum factam tempore Iſraëlitarum ex Ægypto educendorum. De *Priore* intervallo, ab Hebræis eodem animo; à Chriſtianis autem Interpretibus lenius diſputatur de *Primogenitorum* hac prærogativa. *Poſteriore* autem Intervallo temporis hæc eorum prærogativa utrinque fortiſſime urgetur. Nobis nunc utrumque placet negare; atque adeo primo reſpondere ad argumenta, ex quibus tanquam fortioribus & ſpecioſioribus *Sacerdotium Primogenitorum* adſtruitur, poſtquam Lege Divina Deo ſolenniter fuerint conſecrati paulo ante quam educti ſunt ex Ægypto; deinde reliqua facile diſcutiemus.

V. Poſt-

a l. c. b Schol. Sacr. Cap. 2. §. XVI. c Exercit. 1. de OEcon. Patriarch. §. XIX. d l. c.

V. Poſtquam Deus Populum ſuum ex Ægypto ducturus, *Primogenitos Ægyptiorum* necaſſet, iiſque Iſraëlitarum pepercißet: dubium non eſt, quin *Iſraëlitarum* illi *Primogeniti* novo hoc beneficio Deo quam maxime eſſent devincti. Sic beneficium hoc ſuum ipſe Deus interpretatus eſt, ac idcirco juſſit, ut *Primogeniti* omnes Iſraëlitarum, matris vulvam aperientes, ſibi haberentur *ſacri*. Præceptum hoc variis extat in locis. habetur tamen omnium primo Exod. xiii. 1. קדש לי כל בכור פטר כל רחם בבני ישראל באדם ובבהמה לי הוא Consecra mihi omne primogenitum, *aperiens omnis vulvæ*, *inter Filios Iſraëlis*, *ſive ex hominibus ſive ex animantibus.* meum illud est. In *verſu duodecimo* ita exprimitur præceptum hoc: והעברת כל פטר רחם ליהוה *Et* trades *omne aperiens vulvam Jehovæ*. *Trades*, inquam, ſive *conſecrabis*, quia τὸ העביר in negotio religionis hujus eſſe ſignificationis, alibi inculcavimus. Vocum vero קדש & העביר ea in ſignificando vis eſt, ut notent, res illas, de quibus hæ voces uſurpantur, communibus uſibus eximi & in uſum ac commodum Dei ac rei divinæ quocunque tandem modo transferri. Sic *conſecrari* Deo dicuntur, homines, animantes, inſtrumenta (ἀναθήματα) tempora, loca. Nobis hic res eſt cum hominibus, & quidem cum *Primogenitis*: quorum itaque *Conſecratio* qua re conſiſtat, inveſtigandum eſt.

Quæ exequiuntur, & quidem primo, ſupponitur, *Primogenitos* Deo fuiſſe *conſecratos* cum Exitu Iſraëlitarum ex Ægypto, idque adſtruitur.

VI. 1. *Primogenitus*, vel quivis etiam alius homo, Deo dici poteſt *conſecrari*, ad Deum *transferri*, quando devovetur morti, quod eſt חרם ἀνάθεμα fieri. Is enim homo qui occiditur, humanis rebus in univerſum eximitur: &, quia homines nullum amplius ex eo emolumentum capiunt, creditur eſſe Dei. Certe apud Moſen ejuſmodi חרם vocatur קדש קדשים *res ſanctiſſima*, Deo devota [a]. 2. Quando quis tranſit in Dei ſervitium; Deo ſacer operas ſuas ipſi locat, à commercio & rebus humanis ſeparatus; ea agit, quę Dei ſunt; Deo miniſterium præbet. Hoc modo uſurpatur in Scriptura de *Sacris Perſonis* omnibus, quę in domo Dei verſantur, quippe quę humanis rebus exemptæ apud Deum agunt & vivunt. Sic vero conſecrationis vocabulum promiſcue adhiberi poteſt de *Sacerdotibus* & *Levitis*. Utrique erant קדושים *Sacri*, conſecrati Deo. Atque de poſterio-

Quo ſenſu homines Deo dicantur conſecrari ſtylo Scripturæ.

Quomodo id accipien-

a Lev. xxvii. 28.

dum de Primogenitis?

re hoc *conſecrationis* genere *Primogenitorum* inter homines hic mentionem eſſe; id ex oratione Moſaica & re ipſa clariſſimum eſt. Si enim per mortem Deus Primogenitos Iſraëlitarum ſibi voluiſſet conſecratos; utique pœnam ipſis irrogaſſet, non præſtitiſſet beneficium. Verum, quia vocum קדש & העביר ea latitudo eſt ſignificationis, ut ex iis intelligi nequeat, utrum de *Conſecratione ad Sacerdotium*, an vero de *Conſecratione ad Miniſteria*, Deo præſtanda, accipiendum ſit præceptum: age id expendamus ex circumſtantiis Divinæ apud Moſen orationis.

Doceturque, illos Deo conſecratos eſſe ad Miniſterium Sacrum, non ad Sacerdotium: ſive, non ut Sacerdotes, ſed *ſacrificia*.

VII. In Oratione ſive Lege Dei hac de re videmus à Deo tam præcipi Conſecrationem *Primogenitorum* ex *Pecudibus*, quam ex *hominibus*. *Pecudes puras conſecrari* vult per *oblationem*, *impuras* redimi per *puras*, aræ pariter deſtinandas, aut morti quovis alio modo tradi. Quoniam vero *conſecratio Primogenitorum inter pecudes* omnino comparatur cum *conſecratione Primogenitorum inter homines*: non licet exiſtimare, *Primogenitos inter homines* Deo aliter fuiſſe conſecratos ac *Primogenitos inter pecudes*; ac proinde putandum eſt, *Primogenitos* hominum Deo conſecratos fuiſſe non ut *Sacerdotes* ſed ut *ſacrificia*, Deo devota, & miniſteriis Divinis addicta. Hoc autem nunc velim ad animum revocari, qui inter homines Deo dantur ut *ſacrificia*, hos nunquam habere aut habuiſſe ſpeciem *Sacerdotum*, ſed *Miniſtrorum Sacerdotalium*, quales fuerunt *Levitæ*, *Nethinæi*, ſic ſignate dicti, quod נתינין *dati* eſſent Deo, ut *ſacrificia*, atque hinc deſtinati uſibus & miniſteriis ſacris. Quod ut clarius intelligatur: notabile diſcrimen, quod fuit inter *Sacerdotes* & *Levitas*, producendum nobis & declarandum eſt.

Sacerdotum & Levitarum notabile diſcrimen ſub OEconomia Vetere.

Sacerdotum officium.

VIII. *Sacerdotes* ſub Inſtrumenti Veteris OEconomia non tam habuerunt rationem & ſpeciem *Miniſtrorum Dei* quam *Amicorum* & *Familiarum* Dei; quod tam liquet ex voce כהן / quę genuina ſua ſignificatione notat *familiarioris acceſſionis Amicum*[a], quam ex eorum inſtitutis & moribus. Hi vix ullum præſtabant opus ſervile. Officium eorum eo unice conſiſtebat, quod Deo ad aram offerrent ſanguinem, & membra diſſecta animantium, abſque eorum opera, ſi vellent, præparatarum. Quod *Dei* erat atque ad *Deum* duci debebat, ipſis in manus dabatur, ut Dei fami-

a Jeſ. LXI. 10. כהן *ſibi quid applicare.*

familiaribus & amicis. Quin hoc ipſum ab eis conſumebatur, quaſi eorum communio cum Deo adeo eſſet arcta & familiaris, ut perinde eſſet, an res aliqua à Deo, an ab ipſis conſumeretur. Hinc plurima ſacrificia inter ipſos & Deum fuere diviſa, quodque ipſis dabatur in manus ad aram, cenſebatur Deo dari, licet nunquam in aram ferretur. unde apparet, *Sacerdotes* non tam ut *Miniſtros* (non ſum adeo imperitus, ut neſciam, aut pervicax ut negem, iis hunc titulum ſano ſenſu dari & dari poſſe:) quam ut *Amicos* & *Familiares*, immo, ſi fas ſit ita mentem meam exprimere, ut *partem Dei* conſideratos eſſe. Liceat ſic loqui, ut percipiamus recte, qua ratione Dominus Jeſus *Sacerdos* dicatur. Nimirum, *Sacerdos* potiſſimum dicitur Chriſtus ſecundum *Divinam* ſuam *Naturam*. Verus enim pro peccatore *Sacerdos* apud Deum nemo eſſe poteſt, qui non participat Divinitatem; qui non ſit familiaris Dei; ἴσος τῷ Θεῷ *par Deo*, amicus Dei, qui jus habet ſemper coram Deo comparendi. Hæc quia ita ſe vere haberent in Chriſto Sacerdote ἀρχετύπῳ: Sacerdotes hanc etiam ſpeciem præ ſe ferre debebant ſub V. T. ut tanquam *amici* & familiaris acceſſionis Viri apud Deum conſiderarentur. Ab hoc plane nunc diſtinctum apparet *Levitarum* officium. *Levitæ* non habuerunt ullum jus majus ad Deum accedendi, quam *Iſraëlitæ*. Nunquam facultatem habuerunt qualemcunque rem Deo ad aram offerendi: quod proprie eſt *accedere ad Deum*, *appropinquare Deo*. Sacerdotum fuerunt famuli & ſervi, iiſque in omni muneris ſui exercitio ſubjecti. Nulla præ cæteris Iſraëlitis gaviſi ſunt in templo prærogativa, quam quod muniis ſervitii ſibi demandatis ſecundum Moſaicarum Legum præſcriptum functi ſint.

Erant *amici* & *familiares Dei*.

Quo ſenſu illi typi Chriſti.

Levitarum officium, ab eo Sacerdotum diſtinctum.

IX. Hac diſtinctione inter *Sacerdotes* & *Levitas* præmiſſa, non difficile erit definitu, cujus generis *Datio* ſive *Conſecratio* in Lege Moſaica intelligatur, ubi de *Primogenitis* mentio eſt. *Datio* ſcilicet ejuſmodi eſt intelligenda, qua quis Deo conſecratur, ut *ſacrificium*; quod nimirum ex verbis Legis liquet. Ille vero, qui Deo ut *ſacrificium* conſecrabatur, ſi morti non devoveretur; cedebat *Sacerdotum* uſibus. Eadem plane ratione ac res ſe habet in *ſacrificiis* aut oblationibus, Deo conſecratis, neque tamen in altari conſumptis. Ejus generis oblationes Sacer-

Quæ applicantur ad Primogenitos, tanquam Deo conſecratos ad *Miniſteria*, & ut *ſacrificia*.

dotum erant, hoc eſt, Sacerdotes eas quocunque modo in uſus ſuos poterant convertere ex præſcripto Legis. *Primogeniti* itaque, Deo dati ut *ſacrificium*, non fiebant *Sacerdotes*, ſed dabantur Sacerdotibus, deſtinabantur Sacerdotum uſibus, quia alio pacto non poterant Sacerdotes *Primogenitis* uti. Non utique Sacerdotes eos mactare & comedere poterant, ut reliqua *ſacrificia*, atque proinde non poterant *Primogenitis*, Deo aut ſibi conſecratis, aliter uti, quam ut eos in perpetuum miniſterium, ut capita ſibi devota, ſibi vindicarent. Eodem modo ſe res habet cum pelvibus, patinis, forcipibus, auro, argento, gemmis, Deo conſecratis. Inſtrumenta enim ejuſmodi Deo aut Sacerdotibus data, neque tamen ab ipſis conſumenda, perpetuo eorum erant miniſterio & uſui, quantum poterant. Liqueat itaque inde, *Conſecrationem* aut *Dationem* Primogenitorum à Deo præceptam, non feciſſe Primogenitos *Sacerdotes*, ſed *Sacerdotum Miniſtros* & famulos.

Quæ ſententia ex eo valide confirmatur, quod *Levitæ*, non *Sacerdotes*, poſtea ſubſtituti ſint *Primogenitis*.

X. Poſſunt autem hæc egregie illuſtrari ex ſequenti hiſtoria Moſaicatum cæremoniarum, in qua refertur, *Levitas Primogenitis* fuiſſe ſubſtitutos. qua in re duo obſervari cupimus tanquam quæ ad rem, quam agimus, explanandam plurimum conferent. 1. Solos *Levitas*, non vero Sacerdotes, fuiſſe ſubſtitutos *Primogenitis*. 2. *Levitas* Deo conſecratos, ſpectatos fuiſſe, ut *ſacrificia*, Deo ad aram oblata. Hæc, inquam, duo ad rem pertinent præſentem, & cum ratione abſque præjudicio expenſa evincent, in præcedentibus nihil à nobis aſſertum occupatumque eſſe, quod non ſit veriſſimum.

Obſervatur itaque hic, *α*. ſolos Levitas eſſe ſubſtitutos *primogenitis*.

XI. 1. *Levitas* ſolos ſubſtitutos fuiſſe *Primogenitis*, non vero *Sacerdotes*; tam clare atque evidenter ex Moſaica hiſtorica liquet, ut nihil magis. Præceptum Dei hac de re, ut primo apud Moſen legitur [a], his verbis effertur: קח את הלוים תחת כל בכור בבני ישראל *Sume* Levitas loco omnium Primogenitorum *inter Poſteros Iſraël*. Hoc obſervandum eſt imprimis, *Levitas* hic ut paſſim diſtingui ab *Aarone* & *Filiis ejus*. Hi quidem *Levitæ* erant, hoc eſt, ex tribu *Levi* prognati, neque tamen inter *Levitas* computantur aut cenſentur, quia jam ante à Deo ex Levitis erant aſſumpti atque electi ad Sacerdotium. Patet id

ex com.

a Num. III. 45.

ex *com.* 9. ubi hæc occurrunt verba: ונתת את הלוים לאהרון ולבניו נתונים נתונים המה לו מאת בני ישראל *Et dabis* LEVITAS *Aaroni & Filiis ejus* (præter hos nulli erant *Sacerdotes:*) *Dati illi* (Levitæ) *ſunt ipſi* (Aaroni) *à Filiis Iſraël.* Viden', *Levitas* dari *Sacerdotibus?* Levitas itaque a Sacerdotibus heic loci occurrere diſtinctos? Sic utique ſe res habet. *Levitæ* dati ſunt *Sacerdotibus*, ac proinde, non poſſunt *Sacerdotes* includi his Levitis, niſi quis abſurde & adverſus rationem dicere velit, Sacerdotes ſibi ipſis datos eſſe. Hi vero iidem erant *Levitæ*, qui ſubſtituti *Primogenitis*, Sacerdotum famuli & Miniſtri, nunquam evecti ad dignitatem Sacerdotalem. Sic habet *comma conſequens:* ואת אהרון ואת בניו תפקוד ושמרו את כהונתם והזר הקרב יומת AARONEM *vero &* FILIOS EJUS *ordinabis, ut* OBSERVENT SACERDOTIUM SUUM. *Peregrinus vero, qui appropinquat, morietur.* Quis, obſecro, in hoc textu זר *peregrinus* dicitur? Omnis ille, qui non eſt *Aaron* aut *Filii ejus.* Ergo non *Iſraëlitæ* tantum, ſed & *Levitæ. Levitæ*, inquam, ipſi conſiderabantur, ut זרים *peregrini.* tantum abeſt, ut Levitæ unquam habuiſſent prærogativam appropinquandi Deo. Hi jam ipſi *Levitæ* ſubſtituti ſint *Primogenitis.* Quid inde colligas, quam *Primogenitos* nunquam fuiſſe *Sacerdotes?* Sed ne in uno aliquo loco duntaxat hæreamus; alium illi addo non minus clarum & explicitum. Ait Deus[a]: ואתנה את הלוים נתונים לאהרון ולבניו מתוך בני ישראל *Dedi autem* LEVITAS DATOS (eos pleniſſime tradidi & devovi:) AHARONI ET FILIIS *ejus ex medio Filiorum Iſraëlis. Levitæ* dicuntur dati eſſe *Aharoni & Filiis ejus*, hoc eſt, *Sacerdotibus.* Conferatur hic modus loquendi cum eo, qui eſt in *com.* 16. כי נתנים נתונים המה לי מתוך בני ישראל *Dati enim, dati*, inquam, Levitæ *ſunt mihi* (Deo) *ex medio Filiorum Iſraëlis.* Qui hic *Deo dati* dicuntur, paulo poſt, ut intelleximus, dati fuiſſe dicuntur *Sacerdotibus*, ad ſignificandum, unam eandemque rem eſſe, Deo aliquid dare & Sacerdotibus; & præterea, Levitas ut Miniſtros tam *Dei* quam *Sacerdotum* conſiderandos eſſe, à Sacerdotibus omnino diſtinctos. Conſtat, ni fallor, abunde, *Levitas* ſubſtitutos *Primogenitis* hic accipiendos eſſe ea σχέσει, qua oppoſiti ſunt *Sacerdotibus*, ac proinde *Primogenitos* nunquam habuiſſe jus *Sacerdotii*, quia *Levitæ*,

Et quidem Sacerdotibus contra diſtinctos.

Quod ex ipſa Lege Moſaica preſſius urgetur.

Locus Num. VIII. 19. huc adductus.

a Num. VIII. 19.

vitæ, iis ſubſtituti, hoc honore nunquam gaviſi ornatique fuerunt.

β. Levitas Deo conſecratos eſſe ut ſacrificia.

XII. 2. Animadvertendum dixeramus, *Levitas* in Lege ſpectari, ut *Sacrificia*, inſtar *Primogenitorum*; non vero, ut *Sacerdotes*. Non minus id clarum ex Moſaicis Legibus. Referamus huc *primo*, quod legitur *com.* 10. והקרבת את הלוים לפני יהוה

Quod confirmatur ex Num. VIII. 10. ubi manus dicuntur imponendæ eſſe Levitis ab Iſraëlitis.

וסמכו בני ישראל את ידיהם על הלוים *Et appropinquare facies* LEVITAS *coram Jehova &* IMPONENT FILII ISRAELIS MANUS SUAS SUPER LEVITAS. *Impoſitio manuum* facta animanti ſignificabat, animantem illam Deo devoveri ad expiandum delictum, cujus reatu obſtrictus erat qui manus ſuas animanti imponebat. Illa à *privatis* fiebat in *holocauſtis* & *ſalutaribus ſacris*. Notant tamen Judæi, eam manuum impoſitionem, quando ab univerſo cœtu Iſraëlitarum peragitur, fieri non ſolere, niſi in *ſacrificiis piacularibus*. unde conſequeretur, *Levitas* hic conſiderari, ut ſacrificia piacularia, peccata & reatus Iſraëlitarum expiatura.

Quid ille ritus ſibi velit?

Atque ita ſe res habebat. *Primogeniti* Deo conſecrabantur, ut in quibus univerſa Familia ſanctificata erat, atque adeo delicta totius familiæ quaſi expiabant. His ſubſtituuntur *Levitæ*, eos reatus & debita expiaturi, quæ quondam expiata erant per Primogenitos. In his totus Iſraël debebat *ſanctificari*. His itaque imponendæ erant manus.

Devoti ſunt Deo tanquam ſacrificia piacularia, per quæ Iſraëlitæ expiarentur.

Pulcre firmatur hæc ſententia & expoſitio noſtra ex *com.* 19. in quo *Levitæ* dicuntur נתנים לכפר על בני ישראל *dati ad* EXPIANDUM SUPER FILIIS AHARONIS, hoc eſt, ut in iis fieret expiatio peccatorum Iſraëlis. Hoc *alterum* erat, quod cogitaveramus producere. Non aſſequuti ſunt omnes Interpretes vim hujus φράσεως. Pellicanus, Doctiſſimus Divini Verbi Interpres, ita hoc accepit, quod Levitæ pro Iſraëlitis orarent. Sed ita ſe res non habet. φράσις pertinet ad *ſacrificia*, in quibus fit *peccatorum expiatio*. Sic eſt Lev. 1. 4. Certe quoniam *Levitæ* conſiderabantur ut *ſacrificia piacularia*, morti tamen non devovenda: hinc factum ut iis rurſus duo ſubſtituta ſint ſacrificia alia *holocauſti* & *pro peccato*, (περὶ ἁμαρτίας) quibus illi viciſſim manus ſuas imponere debebant, ut quæ ipſis impoſita erant peccata, his viciſſim animantibus imponerent, morti devovendis.

Et ut ſacrificia agitati coram Domino.

Sed *tertium* eſt, quod Hiſtoria Moſaica ſuggerit. Sic ſcriptum eſt *com.* 11. והניף אהרן את הלוים תנופה לפני יהוה מאת בני ישראל

בני ישראל *Et* AGITAVIT AARON LEVITAS AGITATIONE *coram Jehovah*, *à parte Filiorum Iſraëlis*. Agitationis hujus plus ſemel in contextu hujus hiſtoriæ mentio eſt: unde inter Interpretes fuerunt, qui *duplicis agitationis* heic mentionem eſſe jecerunt, *unius* à Moſe, *alterius* ab Aharone præſtitæ. Nos eam reſpicimus, quę ab Aharone eſt facta, nec facile nobis perſuaderi patimur, præter hanc factam eſſe aliam. Cæterum *agitatio* (תנופה) rei ſacræ coram ara eſt conſecratio illius rei, ut ſacrificii. תנופה ſpectabat ad *oblationes*. unde itaque de novo colligo, *Levitas* omnino conſideratos fuiſſe ut *ſacrificia*, inſtar *Primogenitorum*.

Quid ritus ille ſignificet?

XIII. Sic vidimus, nullum prorſus eſſe illud fundamentum, quod recepta ſententia habere cenſebatur ſolidiſſimum in Lege Divina de *Conſecratione Primogenitorum*. Quibus ſi nunc adjecerimus & probatum dederimus, Legem Divinam de *conſecrandis Deo Primogenitis*, ante Levitas iis ſubſtitutos exequutioni datam non eſſe: tum vero videbimus totum hoc ædificium corruere. Scilicet Præceptum Dei de conſecrandis *Primogenitis*[a], ut *primo* apud Moſen occurrit, ita vulgo accipitur, acſi eo tempore mox datum eſſet executioni, & non potius à primo illo tempore, quo datum eſt, ad futuram electionem Levitarum reſpiceret. Putant ſcilicet, *Primogenitos* ab eo tempore, quo Iſraëlitæ ducti ſunt ex Ægypto, jam fuiſſe *Sacros Deo* & Miniſterio illius conſecratos devotoſque. Neque tamen id verum eſt; ut attento Verbi Divini lectori liquere poteſt ex *com:* 11. & 12. ubi hoc præceptum repetitur & explicatur: *Et erit* כי יביאך יהוה אל ארץ הכנעני QUANDO DUXERIT TE JEHOVA IN TERRAM CANAANÆAM, *ut juravit tibi Patribuſque tuis*, *eamque tibi dederit:* TUM TRANSIRE FACIES OMNE APERIENS VULVAM. Vix videntur verba (etiam ſi ὑποθετικῶς accipiantur, quod tamen à Præſtantiſſimis Interpretibus minime fit:) alio ſenſu accipi poſſe, quam hujus præcepti, cujuſcunque tandem fuerit indolis, uſum nullum futurum eſſe, niſi poſtquam Iſraëlitæ ingreſſi eſſent in terram Canaan, vel poſtquam Deus propius de eo ſtatuiſſet. Non putandum ſcilicet eſt, eo jam tempore, quo hoc datum præceptum eſt, id mox à Moſe executioni fuiſſe datum, & Primogenitos eo jam tempore Deo fuiſſe conſecratos ad miniſterium

Accedit ad hæc, Legem de *Conſecratione Primogenitorum* ante Levitas, iis ſubſtitutos, exequutioni datam non eſſe.

Quod ex ipſa *Lege* illa probatur.

N n ſacrum.

a Exod. XIII. 1.

ſacrum. quod tamen à Doctiſſimis Viris hic paſſim ſupponitur. Certe *Primogeniti* nunquam actu fuerunt *conſecrati*, ſed hoc tantum tempore præcipitur ut aliquando conſecrarentur; ſive per ſe ipſos, ſive in *Levitis*, illis ſubſtituendis. Utique ſi Deus Primogenitos *ipſo actu*, ut ajunt, ſibi ſacros eſſe voluiſſet: non fuiſſent Primogeniti Deo conſecrati abſque aliis cærimoniis, quam Levitæ, iis poſtmodum ſubſtituti. Abſque ejuſmodi cærimoniis fas non erat, ab hominum miniſterio ad Deum tranſire. Quandoquidem vero nulla unquam ſolennis *Conſecratio Primogenitorum* nobis in Moſaica hiſtoria occurrit: non dubitamus aſſeverare, Præcepti hujus divini de conſecrandis Primogenitis in ipſis illis *Primogenitis* nullum omnino unquam fuiſſe uſum. Ratio eadem eſt *Primogenitorum*, quę cæterarum *animantum*, quarum *primus fœtus*, ſi purus, Deo conſecrandus per *ſacrificium*; ſi *impurus*, redimendus erat. Quid? An eo jam tempore putamus obſervatam hanc eſſe ab Iſraëlitis Legem, ut *fœtus* puri oblati Deo, impuri vero redempti ſint? Haud ita quidem. Lex hæc pertinet ad Tabernaculum, poſtea erigendum, & Sacerdotes ſtatos ſolenniter inſtituendos, ubi demum illa cum aliis multis ſimilis ſpeciei Legibus obſervanda erat. Eadem ratione Legem de *Conſecratione Primogenitorum* intelligendam eſſe, cogita. *Primogeniti* deſignabantur à Deo Sacerdotum & Sacrarum rerum adminiſtri, Deo ſolenniter conſecrandi; ſive per ſe ipſos, ſive in aliis, illis beneficio Divino ſubſtituendis. Supponebatur itaque hoc Præcepto, erigendum eſſe Tabernaculum, ordinandos Sacerdotes, formandum altare, inſtituendas ſacri Miniſterii cærimonias, atque docebat ipſa rei natura, non poſſe ante hoc tempus hujus Legis de *Primogenitis* uſum eſſe ullum ſtatum ordinatumque.

Et ex ratione etiam adſtruitur.

Non poterant enim Deo conſecrari abſque cærimoniis; quod tamen nunquam factum.

Pariter ut Lex qua pecudem ſpectat, obſervata non eſt niſi poſt reliqua ſacra ordinata.

XIV. Tandem etiam obſervare ne negligamus; cum Deo ſui conſilii ab omni tempore ratio conſtet: ubi primo Legem vulgavit de *Primogenitis*, ſibi *conſecrandis*, jam tum cum Moſi ſubindicaſſe, ita ſe hanc Legem intellectam velle, ut *Levitæ* Primogenitis ſubſtituerentur, quando nimirum illud ordinatis reliquis ſacris ad montem Sinai commode fieri poterat. non ut in Primogenitis ipſis aliquando hoc præceptum exequeretur Moſes, ſed eo pertinere hoc præceptum, quod ſuo tempore

Imo Deus tum ſignificavit, Levitas Primogenitis eſſe ſubſtituendos.

Deus

Deus ſubſtituturus ſit *Primogenitis* Levitas. Quid alias ſibi volunt verba, quę in eadem hac Pericopa extant [a]? וכל בכור אדם בבניך תפרה *Omnem vero Primogenitum hominum inter Filios tuos* REDIMES. Utique revelat heic loci Deus, conſecrationem *Primogenitorum*, à ſe præceptam, eum non habituram eſſe eventum, ut *Primogeniti* ipſi à Deo ſint accipiendi, ipſiuſque miniſterio addicendi; ſed eos eſſe redimendos argento, *quinque* nimirum *ſiclis*, & iis ſubſtituendos eſſe alios. Hæc vero *redemtio* tum demum facta eſt, quando *Levitæ* iis ſunt ſubſtituti [b]. Quanto enim in inſtituta Capitum recenſione plures erant Primogeniti, quam Levitæ; tot hac argenti ſumma, Sacerdotibus numeranda, ſe tenebantur redimere. Primogeniti quoque, poſt hoc tempus naſcituri, ſinguli *tantundem* Sacerdotibus debebant. Certe, ſi ante id tempus nulla facta ſit *Primogenitorum* redemptio: patet cum hoc tum alia Præcepta, ad Primogenitos attinentia, data vero mox poſt exitum ex Ægypto, obſervata non eſſe uſque ad tempus erecti Tabernaculi, ordinatorum Sacerdotum, & inſtitutæ univerſæ Leiturgæ Moſaicæ.

Quod probatur ex verbis Legiſlatoris.

XV. Quæ ſi recte & ſolide à nobis diſputata ſint, ut quidem putamus: videt quiſque, argumenta ex Exod. XIX. 22. & XXIV. 5. pro *Primogenitorum* hoc privilegio producta, nos nihil afficere aut ferire quicquam. Mentio in iis locis *Sacerdotum* & *Juvenum Filiorum Iſraël*, ut mox videbimus. Interpretes conjiciunt, *Primogenitos* eſſe, qui memorantur. Sed quomodo? Si Primogeniti, deſignati quidem à Deo, ſed hactenus Deo non magis conſecrati fuerint, quam alii Iſraëlitarum Liberi; quis dicat, magis hic intelligendos eſſe *Primogenitos* quam alios quoſcunque? Sed quo etiam jure *Primogeniti* intelliguntur nomine *Sacerdotum*, qui ſi vel maxime Deo fuiſſent conſecrati, nunquam tamen Sacerdotes fuiſſent, ut à nobis abunde demonſtratum? Præſtabit tamen ipſiſſima illa loca inſpicere & paulo propius conſiderare.

Quare æquum non eſt, in locis Exod. XIX. 22. XXIV. 5. per *Juvenes Filiorum Iſraël*, præciſe intelligere *Primogenitos*.

XVI. Contextus Hiſtoriæ Moſaicæ Exod. XIX. 22. qui præcipuam huic argumento materiam ſubminiſtrat, ita habet: *Et dixit Jehova ad Moſen: Deſcende, conteſtare populum, ne perrumpat ad Jehovam & cadant ex iis multi.* וגם הכהנים הנגשים אל יהוה

Locus Exod. XIX. 22. recenſetur, in quo memorantur *Sacerdotes*.

a Exod. XIII. 13. b Num. III. 46. XVIII. 16.

יתקדשו פן יפרץ בהם יהוה: *Atque etiam* Sacerdotes, appropinquantes Jehovæ, sanctificentur, *ne Jehova in eos perrumpat.* Quinam hi כהנים *Sacerdotes*, cum hactenus ſtati nulli Sacerdotes electi fuerint? Hebræi Interpretes R. Salomo & Aben-Eſra *Primogenitos* intelligunt, jam ante Deo conſecratos. Aben-Eſræ hæc ſunt verba: הם הבכורים שהם קדושים ככתיב קדוש לי כל בכור Hi sunt Primogeniti, *qui ſancti ſunt, ſecundum id, quod ſcriptum eſt: Sanctifica mihi omnem Primogenitum.* Sic Interpretes etiam Belgæ Doctiſſimi, ſic Cloppenburgius, atque alii multi. Sed quę nota, quod argumentum eſt, in his verbis per *Sacerdotes* intelligendos eſſe *Primogenitos*? Nulla quidem omnino. *Primogeniti* tamen *ſancti* fuerunt, ait Aben-Eſra. Sane docuimus in antecedentibus, hactenus *Primogenitos* aliis cujuſcunque ordinis Iſraëlitarum Liberis non fuiſſe ſanctiores, niſi in quantum deſtinati erant per præceptum Divinum ad conſecrationem futuram. Quin imo ſi *Primogeniti* jam omnino fuiſſent *ſancti*; nihil tamen inde colligi poſſet in rem præſentem, quoniam *Sacerdotes* hoc in loco non vocantur *ſancti*, ſed ſolummodo jubentur *ſanctificari*, vel *ſe ſanctificare*, non aliter ac id præceptum datum erat univerſo populo *verſ.* 10. Nullum itaque indicium ineſt in verbis Moſis, ex quo pateat, per *Sacerdotes*, ſic ſignate dictos, ſignificari *Primogenitos.* Imo potius ex iis contrarium colligas. Si enim *Primogeniti* heic intelligantur per *Sacerdotes*, qui nunquam *Sacerdotes* electi fuerunt: cur non illi hoc potius nomine quam alio deſignantur?

Hebræorum Intt. ſententia, qui hic *primogenitos* intelligunt.

Quæ tamen non videtur probabilis.

Alia de iis ſententia Pellicani, quæ præfertur.

XVII. Sed quinam, ais, illi igitur *Sacerdotes* ſunt qui hic commemorantur, ſi non *Primogeniti*? Reſpondebo Pellicani verbis [a], quę hic adeo ſunt diſerta & clara, ut clariora & magis appoſita non optem. Sacerdotes *hic forte vocantur, qui in populo ſunt honoratiores, & Seniores & Moſi proximiores in regimine, fortaſſis jam inſtituti tribuni & Patres tribuum & primores populi, vel Judices jam inſtituti conſilio Jethro. Nondum enim Sacerdotes in populo habebantur, nondum Aaron electus & conſecratus erat.* Cl. Coccejus ipſe hic non excludit *Capita familiarum.* Sic ipſe ad Hiſtoriam Jobi [b]: *Poſtquam enim ſacramentum reconciliationis dedit hominibus, Patrum, & è filiis maxime Primogenitorum, fuit offerre*

Nec Cl. Coccejus hic ſolos intelligit *Primogenitos.*

a Com. in h. l. b Ad Cap. 1. §. xvii.

offerre pro familia victimas, aut certe illius, cui familiæ conſenſus ut idoneo hoc detuliſſet. Sic Aharon ab aliis כהנים SACERDOTIBUS *diſtinguitur Exod.* XIX. 22-24. *qui ſine dubio* CAPITA FAMILIARUM, *& Primogeniti. vel alias* MAXIME IDONEI AD HOC A TRIBULIBUS SUIS ELECTI FUERUNT. Quod plane ad guſtum noſtrum eſt. Scilicet exiſtimamus, Iſraëlitas, euntes ſacrificatum Deo ad montem Sinai, ex ſe delegiſſe Viros quoſdam corpore pariter atque animo præſtantes, ſive Primores Tribuum, ſive Patres familiarum, ſive Primogenitos etiam (hos tamen non magis neque ex jure magis ſpeciali quam alios:) ut illi cultum hunc ſacrum ex medio corpore & cœtu ſuo Deo præſtarent. Certe nihil evidentius, quam Veteres ſacrificia offerenda demandaſſe vel *Principibus* & Patribus familiarum, vel præſtantibus corpore atque animo Viris, quippe qui conſortio Divino aliis cenſebantur digniores. Sic Moſen, qui *Primogenitus* non erat, *Sacerdotis* officio functum eſſe conſtat ex Exod. XVII. & XXIV. tanquam totius Judææ Gentis Principem.

Intelliguntur florentis ætatis Viri vel Juvenes, promiſcue ex Iſraëliitis electi.

Moſes ipſe *Sacerdos.*

XVIII. Erant autem hi *Sacerdotes* inter Iſraëlitas electi deſignatique, ut præeſſent ſacrificiis ſecundum Dei juſſum faciendis in Deſerto Arabiæ. Præcepti illius Divini variis in locis Hiſtoriæ Moſaicæ ante ἔξοδον ex Ægypto mentio eſt. Sic eſt in oratione Moſis ad Pharaonem [a]: נלכה נא דרך שלשת ימים במדבר ונזבחה ליהוה אלהינו *Eamus quaſo viam trium dierum in deſerto & ſacrificemus Jehova Deo noſtro.* Alia loca mitto. Exod. V. 3-8. VIII. 27. X. 25, 26. Hæc ſacrificia an ab ipſis ſint oblata, antequam id ſolenniter egerint ad montem Sinai Exod. XXIV. in incerto eſt. Conſtat, Moſen jam *altare erexiſſe* Exod. XVII. 25. poſt fuſos Amalekitas. Cloppenburgius proclivior fuit in hanc ſententiam, quia Moſes tantum *triduanum ſeceſſum* urſit. Sed in hac ratione nulla vis ineſt, quia Mons Sinai, ad quem poſt percuſſum cum Iſraëlitis Fœdus ſacrificia ſolenniter facta ſunt, *tridui* tantum *itinere* à Goſen in Ægypto diſtabat: ut patet ex Exod. III. 12. cum ℣ſ. 19. Dicamus itaque ſolido cum fundamento, Iſraëlitas eum in finem ex Ægypto exeuntes, ut ad Dei præceptum ſacrificia Deo magno offerrent numero ad montem Horeb, conſultum duxiſſe ex cœtu ſuo quoſdam huic muneri deſi-

Erant autem *electi* ad ſacrificia Deo facienda in *Deſerto Arabiæ.*

Quando illa Deo oblata ſint?

a Exod. III. 18.

deſignare Viros corpore puros atque excellentes, eoſdemque hic dici כהנים Sacerdotes.

Qui iidem appellantur *Juvenes Filiorum Iſraëlis*, quorum mentio Exod. xxiv. 5.

An hic rurſus intelligendi *Primogeniti*?

XIX. Hi vero *Sacerdotes*, ut quidem hoc in loco dicuntur, iidem fuerunt cum τοῖς נערי בני ישראל Juvenibus Filiorum Israel, quorum memoria eſt Exod. xxiv. 5. Sic habent verba: וישלח את נערי בני ישראל ויעלו עולת ויזבחו זבחים *Et miſit* Juvenes Filiorum *Iſraëlis*, *& obtulerunt holocauſta*, *& ſacrificarunt ſacrificia &c.* Onkelos Interpres, Jarchius & Aben-Eſra Commentatores, eodem plane modo ac in antecedenti loco τὰς נערי בני ישראל *Pueros Filiorum Iſraëlis* accipiunt pro בכורים *Primogenitis.* Vix ullus eſt, qui eos non ſequatur ſacrorum verborum Paraphraſtes. Sed quo fundamento? Nihil utique horum in contextu Hiſtoriæ Moſaicæ eſt. Si Moſes ſolis *Primogenitis* hos *Juvenes* conſtitiſſe, ſignificatum voluiſſet: ratio ſane nulla reddi poteſt, cur non æque dixiſſet τὰς הבכורים *Primogenitos* Sacris his præfuiſſe, quam τὰς נערי בני ישראל Juvenes Filiorum Israelis hoc munere eſſe functos. Excellentiſſimi itaque & nobiliſſimi Adoleſcentes intelliguntur, ad ſacra à Moſe & Cœtu Iſraêlitarum *delecti.* Illum enim morem apud Veteres paſſim obtinuiſſe, modo monebamus, & illuſtrari à nobis poteſt ex eleganti loco Livii [a], ubi verſatur in hiſtoria ſubverſæ Vejentium Reipublicæ, & evocatæ ex ea Junonis. Delecti, ait, ex omni exercitu Juvenes, *pure lotis corporibus*, *candida veſte*, *quibus deportanda Romam Regina Juno aſſignata erat*, *venerabundi Templum iniere*, *primo religioſe admoventes manus: quod id ſignum more Etruſco niſi certæ Gentis Sacerdos attrectare non eſſet ſolitus. &c.*

Rectius intelliguntur Juvenes excellentioris ſpeciei pro more Vett.

Locus Livii, cum hoc collatus.

Outrami de iis ſententia.

Obſervavit præterea Outramus, Juvenes hoſce heic loci proprie non ſpectari, ut *Sacerdotes*, ſed ut *Sacerdotis Moſis Miniſtros.* Putat ille, φράσεις, *adducere* & *ſacrificare*, laxe admodum hic ſumi pro eo, quod hi Juvenes animalia mactaverint & ad Moſen ad aram tulerint; cæteroquin Moſen ſolum hic conſiderandum eſſe ut *Sacerdotem*, quippe præter quem non legamus ſanguinem ab ullo eſſe ſparſum. *Spargere* vero ſanguinem *Sacerdotum* erat. Sed noſtra longe eſt probabilior ſententia & facilior expoſitio. In præcedenti enim Cap. xix. *Sacerdotum* jam facta fuit mentio: & nulla nos ratio hujus vocis ſignificatum hoc in loco

a Hiſt. Lib. v. Cap. xxiv. p. 467.

loco cogit reſtringere. Procul dubio *Moſes* ſummi Sacerdotis heic egit vices, & cæteri, ex Iſraëlitis electi ad ipſi aſſiſtendum in ſacro hoc actu, ipſum adjuverunt, ut Principem ſuum. Hic ille ipſe actus eſt, cujus ratione Moſes μεσίτης dicitur. Summa eſt dictorum, ex nullo textus argumento conſtare, heic intelligendos eſſe *Primogenitos*, (Moſes ipſe *Primogenitus* non erat:) ſed potius τὰς נערי בני ישראל *Pueros Filiorum Iſraëlis* promiſcue notare *Juvenes* quoſcunque elegantes, & idoneos ad Moſi in hoc actu neceſſaria præſtandum officia.

Collectio ſuperioris diſputationis.

Nec certius pro hoc *Jure Primogenitorum* diſputatur quod ad tempus ante Legem.

Locus Ep. ad Heb. xii. 16. diſcutitur.

XX. Quod attinet ad *intervallum temporis*, quod *Conſecrationem Primogenitorum* præceſſit: *Primogenitos* etiam tum Sacerdotio fuiſſe functos, haud ſcio an argumento alio probetur, quam quod deſumptum eſt ex Epiſtolâ ad Hebræos cap. xii. 16. Ita ibi Apoſtolus: Μή τις πόρνος ἢ βέβηλος, ὡς Ἠσαῦ ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. *Ne quis ſit ſcortator aut* PROFANUS, *veluti Eſau, qui unico edulio vendidit* PRÆROGATIVAS PRIMOGENITURÆ. Obſervant hunc ad locum Doctiſſimi Viri, Eſavum vocari βέβηλον *profanum* ob neglectas *Prærogativas Primogenituræ*, quippe cum quibus ſimul perdidit *jus Sacerdotii*. Sed in proclivi eſt vim hujus ratiocinii retundere. בכורה/ quod apud Moſen eſt Gen. xxv. 31. verſum ab Apoſtolo per πρωτοτόκια, propriè in Hebræorum ſcriptis vocatur *duplex portio*, quam accipit *Primogenitus* in diviſione hæreditatis præ fratribus, ut conſtat ex Deut. xxi. 17. vel *jus Præſidii* ſive *Principatus in Fratres*, ut colligas ex Gen. xliii. 33. nunquam *jus Sacerdotii*. Nihil itaque amplius hic requiritur, quam ut oſtendamus, Eſavum poſſe appellari ſummo jure βέβηλον, ſecundum has receptas ſignificationes vocis: ut adeo novam fingere opus non habeamus. Quod *ad prius*: Patriarcharum Divitiæ cenſebantur conſiſtere vel temporalibus vel ſpiritualibus bonis, iiſque vel præſentibus vel futuris. Promiſſa enim Bonorum in Bonis quoque cenſebantur. Primogenito in his bonis ampliſſima obtingere debebat portio. cum autem ſpiritualia beneficia præcellerent temporalibus, ad *Primogenitum* proprie pertinebant *Bona ſpiritualia*, vel illorum *Bonorum Promiſſa*. Nemo itaque vilipendere & negligere poterat *Jus Primogenituræ*, niſi ſimul repudiaret promiſſa cœleſtium & ſpiritualium bonorum, quę utique excellentiſſima

Quænam veræ fuerint prærogativæ *Primogenitorum*?

Quo vero ſenſu Eſavus à Paulo appelletur βέβηλος *profanus*?

ma ab ipſo haberi debebant. Repudiando enim τὰ πρωτοτόκια, indicabat; nihili ſe facere *promiſſionem Seminis benedicti*; ſatis eſſe ſibi, ſi ipſe in his terris beatus viveret, neque præſtantiſſimam hanc divitiarum Paternarum partem, quarum ipſi portio contigiſſet ampliſſima, quicquam curare. *Dixit Eſau, abeo moriturus, & quorſum mihi τὰ πρωτοτόκια?* ℣ſ. 32. Hoc vere *impium* & *profanum* erat dictum, quo omnium promiſſionum ſumma repudiabatur. Quod ad poſterius: τὰ πρωτοτόκια illa jam ætate notaſſe dixi jus *Principatus in fratres*. Jus verò *Principatus in fratres* in Patriarchalibus familiis certiſſime junctum erat prærogativæ natalium Meſſiæ, illa ex Familia orituri. In eo enim potiſſimum judicaretur alter altero major, quod hujus aut illius filius Meſſias eſſet, cui ſummum eſſet in omnes & omnia imperium. Unde conſequitur, eum, qui ſpernebat τὰ πρωτοτόκια, eodem tempore ſpreviſſe *promiſſionem de Christo*, & ſummum hoc bonum nihili feciſſe, an Meſſias ex ſe vel ex alio naſceretur; vel etiam in univerſum hanc de Seminis Benedicti nativitate promiſſionem contempſiſſe & repudiaſſe. quod hominis ſumme erat profani. *Judas*, ut poſtea, Θεοῦ διδόντος, palam fiet, non aliam ob rationem declaratus eſt Meſſiæ futurus Parens, quam quia hæc *Primogenituræ Prærogativæ pars* de *Principatu in fratres* ad eum eſt devoluta. Attende etiam ad verba ipſa *Iſaaci*, Beneficia, Jus Primogenituræ conſtituentia, explicantis: ex quibus conſtat, quaenam fuerint τὰ πρωτοτόκια, ad quæ Moſes reſpicit[a]: *Serviant Tibi populi, & incurvent ſe Tibi nationes: Sis* DOMINUS IN FRATRES TUOS *& incurvent ſe Tibi Filii matris tuæ. Maledicentes Tibi, maledicti, & Benedicentes Tibi, benedicti.* Hæc reſpiciunt ad nativitatem Chriſti ex lumbis ejus, in quo hæc promiſſa implementum ſuum conſequerentur: ob quæ ſpreta *Eſau* ſummo jure vocatur βέβηλος *profanus*. Hactenus reſponſum eſt ad argumenta, quibus hæc ὑπόθεσις vindicari & adſtrui ſolet. Rationes nunc in medium ſunt proferendæ, quæ noſtræ ſententiæ faveant, eamque fulciant.

Jus principatus in fratres, involvebat *prærogativam natalium Meſſiæ.*

Locus Gen. XXVII. 29. expoſitus.

a Gen. XXVII. 29.

C A-

CAPUT III.

Rationes aliæ varii generis producuntur, quibus probatur, Sacerdotium *neque ante neque poſt Exitum Iſraëlitarum ex Ægypto ad* Prærogativas Primogenitorum *pertinuiſſe.*

POſtquam ſub modeſtum examen revocavimus argumenta, quibus Doctiſſimi Viri conati ſunt adſtruere, ad *Primogenitos* ante deſignatum *Aaronem*, ejuſque Filios, jus & Prærogativam Sacerdotii pertinuiſſe; utile erit videre, an rationes aliquę nobis ſuppetant in contrarium præter eas, quę in præcedenti Capite jam adductæ, & obiter ad adverſam ſententiam refellendam adhibitæ ſunt.

Tranſitus ad argumenta, quæ *Prærogativam Sacerdotii* Primogenitis negant.

II. Cenſemus autem primo loco dignum eſſe obſervatu, nullibi in univerſa Scriptura Sancta, ubi (משפט הבכרה) *Prærogativa Primogenitorum* explicantur, iis comprehendi *Sacerdotium*. Non ſumus magis audaces, quam par eſt, quando id aſſerimus. Loca enim, in quibus harum Prærogativarum mentio eſt, ſatis ſunt excuſſa à Viris eruditis, in quorum tamen nullo Sacerdotium commemoratur. Ubi Noah ad Semum, Abrahamus ad Iſaacum, Iſaacus ad Jacobum, Jacobus ad Joſephum & Judam devolvit τὰ πρωτοτοκεῖα *Prærogativas Primogenituræ:* ubi deinceps Moſes τὰ πρωτοτοκεῖα explicat Deut. xxi. 17. ne γρῦ quidem attento Lectori obvenit de Sacerdotio. Sed quia hic diſputandi modus valde vagus eſt; excutiamus exemplum poſterius, quod in *Juda* & *Joſepho* quæſivimus, & videamus, quantum lucis id præſenti argumento fœneretur.

Primum eſt, nullibi hoc jus inter Prærogativas Primogenituræ recenſeri.

III. Certum eſt, (extat enim id totidem literis 1 Chron. v. 1.) *Prærogativas Primogenituræ* in Familia Jacobi, ſecundum conſtitutiones Majorum devolvendas in *Rubenem* Primogenitum, ob inſigne crimen ab ipſo commiſſum tranſlatas eſſe in Fratres ipſius. Quos vero? *Judam* & *Joſephum*. Sic enim verba habent Libri Chronicorum: *Filii verò Rubenis, Primogeniti Iſraëlis:* כי הוא הבכור IPSE (Ruben) ENIM ERAT PRIMOGENITUS: *ſed, quoniam polluit Stratum Parentis ſui, data ſunt* בכורתו τὰ πρω-

Producto exemplo Prærogativarum *Primogenituræ Rubenis,* tranſlatarum ad fratres ejus. Locus 1 Chron. v. 1. adductus & expoſitus.

τόκια ipſius Filiis Joſephi, Filii Iſraëlis. non eouſque tamen, ut ſecundum Primogeniti prærogativam privam primo loco recenſeantur in Genealogia, ſiquidem Juda inter fratres ſuos prævaluit, iiſque ſubminiſtravit Principem: τὰ πρωτοτόκια nihilominus retinuit Joſeph. Ruben dicitur in hoc textu excidiſſe τοῖς πρωτοτοκείοις *Prærogativis Primogenituræ*, eæque memorantur tranſlatæ fuiſſe in *Joſephum* & *Judam*. Ex eo itaque, quod *Joſephus & Juda* habuerunt inſigne inter fratres ſuos, licebit colligere, qua re conſtiterint τὰ πρωτοτόκια. Habuit autem *Joſephus* hanc prærogativam inter fratres, quod, cum cæteris una tantum, ipſi duplex ſors in hæreditate terræ Canaan obtigerit. unde conſtat, *duplicem ſortem hæreditatis* proprie appellari הבכורה *Prærogativam Primogeniti.*

Prærogativa Primogenituræ proprie erat duplex portio in hæreditate.

Atque id certiſſimum eſt. בכורה *Prærogativa Primogeniti* in Scriptura præcipue notat *duplicem portionem hæreditatis.* Prærogativa vero *Principatus inter fratres* ab hac priore concipitur dependere, quia, qui opibus prævalet, idem cæteris concipitur potentior. quamobrem poſterius hoc privilegium priori includitur. Quoniam tamen hæc res ſecus ſe habuit in *Joſepho:* Hiſtoriographus in hiſtoria clarius exponit, quo ſenſu dici poſſit, Joſephum Prærogativas Primogenituræ conſecutum eſſe. Non eo ſenſu, inquit, ac ſi Joſephus cum hæreditatis portione duplici ſimul factus ſit fratrum ſuorum Princeps & primum in Genealogica recenſione locum obtineat; quę duo Prærogativas Primogeniti conſtituunt; nam illa prærogativæ pars, quę Principatum in fratres ſpectat, data fuit Judæ: ſed ita, ut ſola duplex portio hæreditatis, quę maxima Primogeniti prærogativa erat, Joſepho obtigerit.

Collectio inde facta ad rem præſentem applicatur.

IV. Supereſt, ut ex iis, quę ad explicationem hujus loci à nobis prolata ſunt, argumentum conficiamus pro noſtra opinione validiſſimum. Scilicet evictum eſt, *Primogeniti Rubenis Prærogativas* omnes devolutas eſſe in *Joſephum* & *Judam* Fratres. at vero conſtat, *Judam* neque *Joſephum* donatos fuiſſe Sacerdotio. quin potius Sacerdotium collatum fuiſſe in ejuſmodi tribum, ad quam Deus noluit ut Prærogativę Primogeniti Rubenis devolverentur. unde colligimus, Sacerdotium ad *Prærogativas Primogeniti* non pertinuiſſe. Hoc, quod poſteriore loco obſervamus, exponendum paulo clarius eſt, quia *Hieroſolymitanus*

nus Paraphraſtes, cujus verba in priore parte hujus Diſſertationis exhibuimus, heic graviſſime impegit. Statuit ille ex communi præjudicio gentis ſuæ, tres fuiſſe *Primogeniti Prærogativas*, *Principatum*, *Portionem* in Bonis Hæreditatis erciſcundæ *duplicem*, *&* *Sacerdotium*, quibus excidiſſet *Ruben*. Principatu donatum dicit *Judam*, *duplici portione Joſephum*, & *Sacerdotio Levi*. Statuit autem ſic admodum imprudenter, quia *Levi* ob cædem, in Sichemitas cum fratre Simeone patratam, *habitus declaratuſque fuit Prærogativis Primogenituræ indignus*. Certe tantum abeſt, ut Parens Jacobus in Filium Levi tranſtulerit aliquam Rubenis Prærogativam, ut è contrario ob commemoratum illud crimen, ab ipſo commiſſum, Deus pejorem illi aſſignaverit conditionem, quam cæteris fratribus. Interpretatus quidem eſt Deus durius hoc Senis effatum ſua providentia admodum benigne; ut ſolet ea, quę ad ſpeciem incommoda videntur & mala, ſæpe convertere in bonum. ſed id non impedit, quo minus id quod diximus, veriſſimum ſit. Quod ſi igitur conſtet, eos, ad quos Prærogativæ *Rubenis* devolutæ ſunt, *Sacerdotium* non accepiſſe; & contra *Levi*, qui Prærogativarum Rubenis Primogeniti particeps factus non eſt, ſed iis declaratus eſt eſſe indignus, Sacerdotium obtinuiſſe; putem, me ſummo jure inde colligere, *Sacerdotium* ad Prærogativas Primogeniti nequaquam pertinuiſſe.

An Levi partem habuerit in prærogativis Primogenituræ Rubenis?

V. Sed res, de qua diſceptamus, illius eſt indolis, ut exemplis omnium optime ſive in hanc ſive in illam partem illuſtrari & confirmari poſſit, quoniam Lege Divina, aut claro Scripturæ Sacræ dicto, definita non eſt. Exempla vero Filiorum, qui ante exitum ex Ægypto vivis adhucdum Parentibus ſacrificarunt, duo reperiuntur, quantum reſcivi: Alterum eſt Filiorum Adami, alterum Jacobi, Filii Iſaaci. Prius ſane receptæ hypotheſi recta adverſatur. Superſtite Adamo duo Filii ejus *Cain* & *Habel* obtulerunt ſua ſacrificia, ut legere eſt in Hiſtoria Moſaica. Quænam hic prærogativa *Primogeniti*? Habel æque obtulit ac Caïn. Si offerendi ſacrificandique jus ad Primogenitum ſpectavit: quorſum ſacrificium ſuum fecit Habel atque id negotii fratri Caino neglexit committere? Si dicas, Prærogativas Primogeniti eo tempore adeo diſtincte vel

Alterum argumentum producitur ex exemplis Filiorum Patriarcharum, qui hoc jure promiſcue uſi ſunt.

Ut Caini & Habelis.

cognitas vel obſervatas non fuiſſe; redarguam te ex ipſo hiſtoriæ contextu. Omnino enim revelat Deus Caino ut rem, ipſi exploratam, dominium in fratrem (quo jure vero, niſi Primogenituræ?) ad ipſum pertinere: אליך תשוקתו ואתה תמשל בו *Ad te* APPETITUS EJUS (ad te, ut ad majorem & potentiorem, reſpiciet:) *& tu dominaberis ipſi.* Neque hic locus à Præſtantiſſimis Interpretibus aliter accipitur. Conſtat itaque, illa ætate mundi notam jam fuiſſe Primogeniti Prærogativam, quę in dominio conſiſtit, cum tamen nota nulla fuerit Prærogativa Sacerdotii.

Et *Jacobi*, qui ſuperſtite Patre & Fratre ſacra fecit.

Quod ad *Jacobum* attinet; certum eſt, illum vivente Patre Iſaaco, & Fratre Eſavo, ſacrificia feciſſe [a]. Sed ad Jacobum ais, pertinuit ſacrificandi munus, quia Primogenituræ Prærogativæ ad illum erant devolutæ à fratre Eſavo. Verum id quidem eſt, ſed ex hoc jure id profectum eſſe, quod ſacra fecerit: apud Moſen nullo ſigno declaratur. Contra conſtat, Jacobum eo tempore eo fuiſſe in ſtatu, ut Prærogativis Primogenituræ hactenus gaviſus non ſit, quippe quę in poſteros ipſius demum erant conferendæ. Neque hæres erat eo tempore Paternorum bonorum, neque Eſavo major erat ſive viribus ſive divitiis, ſed ipſo utraque parte inferior: ac proinde non licet cogitare, eum tale quid fuiſſe eo tempore commiſſurum, quo Eſavum fratrem ſuum, ferocem & impotentis animi hominem, à quo ſibi multum metuebat, graviter offendiſſet. quod tamen omnino feciſſet illo *ſacrificandi* actu, ſi is ad Primogenituræ Prærogativas pertinuiſſet.

Tertia ratio, quod Primogeniti nec ante, nec poſt obitum Patris hoc jus commode adminiſtrare potuerint.

VI. Scire amplius velim, quando defenditur, *Primogenitos* fuiſſe Sacerdotes: quo ſenſu id dicatur aut exponatur. Intelligi autem poteſt hoc duplici, ni fallor; vel ita, ut *Primogeniti* ſacrificaverint ſive ſacrificandi jure gaviſi ſint, quando in familia Paterna cum cæteris fratribus, Parente adhuc ſuperſtite, verſabantur; vel ita, ut poſt mortem Parentis jus ſacra faciendi nulli ex liberis alii competierit quam *Primogenito*. Quocunque modo rem ventilaveris, involves te ipſum ejuſmodi difficultatibus, ex quibus non videris te facile poſſe expedire.

Prius evincitur ex ratione, & moribus Gentium.

Prius ſtatui nequit ſalva fide hiſtoriæ Sacræ, quippe in qua actus ſacrificandi *Patribus familias* paſſim adſcribitur, ubi domus adhuc ſubſi-

a Gen. XXXIII. 20. & XXXV. 1.

ſubſiſtit & diſtracta non eſt in partes. Atque hoc *Rationi* & *Ritibus veteribus* optime convenit. *Rationi* quidem, quia cum Patres familias in familia ſummi eſſent, & principatum tuerentur: eos maxime decebat cæteris præire & pro familia ad Deum accedere. *Ritibus* vero *priſcis*, quia accepimus olim apud omnes gentes in more fuiſſe poſitum, ut is, qui inter alios honoratiſſimus erat, ſacrificandi munere functus ſit. Hinc Reges, Principes, Præfectos vulgo Sacerdotes fuiſſe conſtat. Quandoquidem verò Pater Familiæ illius utique dux & præfectus eſt: non licet præſumere, ſacrificandi hoc officium alii quam Patri familias fuiſſe demandatum. Si vero hoc dubium *poſteriore modo* ſolvas: rem ſtatues, experientiæ contrariam. Quid enim? Si certum fuerit *Primogenitis* unice poteſtatem ſacrificandi fuiſſe (uti hic liceat verbis Cl. Heideggeri [a]:) *tum inter Filios Noæ ſolus fuiſſet Sem Sacerdos* (qui ex Benedictione Patris factus eſt Primogenitus, alias enim Primogenitum non fuiſſe, conſtat:) *adeoque nec Cham nec Japhet nec eorum poſteri poſt diſperſionem gentium, à Semo longe remoti, ſacrificare potuiſſent. Deinde penes paucos è Semi poſteris reſediſſet poteſtas ſacrificandi. Nec Abrahamus, qui Primogenitus non fuit, ſacrificare potuiſſet. Quid quod etiam Noa, qui ſacrificavit, Primogenitum fuiſſe non conſtat. Ut jam non dicam de Habele Adami, & Moſe Amrami ſecundo genitis?* Hoc itaque ſolum ſupereſt iis, qui ſententiam adverſam defendunt, ut dicant, Patre abſente Filium Primogenitum has partes obiiſſe; vel defuncto etiam Patre antequam familia diſperſa & in partes tracta eſſet: quod tamen quando dicunt, ne tum quidem reliquis familiæ Filiis jus ſacrificandi omnino audent negare. Ubi vero familia in plures diviſa fuit: cuique fratri omnino dant jus ſacrificandi, *licet non ea dignitate, qua Primogenitis*, ait Cl. Heideggerus, *qui in rebus omnibus antecellebant.* Sed ſi laudatiſſimis Viris placet hoc modo defendere hanc Prærogativam Primogenituræ: putem, eos nobis rem fere concedere, nomen tamen, ne Veteribus injuria fiat, qui adeo fortiter hoc dogma urſerant, retinere velle. Quis enim neget, ſi familia abſente Patre ſacra vellet facere, tum maxime hoc quicquid eſt muneris impoſitum fuiſſe *Primogenito*? Sed quis neget etiam, Primogenito abſente vel

Et poſterius.

Temperamentum, hic à quibuſdam productum, rejicitur.

a Exercit. 1. Hiſtor. Part. §. XIX.

vel defunčto hoc officium mandatum fuiſſe Filio, ſecundo aut tertiogenito? adeone igitur his etiam inde accedet privilegium aliquod? Sed, quod plus eſt, Doctiſſimi Viri ne tum quidem, quando Domus eo eſt ſtatu, ut Primogenitus in ea primas partes habeat, audent negare fratribus ipſius jus ſacrificandi. Quomodo vero? Si *ſacrificandi jus* pertineat ad *Prærogativam Primogeniti:* quo jure dici queat, cæteros fratres, ubi id res poſtulabat, ſacra facere potuiſſe? *Prærogativa* ejuſmodi quædam eſt honoris acceſſio, qua quis fruitur præ alio. Prærogativę etiam Primogeniti cæteræ ejus fuerunt indolis, ut cæteri fratres per eas à Primogenito fuerint diſtincti, qui eas in ſolidum poſſidebat. Quo igitur fundamento dici poteſt, id conſtituiſſe Primogeniti Prærogativam, quod Primogenito peculiare non fuit, eumque à reliquis fratribus non diſtinxit? Sed neque id convenit rationi, ut ſtatuatur, Prærogativæ hujus, ubi fratres in varias familias conceſſerunt, nullum fuiſſe uſum vel reſpectum.

Et quidem ex hypotheſibus eorum, qui adverſam tuentur ſententiam.

Certe cum *Primogeniti Privilegiis* ita ſe res habuit, ut Primogenitus iis poſt mortem Patris maxime fruitus ſit; tum enim demum & duplicem hæreditatis ſortem accepit, & Dominus fratrum ſuorum haberi cœpit. Sed heic aliter ſe res habet, ex mente illorum qui adverſam tuentur ſententiam; omnino contra indolem Prærogativarum Primogenituræ. Dicentem equidem audivimus Virum Doctum, cæteros fratres nunquam *ea dignitate fuiſſe Sacerdotes*, *qua Primogenitum.* Sed ego quidem non capio, quomodo Sacerdotum major minorque poſſit eſſe dignitas, quamdiu in Collegium cooptati non ſunt, quod utique illa ætate factum nondum fuit.

Prærogativæ Primogenituræ potiſſimum obtinent poſt obitum Patris.

VII. Urgeo amplius ſententiam ex Ritu precandi, collato cum eo ſacrificandi. *Sacrificare* dubio procul eſt *precari*, hoc eſt, ad Deum accedere cum munere ad illum placandum aut gratæ mentis teſtimonium illi edendum. Qui ſacrificat, id idem ſignificat actione & geſtu, quod, qui precatur, ore ſuo profitetur. Cum vero ante inſtitutam Oeconomiam Moſaicam quovis in loco liberum fuerit *preces ad Deum fundere*, neque in eo agnoſcamus ullius præ alio prærogativam: videtur exiſtimandum, eodem plane modo rem ſe habuiſſe cum ſacrificiis, ſiquidem illa primaria pars cultus erant ſummi Numinis, ad quem

Quartum argumentum productum ex ritu precum collato cum ritu ſacrificandi.

quem quilibet ex æquo tenetur. In proclivi equidem eſt excipere, ſolennia precum & ſacrificiorum valde variari, quandoquidem in Lege vetitum non fuit ulli homini ullo in loco preces fundere, cum nihilominus prohibitum fuerit ſacra facere ad aram. Atque ego lubens agnoſco differentiam, quę ex rei natura oritur, ſiquidem preces & vota mente concipiuntur; ſacrificia verò ritu externo Deo offeruntur; quorum hoc loco adſtringi poteſt, illud non poteſt. Ajo nihilominus in ſolennibus precibus, quę externis ritibus junctę erant, eodem plane modo rem ſe habuiſſe cum precibus ac cum ſacrificiis, quoniam & illæ à Sacerdotibus Præfectisque certis verbis concipi & in Templo fundi debuerunt. Ne dicam, quemque Iſraëlitam quovis in loco precantem animum ſuum debuiſſe dirigere ad Sanctuarium, & ad ſacrificia, à Sacerdotibus oblata, acſi omnino ipſe præſens in Templo adeſſet, & ſingulas preces cum ſacrificiis à Sacerdotibus oblatis funderet. quod heic valde ad rem facit. Repeto, ſi Preces, ætate Patriarcharum, omnino fuerunt liberæ perſonarum locorumque omnium reſpectu abſque ulla, quæ hic obſervari poterat, differentia: omnino veroſimile eſſe, rem eodem modo ſe habuiſſe cum ſacrificiis, ac Sacrificandi jus non conſtituiſſe Prærogativam Primogeniti.

Quæ inter hos ritus convenientia & differitas ſit?

VIII. Difficilius forte ſententiam noſtram adſtruemus cum reſpectu ad illud *Intervallum temporis*, quod *Conſecrationem Primogenitorum* ſequutum eſt. Ut tamen fœcunda eſt veritas, & ſibi ab omni parte ſimilis, ita ubique illius repereris argumenta.

Quinto adſtruitur hypotheſis ex *Sacro Paſchatis*.

IX. Cum Exitu ex Ægypto occurrit hiſtoria Paſchatis inſtituti, quæ lucem aliquam quæſito noſtro videtur poſſe affundere. Conſtat utique nunc inter Viros eruditos, Paſchalem agnum conſiderandum eſſe ut *ſacrificium*. Rationes pro hac ſententia à Bocharto aliiſque adductas non repeto, ne videar actum agere velle. Cæterum, quod ad hanc rem vel maximè pertinet; hic *Paſchalis* agnus conceditur eo præciſe temporis articulo, de quo nos diſputamus, offerendus omnibus Iſraëlitis, nulla omnino inter ipſos obſervata diſtinctione. Sic eſt in Hiſtoria Moſaica [a]:

Supponitur hic, *Paſcha* fuiſſe *ſacrificium*.

ושחטו

a Exod. XII. 6.

Quod tamen ex Lege Divina offerendum fuit ab omnibus Iſraëlitis.

ושחטו אותו כל קהל עדת ישראל *Et mactabit eum tota ἐκκλησία Cœtus Iſraëlitarum.* קהל univerſam Iſraëlitarum multitudinem notat, nemine excepto. His omnibus datur poteſtas mactandi & offerendi agnum Paſchalem. Quamobrem vero Primogenitis non demandatur hoc negotii, ſiquidem illi hoc tempore Sacerdotes deſignati eſſe feruntur? Fuiſſe quidem, qui ſic ſenſerint, Interpretes Bochartus refert; ſed neſcio ſane, quænam illa ſit ratio interpretandi Scripturam, qua eam oneramus præjudiciis, in eam violenter intrudendis, & clarum verborum ſenſum, qui præ oculis & manibus eſt, fugimus? Cum Scriptura perſpicue tradat, *cuique è cœtu Iſraëlitarum* datum eſſe jus mactandi Paſchalem agnum: cur Primogenitis ſolis hanc poteſtatem factam aſſeras, quorum nulla apud Moſen in hoc caſu mentio? Haud inficior equidem, Patres familias ut plurimum has partes ſuſtinuiſſe: ſed ita tamen, ut idcirco nemini negatum ſit, cujuscunque demum conditionis homo eſſet, agnum mactare, modo id fieret in communione aliorum.

Quæ ſententia vindicatur.

Philonis in hanc rem verba allegata.

X. Eſt ad verba, modo recenſita, inſignis ſatis Philonis commentarius, à Bocharto allegatus ex ipſius *libro* de *Decalogo*, qui noſtræ plurimum favet ſententiæ: Ἐν ᾗ ait, (ἑορτῇ: de feſto Paſchatis diſſerit:) θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος, τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες, ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου τῷ ἔθνει παντὶ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς αὐτουργίαν θυσιῶν· *Quo feſto paſſim ſinguli ſacrificant, non expectatis Sacerdotibus, Lege Sacerdotium quotannis univerſæ genti una die eximia concedente, ut ſacrificia per ſe faciat.* Simile teſtimonium aliud profert ex Libro Philonis de *Vita Moſis*, quod ſimiliter ad rem noſtram facit: Ἐν ᾗ νόμου προστάξει πᾶν τὸ ἔθνος ἱερᾶται τῶν κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος τότε καὶ χειρουργοῦντος· *Quo* (feſto Paſchatos) *jubente Lege tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiſque hoſtiam offert & propriis manibus immolat.*

Quæ tamen admittunt aliquod temperamentum.

Id unum in his Philonis teſtimoniis notandum habemus, quod quæ ille de omnibus Paſchatibus videtur aſſerere, ea nos reſtringamus ad primum illud Paſcha inſtitutum in Ægypto. Poſtquam enim certi conſtituti ſunt Sacerdotes; ſi Talmudiſtarum veſtigia legamus, plebeji in Sacrificio Paſchatis nihil præſtiterunt amplius, quam in cæteris ſacrificiis omnibus ipſis præſtare permiſſum erat. Etenim aſperſio ſanguinis agni

Paſcha-

Paſchalis ad aram, florente Republica, commiſſa eſt Sacerdotibus, non plebejis, qui agnum mactaverant.

Collectio facta ex ſuperioribus.

XI. Quicquid vero hujus rei ſit, in qua certe Philo à poſterioribus Magiſtris diſſentit; id tamen certiſſimum manet, in Paſchate Ægyptiaco, ante inſtitutum Sacerdotium celebrato, quemque de plebe hominem, qui Paſcha mactaverat, illius ſanguinem illeverat poſtibus, ac dein illud igne aſſaverat, omnino ſpectandum eſſe ut *Sacerdotem*. Quicquid enim ad Agnum Paſchalem ſolenniter & ex Lege offerendum pertinuit, per ipſum præſtitum eſt. Quod ſi certum ſit: quis mihi negaverit, eo temporis articulo *omnes* adhuc *Iſraëlitas* reſpectos fuiſſe ut *Sacerdotes*, neque hos magis quam alios, quoniam omnibus ex æquo jure actus omnes ſacrificandi in offerendo agno Paſchali commiſſi ſunt.

Locus Exod. XIX. 6. productus pro eadem cauſſa, in quo prærogativa Sacerdotii omnibus Iſraëlitis vindicatur.

XII. Non exiſtimem etiam, me abs re præſenti longe receſſurum, ſi produxero ad ſententiam hanc amplius confirmandam ἐπίσημον illum titulum, quo Deus Iſraëlem dignatur compellare ad montem Sinai [a]: אתם תהיו לי ממלכת כהנים VOS ERITIS MIHI REGNUM SACERDOTUM. Βασίλειον ἱεράτευμα· *Regale Sacerdotium:* quemadmodum Petrus [b] cum LXX Interpretibus hæc verba accepit. Senſus eſt, *veſtrum quiſque Rex erit & Sacerdos*; quem Veteres Interpretes diligenter obſervarunt. Onkelos: ואתון תהון קדמי מלכין כהנין ועם קדיש *Vos eritis coram me* REGES, SACERDOTES, *& Populus Sanctus*. Apud Hieroſolymitanum Paraphraſtam eadem extant: ואתון תהון לשמי מלכין וכהנין Convenit φράσις in Apocalypſi [c]: Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ· *Fecit nos* REGES & SACERDOTES *Deo*. Baal Hatturim, quod dignum notatu eſt, per *Sacerdotium* heic intelligit *Sacerdotium Magnum*, ſive *Pontificatum*, atque hanc Prærogativam ad Iſraëlitas rurſus devolutum iri ait, noviſſimis ſub Meſſia Rege temporibus; juxta vaticinium, quod apud Jeſaiám legitur [d]: ותקראו אתם כהני יהוה *Vos* SACERDOTES JEHOVÆ VOCABIMINI. fere ut Paulus ad Hebræos [e], omnes ſui temporis Judæos, qui Chriſtum profitebantur, non tantum deſcribit ut *Sacerdotes*, ſed & ut *Pontifices*. Conſtat utique ex his verbis, Deum *omnes*

Hieroſol. Paraphraſis cum phraſi Apocalyptica comparata.

a Exod. XIX. 6. b 1 Pet. II. 9. c Cap. I. 6. d Cap. LXI. 6. e Cap. X. 19.

Sanſus loci, & conſequutio, inde educta.

Iſraëlitas heic loci haberi velle ut *Sacerdotes*, nulla omnino inter *Primogenitos* & cæteros natu inferiores Filios, nulla etiam inter Filios & Parentes, conſtituta differentia. Omnes Iſraëlitæ declarantur *Sacerdotes:* hoc eſt, omnibus jus datur ad Deum accedendi cum ſacrificio; cum Deo hac ratione familiariter verſandi; cum eo edendi bibendique, (dictum ſit reverenter:) ipſiuſque amicitia, dicam potius, amore, fruendi, in bona conſcientia.

Illuſtratur ex coll. loco 1 Pet. II. 9.

XIII. Liceat vero mihi hoc argumentum ex eo etiam urgere, quod Petrus hunc alleget locum, ubi de veris Iſraëlitis, Credentibus ſub Novo Fœdere, differit. Eo ſane ſignificat Petrus, Iſraëlem, qui ad montem Sinai ſtetit, & cui Deus hanc Prærogativam *Regni* & *Sacerdotii* tribuit, typum fuiſſe fidelium N. T. quippe quibus titulus ille βαϲιλέιϗ ἱεράτευμα in ἰμφάσει demum competit. Cum Credentibus vero ſub Novo Fœdere ita ſe res habet, omnes illos ex æquo jure *Sacerdotes* eſſe, neque his majus jus eſſe ad Deum in Chriſto accedendi quam aliis. Quoniam vero τὸ ἀντίτυπον debet convenire τύπῳ; colligimus, multitudinem totam Iſraëlitarum par jus habuiſſe, ante inſtitutum Aaronicum Sacerdotium, Deum per ſacrificia conveniendi, quemadmodum, qui ſub Novo Fœdere vivunt homines, jure gaudent eodem & æquabili.

Temperamentum quoddam ſuperioris ſententiæ.

XIV. Per inſtitutum Sacerdotium Aaronicum, (nam & hoc recte intelligendum eſt:) limitata quidem, circumſcripta, & explicata hæc *Prærogativa Iſraëlitarum* eſt, ſed ſublata non eſt. Scilicet Iſraëlitæ, ut ſuis ipſi vitiis palam fecerunt, nimis erant impuri, quam ut omnes promiſcue ad ſe accedentes Deus, qui ſanctus eſt, potuiſſet ferre. Elegit itaque Deus inter ipſos Familiam & in Familia *Principem* certum, qui Pontificis nomen & officium gereret, & per quem cæteri Deo poſſent appropinquare.

Sacerdotes Aaronici poſtea inſtituti officio hoc functi ſunt loco & vice omnium Iſraëlitarum.

Hic vero *Sacerdos*, quod volebam dicere, *repræſentabat totum Iſraëlem.* Omnes Iſraëlitæ in ipſo cenſebantur. Jus, quod ipſe poſſidebat, omnium Iſraëlitarum erat; ſed in ipſum ideo collatum, quia fieri non poterat, ut omnes Iſraëlitæ ſe ſanctos conſervarent, quemadmodum decebat *Sacerdotes Jehovæ.* Quod vero Pontifex Hebræorum omnium Iſraëlitarum perſonam ſuſtinuerit, non tantum ex eo patet, quod omnium tri-

buum

buum nomina in *humeris* & *pectore ſuo* tulerit: quo certiſſime ſignificabatur, ipſum omnium nomine & vice ad Deum accedere: ſed ex eo etiam, quod, cum ipſe enorme aliquod peccatum commiſiſſet, illius reatus impoſitus ſit Populo. Sic eſt apud Moſen [a]: אם הכהן משיח יחטא לאשמת העם SI SACERDOS UNCTUS *peccaverit* IN REATUM POPULI. *Sacerdos unctus* eſt *maximus Sacerdos.* Hoc peccante, peccat populus. Quam ob rem vero? Quia ipſe univerſi populi perſonam ſuſtinet. Atque hæc ratio erat, cur *ſacrificium pro peccato*, à Sacerdote maximo commiſſo, ita omnino offerri deberet ut ſacrificia publica pro peccato, à toto populo commiſſo, offeruntur. Sanguis in Sanctum erat inferendus, & corpus extra caſtra comburendum. Quę quando transferuntur ad noſtram conditionem, qua ſumus ſub Novo Fœdere, inde quoque poſſunt illuſtrari. Nos enim non alio ſenſu nunc *Sacerdotes* dicimur, quam quia in Chiſto & per Chriſtum ad Patrem accedimus, Chriſto omnium noſtrum perſonam ſuſtinente.

Inde nova collectio pro ſuperiore hypotheſi.

XV. Naſcitur vero ex iis, quę de *Pontifice* Hebræorum diſſeruimus, novum pro ſententia noſtra argumentum. Quod ſi enim certum ſit, quod certiſſimum pariter ac evidentiſſimum eſſe pronunciamus, Sacerdotem Maximum omnium Iſraëlitarum Perſonam ſuſtinuiſſe; conſequitur, omnibus Iſraëlitis commune jus ac parilem poteſtatem fuiſſe Deum per ſacrificia conveniendi. Si aliter ſe res habuiſſet: Sacerdos ſummus ſolos Primogenitos repræſentaſſet, quibus ipſe fuiſſet ſubſtitutus. Nunc vero liquido apparet, Sacerdotem Maximum omnes repræſentaſſe Iſraëlitas, ac proinde ſtatuendum eſſe, omnibus Iſraëlitis ſacrificandi jus fuiſſe.

Coronidis loco apponuntur verba Cl. Cocceji, huic ſententiæ ſuffragantis.

XVI. Nauſeam crearem Lectori meo, ſi pluribus hoc argumentum proſequerer. Finem itaque imponam huic Diſſertationi, adductis diſertiſſimis verbis Cl. Cocceji: quæ ut ambabus ulnis amplector; ita, quod ad rem ipſam de qua agimus, nullo variant puncto ab iis, quæ hactenus diſputavi. Extant illa in ipſius Commentariis in Geneſin, in hunc modum [b]: *Judæi tradunt, Primogenito etiam competere* Coronam Sacerdotii. *Id jus hic Chaldæus, Hieroſolymitanus, & Jonathan commemorant.*

a Lev. IV. 3. b Ad Cap. XLIX. 3.

morant. Sed Judæi de Sacerdotio non recte sentiunt. *Si verum Sacerdotium requiras, id manifeſte datum eſt Juda,* (de eo vero non diſputatur:) *cui & regnum. Si typicum, de eo nullam mentionem ſatis expreſſam facit Jacobus. Tantum tecte aliquid dicit, quod non eſt impletum, niſi introducto Sacerdotio. Habebat Iſraël promiſſionem, quod futurus eſſet* Regnum Sacerdotum. Exod. xix. 6. q. d. βαζιλεία προζερχομένων. *Uſus altaris & ſacrificiorum conceditur Iſraëlitis.* Exod. xx. 21, 22, 23. *Sed* nemini datur præcipuum Sacerdotium. *Juſſi erant in Ægypto Primogenitos Deo traducere.* Exod. xiii. 12. *Id antea imperatum non fuerat. Pro Primogenitis accepit Filios Levi & Aharonem, cum Sacerdotium & miniſterium Sanctuarii inſtituere vellet.* Exod. xix. 22-24. *fit mentio* Sacerdotum *accedentium ad Deum, & populi.* Quis dicet eos fuisse vel solos vel omnes Primogenitos? *Quum potuerint eſſe, quos populus vel familia dignata erant eo honore, ut vel pro populo vel pro familiis offerrent.* Exod. xxiv. 5. *miſit Moſes* Juvenes Filiorum Israel, *qui ſacrificarent holocauſta & ſacrificia.* Nullum indicium est, eos fuisse Primogenitos. *Abel non fuit Primogenitus, & Deus ad ipſius munus reſpexit. Sed cauſa hujus opinionis hæc poteſt eſſe, quod, quum in familia præcipuus honor eſſet Primogeniti, quoties familia ſacrificium offerret, non præſente Patre, hic honor Primogeniti fuerit.* Ita tamen, ut nemo in falilia prohiberetur offerre. Recte quidem & ſane.

CAPUT IV.

Phraſis, שבת לימין Sedere ad dextram, *deprompta ex Pſ.* cx. 1. *quam Scriptores Sacri N. T. paſſim adhibent ad eâ deſignandam* ſummam gloriam Mediatoris, *vera ſignificatio*, & *ſignificationis genuina origo*, *indicatur*, *varieque illuſtratur*.

QUando ea ad animum revoco, quæ inſigniores Theologi ad hanc φράσιν fuerunt commentati: multa quidem in iis offendo prudenter & ad rem dicta. Quid enim ſit, *Chriſti ſedere ad dextram Dei*: adeo clare in Scriptis Novi Teſtamenti exponitur, ut verus illius ſenſus non poſſit τὸν νοῦντα fugere. Forte tamen, etiam ſi rem intellexerint; non tam clare hactenus ſunt aſſequunti ipſius illius phraſis vim & poteſtatem: ſive non ſatis diſtincte explicuerint, quomodo τὸ *Sedere Chriſti ad dextram Patris ipſius* ſignificare poſſit *ſummam illam Gloriam Chriſti Mediatoris*, *qua ipſe a Patre aſſumptus eſt in communionem Regni*. Id enim hanc phraſin ſignificare, apud eos, qui verum amant, in confeſſo eſſe debet.

Tranſitur ad illuſtrandam phraſin: *Sedere ad dextram Dei*: de Chriſto uſurpatam.

II. In anteceſſum vero hic velim obſervari, eos non recte inſtituere Commentatores, qui φράσιν hanc *à vulgari inceſſu* vel *ſeſſione ad dextram aut ſiniſtram* conantur illuſtrare. Sic animadvertimus vulgo inſtituere rerum ſacrarum Interpretes. Solemus eos honorare, quos ad dextram collocamus noſtram. Sic volunt per id, quod Pater Filium ſuum ad dextram ſuam locaverit, ſignificari, Patrem voluiſſe Filium inſigni afficere honore. Præterquam enim, quod incertum ſit, immo ſi hodiernos Orientalium mores conſideramus, maxime etiam dubium, an apud priſcos Orientis populos id more receptum fuerit: manifeſtum ſatis eſt, conſuetudinem hodiernam indicare honorem, quem minor, vel qui illo tempore minor vult haberi, defert majori, vel quem illo tempore majorem habet, & ut talem honorare & honorari ab aliis cupit. quod certe in myſterio Patris & Filii prorſus non obtinet. Quando enim *Pater* Filium poſt παθήματα evectum

Primo obſervatur, phraſin non eſſe explicandam ex *vulgari conſuetudine*, qua honoratioribus *dexter* locus ceditur.

evectum in cœlos collocat ad dextram; Pater Filio hanc tribuit Gloriam, ut ſit ἴσος τῷ Πατρὶ; non ſane Patre major & ſuperior. Quin *Pater* Filium collocans ad dextram ſuam, ſpectari debet, ut qui Filio עבד *ſervo* ſolvat *mercedem* & פעולה *operæ pretium*. Quod non eſt *minoris*, vel qui minor habetur, erga majorem, ſed potius majoris, vel qui major in illo actu habetur, erga *minorem*. Nam revera in toto ſalutis noſtræ negotio conſpicua fuit quædam Filii ὑποταγή. Quam difficultatem cum paulo propius conſideraret Antonius Nebriſſenſis, neque videret ſe per communem interpretationem poſſe expedire: incepit ſibi perſuadere, non *dextram* ſed *ſiniſtram* apud Veteres honoratiorem conſtituiſſe locum[a]. Sed fidem apud Doctos non invenit hæc explicatio. Potius contrarium invictis argumentis ab aliis eſt oſtenſum. Vide, quæ venerandus olim Præceptor noſter, Hermannus Witſius, in hanc rem erudite diſſeruit in ſuis in *Symbolum Apoſtolicum Exercitationibus*[b].

Antonii Nebriſſenſis luſus.

III. Si igitur hac de re ſane & feliciter judicare velimus: recurrere oportet ad locum Pſ. cx. 1. ex quo hæc phraſis petita eſt, atque adeo explicanda erit. Verba ibi ſunt Davidis, Gloriam Chriſti Filii Dei per Spiritum Dei deſcribentis: *Dixit Dominus Domino meo:* שב לימיני SEDE AD DEXTERAM MEAM, *uſque quo poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Patet ex toto Pſalmo, & ex his ipſis Pſalmi verbis, Patrem in eo proponi, ut *Regem*, *ſedentem* in *throno*, habentem *ſceptrum*, quo hoſtes ſuos ſibi ſubjiciat, Filiumque invitantem, ut ad *dextram ſuam conſideat*. Unde itaque liquet, hac phraſi non alludi ad morem inter homines receptum, quo honoratiores latus ſuum dextrum claudere jubent; ſed ad aliam aliquam conſuetudinem, qua Reges, in throno ſedentes, alios certis occaſionibus ad *dextram ſuam* collocabant. *Sedere itaque ad dextram* hic eſt *ſedere ad dextram Regis*, *inſidentis throno ſuo*; ut ex hoc loco & ejus περιστάσει patet. Incertum tamen hactenus, quid ille Ritus, & phraſis inde deſumpta, ſibi velint. Sunt qui ajunt, Reges Orientales *eos ad dextram ſuom locaſſe*, quibus *honorem ſuo honori proximum tribuere* volebant, vel, *quos ſummo cupiebant afficere honore*. Notari itaque eo, Patrem Filium, ad dextram ſuam evectum, inſig-

Sed ex ritu & conſuetudine Vett. qua *Rex*, inſidens ſolio, quem ad *dexteram ſuam* locat. quod probatur ex fonte phraſios in Pſ. cx. 1.

De cujus Ritus origine & ſignificatione judia Intt.

a In Quinquagenis, Cap. XXXIX. b Exercit. XXI. §. IV. V.

inſigni honore & gloria mactatum voluiſſe. Sed qui mentem ſuam ita interpretantur, vel non recte attendunt ad id, quod per *Seſſionem* Chriſti *ad dextram* Patris in Scripturis intelligitur; vel neceſſe habent fateri, φράσιν hanc actum illum, quem Pater in Chriſti collocatione ad dextram ſuam Filio præſtitit, nec plene nec directe ſignificare. Quod ad *prius* attinet: Pater, quando Filium locavit ad dextram ſuam, non dedit ipſi habere honorem a ſe proximum, ſed dedit ipſi eſſe ἴσα ἑαυτῷ *ſibi pari*, honoremque illi conceſſit æqualem. Quod ad *alterum* attinet; ſi dicamus φράσιν hanc directe non notare illam gloriæ æqualitatem, quam Pater Filio conceſſit in *Seſſione ad dextram*: non ita venerabimur ſentenriam Spiritus Sancti uti decet, qui rem maximi momenti expreſſurus pro ſua ſapientia iis etiam uti potuit & voluit phraſibus, quæ eam quam propriiſſime nobis poſſent proponere & adumbrare.

Quorum aliqua refelluntur.

IV. Ego vero exiſtimo, tum φράσιν hanc, שבת לימין *Sedere ad dextram Dei*, aptiſſimam eſſe ad clare & proprie repræſentandum omne μυστήριον δοξασμοῦ *Filii Dei*; tum eam primâ ſua in ſignificatione non tam *Honorem*, quam *Officium*, & Officio junctam Dignitatem aliquam inſignem, denotare, ex qua *Honor* & *Gloria* Mediatoris poſt ipſum in Cœlos evectum, orta ſunt; hoc eſt, *Communicationem Imperii*, ejuſdem & ſummi, quod habebat Pater: ita ut *Sedere ad dextram Patris* proprie & directe ſit *participem eſſe Regni Patris*, vel illum Chriſti Jeſu Statum notet, quo cum eo communicatum ſit τὸ Regnare. Id vero oportet *Prius* demonſtremus ex vi φράσεως; *Dein* ex ἀλληλουχίᾳ totius Scripturæ.

Vera expoſitio Ritus hujus ſymbolici eſt de *communicatione Imperii*, quod prius evincitur ex vi phraſios.

V. Sedere in Scripturis Sanctis notat Regnare, & Judicare. Ita eſt in Pſ. xxix. 10. ישב יהוה מלך לעולם sedet *Jehova Rex in ſeculum*. xlvii. 7. אלהים ישב על כסא קדשו *Deus* sedet *in throno ſanctitatis ſuæ*. Jeſ. xiv. 13. אשב בהר מועד בירכתי צפון Sedebo (in throno ſedens regnabo:) *in monte Conventus*, *in lateribus Aquilonis*: hoc eſt, *ſedebo* in eo loco, ubi Deus *ſedet*. *Pater* vero nobis maxime ſub Oeconomia Antiqua ut *ſedens*, hoc eſt, ut *Rex* proponitur. Ita eſt in Pſ. ii. 3. יושב בשמים ישחק *Qui* sedet *in cœlis ridebit*. Qui ibi proponitur ut *ſedens in cœlis*, idem eſt, qui dicit: נסכתי מלכי *Unxi Regem meum ſuper Tſionem montem Sancti-*

Sedere in Scripturis Divinis, de *Deo* uſurpatum, eſt *Regnare* & *judicare*.

Quod primum ad Deum Patrem pertinet.

Filii reſpectus ſub Oeconomia Vetere, tanquam cui Regnum erat promiſſum, poſt paſſiones & mortem in illum conferendum.

Sanctitatis meæ, hoc eſt, *Pater*. Filius vero proponitur, ut is, cui a Patre Regnum aliquod promiſſum, & tanquam κληρονομία *hæreditas*, deſtinatum erat. quod tamen *vindicare* debebat à poteſtate mortis & diaboli, ita ut ante id tempus ἐν ἐμφάσει nondum diceretur *Sedere* & *Regnare*. Spectatur tanquam qui per *paſſiones* & *mortem* jus regnandi ſibi mereretur, ante quod præſtitum non decuit ipſum ſe ut *Regem* manifeſtare, neque Patrem eum facere Regni ſui conſortem. verum hac præſtita conditione, habuit facultatem *Sedendi cum Patre*, hoc eſt, Regnandi cum Patre. Etenim qui cum *Rege ſedente ſedet*, cum *Rege regnante regnat*. *Non regnantem* enim non oportet coram Rege *ſedere*, ſed *ſtare* inſtar *miniſtri Regis*. Notat itaque *Seſſio ad dextram* communionem Regni, quæ eſt inter duos, qua unam eandemque ſummam poteſtatem tanquam *pares* & *æquales* participant.

Aſſidere ſedenti eſt cum ſedente regnare & judicare.

Locari ad dextram aſſumi in communionem Regni.

VI. Facilia hæc ſunt: nec ſupereſt difficultas, niſi quod forte non ſatis clara ſit ratio, quare qui alium adſciſcit in *Communionem Regni*, illum potius faciat *ſedere ad dextram* quam *ad ſiniſtram*. *Sedere cum Rege* eſt *cum Rege regnare*. Bene habet. Sed cur qui cum *Rege regnat*, potius ſedet ad *ipſius dextram*, quam *ſiniſtram*? Id mihi brevibus expediendum eſt.

Quare id per ſeſſionem ad dextram potius deſignetur, quam per ſiniſtram?

VII. Dextera in Scripturis Sanctis proponitur ut *gerens Sceptrum*, Regiæ Dignitatis & majeſtatis inſigne. Id obtinet omnium Populorum moribus. Cæterum, quando quis ſedet à dextra illius, qui Sceptrum dextra tenet, Sceptrum illud, Regiæ poteſtatis inſigne, inter utrumque medium eſt, hoc eſt, inter latus dextrum illius, qui Sceptrum tenet & ſiniſtrum illius, qui tenenti aſſidet: ita ut ille qui latus dextrum claudit tenentis Sceptrum, eundem plane videatur habere reſpectum ad *Sceptrum*, quem is habet, qui manu ſua dextra Sceptrum tenet. Hæc vero Sceptri quaſi *diviſio* & communio inter eum, qui tenet *Sceptrum* & tenenti à dextra ſedet, ſignificat quam evidentiſſime *communicationem Regni*, *Poteſtatis*, *Imperii*, ejuſque inſignium, ac proin Gloriæ ſummæ, quæ tantæ dignitatis comes eſt. Qui enim factus eſt *Sceptri particeps*, idem particeps eſt imperii & poteſtatis, quorum emblema Sceptrum eſt. Hæc vera vis & ἐνέργεια, hæc genuina ſignificatio eſt φράσεως Sessionis

Ratio petenda à ſceptro, quod medium eſt inter ſedentem in throno, & illi aſſidentem ad dextram.

AD

AD DEXTRAM, quam etiam & in aliis Scripturæ locis & in Chriſto nihil aliud ſignificare, mox abunde ſumus demonſtraturi.

Illuſtratur hæc expoſitio phraſios ex hiſtoria Salomonis & Batſebæ, 1 Reg. 11. 19, 20.

VIII. Ad illuſtrandam, ſimul probandam, quam jecimus, hypotheſin, nihil clarius à nobis produci poteſt quam notabilis, etſi nota ſatis hiſtoria, quę occurrit in *Priore Libro Regum*, qua narratur, Salomonem, in *ſolio ſedentem*, matrem ſuam *in ſolio ad dextram ſuam* locaſſe. Verba Hiſtoriæ Sacræ hæc fere ſunt[a]: *Et acceſſit Batſeba ad Regem Salomonem, ut cum eo loqueretur de Adonia: & ſurrexit Rex ipſi in occurſum, & incurvavit ſe coram illa,* & SEDIT SUPER THRONUM SUUM, וישם כםא לאם המלך ותשב לימינו Belgæ: **Ende Hy ſat op ſijnen throon / ende liet een ſtoel voor de Moeder des Koninckx ſetten / ende ſy ſat aen ſijne rechterhant.** Sed proprie in verbis eſt, quod ad ſcopum noſtrum facit: *Et ſedit in throno ſuo,* & PONI JUSSIT THRONUM MATRI SUÆ, *& ſedit ad dextram ejus.* **Ende Hy liet een throon voor de Moeder des Koninckx ſetten.** Significavit eo Salomo, ſe cum matre communicare ſummam poteſtatem & imperium. quod omnino ſibi volunt verba Salomonis ad Matrem: שאלי אמי לא אשיב פניך *Pete Mater mea, non avertam faciem tuam.* Belgæ Interpretes id recte obſervarunt, quando ad hæc verba in Notis ſuis adſcripſerunt[b], *Matrem hoc ipſo in eadem poſitam dignitate & celſitudine, qua Filius ipſius Salomo.* Neque obſtat, quod *Rex* Matris petitioni non annuerit. erat enim illius generis, ut poteſtatem cum matre communicatam excederet. Quando quis cum altero communicat eam, quam habet, poteſtatem: dimidiam partem alteri cedit, (καθ' ἄνθρωπον λέγω:) dimidiam ſibi retinet. Matris vero poſtulatum ita accepit *Salomo*, atque ita etiam erat accipiendum, ut quod tenderet in totius poteſtatis regiæ, ſibi commiſſæ, deſtructionem; cui ſi ſatisfeciſſet, poteſtatem ſuam non ſane cum Matre communicaſſet, ſed totam illi, ac per illam Adoniæ, tradidiſſet. quod agere Salomonem non decuit. Comparato duo loca, quę ad hanc ſententiam illuſtrandam faciunt. Alter in *Eſthera* libro eſt, ubi commercium Regis Aſſueri cum Eſthera Regina deſcribitur[c]. *Et dixit ipſi Rex: Quid Tibi eſt, Eſther Regina,* ומה בקשתך עד חצי המלכות וינתן לך *& quanam eſt petitio tua* AD DIMIDIAM REGNI PARTEM, *& da-*

Rex cum matre, quam ad *dextram* ſuam collocavit, communicavit *imperium.*

Nec obſtat, quod petitioni ejus non annuerit.

Reges Imperium cum aliis communicando, non tradunt totum, ſed dimidium poteſtatis ſuæ.

a 1 Reg. 11. 19, 20. b Ad Num. 35. c Cap. v. 3.

& dabitur Tibi. Rex *Ahaſverus* extenderat *Reginæ* שרביט הזהב *Sceptrum Regium*, quod ipſa *tetigerat:* quod non tantum *gratiæ* fuiſſe putem, ſed & *communicationis imperii.* Communicatio vero hæc non progreditur ultra dimidiam regni partem : unde, *quænam eſt petitio tua ad dimidiam uſque regni partem?* Alter in Evangelio *Marci* [a], ubi Rex Herodes benevolentiam ſuam exponit Filiæ Herodiadis : *Et cum introiiſſet Filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet ac placuiſſet Herodi, iis ſimul accumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quodcunque volueris, & dabo Tibi, juravitque ei:* Ὅ τι ὃ ἐάν με αἰτήσῃς, δώσω σοι ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου· *Quodcunque à me petieris, dabo Tibi* USQUE AD DIMIDIUM REGNI MEI. Dimidium igitur datur, totum non datur. quod tamen Mater Salomonis poſtulare videbatur.

Exempla ex Eſther. v. 3. & Marc. vi. 22. huc adducta.

IX. Huic loco vel exemplo, quod ex hiſtoria Batſabæ petiimus ad illuſtrandam quam dedimus expoſitionem phraſis: *Sedendi ad dextram*; adjiciamus aliud illi non diſſimile, deſumptum ex commercio ſermonis, quod Mater Filiorum Zebedæi habuit cum Chriſto. Ita rem narrat Matthæus [b]: *Tum venit ad eum Mater Filiorum Zebedæi cum Filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Ipſe vero dixit ei: Quid vis? Ait ei:* Εἰπὲ ἵνα καθίσωσιν οὗτοι οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων ἐν τῇ βασιλείᾳ σου· *Dic, ut* SEDEANT HI DUO FILII MEI, ALTER AD DEXTRAM, ALTER AD SINISTRAM, IN REGNO TUO. Apud *Marcum* eſt [c]: τῇ δόξῃ σου IN GLORIA TUA. Sedere ad dextram & ſiniſtram τοῦ βασιλεύοντος eſt una cum illo βασιλεύοντι βασιλεύειν, ipſius in *regno* comitem eſſe & ſocium: neque aliud heic loci in gratiam Filiorum ſuorum petebat bona Mater. Difficultas tamen videtur aliqua eſſe in φράσει *Seſſionis ad dextram & ſiniſtram*, cum modo monſtraverimus, illi, *qui à ſiniſtra eſt*, tantam cum Sceptro communionem non intercedere quanta illi qui à *dextra* eſt, quia *Sceptrum dextra geritur.* Et id quidem, quod modo diximus, verum eſt, ſi id reſtringas ad unum, cum quo poteſtas τοῦ βασιλεύειν communicatur. Docet enim ratio, ſi ſignificare velis, regnandi poteſtatem cum uno communicari, neceſſariò uni illi eum aſſignandum eſſe locum, qui proximus ſit Sceptro. Sed ſi eodem emblemate ſignificare vis, τὸν βασιλεύοντα poteſtatem regnandi cum duo-

Et aliud ſimile ex colloquio Matris filiorum Zebedæi cum Chriſto, Matth. xx. 20.

Quid peteret hæc fœmina?

Quomodo in hoc caſu ſeſſio ad ſiniſtram, æque ac ad dextram, notet communionem Regni?

a Cap. vi. 22. b Evang. Cap. xx. 20. c Cap. x. 37.

duobus communicare: duos illos ita locare debes, ut Sceptro proximi ſint. Proximus vero Sceptro locus ad *dextram* eſt: unde *primum* ad *dextram* oportet collocare. poſt dextram proximior locus non eſt, quam *ſiniſtra*, unde alterum ad *ſiniſtram* collocas. Quæ *ſeſſio ad ſiniſtram* tum æque commode ſignificat *communionem regni*, quam *ſeſſio ad dextram*, quia poſt dextram occupatam ſummam cum alio communionem exercet, qui ad ſiniſtram ipſius ſedet. ad quod unice hac in φράσει attendendum. Id hic eſt ſedere ad *dextram* & *ſiniſtram*, quod *Filii Zebedæi* intercedente Matre à Chriſto Domino petunt.

X. Fieri autem poteſt, ut bona Mater, ubi hanc petitionem Chriſto Domino expoſuit de Altero *Filiorum* collocando *ad dextram*, Altero ad *ſiniſtram*, reſpexerit ad morem, qui circa illud tempus obtinebat in Synedrio Summo LXXI-Virali. Sedebant Senatores ad modum חצי גרן *Areæ Dimidiatæ*, vel *Semicircularis*. In medio Circuli conſidebat נשיא PRINCEPS. Ad *dextram Principis* אב בית דין PATER DOMUS JUDICII. Ad *ſiniſtram* חכם ὁ σοφὸς, Sapientiſſimus cæterorum Synedrii membrorum, κατ' ἐξοχὴν ita dictus. Conſtat enim, alios *omnes* Synedrii illius Aſſeſſores titulo חכמים *inſignes* fuiſſe. Tres vero hi homines omnium erant honoratiſſimi in inclyto hoc Senatu Septuaginta & uno Viris conſtante. Tenebatur enim נשיא *Princeps* graviora negotia cum אב בית דין *Patre Synedrii* & חכם *Sapiente* communicare, ab illis conſilia capere, & illorum ex ſententia, quę ad Rempublicam adminiſtrandam pertinebant, prudenter componere. Qui de Hebræorum rebus agunt, duas modo ejusmodi Perſonas notabiliores in auguſto illo Senatu paſſim indicare ſolent, נשיא PRINCIPEM, & אב בית דין PATREM SYNEDRII. Neque quantum mihi mea ſuggerit memoria, eruditiſſimus Seldenus plurium meminit paſſim in ſuis Synedriorum Libris: ſaltem non in Cap. VI. lib. II. ubi tamen de diſtinctis illius Synedrii membris agit. En tamen locum ex Codice Horajoth, ex quo ſententia hæc videtur poſſe firmari, utique ſi locus exponatur ſecundum ipſorum Judæorum Gloſſas: ת״ר כשהנשיא נכנס כל העם עומדים לפניו ואינם יושבים עד שיאמר שב וכשאב בית דין נכנס עושין לו ב׳ שורות אחד מכאן ואחד מכאן ואין יושבין עד שיושב במקומו כשחכם נכנס אחד עומד ואחד יושב *Tradunt Magiſtri, quando ingre-*

Petitio Matris Filiorum Zebedæi illuſtrata ex conſuetudine recepta Synedrorum *ſedendi in Synedrio.*

Tres Perſonæ in Synedrio honoratiores, *Princeps, Pater Synedrii, & Sapiens.*

Tertia perſona *Sapientis* ex Judæorum traditionibus in *Synedrio* oſtenditur.

ingrediebatur PRINCEPS (ὁ ἄρχων τῦ συνεδρίυ:) *coram ipſo ſurrexiſſe omnem populum, neque conſediſſe ante quam dixiſſet ipſe; Conſidete: quando* PATER SYNEDRII *intrabat, ipſi feciſſe ſemitam alterutrinque, neque conſediße, antequam ipſe conſediſſet: & quando ingrediebatur* SAPIENS, *alium ſurrexiße, alium ſediſſe.* Duas hic habes Senatores notabiles præter τὸν נשיא PRINCIPEM, PATREM SYNEDRII, & חכם SAPIENTEM. אב בית דין *Patrem Synedrii* Gloſſa ſic definit[a]: אב בית דין הוא גדול שבדיינין שהדינין נפסקין על פיו *Pater Synedrii Judicum maximus eſt, ex cujus ſententia lites dirimuntur.* SAPIENTEM vero, (חכם) eadem Gloſſa ſic deſcribit. חכם הוא הגדול שבחכמים שנושאין ונותנין עמו בהלכה ויודע טעמי תורה ויושב לשמאלו של נשיא SAPIENS *is dicitur, qui inter Doctores præcellit, cum quo de agendis communicatur, peritus ſenſuum & rationum Legis. Is* AD LÆVAM PRINCIPIS *ſedet.* Gloſſatoris hæc ſententia nobis favet & eſt clariſſima. etſi tamen alias per τὸν חכם hic non incommode quoque intelligi poſſet *quilibet gregariorum Senatorum*, quæ Seldeni & aliorum Doctorum hic eſt ſententia.

Illuſtrato loco Cod. *Horaioth.*

Maimonidis ſententia de more quo conſederint Senatores in *Synedrio.*

XI. Obſcura non ſunt, quæ hactenus ad hanc phraſin illuſtrandam ex more in Synedriis Hebræorum recepto notavimus. Eſſent tamen adhuc in rem noſtram clariora, ſi verum eſſet, quod Maimonides tradit, *ſolum Synedrii Patrem ſediße ad dextram* τῦ Ἄρχοντος: reliquos omnes magni Synedrii Aſſeſſores ad *illius conſediſſe ſiniſtram.* Maimonidis verba ſunt[b]: הגדול בחכמה שבכלן מושיבין אותו ראש עליהם והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו נשיא ומושיבין הגדול שבשבעין משנה לראש ויושב לימינו והוא הנקרא אב בית דין ושאר השבעים יושבין לפני שניהם לפי מעלתם וכל הגדול מחברו בחכמה יהיה קרוב לנשיא משמאלו יותר מחברו *Qui ſapientia præſtabat, conſtituebant eum ſuper ſe Caput, adeoque is erat* CAPUT CONSESSUS, *atque idem eſt, quem Sapientes ubique appellitant* PRINCIPEM. *Conſtituebant etiam Virum in Septuaginta reliquis eminentiorem. Capiti ſecundum,* CUJUS ERAT SEDERE A DEXTRA ILLIUS. *Is vocitabatur Pater Synedrii. Reliqui vero ex Septuaginta ſedebant coram binis hiſce juxta dignitatem ſuam. Et quiſque, ut ſocium ſuum ſapientia antecelluit,* EO PROXIMIOR ERAT PRINCIPI A SINISTRA EJUS. Secundum

a Vide Seld. Lib. II. Cap. x. §. I. b Tractatu *Sanhedrin* Cap. I. §. III.

cundum quem Maimonidis locum Synedri in hunc modum conſediſſent:

2.	1.	3.	4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
Pater.	*Princeps.*	*Sapiens.*	*Reliqui Collegæ.*

Quæ ſententia ſpernenda non videtur, & aliunde etiam illuſtratur.

Ego nullus dubito quin vere Maimonides ſic ſenſerit, atque adeo recepta, quam in vulgatis ejus Editionibus habemus, Lectio ſana ſit & vitii expers. etſi ea de re dubium moverit Seldenus. Si verba משמאלו *à ſiniſtra ejus* in fine ſententiæ hujus eradantur aut omittantur: non bene ſibi conſtabit Maimonidis oratio. Dixerat enim jam in antecedentibus, *Patrem Synedrii* ad *Principis ſediſſe dextram.* Significandum itaque ipſi erat, quodnam Principis latus reliqui Senatores occupaverint. Imo conſtat ex Gemara Hieroſolymitana[a], ut ipſe Seldenus monuit, omnino *Rabbanem Gamalielem in Jafne* illum in Synedrio, cui præerat, obſervaſſe conſidendi morem, quem hic ſcripſit Seldenus[b]: אבא ואחיו יושבין מימינו וזקנים משמאלו *Pater & Frater ejus ſedebant ad ipſius dextram, & Senatores reliqui ad ipſius ſiniſtram.* Id ſi ita habuerit, clariſſime ſignificavit, eum, qui ad *dextram Principis* aut *Rectoris* ſedet, peculiari quadam ratione ab ipſo adſciſci in Regni vel Imperii conſortium. Forte tamen, ut Seldenus erudite diſputat, uſitatior hic fuit in Synedriis conſidendi mos, ut Senatores veluti in ſemicirculo undique latus *Principis* clauſerint. ad quem dubium mihi non eſt quin Dominus reſpiciat in notiſſimo apud Matthæum loco, ubi judicium, noviſſimo tempore a ſe habendum, deſcribit[c]: *Statuet*, ait, *Oves ad dextram, & Hircos ad ſiniſtram.* Nimirum duo erant in Synedriis Scribæ, qui circulum Synedrorum utrinque claudebant; אחד מימין ואחד משמאל *Alter a dextra, alter à ſiniſtra.* quorum ille *Abſolventium*, hic *Condemnantium* ſententias notabat. Hoc quidem ὡς ἐν παρόδῳ.

Etſi nec alterum temere rejiciendum.

Locus Matth. xxv. 33. obiter perſtringitur.

XII. Ex profana hiſtoria nihil nunc habeo, quod huc referam, niſi quod occurrit apud Suetonium. Narrat is[d], Neronem *Tiridatem*, Armeniæ Regem, cum reverentiæ ſigna illi publice exhiberet, *perductum in theatrum, juxta ſe* LATERE DEX-

Suetonii locus ex hiſtoria Neronis collatus cum ſuperioribus.

a Ad Tit. Sanh. Cap. 1. Fol. 19. col. 3. b De Syned. Heb. Lib. II. Cap. VI. §. 1. c Cap. XXV. 33. d In Nerone Cap. XIII.

DEXTRO COLLOCASSE, poſtquam jam ante *illi impoſuiſſet diadema.* Voluit nimirum Nero Tiridatem eo afficere honore, quo non potuiſſet majore. Appoſita ſunt in noſtrum ſcopum, quæ ex Baſilio ad hunc locum illuſtrandum notavit Caſaubonus: Ἡ δεξιὰ χώρα δηλοῖ τὸ τῆς ἀξίας ὁμότιμον· LOCUS DEXTER DIGNITATIS ÆQUALITATEM INDICAT. Id ipſum certe eſt quod nos volebamus, & hactenus ex ipſius illius ſymboli natura unde phraſis deſumpta eſt, demonſtrare conati ſumus.

CAPUT V.

Variis probatur & clariſſimis argumentis, Sacros Scriptores per phraſin Sedendi ad dextram Dei, *intelligere* Communionem Regni, *in quam Filius Dei, Chriſtus Jeſus, à Patre aſſumptus eſt.*

Poſt declaratum ſenſum & originem phraſios: *res* ipſa uberius demonſtratur.

OStendimus hactenus ex ipſa natura ſymbolici Ritus *Sedendi ad dextram Regis*, aptum eſſe illum tum Ritum tum phraſin, inde deſumptam, ad ſignificandam Imperii & dignitatis Regiæ communicationem. Diximus autem, illam imperii, regiæque dignitatis communionem, vulgari apud Orientales dicendi ratione, per τὸ *Sedere ad dextram* exprimi, quia is, qui ad dextram Regis, ſceptrum tenentis, ſedet, *ſceptro proximus eſt*, quod inter eum, qui illud tenet, & tenenti ad dextram ſedet, diſtributum diviſumque eſſe videtur, ita ut non amplius *unus*, ſed *duo ſceptri* participes appareant. Quæ cum ſatis prolixe nunc diſcuſſa ſint; agedum, videamus, an non Scriptura univerſa huic noſtræ expoſitioni ſuffragetur.

Primo attingitur locus Pſ. cx. 1. & ex eo docetur, *Sedere ad dextram* notare *communionem Regni.*

II. Exordiri autem fas ſit ab illo loco, in quo præcipua hujus φράσεως ſedes eſt, qui eſt in Pſalmo cx. 1. ubi Pater dicit Filio: שב לימיני עד אשית איביך הדום לרגליך : מטה עזך ישלח יהוה מציון רדה בקרב איביך SEDE AD DEXTRAM MEAM, *donec poſuero inimicos tuos Scabellum pedibus tuis. Sceptrum roboris tui mittet Jehova ex Tſione: Dominare in medio hoſtium tuorum.* Quod שבת לימין *Sedere ad dextram* heic loci notet *Communionem regni* & imperii, Paulus, optimus

Locus Pauli ex 1 Cor. xv. 25. hic productus, & expoſitus.

timus hujus ſententiæ Interpres, docet in Epiſtola ad Corinthios [a], ubi de ſumma Chriſti poteſtate in hoſtes ejus ipſi ſubjiciendos diſſerens, ait: Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· *Nam oportet eum* REGNARE, *uſque quo poſuerit omnes inimicos ſub pedibus ejus.* Verba, quę in Pſalmo modo memorato habentur: *Oportet Chriſtum ſedere ad dextram Patris, uſque quo poſuerit inimicos ſcabellum pedum ejus*, Apoſtolus reddidit: *Oportet Chriſtum* βασιλεύειν *Regnare.* ita ut *Sedere ad dextram* ſit *Regnare*, ex interpretamento Apoſtoli. Reſpicit huc etiam, quod in vſ. 24. dixerat: Εἶτα τὸ τέλος, ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ Πατρί. Ex ratiocinio enim Apoſtoli tamdiu duraret ἡ βασιλεία τοῦ υἱοῦ, quandiu duraret τὸ *Sedere ad dextram.* unde conficimus, τὸ *Sedere ad dextram* eſſe τὸ βασιλεύειν. At non ſolum hoc in loco Paulus hanc accepit ἐξήγησιν, ſed & in ſua ad Hebræos Epiſtola cap. 1. 13. Πρὸς τίνα δὲ, ait, τῶν ἀγγέλων εἴρηκέ ποτε, κάθου ἐκ δεξιῶν μου· ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα; Scire licet, Apoſtolum in Capite hoc primo demonſtrare, Chriſtum eſſe Angelis multo excellentiorem. Inde autem hanc ſuam θέσιν conficit, quia Chriſtus, poſtquam in terris negotia noſtræ ſalutis peregerat, καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, à Patre non amplius agnitus eſt pro *Miniſtro*, ſed *pro Rege*, ad quem hoc factum ſit προσφώνημα: ℣ſ. 8. ὁ θρόνος σου, ὁ Θεὸς, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. ῥάβδος εὐθύτητος, ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου: cum contra *Angeli* ſemper ut *miniſtri* reſpiciantur. etenim ποιεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ Πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα. Quæ Apoſtolus in ſummam colligens, ait: *Ad quem autem Angelorum dixit unquam;* SEDE AD DEXTRAM MEAM? Hoc eſt, cui eorum unquam dixit: βασίλευε *Regna.* de qua ſumma Filii gloria Apoſtolus unice diſſeruerat: *Nonne*, ait, *omnes ſunt* λειτουργικὰ πνεύματα; An non ſemper illi habentur, ut miniſtri Regis? Tantò igitur Chriſtus major eſt Angelis, quanto miniſtro major Rex eſt.

Et ad Heb. 1. 13.

Petri verba idem confirmantia ex Act. 11. 54.

III. Eodem tendit Petri illa elegantiſſima Oratio, quam ſalutari illa Pentecoſte habuit coram Judæis. *Neque enim David*, ait [b], *aſcendit in cælos. verum ipſe dicit: dixit Dominus Domino meo, Sede ad dextram meam, uſque quo poſuero inimicos tuos ſcabel*

a Cap. xv. 25. b Act. 11. 54.

bellum pedum tuorum. Certo itaque ſciat tota Domus Iſraël, ὅτι κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε· *quod* DOMINUM ET CHRISTUM IPSUM DEUS FECERIT; *hunc Jeſum, quem Vos cruci affixiſtis.* Pe-

Quæ declarantur.

trus *Collocationem ad dextram* ita interpretatur, quod Chriſtus factus & à Patre declaratus ſit ארון *Dominus*, & χριστὸς *Unctus*, hoc eſt, βασιλεὺς *Rex*, quia illius temporis Judæi τὸν χριστὸν vel המשיח ſemper ſub notione βασιλέως Regis concipiebant: unde המשיח vel מלך המשיח βασιλεὺς ὁ χριστὸς tantundem ſonabant, vel, ſicuti apud Danielem eſt [a]: משיח נגיד *Meſſias Princeps, Dux,* Imperator. ipſe enim *Rex* eſt *unctus* [b]. ποιεῖν vero hic eſt עשות *conſtituere*, & quidem *ex decreto*. Pater enim Filio decrevit βασιλείαν *Regnum.* in cujus poſſeſſionem cum Filium publice introducit, dicitur Filium ποιεῖν κύριον καὶ χριστὸν, Filium palam ut Regem proclamare, & cum ipſo dignitatem regiam commu-

Et conferuntur cum loco primo Pſ. cx. 1.

nicare, quod eſt, *eum collocare ad dextram ſuam.* Sed & non obſcure idem ſignificatur hoc ipſo in loco, quem ex Pſ. cx. 1. deprompſimus. Quam primum enim *Pater Filium* ad dextram ſuam collocaſſe memoratur, mox Filio tribuitur מטה *Virga*, vel שבט *Sceptrum*, & quidem מטה עז *Sceptrum roboris*, diciturque *dominari in medio hoſtium ſuorum.* Sceptrum Regiæ poteſtatis inſigne eſt. quod cum Filius accepit *ubi collocatus eſt ad dextram Patris*, ſicuti hoc in loco traditur: conſequens eſt, quem *Collocare ad dextram*, idem eſſe quod cum aliquo *communicare* τὸ βασιλεύειν: *Sedere ad dextram* idem, quod τὸ βασιλεύειν.

Difficultas, quæ ex loco ipſo contra moveri poſſet remota.

IV. Eſt tamen hoc etiam in loco, quod huic ſententiæ aliquam creet difficultatem. Nimirum *Filius* hic dicitur *ſedere ad dextram Patris*, & tamen non *Filio*, ſed *Patri* tribuitur, *ponere hoſtes ſcabellum pedum Filii: Patri*, non *Filio*, aſſignatur, τὸ *mittere Sceptrum.* Si enim τὸ βασιλεύειν cum *Filio* ſit communicatum per φράσιν, *Sede ad dextram meam:* eccur Chriſto non vindicatur *hoſtium ſuorum ſubjectio?* cur ipſe non dicitur per ſe *ſceptrum* illud dirigere, in cujus communionem ipſe aſſumptus erat? Difficultas, fateor, ad ſpeciem eſt aliqua, ſed quæ facili ratione queat tolli. Pater, licet ſceptrum Filio tradiderit, vel τὸ βασιλεύειν cum *Filio* communicaverit, non tamen *deſerit ſceptrum ſuum*, ſed *regnat cum Filio*, &, ſi ita loqui fas eſt, *Sceptrum*

a Cap. IX. 25. b Pſ. II. 6.

trum quaſi per manum Filii gubernat; ita ut ipſe per *Sceptrum Filii* hoſtes Filii ſui ipſi ſubjiciat. An non id egregie hoc in loco & ἐμφατικῶς proponitur? Filio tribuitur מטה עז *Sceptrum roboris*, ipſi à Patre datum. Ne quis tamen exiſtimaret, Patrem omni regimine ſe abdicaſſe; dicitur Pater ישלח *mittere Sceptrum Filii ex Tſione:* item ne quis ſibi perſuaderet, omnem Sceptri adminiſtrationem hactenus tamen manere Patris, ſecluſo Filio; de Filio eodem halitu additur, quod nimirum Eccleſia Chriſto Jeſu accinit: *Dominare in medio hoſtium tuorum.* Commune eſt Sceptrum Patri & Filio. Si illud Pater gerat atque adminiſtret, adminiſtrat illud ſecundum vota & utilitatem Filii. quod ubi fit, eſt ac ſi Filius, non Pater, regnaret. Quando Filius illud adminiſtrat, gerit illud ſecundum Voluntatem Patris, (Joh. v. 19.) ut adeo Pater in Filio & per Filium regnet. Pater itaque quando hoſtes Filii ſui ipſi ſubjiciendos committit, dicitur *illos ponere ſcabellum pedum Filii.* Fit enim id Sceptro Patris, & ſecundum Voluntatem Patris. Imo Patri id potius tribuitur, quia id pertinebat ad *contractum* illum *pacis*, qui inter Patrem & Filium interceſſerat, quo Pater Filio *obedientia* debita defuncto, condixerat τὴν κληρονομίαν τοῦ κόσμου אחוזת הגוים / quam præſtare *Pater* non poterat, niſi totum mundum *Filio ſubjiceret*, eumque illi vindicaret.

V. Eandem hanc ſententiam noſtram firmat φράσις Pauli Apoſtoli in ejus ad Hebræos Epiſtola[a], ubi ait, Chriſtum *ſediſſe* ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης, καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, & quidem[b], ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Notandum ad veram horum locorum intelligentiam, vocem μεγαλωσύνη reſpondere Hebraicæ גדולה. Videmus enim, τοὺς ἑβδομήκοντα eadem ratione omnibus locis, in quibus uſus eſt hujus vocis, τὸ גדולה convertiſſe. Occurrit vero in libro primo *Chronicorum* cap. XXIX. II. לך יהוה הגדולה והגבורה / LXX. Σοὶ, κύριε, ἡ μεγαλωσύνη καὶ ἡ δύναμις. Quam δοξολογίαν, non infrequentem quoque poſtea in Templo & Synagogis, imitatus eſt *Judas* ſub Epiſtolæ ſuæ finem: Μόνῳ σοφῷ Θεῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξα καὶ μεγαλωσύνη, כבוד וגדולה. Extat quoque in Pſ CXLV. 3. גדול יהוה ומהלל מאד ולגדלתו אין חקר LXX. τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι πέρας. Egregie. ea enim vis eſt vo-

Eadem poteſtas phraſios evicta ex Heb. I. 3. VIII. I.

Vox μεγαλωσύνη in his locis expoſita, ejuſque oſtenſa emphaſis, ex hebræa גדולה.

R r cis

a Cap. I. 3 b Cap. VIII. I.

Cujus vocis vera ſignificatio detegitur.

cis חקר ℣ſ. 6. וגרולתך אספרנה LXX. καὶ τὴν μεγαλωσύνην σου διηγήσονται. גרולה vero notat & hiſce in locis & alibi apud Judæos paſſim *Magnificentiam*, *Majeſtatem*, μεγαλωσύνην, vel ſi vis, μεγαλοπρέπειαν, quæ eſt in *Rege*, Sceptrum tenente, unde & Belgæ τὸ μεγαλωσύνη per Majeſteyt/ verterunt. Deſcribitur enim in hoc Pſalmo Chriſtus Rex. ארוממך/ ait Vates in illius exordio, אלהי המלך *Ego exaltabo Te*, *Deus mi*, *Tu* REX ILLE. cui proin adſcribitur הור *Majeſtas Regia*, ℣ſ. 5. cujus dicitur eſſe maxima כבוד מלכות *Regni gloria*, ℣ſ. 12. & מלכות מלכות כל עולמים *Regnum eſſe Regnum omnium ſeculorum*, hoc eſt; cujus βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. *Regi* igitur heic adſcribitur גרולה/ quæ id in Rege eſt, quo Rex cæteris præſtat, excellentior, & major eſt. id, quo Rex eſt. cujus inſigne eſt *Sceptrum*. Quin τὸ גרל & גרול cum apud Hebræos non tam ſignificet id quod *magnum*, quam quod *magnificum* eſt: *Regibus* etiam tribuitur. Ita eſt 2 Chron. IX. 22. ויגרל מלך שלמה quod latine vertas: *Et* CREVIT *Regis Salomonis* MAJESTAS. De *Iſaaco* ait Hiſtoriographus Moſes[a]: ויגרל האיש וילך הלוך וגרל עד כי גרל מאור *Et crevit Viri illius* (Iſaaci) *exiſtimatio*, *viresque acquiſivit eundo*, *uſque quo inſignes fecerit profectus.* Certum itaque habeamus, τὸ גרולה/ ubi Regibus adſcribitur, ſummam ſignificare Regum dignitatem, Majeſtatem, atque *magnificentiam*, vel, ut cum Apoſtolo loquar, μεγαλωσύνην.

Reſpectum habet ad majeſtatem, & magnificentiam, quam Rex præfert ſedens in Throno Regni & judicii.

VI. Cæterum ambigere non licet, quin Reges tunc maxime demonſtrent ſuam גרולה μεγαλωσύνην vel μεγαλοπρέπειαν, quando Sceptro, μεγαλοπρεπείας ſuæ ſymbolo, armati, Regiiſque veſtibus induti, throno inſident. Patet id ex Cantico modo memorato, in quo גרולה de *Rege*, Solium ſuum occupante, prædicatur. Factum quoque hinc eſt, ut Veteres Kabbaliſtæ cum in ſuis *Sephiroth* Chriſtum nobis ut Regemglorioſiſſimum vellent proponere, dextro brachio tribuerint גרולה μεγαλωσύνην. dextra enim *Sceptrum* tenet, τῆς μεγαλωσύνης inſigne. Ergo quod tandem monendum erat: quam emphatice & eleganter, & apte ad noſtrum ſcopum, hac φράσει utitur Paulus Apoſtolus, ubi de *Seſſione Chriſti ad dextram Patris* loquitur? Ait, Chriſtum conſediſſe ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης, hoc eſt, ad latus Regis, *Sceptrum* tenentis, ſuamque in throno exlubentis majeſtatem. vel ſi vis,

a Gen. XXVI. I.

ſi vis, *proximum Sceptro*, μεγαλωσύνης Regiæ ſymbolo. *Sedere* igitur *ad dextram Dei*, eſt *proximum eſſe Sceptro*; *ad dextram eſſe Sceptri*, id eſt, τῆς μεγαλωσύνης. ut adeo *Seſſio ad dextram Dei* ſignificare debeat Statum *communionis Imperii* & *Regni* Divini. Sed quantò adhuc clarius Apoſtolus in ſequentibus [a], ubi ait, Chriſtum *ſedere* ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης, AD DEXTRAM THRONI DIVINÆ MAJESTATIS. quod priori dicendi modo convenit. Θρόνος τῆς μεγαλωσύνης eſt *thronus*, in quo ſedet *Rex* τὴν μεγαλωσύνην ſuam *Sceptro* omnium oculis exhibens. ad cujus qui ſedet dextram, habetur ac ſi *eodem in throno ſederet*.

Unde patet, quam apte uſus fuerit Apoſt. hac voce, ubi de *Seſſione Filii Dei ad dextram Patris* loquitur.

VII. Novum mihi ex poſtrema hac obſervatione naſcitur argumentum pro illa, quam defendo, ſententia. Scriptura enim Sancta, quam quis optime per ſe ipſam interpretetur, *Seſſionem Chriſti ad dextram Patris* deſcribit per *Seſſionem Chriſti cum Patre in eodem throno*. ut fit in verbis Domini apud Joannem [b]: Ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου, ὡς κἀγὼ ἐνίκησα καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῷ θρόνῳ αὐτοῦ. *Filius* quando *cum Patre* dicitur *ſedere* in *throno Patris*, an alio id accipi poteſt ſenſu, quam Patrem cum Filio communicaſſe τὸ βασιλεύειν, quod eſt inſidentis throno? *Sedet* vero cum Patre in *eodem throno*; unde τὸ ἴσον, τὸ τῆς ἀξίας ὁμότιμον, & τὴν πρὸς τὸ ἴσον σχέσιν ἐν τῷ βασιλεύειν intelligimus, ut hic Baſilii phraſin repetam. Quo referenda ſunt alia quoque Apocalypſis loca [c], in quibus ὁ θρόνος τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου memoratur.

Aliud argumentum pro hypotheſi, inde deſumptum, quod Chriſtus D. dicatur *ſedere in throno Patris*.

Veteres eleganti phraſi dixiſſent Chriſtum eſſe σύνθρονον τοῦ Πατρός. qua locutione Patres hic commode uſi ſunt. Chryſoſtomus [d]: *Filius dicitur* γνήσιος παῖς τοῦ πατρὸς καὶ σύνθρονος *germanus Patris Filius & EJUSDEM THRONI CUM PATRE PARTICEPS*. Cyrillus Alexandrinus de Chriſto [e]: Ὁ βασιλεύων ἀεὶ μετὰ τοῦ πατρὸς, ὁ σύνθρονός τε καὶ σύνεδρος *Qui ſemper cum Patre regnat*, EJUSDEMQUE THRONI *& ſedis cum Patre* CONSORS EST.

Vett. Eccleſiæ Doctorum ſententiæ, in hanc rem luculentæ.

Eſt etiam elegantioris uſus hac in re vox πάρεδρος. Heſychius: πάρεδρος. παρακαθήμενος, παρεδρεύων, σύνθρονος. Patres autem haud dubie hunc loquendi modum mutuati ſunt à Gentilibus, qui vocabulis σύνθρονος & πάρεδρος in *Conſecratione* frequenter uſi ſunt. Exemplum proferamus ex Inſcriptione quadam, alibi à Caſaubono pro-

Vox πάρεδρος hic eleganter adhibita, & σύνθρονος.

a Cap. VIII. 1. b Apoc. III. 21. c Apoc. XXII. 1, 3. d Homil. XXXVI. in Acta. e Lib. III. in Joh. Cap. 1.

Poſterioris vocis uſus in Theologia Gentilium.

producta [a], quę Antinoi *Conſecrationem* exhibet. Sic habet illud monumentum:

ANTINOΩ
CΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟC ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC
ΠΡΟΦΗΤΗC

Fingebant enim Veteres Gentiles quoddam Deorum συνέδριον, σύνοδον, ſive COLLEGIUM, CONCILIUM, aut CONSESSUM, cujus qui reddebantur conſortes, dicebantur fieri σύνθρονοι καὶ πάρεδροι vel σύνεδροι τῶν Θεῶν. Chriſtus itaque, (ad quem has phraſes abſque vitio applicare liceat:) factus eſt σύνθρονος & πάρεδρος τοῦ πατρὸς, ejuſdem throni, ejuſdem dignitatis, regni, poteſtatiſque cum Patre particeps factus, idque poſtquam viciſſet Diabolum, peccatum, mortem ipſam, & infernum.

Refertur etiam huc phraſis inſignis qua Chriſtus D. dicitur ſedere ad dextram Potentiæ Divinæ.

VIII. Animadverſionem præterea meretur alia, non minus elegans & in ſcopum noſtrum utilis, phraſis, qua Chriſtus dicitur καθίσαι ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως *ſedere* AD DEXTRAM POTENTIÆ. Ita ipſe Dominus apud Matthæum [b]: Πλὴν λέγω ὑμῖν ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. Vulgatus: A DEXTRIS VIRTUTIS DEI. Forte ex Luc. XXII. 69. ubi eſt: Ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. Belgæ: **Aen de rechterhant der kracht (Godts.)** Paucis expediri poſſunt quæ huc pertinent.

Uſus vocis גבורה circa tempus Chriſti Domini.

Vocabulum גבורה / quæ poteſtate ſignificationis convenit Græcæ voci δύναμις, illa ætate, qua Dominus noſter Jeſus inter mortales verſabatur, familiari uſu ſermonis ſumebatur pro *Deo*. Promamus locum ex *Cod. Schabbath*, Buxtorfio [c] jam notatum: מה השיב משה לפני הגבורה *Quid habuit quod reſponderet Moſes coram* τῇ δυνάμει, h. e. coram *Deo*? Nihil Talmudiſtis, & qui eos ſequuntur, Vulgatis rerum Judaicarum Scriptoribus familiarius, quam Moſen accepiſſe *Legem* מפי הגבורה *ex ore* τῆς Δυνάμεως. Maimonides in *More* de *Deo*, & *Spiritu*, qui in Prophetis erat, diſſerens ait [d]: והוא הנקרא הגבורה *& ille eſt, qui vocatur* ἡ δύναμις POTENTIA. גבורה / ubi ad Deum refertur, ſignificat *Omnipotentiam Dei cum gloria excellenti quodam modo demonſtratam.* quod ſane

a Vide Caſaub. ad Spartian. in *Adriano*, Cap. XIV. b Cap. XXVI. 64. c Fol. 87. 1. d Part. II. Cap. XXXVI.

Integra phraſis declaratur.

ſane ſit, ubi Deus inſtar Regis Majeſtatem ſuam aliis conſpiciendam exhibet. *Sedere igitur ad dextram* τῆς δυνάμεως, eſt *Sedere ad dextram Regis* (*Dei*) *Majeſtatem ſuam revelantis & potentiam, virtutemque ſuam* egregiis ſpeciminibus demonſtrantem. quod cum quam maxime faciant Reges, quando throno inſident, *ſceptro* armati, non minori ſane indicio τῆς δυνάμεως, quam τῆς μεγαλωσύνης: colligo inde, κάθησαι ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως in Chriſto ſignificare Statum Communionis ejuſmodi δυνάμεως, qualem Pater, ſolio inſidens, demonſtrat cum inſigni Majeſtatis ſuæ fulgore. Argumentum capiamus ex Pſ. CXLV. 4. in quo Chriſtum ut *Regem* proponi, ſolio ſuo inſidentem, ante evicimus: דור לדור ישבח מעשיך וגבורתך יגידו *Qualibet generatio celebrabit opera tua*, καὶ τὴν δύναμίν σου GLORIOSAM TUAM POTENTIAM *annunciabit*. Referenda etiam huc eſt προσφώνησις Cœlitum, Chriſto facta, poſt Serpentem ab ipſo profligatum [a]: Ἄρτι ἐγένετο ἡ σωτηρία καὶ ἡ δύναμις GLORIOSA POTENTIA καὶ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. Scilicet δύναμις, ἐξουσία, κράτος nulli competunt, niſi poſt νίκην *victoriam*. Rex igitur dominans, vincens, imperans, hoſtes ſuos ſibi ſubjiciens, habet גבורה δύναμιν, cujus ſummæ poteſtatis & imperii Chriſtus factus eſt particeps, ubi collocatus eſt ad dextram ſui Patris, in throno Gloriæ cum δυνάμει ſedentis.

Locus Pſ. CXLV. 4. illuſtratus.

Dictum Zachariæ cap. VI. 13. de *Filio Dei* collocando in *Throno Jehovæ*, eodem adducitur.

IX. His nunc tandem adjiciamus dictis & phraſibus, quæ ad rem, de qua agimus, illuſtrandam adplicuimus, inſignem vere & notabilem Zachariæ locum [b], in quo Filius Dei exerte dicitur collocandus eſſe in THRONO JEHOVÆ. Sic habent ibi verba de illo Viro, cui Nomen eſt GERMEN JEHOVÆ: *Et ipſe ædificabit Templum* JEHOVÆ, *& feret majeſtatem*, וישב ומשל על כסאו *& SEDEBIT & dominabitur in throno* EJUS, *& erit Sacerdos in throno* EJUS; *& conſilium pacis erit inter duos illos.* GERMEN JEHOVÆ hic dicitur SESSURUM IN THRONO JEHOVÆ. Sic enim hæc verba omnino ſunt accipienda. Imperite vertitur hæc pericopa: *Et ſedebit in throno ſuo.* Affixum enim *tertiæ Perſonæ* in voce כסאו *relativum* ſecundum genium orationis referendum eſt ad *Subjectum Perſonale proximum*, cujus in ſuperioribus facta erat mentio. Atqui id ſubjectum eſt יהוה *Jehova*. Vult itaque dicere

Verſio loci genuina.

a Cap. XII. 10. b Cap. VI. 13.

cere Zacharias, *ſeſſurum eſſe Meſſiam in throno Jehovæ.* Imo ſane illa hic eſt admittenda expoſitio, quæ maximam habet emphaſin. Longe autem majorem emphaſin habet, ſi dicas, *Meſſiam ſedere in throno Jehovæ*, quam eum *ſedere in throno ſuo*. Et quod deinceps additur: *Conſilium Pacis futurum inter* DUOS ILLOS; ſatis indicat, in præcedenti oratione *duarum Perſonarum* factam eſſe mentionem, inter quas arcta & familiaris eſſet conjunctio; qualis nimirum eſt conjunctio *Jehovæ* & *Meſſiæ*, eundem occupantium *thronum*. Ne dicam, locum Apocalypſios [a], jam ante expoſitum, in quo Chriſtus cum Patre in *eodem* dicitur *ſedere throno*, nos ad hunc ipſum Zachariæ locum ducere, ex quo haud dubie phraſis illa deſumpta eſt. GERMEN itaque JEHOVÆ *ſedet in throno ipſius Jehovæ*, σύνθρονος & πάρεδρος τȣ̃ Πατρός. quod hactenus conati eramus demonſtrare.

CAPUT VI.

Inquiritur in rationem vel fundamentum *receptæ conſuetudinis*, *qua* Infantes, Credentibus *in Chriſtum Parentibus ſati*, *in Eccleſia Chriſtiana* baptizantur. *Quid ſtatuendum ſit de* Fœdere externo *ſub OEconomia Novi Teſtamenti*, *quod huic dubio ſolvendo quibuſdam Theologis commodum videtur*, *diſputatur*. *Alia tandem certiora* Pædobaptiſmi *fundamenta indicantur.*

Fundamenta PÆDOBAPTISMI, apud Chriſtianos recepti, inveſtigantur.

A Longo jam tempore fuit, quod Capita Theologiæ eorumque ἁρμονίαν & συζυγίαν ſubinde ad animum revocantem duo dubia exercitum habuerint, quę minori tamen cum ſolicitudine vulgo moveri & reſolvi ſolent ab iis, qui ſcientiæ noſtræ συςήματα conſcripſerunt. Alterum eſt, *quo jure Infantes, & quidem Credentibus orti Parentibus, Chriſto per Baptiſmum initiari ſoleant, ut in noſtra Eccleſia obtinet*; cum Baptiſmus inſtitutus videatur à Chriſto & Apoſtolis in gratiam & uſum Adultorum? Alterum, *quid cauſſæ ſit, quod Credentibus in Chriſtum,*

a Ap. III. 21.

ſtum, quorum peccata omnia ſanguine Chriſti expiata ſunt, *moriendum ſit*. Nunc verò animus eſt ediſſerere, quid ad utriuſque ſolutionem mente conceperimus.

II. Quod quidam jam olim dubitarint in Eccleſia vetere & etiamnum dubitent, *an infantes* Chriſtiano Ritu *jure baptizentur*: inde potiſſimum profectum putem, quod id factum fuiſſe à Chriſto & Apoſtolis in *Evangeliis* & *Actis* Eccleſiæ primævæ non narretur. Id enim ſi clare probari poſſet; non opinor, de *facti jure* quempiam dubium amplius moturum eſſe; quia illud, quod à Chriſto & Apoſtolis factum eſt, omnium ſententia jure factum cenſetur. Rationibus igitur pugnari cœptum eſt, ut *jus* probaretur, ſed quæ non omnes unius ponderis, vel pari cum judicii diſcrimine, à noſtrarum partium Doctoribus, ubi hanc rem agebant, in medium prolatæ, & adverſus contrariæ ſententiæ Patronos vindicatæ ſunt.

Cauſſa dubitationis de *Pædobaptiſmo*, quod deſit *exemplum*, ſive factum in hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum.

III. Cum vero quæſtio hæc mihi ſemper viſa fuerit ex earum numero, quæ ex *factis hiſtoricis*, quę vocant, omnium optime decidi poſſit, quales aliæ ſunt multæ: eorum omni tempore laudavi operam, qui *factum*, quod quidem ſignate in Hiſtoriis expreſſum non eſt, ex conſecutionibus, ex hiſtoria ſana cum ratione deductis, probare ſatagunt. quando litem uno ictu omnem dirimi cernebam. Nectitur autem ejuſmodi conſequens, uti nobis apparet, validiſſimum ex eo, quod quidam homines in Libris Novi Teſtamenti cum *familiis ſuis* baptizati fuiſſe dicantur, ſi illuſtretur, tum ex *Ritu Judaico*, in Baptizandis Proſelytis recepto, quem Docti Viri omnino exiſtimant circa ætatem Chriſti Jeſu jam receptum fuiſſe; tum etiam ex *Conſuetudine Eccleſiæ Veteris*. Factum vero hoc extat apud *Paulum* 1 Cor. 1.16. ubi ait: Ἐβάπτισα δὲ καὶ τὸν Στεφανᾶ οἶκον Baptizavi autem et Stephanæ domum. quæ primum examinare conſtituimus; dein conferre tum cum eo, quod apud Hebræos circa infantes ipſorum in Baptiſmo Proſelytorum, tum etiam quod in prima Eccleſia Chriſtiana hoc in negotio geſtum eſt, hoc ſolum fine, ut *factum* probetur: quo probato, de *jure* diſpicere, & difficultates, quas παραλληλία ſanioris Theologiæ in ſpeciem *facto* valde contrarias exhibere videtur, quantum in noſtra erit poteſtate, reſolvere.

Optime itaque inſtituunt in hac diſputatione, qui *facti probabilitatem* ex hiſtoria conantur demonſtrare.

Et peti poteſt argumentum ex *integris familiis baptizatis*.

IV. Quan-

In loco 1 Cor. 1.16. ubi Domus Stephanæ baptizata dicitur: integra intelligitur familia.

IV. Quando Apoſtolus ſcribit, ſe *baptizaſſe* τὸν Στεφανᾶ οἶκον DOMUM *Stephanæ*; ſic ſatis certum eſt, capiendum id eſſe de *familia Stephanæ*. Theophylactus: Τὺς ἐν τῷ οἴκῳ ἀυτῦ πάντας· *Omnes, qui in domo ipſius erant*. Belgæ: Het Huysgeſin. Quomodo præter hunc locum alium convertunt, qui extat in Pauli ad *Hebræos* Epiſtolâ cap. XI. 7. ubi Noach dicitur *conſtruxiſſe arcam* ἐις σωτηρίαν τῦ οἴκυ ἀυτῦ *ad ſalutem domus ſuæ*, h. e *familiæ*. Syrus nihil mutat. Licet vero & Græci puriores ea notione ſubinde hanc vocem accipiant; Evangeliſtæ tamen & Apoſtoli multo id frequentius faciunt, quia in ſua Lingua, hoc eſt, hebræâ vocabulum בית promiſcue modo *domicilium*, modo *familiam* denotabat. Exemplum unicum ex plurimis, per omnem Scripturam diſperſis, ſit 1 Chron. X. 6. ומת שאול ושלשת בניו וכל ביתו יחדו מתו *Et mortuus eſt Saul & tres Filii ejus*, & OMNIS DOMUS EJUS *pariter mortui ſunt*. Quid hic per בית שאול *domum Saulis* intelligendum ſit ex parallelo Hiſtoriæ Samuelis loco diſcimus, unde hæc narratio deſumpta eſt. Ibi ita[a]: *Et mortuus eſt Saul cum tribus filiis ſuis, armigero ſuo, omnibusque Viris ſuis pariter*. hoc eſt, iis cum armatis, qui ad *familiam* ipſius pertinebant. Accipitur itaque τὸ οἶκος pro *familia* Luc. XI. 17. XIX. 9. Act. X. 2. 1 Tim. III. 4. 2 Tim. I. 16. aliisque pluribus in locis. Hebræi tamen poſteriores *Familiæ* vocem à Latinis mutuati ſunt hebræiſque literis פמליא expreſſerunt; quomodo jam uſurpatur in *Targum Cantici Canticorum*[b]: משבח יתהון בפמליא במלאכיא קדישיא *Laudat eos in familia Angelorum Sanctorum*. Buxtorfius recte monet legendum: דמלכיא Hinc frequentiſſime mentionem faciunt פמליא של מטה *familiæ inferioris*, & פמליא של מעלה *familiæ ſuperioris*, ſicut etiam בית דין של מטה ושל מעלה *Domus judicii inferioris & ſuperioris*. Forte ad hebræam phraſin: פמליא של מטה ושל מעלה reſpexit Apoſtolus Græca: πατριὰ ἐν ὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς: ubi Beza vocem πατριὰ per *familiam* vertit. Verba ſunt in Epiſtola ad Epheſio[c]: Ἐξ ὗ πᾶσα πατριὰ ἐν ὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται. Belgæ: Geſlachte. Melius: Huysgeſin. Syrus ad verbum: כל אבהתא. γένος. συγγένεια. φυλή. Notat autem οἶκος, quando pro *familiâ* פמליא accipitur, *omnes*, qui *in domo ſunt*, ſive ad familiam pertinent, Parentes, Liberos, *cujuſcunque*

Uſus vocis Domus hoc ſenſu apud Hebræos.

Uſus Latinæ vocis Familia in voce Hebræa פמליא apud Hebræos poſteriores.

Vox πατριὰ hoc ſenſu.

a 1 Sam. XXXI. 6. b Cap. I. 15. c Eph. III. 15.

que ætatis, οἰκογενόμενοι (על הבית) *ſervos*, *ſervas*, & ex iis natos *cujuſcunque etiam ætatis* vernas: ex quibus *Stephanæ* hujus *familiam* conſtitiſſe, vero eſt ſimillimum, quia in fine hujus *Epiſtolæ* Apoſtolus eam ſignate commendat, ut valde *inſignem* in Corinthiorum Eccleſia [a]: Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ, οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ, ὅτι ἐστὶν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, καὶ εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις ἔταξαν ἑαυτούς. Unde fortè Theophylactus: Μέγας δὲ ἦν οὗτος ἐν Κορίνθῳ καὶ ἐπισημότατος· *Magnus enim hic fuit Corinthi, nec non celeberrimus*, vel, *maxime inſignis*. Sane apparet, Apoſtolum ipſius familiæ ut ſingularis exiſtimationis inter Corinthios meminiſſe, tanquam quæ ornatiſſima eſſet, & non virtutibus modo verum etiam numero profitentium Chriſtianam Religionem ſplenderet & Corinthi emineret.

Stephanæ domus in Corinthiorum Eccleſia ſpectabilis.

V. Verum unicus hic locus non eſt, in quo *tota familia* baptizata legitur, ſed & plures extant in *Apoſtolorum Actis*, in quibus idem factum narratur. De *Lydia* dicitur cap. XVI. 15. ὡς δὲ ἐβαπτίσθη καὶ ὁ οἶκος αὐτῆς· *Cum igitur baptizata eſſet & DOMUS EJUS.* *cum domo ſua*, hoc eſt *familia*. σὺν τῷ οἴκῳ αὐτῆς. καὶ ut ι ſumitur incluſive. Idem de Commentarienſi eodem *Capite* refertur [b]: καὶ ἐβαπτίσθη αὐτὸς καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες παραχρῆμα· *Baptizatus autem eſt ipſe, & OMNES (domeſtici) EJUS illico*. Ita Beza recte. Proprie: *Ipſe cum omnibus ſuis*. Qui πάντες αὐτοῦ dicti erant πάντες οἱ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ· *Omnes, qui erant in familia ejus*, ℣ſ. 32. Beza: *Domi ipſius*. Sed οἰκία æque ſumitur pro *familia* ac οἶκος. & οἶκος ℣ſ. 31. καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου. Alia exempla, quantum ſcio, in Actis Hiſtoricis non extant, κατὰ τὸ ῥητόν. Colligimus tamen idem factum in *Cornelii* familia, de qua idem Lucas [c]: προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. Qui αὐτοὶ erant *tota Cornelii familia*, explicante Petro [d]: Ὃς λαλήσει ῥήματα πρὸς σε ἐν οἷς σωθήσῃ, σὺ καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου.

Locus Act. XVI. 15. de *familia* Lydiæ *baptizata*.

VI. Cæterum, cum conſtet, per οἶκον intelligi τοὺς ἐν τῇ οἰκίᾳ πάντας omnes, qui in ædibus ſunt, qui familiam conſtituunt & efficiunt; familiam vero conſtituere *Patrem* & *Matrem* familiæ, *liberos*, majores, *minoreſque natu*, ſervos, ſervas, vernas, *ætate* majores etiam & *minores*: quis negare auſit, *hos omnes*, & horum in numero quoque *liberos minores natu baptizatos*

Collectio ex his locis facta cum reſpectu ad vim vocis *familiæ*.

 fuiſſe,

a Cap. XVI. 15. b Verſ. 31, 31, 33. c Cap. X. 48. Cap. XI. 14.

fuiſſe, quando Apoſtoli *integras familias baptizatas fuiſſe* ſcribunt? Vel enim dici deberet, *minorennes* ad familiam non pertinere: quod quiſque ſentit eſſe falſum; vel, ſi baptizata *Familia tota* dicitur, *minorennes* æque ac domeſticos alios *fuiſſe baptizatos*. quod veriſſimum judicamus. Quod ſi quis dicat, poſitum eſſe in incerto, num familiæ, quæ memoratæ ſunt in *Apoſtolorum Actis*, infantes habuerint: ſuffecerit regerere, phraſin, qua Scriptores Sacri in hoc negotio utuntur, nos eo ducere, ut probabiliter præſumere debeamus, in Familiis illis minorennes non defuiſſe. Probabilius enim eſt, Familiam, bene conſtitutam, infantes habere vel minorennes, quam non habere. Ut adeo ſi ad ſolam hiſtoriam Sacræ Scripturæ in hoc negotio recurramus: nos longe probabilius *Pædobaptiſmum* inde adſtruamus, quam Adverſarii eum negant.

Adſtructa collectio ex Ritu Baptizandorum Proſelytorum apud Hebræos, cum *minorennibus*.

VII. Mira autem & nova lux accedit hiſtoriæ Scripturæ ex Ritu Judaico, in *Baptizandis Proſelytis* recepto. Nimirum notum ſatis eſt, Rituum Judaicorum Scriptores paſſim tradere, Gentiles, olim florente Hebræorum Republica ad communionem Eccleſiæ Judaicæ admittendos, novæ illius Religionis profeſſioni fuiſſe initiatos per *Circumciſionem*, (ſi mares eſſent:) BAPTISMUM, & *Sacrificium*. Baptiſmum autem illi docent fuiſſe adminiſtratum erga quoſcunque *Proſelytos cujusque* ſexus, *ætatis*, & conditionis, hoc eſt, familias integras, Parentes, *liberos omnis ætatis*, etiam *infantes*, ſervos, ſervas. Certe *infantes* & *minorennes* apud Judæos *Baptizatos* fuiſſe in *Talmudico Codice*, Maimonide, & Rituum Scriptoribus aperte legere eſt.

Ritus probatur ex Hebræis.

Locus productus eſt à Ligtfooto[a] ex *Gemara Cetubboth*[b], eorum primus, quos hoc ad argumentum illuſtrandum, quod feliciter fecit, protulit Cl. Altingius[c]. גר קטן מטבילין אותו על דעת ב"ד מאי קמ"ל דזכות הוא לו וזכין לאדם שלא בפניו PROSELYTUM MINORENNEM *Baptizant ex ſententia Domus Judicii. Qui hoc? Ideo, quia beneficium illi fit. Fit vero beneficium etiam inſcio.* Gloſſa, quam adjecit, R. Salomonis evidentiſſima eſt: quam quiſque ex illo petere poteſt. Quæ alia verba addit ex *Cetubboth* notatu digniſſima ſunt. Adſcripſit præterea locum ex Maimonide[d], non

a Horeb. Heb. ad Matth. XXVIII. b Fol. II. I. c Diſſ. Philol. VII. §. XLVI. d Hilchoth *Melachim* Cap. X.

non minus clarum, qui me jam ante offenderat in Seldeno[a]: אם היה קטן בשהטבילוהו ב״ד יכול למחות בשעה שיגדיל ויהיה גר תושב בלבד וכיון שלא מחה בשעתו שוב אינו מוחה אלא הרי הוא גר צדק Seldeni hæc παράφραζις eſt: *At vero ſi modo eſſet* ILLE MINOR, *quando à Foro*, ſeu, *domo Judicii Baptizatus eſt* (id eſt, in Proſelytiſmum Juſtitiæ rite eſt receptus:) *potuit quidem renuntiare, ſimul ac majorem attigiſſet ætatem* (annorum tredecim & diei unici in maribus; duodecim cum die itidem unico in fœminis:) *& rurſus fieri proſelytus ſolum domicilii. Cæterum ſi tempore ſic præſcripto neutiquam renuntiaret, poſtmodum renuntiare ei non licuit, ſed manſit Proſelytus Juſtitiæ.* Subjicit alia ejuſdem argumenti ex ſequente Maimonidis contextu, quem piget deſcribere. Paria habentur in *Jore Dea*, hac de re, unde aliqua deſcripſit Cl. Altingius. Ibi inter alia ſignate quoque de jure Minorennis Baptizati, quo Proſelytiſmo ſuo nuntium mittere potuit, ſi ipſi Judaicæ vitæ conditio non placeret[b]: ובין קטן שגיירו אביו בין שגיירוהו בית דין יכול למחות כשיגדיל *Sive autem minorennis ductu* PATRIS *ſui, ſive ductu Senatu Triumviralis factus fuerit proſelytus, potuit renuntiare majorennis.* Quod ſi jam certum ſit, hos Ritus Baptizandorum Proſelytorum cum integris Familiis, *ipſis minorennibus non exceptis*, jam obtinuiſſe circa ætatem Domini: quod plurimi inter Doctos admodum probabile habent: neutiquam dubitari poteſt quin idem Ritus receptus fuerit in Baptiſmo Chriſtiano. Baptiſmum enim, ut à Chriſto & Apoſtolis adminiſtratus eſt, multa, & pleraque omnia, habere communia cum *Baptiſmo Proſelytorum*, jam eſt evictum à Doctiſſimis Viris, inter quos maximam laudem hic meruit Cl. Altingius.

Argumentum inde productum pro *Pædobaptiſmo Minorennium* apud Chriſtianos.

VIII. Roborat ſententiam noſtram conſideratio loci Paulini in *priore* ad Corinthios *Epiſtola*[c], quo *Baptiſmum Iſraëlitarum in Mari Rubro*, qui typum geſſit Baptiſmi Chriſtianorum, communem facit, ut vere fuit, omnibus Judæis, majorennibus, & minorennibus. *Nolim*, ait, *vos ignorare, fratres, Patres noſtros omnes ſub nube fuiſſe, & omnes per mare tranſiviſſe, & omnes in Moſen baptizatos eſſe nube & mari.* Comparat Paulus *Baptiſmum Iſraëlitarum Veterum*, quos in *nube* & *mari* Baptizatos

Idem amplius urgetur ex 1 Cor. x. 1. ubi generalis Iſraëlitarum, Baptiſmus proponitur ut typus Chriſtiani.

a *Syned.* Vet. Heb. Lib. II. Cap. III. §. II. b Hilchoth Gerim Cap. CCLXVIII. §. VII. c 1 Cor. x. 2.

tos fuiſſe dicit, cum *Baptiſmo Chriſtianorum*, ſicuti *cibum* eorum, hoc eſt, *cœleſtem panem* cum pane, quem nobis comedendum Chriſtus dedit, ut corporis ſui σύμβολον, in Dominica Cœna. Conſtat verò, *Baptiſmum Veterum Iſraëlitarum*, quem Apoſtolus noſtro ſimilem eſſe declarat, tam fuiſſe generalem, ut ſe ad Iſraëlitas omnes cujuſcunque *ſexus*, conditionis, & ætatis, puta Viros, mulieres, Juvenes, pueros, infantes, extenderit. Omnes enim illi per *algoſum mare* tranſierunt, omnes *nube cœleſti* tecti ſunt; quibus Apoſtolus eorum Baptiſmum conſtitiſſe aſſerit. Colligo igitur inde, *hunc quoque noſtrum Baptiſmum* ſimiliter Apoſtoli ætate adeo fuiſſe generalem, ut cujuſlibet ſexus & ætatis homines, non excluſis *infantibus*, illius facti fuerint participes, quos alibi per πάντας exprimit [a]: Καὶ γὰρ ἐν ἑνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες (*nos omnes*) εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν, εἴτε Ἰουδαῖοι, εἴτε Ἕλληνες, εἴτε δοῦλοι, εἴτε ἐλεύθεροι.

Subſidium etiam petitur ex Hiſtoria Eccleſiæ.

IX. Sed, obſecro, quid lucis huic *facto* affulget ex Hiſtoria Eccleſiæ? Sane enim ſi ex probatis antiquæ Eccleſiæ Doctoribus demonſtrari poſſet, Eccleſiam Chriſtianam primævam, quę proxime Apoſtolicam contingit, continuata ſucceſſione *Minorennes baptizaſſe*: magnum id haud dubie momentum adferret ad hanc diſputationem. Vident id Anabaptiſtæ, atque inde negant, morem infantum per Baptiſmum Chriſtianæ Religioni initiandorum in Eccleſia primæva obtinuiſſe. Noſtri contrarium arguunt, & ex monumentis antiquæ Eccleſiæ Pædobaptiſmi Conſuetudinem demonſtrare conantur. Calvinus [b]: *Quod autem apud ſimplicem vulgum diſſeminant, longam annorum ſeriem poſt Chriſti reſurrectionem præteriiſſe, quibus incognitus erat Pædobaptiſmus, in eo fœdiſſime mentiuntur, ſiquidem* NULLUS SCRIPTOR TAM VETUSTUS, *qui non ejus originem ad* APOSTOLICUM SECULUM *pro certo referat*. Bene habet. In *Operibus* Caſſandri eſt Tractatus de *Baptiſmo Infantum* adverſus Anabaptiſtas, in quo collegit *Teſtimonia Veterum Auctorum Eccleſiaſticorum* de hoc argumento, qui *intra trecentos circiter annos ab exceſſu Johannis Apoſtoli floruerunt*. Loca nempe Irenæi, Tertulliani, Origenis, & Cypriani, ibi comparent, deinceps quoque à Voſſio [c] & Forbeſio [d]

Baptiſmus, quo modo & quibus adminiſtratus ſit in Eccleſia Vetere?

a Cap. XII. 13. b Inſtit. Lib. III. Cap. XVI. c Diſput. Hiſt. de Pædobaptim.

beſio [a] in medium prolata, in quibus Pædobaptiſmi Ritus omnino ſupponitur. Et Origenes [b] quidem, ut nunc legitur latine verſus à Ruffino (non ab Hieronymo, ut Forbeſius:) exerte ſcribit, *Eccleſiam* AB APOSTOLIS TRADITIONEM *ſuſcepiſſe*, ETIAM PARVULIS BAPTISMUM DARE. *Sciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent.* Minor tamen hujus eſt teſtimonii auctoritas Origeniani hoc in caſu, quam alias eſſet, quod ſatis conſtet, Ruffinum non ea ſemper fide in Libris latine convertendis verſatum eſſe qua oportebat. Commentarios autem Origenis in Epiſtolam ad Romanos Græce nunc non habemus. Quid tamen illud eſt quod Ludovicus Vives, abſque dubitatione Vir Doctiſſimus, in Auguſtini Libros de *Civitate Dei* commentans, diſerte ſcribat, *neminem olim ſacro admotum eſſe baptiſterio, niſi ætate jam adulta?* Verba Auguſtini hæc erant [c]: *Quid igitur cauſſa eſt, cur in iis exhortationibus tempora conſumamus, quibus baptizatos alloquendo ſtudeamus accendere, ſive ad virginalem integritatem, ſive ad continentiam vidualem, ſive ad ipſam thori conjugalis fidem.* Ad quæ Vir ille eruditus: *Ne quis fallatur hoc loco;* NEMO OLIM SACRO ADMOVEBATUR BAPTISTERIO, NISI ADULTA JAM ÆTATE, *& cum idem ipſe & ſciret, quid ſibi myſtica illa vellet aqua, & ſe ablui ea peteret, nec ſemel peteret. Cujus rei imaginem adhuc in noſtris infantium baptiſmis videmus. Nam rogatur adhuc infans eo die natus, vel pridie, velitne Baptizari, idque ter.* Poſſunt tamen hæc, ut ut longis intervallis ab invicem diſtare videantur, quodammodo inter ſe componi. Nimirum vetus Eccleſia Chriſtiana à prima antiquitatis memoria poſt tempora Apoſtolorum paſſim ſic ſenſiſſe videtur, Baptiſmum omnibus poſt hanc vitam per gratiam Jeſu Chriſti ſervandis prorſus neceſſarium eſſe. More itaque receptum fuit in Eccleſia antiqua, ut, ſi infantes graviter laborarent & forte immineret mortis periculum, vel, ſi Parentes ſingulari cura affecti eſſent erga liberorum ſuorum ſalutem, infantes, ſive minorennes, Epiſcopo baptizandos offerrent. quæ cauſſæ ſi eos non urgerent, ſatius putarunt & magis è re minoren-

Origenis teſtimonium hac in re.

Verba Lud. Vives adducta & commoda interpretatione adjuta.

Et conſuetudo Pædobaptiſmi in prima Eccleſia declarata.

a Inſtruct. Hiſt. Theol. Lib. x. Cap. v. §. XVII. b Com. in Epiſt. ad Rom. Cap. VI. 5, 6, 7. c Lib. I. de Civ. Dei Cap. XXVII.

rennium, ut eorum baptiſmus differretur uſque quo perveniſſent ad ætatem magis provectam. quę conſuetudo Auguſtini ætate nondum fuit abolita, licet ille neceſſitatem Baptiſmi, dum Gratiam adverſus Pelagium pro virili tuebatur, vehementer urgeret. Sic itaque intelligendus erit Origenes, ex Apoſtolica traditione *licere ut infantes baptizentur*; atque inde à temporibus Apoſtolorum, *data occaſione*, & urgente caſu, illos baptizari ſolitos eſſe. quod nobis in diſputatione adverſus Anabaptiſtas prorſus videtur ſufficere. Qui enim adverſus Anabaptiſtas hoc in negotio, ex mea quidem ſententia, prudenter diſputabit, ſtatum controverſiæ non figet in hunc modum, an *infantes Chriſtianis editi Parentibus neceſſario debeant baptizari?* ſed, *an eos ſecundum diſciplinam Chriſtianam baptizare liceat?* ſive, *an quid vitii ſit in Ritu baptizandorum infantum?* Ego adverſus Anabaptiſtas nihil in hoc ritu vitii ineſſe contendo: ut illi exiſtimant: & primævam Eccleſiam Apoſtolicam in cauſſæ meæ patrocinium adſciſco, quę infantes nullo caſu aut occaſione baptizari permiſiſſet, ſi ea fuiſſet opinione, qua nunc ſunt Pædobaptiſmi Adverſarii, Pædobaptiſmum cum ratione & principiis Chriſtianiſmi pugnare.

Status verus controverſiæ inter nos & Mennonis ſectatores.

X. Rationes vero, ob quas dilatus vulgo Baptiſmus eſt in Veteri Eccleſia ad annos *adoleſcentiæ* & *juventutis*, peti poſſe judico ex conſtitutione Eccleſiæ illius temporis. Quandoquidem enim illa non raras *perſecutiones* & *afflictiones* ſuſtinuit poſt Apoſtolorum ævum: per has factum videtur ſæpe numero, ut occaſio baptizandi & infantes ad baptiſmum offerendi commoda ſemper Parentibus non obvenerit: Cum vero nullibi in Præceptis Chriſti aut Apoſtolorum præſcriptus eſſet certus temporis terminus, intra quem adminiſtrandus ſit baptiſmus, ut olim circumciſioni; non ita ſtudioſe quoque Parentes *Baptiſmum* minorennium affectarunt, quia viderunt eum non niſi cum cura, labore, & ſolicitudine adminiſtrari poſſe in tenera illa ætate. Sed & aliud erat, quod idem ſuaſit. Intererat primæ Eccleſiæ, eos, qui ſuam communionem profitebantur, quovis modo conſtringere & obligare ad conſtantiam in fide, cum omni die imminerent novæ perſecutiones. Fieri vero hoc poterat ea ratione, ut primo nullos reciperet in gremium ſuum, niſi bene

Rationes, quare baptiſmus in Vet. Eccleſia paſſim dilatus eſt ad annos adoleſcentiæ & juventutis.

Baptiſmus majorenni-um validius

ne eruditos, & de veritate, quam profiterentur, probe perſuaſos; dein eos ad conſtantiam non modo verbis hortarentur, ſed & externis ritibus ſymbolicis adſtringerent. Utrumque multo fiebat efficacius in *baptiſmo*, quo viri, juvenes, & adoleſcentes, quibus ſuarum actionum arbitrium eſt, Eccleſiæ adſcribuntur, quam *infantes*. Etenim, qui *infantes* baptizantur, ſæpe negliguntur à Parentibus, neque cognitione myſteriorum fidei neceſſaria imbuuntur. unde nec *adultis* tanta religionis cura eſt. Sed & infantes, cura Parentum ſuorum baptizati, ſi ad adultam provecti ætatem Religioni Chriſtianæ forte renuntient, crimini ſuo hanc prætexere poſſunt ſpeciem, quod voluntati Parentum ſuorum nunquam conſenſerint. eſſe autem ſe, ad majorem ætatem provectos, arbitros Religionis quam ſint profeſſuri. Neutrum vero obtinet in adulto, qui poſt κατήχησιν & ſolennem Fidei ſuæ profeſſionem baptizatur. quod in Eccleſia Veteri fiebat.

censetur obligare baptizatos quam Minorennium.

Porro diſputati incipit de *Jure*, in quo fundatus eſt Pædobaptiſmus.

XI. Pro *Facto* hactenus ex hiſtoria probabiliter diſputavimus. Videndum nunc de *Fundamento Juris*, cui Pædobaptiſmus ſuperſtrui poſſit. Anabaptiſtæ ajunt magna cum ſpecie rationis, ad infantes ſecundum noſtram ſententiam nullam redundare utilitatem, nullum fructum ex *Baptiſmo* illo *ſuo*. Baptiſmum enim ſecundum noſtram ſententiam ipſam gratiam Dei in baptizatos non conferre, ſed eam obſignare in illis ſubjectis, quæ gratiam Chriſti jam adepta ſunt. Veteris Eccleſiæ Doctores paſſim opinabantur, per Baptiſmum ipſam gratiam regenerationis conferri baptizatis. Illi itaque merito baptiſmum in ipſis infantibus quoque ad ſalutem urgebant. Sed quid prodeſt Baptiſmus infantibus ſecundum noſtram ſententiam, qui gratiam Divinam non confert ſed obſignat, cum infantes illam gratiam ſibi obſignari non intelligant? Nemo negare poteſt, hanc difficultatem non eſſe ex leviſſimis. Videamus quid ad eam expediendam noſtri adferre ſoleant; & ſolent ſane varii varia.

Anabaptiſtarum contra eam rationem.

XII. Sunt qui dicunt, infantes, ſi in præſentia ex baptiſmo illo ſuo nullum forte perciperent emolumentum; perciperetamen utilitatem maximam, quam primum per rationem tanti ſe beneficii in infantia potitos fuiſſe intelligunt. Cum enim Deus illos ſibi jam conſecratos voluerit in infantia per baptiſmum:

Quomodo à quibuſdam noſtratum partium ad eas reſpondeatur?

mum: inde ipſos validiſſime obligari ad Deum in Chriſto ſincere colendum, & illi per totam vitam adhærendum. Conſolationi quoque ipſis poſtliminio eſſe, quod expendant, ſe jam ab utero matris in Deum eſſe conjectos: nec minus id conſolationi eſſe piis Parentibus, quod infantes ſuos tenera ætate quaſi per πρόληψιν Chriſto Jeſu devotos videant. Addunt denique paſſim, hoc beneficium redundare ad infantes ex ſuo illo Baptiſmo, quod illi tenera ætate jam adſciſcantur in *communionem* Eccleſiæ, ſi non *internam*, ſaltem *externam*, in qua adoleſcentes multis gaudent prærogativis. quibus Gentiles & profani homines, qui extra communionem ſanctorum vivunt, deſtituuntur.

Hypotheſis *Fœderis Gratiæ externi*, & *interni* ſub OEcon. N. ex qua multi Pædobaptiſmum defendunt.

XIII. Nempe ſolent Theologi, qui *Pædobaptiſmum* urgent, communiter ſupponere *Fœdus gratiæ internum* & *externum*. *Interni fœderis* participes tantum eſſe volunt *fideles*; externi etiam *infideles* & *reprobos*, qui *externe* nomina ſua dant Eccleſiæ. Ad *externum* hoc *fœdus* etiam pertinere adminiſtrationem Sacramentorum. quæ ſint veluti ſymbola & teſſeræ, ex quibus Chriſtiani à Gentilibus & Profanis diſcernantur. Eos, qui ad externum hoc fœdus gratiæ admiſſi ſunt, hac gaudere prærogativa, quod & ipſi & liberi ipſorum *ſancti ſunt*; ut adeo *liberi* ipſorum poſſint *baptizari*, & contra *infidelium liberi* baptiſmo debeant excludi. Sic Eſſenius[a], ſic Belgæ Interpretes[b], aliique noſtrarum partium Doctores non pauci.

Quæ ſigillatim diſcutiuntur, & ſubjiciuntur examini.

XIV. Verum etſi multa horum pie dicantur & orationis aliqua ſpecie ornentur, & commendentur: non tamen ex æquo videntur ſatisfacere difficultati propoſitæ, ſi rigido ſubjiciantur examini. Si enim infantes in præſenti nullum ex baptiſmo emolumentum percipiant notabile, quare non potius eorum baptiſmus in adultam ætatem differtur: cum dilatio Baptiſmi ad ætatem magis provectam certos videatur habere & præſtantes uſus? Si dicas, poſtliminio ipſos intelligere, ſe jam tenera ætate Chriſto Jeſu fuiſſe devotos conſecratosque, atque eo ſe fortius obligari ad fidem Chriſto Jeſu in baptiſmo datam liberandam: bene quidem id haberet, ſi obligatio, qua Chriſto in Baptiſmo quocunque tempore obſtringimur, non eſſet maxima & fortiſſima: ut vere eſt. Vinculum fœderale, quo Chriſto Jeſu in bap-

a Compend. Dogm. Cap. XI. §. VI. b Not. ad I Cor. VII. 14.

in baptiſmo unimur, nos ſemper validiſſime conſtringit ad officium, nobis in baptiſmo propoſitum, etiamſi temporis, quo baptiſmum admiſimus, nulla habeatur ratio. Quod porro de Conſolatione additur, qua Parentes Chriſtiani afficiuntur, quod liberos ſuos tenera illa ætate in Chriſtum conjectos videant: id recte ſane atque ordine diceretur, ſi Viri illi Docti vere exiſtimarent, infantes per baptiſmum alicujus *beneficii ſpiritualis* compotes evadere. verum illi ſententiam ſuam ita interpretantur, quod infantes per baptiſmum ſolummodo admittantur ad *Fœdus Gratiæ externum*, ſive *externam Communionem Eccleſiæ*, ut Baptiſmo veluti quadam nota & teſſera à profanis & Gentilibus, qui extra communionem Eccleſiæ vivunt, diſcernerentur, & communium beneficiorum gratiæ conſortes fierent. Ego vero non nego, magni beneficii loco habendum eſſe inter Chriſtianos naſci, & educari, & ad ſacra Chriſtianorum jure quodam communionis Chriſtianorum admitti: ſed ſcire velim, quid infantes, non baptizati, qui inter Chriſtianos naſcuntur & à Parentibus Chriſtianis educantur, hic minus habeant quam baptizati? Fores enim Templorum noſtrorum omnibus patent, & ne Gentiles vel profani quidem à publicis ſacris apud nos arcentur. Quid igitur baptizati, ſi externam Eccleſiæ communionem ſpectes, majore hic & ampliore gaudent prærogativa, quam qui hactenus per Baptiſmum in album Chriſtianorum non ſunt relati? Fœdus autem Eccleſiæ externum infantem non plus ſervabit, quam profanum aut Gentilem. Viam ſternere poteſt ad ſalutem: ipſam ſalutem non conferre. Sed quod caput rei eſt: non exiſtimo, *dari ejuſmodi aliquod Fœdus externum ſub OEconomia Nova*, quale Viri Docti Pædobaptiſmo ſubſternere ſolent fundamentum. eſtque hæc digna materies, in quam nos paulo latius diffundamus.

Dubia aliqua adverſus hypotheſin illam inferuntur.

Sed præcipue tota hypotheſis de *Fœdere externo* ſub OEcon. N. convellitur.

XV. Nempe cum materia omnis Fœderis, quod Deus cum homine init, abſolvatur *Præceptis* & *Promiſſis*: velim dicatur ab iis, qui hanc ſententiam proponunt, quid Deus in Fœdere gratiæ externo *ſtipuletur*, quid *præcipiat*, quid *promittat*, quænam ſint *conditiones*, quænam *bona* Fœderis illius gratiæ externi, quod memorant: cum his totum fœdus quod ad materiam ſuam abſolvatur? Sane tabulis N.T. non exprimitur aliud *præceptum*,

Prima ratio deſumitur à *Præceptis* & *Promiſſis* Fœd. ſub OEcon. N. quæ interna & ſpiritualia ſunt.

Quod ex ipſa ſtipulatione Fœd. Gratiæ oſtenditur.

quam hujus ſummæ: Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, CREDE IN DOMINUM JESUM: neque alia *præcepto Fœderis* adjungitur *promiſſio*, quam quę latet in verbis [a]: Καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου ET SERVABERIS TU ET DOMUS TUA. *Fidem* vero quando Deus ſtipulatur ab homine, ſimul quidem poſtulat *profeſſionem oris*, ſed non aliam niſi quę conjuncta ſit cum *animi* & *conſcientiæ* bonæ *adſtipulatione*, quam Sp. S. appellat אמת בטחות *veritatem in renibus*: h. e. *in interioribus*. אהבה *amorem* [b]. לב חרש *cor novum*. רוח חרשה *Spiritum novum* [c]. לב בשר *cor carneum*. *puritatem cordis*. (unde בר לבב Pſ. XXIV. 4. & καθαρὸς τῇ καρδίᾳ. Matth. V. 8.) ἀληθινὴν καρδίαν *cor verum*, hoc eſt, non fucatum [d]. καλὴν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν *bonam conſcientiam* [e]. ὁμολογίαν *adſtipulationem* [f]. ὑποταγὴν τῆς ὁμολογίας εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ *ſubjectionem noſtræ adſtipulationis ad*

Cujus ſumma *Fides* eſt, affectus ſpiritualis.

Evangelium Chriſti [g]. ἐπίγνωσιν *agnitionem* [h]. *Fides* itaque, quam Deus ſtipulatur quando Fœdus init cum peccatore ſub OEconomia Nova, ſedem ſuam habet in *animo* peccatoris, unde & μετάνοια *reſipiſcentia* vocatur. *Profeſſionem fidei*, quę ore & factis fit, non ſtipulatur Deus, niſi ab illis, qui *vere credunt*. Neque enim στόματι ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν, niſi quando τῇ καρδίᾳ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην [i]. Fieri etiam non poteſt, ut qui in *Chriſtum credit*, Chriſti nomen non profiteatur, & operibus ac diſciplina vitæ ſuæ, h. e. ſtudio veræ virtutis, *ſe Chriſti eſſe*, non ſignificet, quia vera *fides* ſe per *charitatem* exerit. Cum igitur nullum aliud *præceptum* Fœderis Novi detur quam illud *fidei* & *reſipiſcentiæ*: colligimus inde, Fœdus, quod Deus pangit cum homine miſero ſub OEconomia Nova, ſecundum hanc partem eſſe *internum*, ſi ita loqui amas, & *ſpirituale*.

Et ex ejuſdem Fœd. *promiſſis*, quæ *ſpiritualia* & interna ſunt evincitur.

Locus Jer. XXXI. 32, 33.

XVI. Sed quia *Sacramenta* maxime reſpiciunt *Promiſſiones Fœderis*, cujus ſolent eſſe appendices & ſigilla: videre licet, an eadem natura *Promiſſionum fœderis*, quę *Præcepti*, ſit. Promiſſiones autem omnes *Fœderis Novi* nobis proponuntur apud *Jeremiam*, noto & celebri loco, in hunc modum [k]: *Nam hoc erit* ברית FOEDUS (capitur illa vox ſubinde pro *promiſſionibus fœderis*, qui-

a Act. XVI. 31. Marc. I. 15. Act. II. 38. b Deut. VI. 5. c Ezech. XXXVI. 27. d Heb. X. 22. e 1 Pet. III. 21. f Heb. XII. 1. g 2 Cor. IX. 13. h Col. III. 10. i Rom. X. 10. k Cap. XXXI, 33. Confer Heb. VIII. 10, 11, 12. 2 Cor. VI. 18.

quibus *fœdus gratiæ*, cum ex *Teſtamento* ſit, totum fere conſtat:) *quod pangam cum domo Iſraël poſt dies illos, dicit Jehova; Ponam Legem meam in medio illorum* (h.e. Faciam, ut me *ament*, id eſt, in me *credant*, quia *fides* in Veteri Teſtamento ſub notione *amoris* proponitur:) *& in corde eorum inſcribam eam, & ero ipſis in Deum, & illi mihi erunt in populum. Et non docebit amplius quiſque proximum ſuum & quiſque fratrem ſuum, dicendo; Cognoſcite Jehovam: nam omnes me cognoſcent à parvis eorum uſque ad magnos eorum, dicit Jehova. ſiquidem propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum non recordabor amplius.* Eædem promiſſiones apud *Ezechielem* repetuntur. Apoſtolus *ea bona* vocat δικαιοσύνην, εἰρήνην, & χαρὰν διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος [a]. Phraſes aliæ multæ, his ſimiles, occurrunt in *Moſe* & *Prophetis*, quas prætcrimus. Scilicet evidentiſſimum eſt ex hoc loco *Jeremiæ*, quo *omnia* dixi Fœderis Novi *bona* comprehendi, omnes promiſſiones Novi Fœderis eſſe Bonorum ſpiritualium. *Scriptio Legis in corde, Deum habere pro Deo ſuo, abundantia ſcientiæ rerum divinarum,* ἄφεσις *peccatorum*, atque hinc nata *libertas* ab omni *ſervitutis* genere, ejuſmodi ſunt, quę ad meliorem hominis partem pertinent, quę ſpiritualium, cœleſtium, & permanentium bonorum capax eſt. Inde Apoſtolus *promiſſa Novi Fœderis præſtantiora* ait *promiſſis priſci fœderis* [b], quia *ſpirituale* & *æternum*, qualia erant τὰ τῆς καινῆς Διαθήκης ἐπαγγέλματα, *corporali* & *perituro* præſtat. Neque aliud Deum *ſublato peccato* decebat. Cum enim ipſe *Spiritus* ſit, neque coli poſſit & velit ab homine niſi ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ *in Spiritu & Veritate*, hoc eſt, communionem cum homine exercere non poſſit, niſi *ſpiritualem*: congruens erat ejus ad hominem χάριν, peccato abolito, *præcepta ſpiritualia* præſcribere, & bonorum ſpiritualium promiſſa proponere, quibuſcum per fœdus communionem exercere cuperet. Si itaque neque *Præcepta Fœderis Novi*, neque *Promiſſa*, quę naturam Fœderis à parte Dei conſtituunt, alia ſint, quam ſpiritualia, & ſpiritualium Bonorum: non video aliud fœdus locum habere ſub OEconomia Nova, quam *internum*, in cujus communione nulli ſint quam *veri fideles*, quorum animis Lex Divina inſculpta eſt, hoc eſt, quo-

Urgetur locus ad adſtruendam hypotheſin.

Idque conveniebat OEconomiæ Novæ, Vetere perfectiori.

Tt 2

a Rom. XIV. 17. b Heb. VIII. 6.

quorum ſpiritus per Spiritum Dei ad amorem Dei in Chriſto excitatur.

Idem probatur ex *Sacramentis* N. F. quippe quæ obſignent bona ſpiritualia.
Oſtenditur id de *Baptiſmo*.

XVII. Sacramenta Novi Fœderis idem evincunt, quippe quę illius ſunt naturæ, ut nihil obſignent, niſi quod *ſpirituale* eſt, neque ullis aliis proficiant, quam *iis*, *qui vere in Chriſtum Jeſum credunt*. Quid *Baptiſmus* ſignificet & obſignet, tradit Paulus in *Epiſtola* ad *Romanos* elegante dicto [a]: *Conſepulti ſumus ei per Baptiſmum in mortem: ut ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis ad gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus. Nam ſi una planta cum eo facti ſumus aſſimilatione mortis ejus, erimus etiam* aſ-

Ejus ſignificatio myſtico.

ſimilatione *reſurrectionis*. Notat itaque & obſignat Baptiſmus mortem corporis peccati, & reſurrectionem ex ea morte, quę partim hac in vita fit, partim fiet in futura reſurrectione, eamque vi *mortis* & *reſurrectionis* Chriſti. Hoc totam abſolvit natu-

Et *Cœna Domini*.

ram Baptiſmi. Per *eſum* panis & *potum* vini in Dominica Cœna repræſentatur & obſignatur nobis communio cum *morte* & *obedientia* Chriſti, tanquam cauſſa *æternæ vitæ* & *lætitiæ*. Id eſt

Ejus myſterium.

φαγεῖν τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίνειν τὸ αἷμα αὐτοῦ [b]. Nihil hic offendis, quod non ſit *ſpirituale*. Unde rurſus evinco, *Fœdus gratiæ* aliud non eſſe poſt peccatum in cruce Chriſti expunctum quam *internum* & *ſpirituale*, quia Sacramenta Fœderis nihil ſi-

Collectio inde facta.

gnificant & obſignant, niſi quod *ſpirituale* eſt. Cujus rei conſequens eſt, quod Sacramenta nemini proſint, & nemo etiam jus habeat illis utendi fruendique quam *veri Credentes*, qui mentem poſſident fide ſanctificatam. Quanti criminis ſit *non credenti* tangere ſacra hæc μυστήρια, Paulus indicat Corinthiis in eadem hac Epiſtola [c], ubi ait, *reum eſſe corporis & ſanguinis Domini*, qui ἀναξίως INDIGNE *de pane ille comedat*, & *poculo illo bibat*.

Idemque evictum ex uſu Sacramentorum.

Hoc eſt, habetur, ac ſi vilipendat caram illam & pretioſam Chriſti obedientiam, abſque qua peccatori nulla ſalus. Mox addit: Κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει. De *Baptiſmo* Veteres acceperunt locum, qui eſt in Epiſtola ad Hebræos cap. VI. 5, 6. Si igitur Sacramenta aliis non *competant*, quam vere credentibus; ſi quoque nullis *proficiant*, quam vere credentibus: quæ ratio eſt ſtatuendi *Fœdus*, ſive *communionem Fœderis externam*, ad quam pertineat

a Cap. VI. 4, 5, 6. b Joh. VI. 53, 54. 1 Cor. XI. 23, 24, 25. c Cap. XI. 27.

tineat adminiſtratio Sacramentorum, cum *Sacramentorum* adminiſtratio præſupponat *fidem*, quæ fœderis interni conditio eſt? Cadit itaque totum hoc *fœdus externum*, cadunt quoque omnes illius *prærogativæ*, quales quales fingantur, & inter eas etiam *Baptiſmus infantium*, ſi is, uti vulgo putatur, hoc ex fonte derivandus ſit.

Diverſa conditio Eccleſiæ ſub Oecon. Vet. ubi Fœdus externum locum habebat.

XVIII. Fateor equidem, Fœdus aliquod *externum* & *carnale* locum habuiſſe ſub OEconomia Vetere, præter *Fœdus internum* & *ſpirituale*, quod ſub eadem illa OEconomia vigebat. Nec nego, Circumciſionem, Paſcha, & Sacrificia Legalia illi Fœderi pro Sacramentis inſerviiſſe. Sed ad animum revocari velim, aliam longe fuiſſe conditionem antiqui quæ recentioris temporis. Carnalia omnia & externa (hoc eſt, mere carnalia & externa:) in Religione, ut celebratur ſub OEconomia Nova, ſunt abolita. Nihil ibi reſtat niſi πνεῦμα καὶ ἀλήθεια Spiritus & Veritas. Fœdus, quod Deus nunc pangit cum homine miſero, merum eſt *ſpirituale*. nihil nunc cognoſcitur, judicatur, & æſtimatur κατὰ σάρκα *ſecundum carnem*.

Conſequens negati Fœd. externi in diſputatione contra Anabaptiſtas.

XIX. Quæ ſi ita habeant & ſecundum veri normam à nobis diſputata videantur: vel concedendum erit Anabaptiſtis, exiguum admodum fructum & utilitatem ab infantibus ex baptiſmo ſuo percipi: quod abſque diſpendio cauſſæ noſtræ ipſis concedi nequit: vel certior aliquis fructus & major utilitas Pædobaptiſmi nobis erit ex alio principio commonſtranda. Poſterius nos eligimus, ut qui cauſſam Eccleſiæ noſtræ in hac diſputatione non ſtudemus prodere, ſed pro virili juvare atque defendere.

Aliud Fundamentum Pædobaptiſmi; communio minorennium cum Parentibus reſpectu ſtatus ſui ſpiritualis, quippe in Parentibus cenſentur.

XX. Ego itaque cenſeo, ſimpliciter & abſque circuitu dici poſſe, infantes & minorennes, ſatos Parentibus vere in Chriſtum credentibus, quandiu rationis ſuę adminiſtrandę incapaces ſunt, in *Parentibus ſuis*, vel in *Eccleſia Credentium*, in cujus communione Parentes ipſorum hactenus vixerunt, cenſeri, atque adeo jure de iis præſumi, quandiu contrarium non liquet, eos Divinæ Gratiæ conſortes, & inter membra myſtici corporis Chriſti reputandos eſſe. Quod ſi admittatur: quis iis negabit Sacramentum Gratiæ, quo communioni Sanctorum initientur, modo id Sacramentum illius ſit naturæ, ut illius recipiendi ca-

paces ſint? cujus ſane naturæ eſt Baptiſmus. Utique, ſi forte liberi noſtri infantes ex hac vita excedant; ſperamus illos per Chriſtum Jeſum ſervatum iri. Idem vero non audemus ſperare de liberis infantibus Gentilium. Et tamen certo ſcimus, neminem ſervari abſque *Gratia Chriſti*, tam externa *Remiſſionis Peccatorum* quam interna *Renovationis mentis per Spiritum Sanctum.* Si igitur ſperare audeamus, illos Gratiæ Chriſti participes evaſiſſe, & per illam Chriſti Jeſu gratiam ſervatum iri: qua ratione inducti hanc de iis ſpem concipimus, quam non audemus concipere de liberis minorennibus Gentilium? Non video certe aliam hic dari vel concipi poſſe rationem illius noſtræ ſpei, quam quod Parentibus editi ſint Chriſtianis, in Chriſtum credentibus, qui ſunt in communione ſanctorum. quorum Parentum cum ipſi cenſeantur eſſe veluti partes & membra: ſumma cum ratione præſumimus, Deum illos in Parentibus, & Eccleſia illa Sanctorum, in cujus communione Parentes vivunt, cenſere, atque adeo illos tam Gratiæ in hac vita quam Gloriæ poſt hanc vitam conſortes reddere. quod idem non præſumimus de Gentilium liberis minorennibus, quia nulla eſt & nobis patet ratio, quare Deus gratiam in liberos conferret quam Parentibus negat. Quod ſi igitur jure & cum ratione præſumamus, *Liberos Credentium Parentum*, quandiu ætate minores ſunt, *in Parentibus ſuis cenſeri:* quo rationis prætextu iis negabimus illud *Gratia Sacramentum*, cujus recipiendi capaces ſunt? Utique ſi ſalutem illorum ſperamus & præſumamus, oportet iis adjudicemus gratiam: ſi gratiam habeant, ratio nulla eſt quare Sacramentum iis negetur, quod ad illam gratiam obſignandam à Domino ordinatum eſt. cujusmodi Sacramentum eſt *Baptiſmus*, quod infantes *patiendo* accipere poſſunt.

Spes credentium in Chriſtum de ſalute infantium, qui minorennes decedunt, in hac communione fundata.

XXI. Imo forte dicat aliquis, *Sacramentum Baptiſmi* non tantum recipi *patiendo*, quia ab iis qui Baptizandi ſunt in Chriſtum, requiritur tum fides, tum fidei publica & ſolennis profeſſio. quorum neutrum cadit in infantes aut minorennes. Ego vero non nego, ab iis omnibus, qui per baptiſmum Eccleſiæ ſunt initiandi, exigi *fidem*, & *fidei profeſſionem publicam*, quorum infantes capaces non ſunt; & tamen ſtatuo non poſſe aut debere à Baptiſmo ſecludi, quia, etiamſi ipſi per ſe præſtare nondum queant

Objectioni quæ infertur adverſus hanc ſententiam ex *fide & fidei confeſſione*, quæ qualitates in Baptiſmo ſupponuntur, occurritur.

queant actum fidei ob imbecillitatem ingenii, & multo minus illam fidem profiteri & propoſitioni Fœderis Gratiæ adſtipulari: agere tamen id poſſunt per Parentes, in quibus à Deo cenſentur. Sic itaque rem totam licebit digerere. Propoſitio Fœderis gratiæ in illius οἰκονομίᾳ, quæ nunc obtinet, in genere & promiſcue dirigitur ad omnes, abſque ullo diſcrimine. Proponitur à Miniſtris Novi Fœderis, Jeſum eſſe Chriſtum, eumque unicum eſſe Servatorem mundi; unicum nomen, quod ſub cœlo datum ſit; unicam viam, qua homo miſer pervenire queat ad communionem Dei. Hæc vero an ad *infantes* non æque attinent ac ad *adultos*? An non *infantes* in *Adamo* mortui *Servatore* indigent? Si vero *indigeant*, an hæc propoſitio non illos æque ſpectabit ac *adultos*? Sane *gratia* Dei omnibus in Adamo lapſis annunciatur. quorum numero cum excludi nequeant *infantes*, neque iis neganda eſt annunciatio gratiæ divinæ, ni eos ponere velimus in ſtatu miſerrimo. Proponitur itaque hæc *gratia* infantibus, licet eam propoſitionem nec audiant nec intelligant. fere eadem ratione quam ex hoc ſimili intelliges. Finge tibi urbem rebellem vi captam, & jure belli ultimi ſupplicii ream. Minorennes, quos habet urbs, Parentum ſuorum inobedientiæ & rebellioni minime conſenſerunt; conſenſiſſe tamen habentur, quia univerſitatis Civium membra fuerunt. Fac porro, Imperatorem pacem & amicitiam urbi ſic devotę offerre. Infantes neque audiunt neque intelligunt hunc pacis & amicitię nuncium: neque tamen minus ad ipſos hæc propoſitio pertinet, quam ad adultos, quia æque ac adulti illius fructu gaudent. Habentur itaque & infantes æque conſentire (ὁμολογεῖν) Imperatori pacem offerenti ac adulti, quia pariter cum adultis gaudent fructibus conſenſus & ὁμολογίας. Hoc κατὰ πόδα velim conferas cum eo, quod Deus agit cum peccatorum univerſitate, qui in Adamo omnes rebellionis ergo mortis rei ſunt. Proponi facit gratiæ fœdus toti peccatorum univerſitati. Quia vero & infantes ad eam pertinent: pertinet quoque ad eos propoſitio fœderis. Sed & illi, quibus proponitur fœdus, habentur poſſe ὁμολογεῖν. aliàs enim fruſtra proponeretur fœdus. Infantes igitur debent poſſe ὁμολογεῖν, niſi vel non proponi ipſis fœdus, quod abſurdum dictu, vel fruſtra proponi ſtatuere velis. Tu vero ais, non poſſe,

Propoſitio F. Gratiæ, quæ fit in Evangelio, infantes æque ſpectat ac adultos.

Et cenſentur poſſe ὁμολογεῖν, ſi non per ſe, utique per Parentes.

ſe, quia non credunt; ego ajo, poſſe, licet actu non credant. Poſſunt autem ORE PARENTUM SUORUM, quorum *ὁμολογία infantum ὁμολογία* habetur, donec illi pervenerint ad annos *διακρίσεως καλȣ͂ τε καὶ κακȣ͂*. Parentes igitur quando pro ſe reſpondent, ſimul etiam pro liberis ſuis infantibus reſpondere habentur, quia illis providere, & quantum in ſe eſt, eorum conſervationi omni ex parte operam navare tenentur. † Conſentiendi vero jus habent, quia tantæ neceſſitatis eſt *conſentire*, ut infans abſque eo ſalvus eſſe nequeat; & quia habetur ipſe infans in id conſenſurus, ſi bonum, quod proponitur, rite perciperet; imo quia habetur infans, quando ad juſtam pervenerit ætatem, in id debere conſentire, ni ſe perditum velit. quod non præſumitur. De omni enim adulto præſumimus, ſuam ſalutem etiam tum voluiſſe, quando *infans* fuit. Proponitur itaque Fœdus infantibus in Parentibus ſuis, quibuſcum unum corpus efficiunt. In Parentibus ſuis audiunt fœdus, *adſtipulantur fœderi*, amen reſpondent Deo, & quæ cætera huc pertinent.

Unde facile colligitur, infantibus competere poſſe Sacramentum Fœderis *paſſivum*, cujus capaces ſunt.

XXII. Hanc ſententiam vero qui mihi conceſſerit, non videtur poſſe negare, Infantibus competere Sacramenta Fœderis, quorum haberi poſſunt capaces. Sacramenta enim cum ſigilla ſint, Fœderi annexa: ad eos pertinent, qui membra ſunt fœderis. Cum itaque *infantes* ore Parentum ſuorum ſe teſtentur *credere*, vel ſe teſtentur membra eſſe Eccleſiæ, & velle Chriſtum, ut Servatorem, accipere; non poſſunt ipſis negari *Sacramenta*, quorum uſum tenera ætas patitur. Patitur vero ætas eorum id Sacramentum Novi Fœderis, quod in *παθήματι paſſione* conſiſtit, quale nunc eſt *Baptiſmus*, & olim fuit *Circumciſio*. ad quem ritum abſolvendum quæ requiruntur, præſtantur *illa*, & commode præſtari poſſunt à Parentibus, qui hactenus illorum locum & vicem ſuſtinent. Omnia jam facilia. Nullum proponi-

De Rep. Heb. Lib. III. Cap. IX.

† Non abſurdi ingenii vir fuit Cunæus, qui in alia aliqua hypotheſi adſtruenda verſatus, ſic alibi ſcripſit: *Et vero, qui hoc diceret, nihil faceret inſolenter, ſiquidem etiam bene eſſe illis infantibus exiſtimamus, quorum naſcentia fata mors abrumpit in vitæ limine. valet enim illis ad ſalutem pietas Parentum, uſque adeo certe, uti divus Paulus dicat liberos, qui nati ex altero parente impio ſunt, ſanctos tamen eſſe propter alterius fidem.*

ponitur *fœdus gratiæ* ſub N.T. quam *internum*. Flagitat Deus *fidem* à peccatore; *promittit* ſuam communionem in gratia. Propoſitio hæc pertinet ad *infantes* æque ac ad *adultos*, quia toti fit univerſitati peccatorum. Placuit jam Deo *interni* hujus *fœderis* promiſſiones obſignare certis ritibus. Ad id vero, ut quis jure iis ſigillis fruendi gaudeat, requiritur, *ut externa voce ſe profiteatur credere*; quę eſt *fœderis interni* conditio. Infantes, quia promiſſiones fœderis maxime conducunt ipſorum ſaluti & commodo, habentur putanturque lubenter adſtipulari cum cæteris, qui ad univerſitatem pertinent. Semper enim de homine præſumimus, *ſalutem ſuam* velle. Hoc tantum requiritur, ut *vox externa* adſit, qua cæteris fœderatis ſignificent, *ſe credere*. Quia vero habentur hoc certiſſime profeſſuri, ſi ora ſua regere poſſent: à Parentibus ſuis os veluti mutuantur, quo id declarent, uſque ad illud tempus quo id ipſi profiteri poſſunt. Neque dicere juvat, ſciri non poſſe, an infans crediturus ſit, & profeſſioni Parentum ſuorum renunciaturus, quando ad juſtam pervenerit ætatem: quia neque ſciri poteſt, an adultus, qui *ſe credere* profitetur, vere credat & poſtmodum fidei ſuæ renunciaturus ſit. Sufficit, nos poſſe præſumere, infantem non renunciaturum, quia præſumitur ſuam ſalutem velle. Sicuti præſumimus, quemque qui ſe dicit *credere*, *vere* etiam *credere*, quia Deus alia ſigna nobis non dedit certiora, unde animum proximi cognoſcere licet, quam ex *dictis*. Unde illi omnes, qui dicunt, *ſe credere*, & faciunt, quæ *credentem* facere par eſt, à nobis pro membris Fœderis interni haberi debent, licet certo ſciamus, plurimos eorum ad *fœdus internum* non pertinere. Tu tamen hoc obſerva, nullum jus habere communionem exercendi cum *fœderatis*, vel *Sacramentis* utendi, niſi hoc ſolum titulo, quod conſors ſit Fœderis interni, hoc eſt, ex animo in Chriſtum Jeſum credat.

Quod ipſum uberius exponitur & declaratur.

XXIII. Ex hoc jam fundamento non eſt difficile collectu, cur infantes *infidelium* ad baptiſmum admitti nequeant. Nimirum infantes, idem cum Parentibus ſuis corpus conſtituentes, id habentur agere, quod Parentes agunt. Proponitur ipſis fœdus gratiæ; adſtipulantur fœderi, vel profitentur ſuam *ὁμολογίαν* in Parentibus. Quando Parentes aures ſuas avertunt à propoſi-

Conſequens hypotheſios demonſtratæ: minorennes non credentium ad Baptiſmum admitti non poſſe.

poſitione Fœderis; & Fœderi adſtipulari recuſant: neque liberi infantes eidem cenſentur adſtipulari. Baptizari igitur nequeunt Lege Eccleſiæ, quia vox illos deficit, qua reliquis fœderatis teſtentur, *ſe credere*. Præſumere quidem poſſumus de his infantibus, plurimos eorum adſtipulaturos eſſe Fœderi Dei, (ſi Parentes in illis agant locis, ubi fœdus gratiæ publice promulgatur:) cum adoleverint. Sed certe nihil minus præſumimus de plurimis Gentium barbararum, quam ſi doctrina Evangelii ipſis rite proponeretur, eam certiſſime eſſe recepturas. Requiritur itaque vox externa, qua declaretur, te *fœdus gratiæ* amplecti. Quicunque hoc poteſt infans; is baptizatur. Poteſt autem, qui Parentes habet credentes. Qui vero id non præſtat, excluditur baptiſmo. *Nulla hic unius infantis prærogativa præ alio ex fœdere externo orta.* Ea eſt ratio, quod *infans* Gentilis aut profani hominis poſt mortem Parentum tranſlatus ad curam & familiam Chriſtiani *conſanguinei*, vel, ſi illi deſint, *Tutorum credentium*, poſſit baptizari, quia nunc *os* accepiſſe concipitur, quo declaret, *ſe fœderi adſtipulari.* Nulla, iterum dico, prærogativa unius infantis præ alio, quę in natalibus, vel fœdere externo, fundata ſit. Id enim deſtrueret totam naturam Novi Teſtamenti, quo omnes externæ prærogativæ ceſſant. Nulla hic diſtinctio Judæi & Græci, infantis etiam *barbari* & *Chriſtiani.* modo dicere poſſit, *ſe credere*; modo os habeat, quo ſuam ὁμολογίαν profiteatur.

Infantes Credentium participes eſſe divinæ Gratiæ, quo modo intelligendum?

XXIV. Quod vero inſuper dixi, de infantibus Credentium præſumendum eſſe, quod vere participes ſint *Divinæ gratiæ*, quando contrarium illius hactenus nobis non liquet: certa pariter nititur ratione. Sunt enim in communione Sanctorum. In communione ſanctorum vero operatur Spiritus Dei. Sunt etiam illi quorundam beneficiorum gratiæ & operationum Spiritus Sancti capaces. Primo certe nemo neget, infantes capaces eſſe beneficii ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, quod δικαίωσιν *Juſtificationem* appellare ſolemus. Eſt enim id beneficium *externum* & σχετικὸν, quod in infantes ad Chriſti Jeſu interceſſionem propter ejus ὑπακοὴν, Spiritu Sancto pro illorum converſione & renovatione ſpondente, (liceat hic humano more balbutire:) conferri poteſt. In adultos, fateor, id non confertur, niſi ad illorum fidem.

Primo participare poſſunt Remiſſionem Peccatorum.

Sed

Sed alia hic debet eſſe infantium ratio, niſi illos omnes ſalute excluſos velimus. quod abſurdum. Nec habet hæc res difficultatem. Sapientia enim Dei exigit, ut beneficia ſua diſtribuat pro modo & ratione ſubjectorum, quibus ea deſtinavit. Secundo, infantes cenſeri debent capaces quorundam beneficiorum *gratiæ internæ*, quę in eos per operationem internam Spiritus Sancti conferuntur. *Fidei*, fateor, *capaces non ſunt*. nec ignoro tamen, quoſdam noſtræ Eccleſiæ Doctores ita ſentire. Sed illa ſententia mihi ſemper tam viſa eſt eſſe inepta, ut nulla magis. *Hoc tam fatuum eſt*, ait Cunæus[a], *ut flagris caſtigari dignum ſit. Apoſtoli enim vox eſt ad Romanos*[b], FIDEM ESSE EX AUDITIONE. Id ſane veriſſime ſcripſit. Ad fidem requiritur mens veritatum Evangelii percipiendarum & diſcernendarum capax: qualem non habent infantes, niſi ea extra ordinem donentur. Sed ſunt quædam alterius generis operationes Spiritus Sancti, ad quas nunc reſpicio. Spiritus operatur in infantibus & minorennibus pro modo, qui illorum ſtatui conveniat. Incipit pro ratione ætatis animam vindicare à ſervitute peccati, quam in corpore ſervit. Suſcitat in ea cogitationem de Deo; facit eam attendere ad ſermones & colloquia, quę inter alios de Deo feruntur; excitat conſcientiam, ut malefactorum eam arguat & benefacta laudet; animum docet advertere ad exempla piorum, quę ſermone hominum celebrantur, eumque deterret à vitiis & ſceleribus impiorum; accendit in eo, quam primum id ætas patitur, cupiditatem Verbi Dei cognoſcendi, & ita ſenſim præparat animum ad adſtipulandum propoſitioni Fœderis Gratiæ, quando illius percipiendæ capax eſt. quando tandem in animo generatur fides. Sic certe infantes non ſunt Gratiæ Divinæ exſortes. quam gratiam quia præſumuntur habere, quandiu contrarium ejus nobis non liquet; quo prætextu iis negabimus *Sacramentum* illud *Novi Fœderis*, quo communio hujus Gratiæ ipſis obſignatur?

Secundo capaces ſunt *internæ Gratiæ Sp. S.* licet non omnis; nec, *fidei.*

Quæ gratia diſtinctius circumſcribitur.

XXV. Huc jam pertinet explicare illuſtrem illum locum, qui eſt in Epiſtola ad *Corinthios* priore, quo Apoſtolus Liberos Credentium *Sanctos* eſſe ait. Verba ejus[c]: Ἡγίασται γὰρ ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπι-

Quo ſenſu Apoſtolus *Liberos Credentium ſanctos* eſſe dicat?

 ςος ἐν

a De Rep. Heb. Lib. III. Cap. IX. b Cap. X. 17. c Cap. VII. 14.

ςος ἐν τῇ γυναικὶ καὶ ἡγίασται ἡ γυνὴ ἡ ἄπιϛος ἐν τῷ ἀνδρί· ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐϛι, νῦν γὰρ ἅγιά ἐϛιν· *Sanctificatur enim Vir non credens in muliere, & ſanctificatur mulier non credens in Viro. Alioqui certe* LIBERI VESTRI IMPURI *eſſent, nunc autem* SANCTI *ſunt.* Sententia Apoſtoli eſt, *ſi alter conjugum in Chriſtum credat, liberos ſanctos eſſe*, quia *maritus non credens ſanctificatur in uxore, & uxor non credens in marito.* Hoc eſt, quia Deus ejuſmodi ſigna gratiæ jam voluit extare in illa familia, ex quibus colligere poſſumus, eum infantes, in ea ſuſceptos, negligere nolle, adeo ut uxor amplecti eam gratiam poſſit, quandocunque velit; imo etiam ſecundum aliquam ſui partem jam ſanctificata habeatur, quia una eſt cum marito, & maritus etiam, quia unus eſt cum uxore. Sed in id nunc eſt inquirendum diligentius, qua ratione *liberi fidelium* SANCTI dicantur ab Apoſtolo. Ubi primo obſervari cupimus, non id velle Apoſtolum, liberos omnes, qui ex credentibus & ſanctis naſcuntur, vere participes eſſe Spiritus Sancti, & per eum inſeri corpori Eccleſiæ. Neque enim ulla fidelibus Parentibus facta hujus prærogativæ promiſſio eſt. Quin imo omni die contrarium docet eventus. Parentes habes Deum amantes, colentes, Filios in timore Dei educantes; liberos habes, hac parte Parentibus ſuis valde diſſimiles, & contrarie affectos. Qui hiſtoriam legit Regum Judæ, is alternis quaſi vicibus Patrem offendit probum, Filium Nepoteſque improbos, atque ex his rurſus enatam ſobolem Deo gratam. ut nimirum manifeſtum faciat Deus[a], τὴν κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσιν οὐκ εἶναι ἐξ ἔργων ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος. Gentiles, qui non niſi umbram verarum virtutum viderunt, & habuerunt, hunc Divinæ Providentiæ luſum obſervarunt. ubi negligere nobis non licet Spartiani illam *eximiam* παρέκβασιν (ita eam Caſaubonus vocat:) hoc ad argumentum perorantis[b]. *Et reputanti mihi*, ait ille, *Diocletiane Auguſte, neminem prope magnorum Virorum optumum & utilem Filium reliquiſſe ſatis claret. Denique aut ſine liberis Viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere. Et ut ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod utile poſſit eſſe Reipublicæ. Quid Camillus? num ſui ſimiles liberos*

Non vult Apoſt. Liberos Credentium omnes eſſe participes Sp. S.

Contrarium docet experientia, quam etiam agnoverunt Gentiles.

a Rom. IX. 11. b In *Severo* Cap. XXI.

beros habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? Jam vero, quid de Homero, Demoſthene, Virgilio, Criſpo, & Terentio, Plauto, cæteriſque aliis loquar? Quid de Cæſare? Quid de Tullio, cui ſoli melius fuerat liberos non habere? Quid de Auguſto, qui nec adoptivum bonum Filium habuit, quum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus? Falſus eſt etiam ipſe Trajanus in ſuo municipe ac nepote deligendo. Sed ut omittamus adoptivos, ne nobis Antonini Pius & Marcus numina Reipublicæ occurrant, veniamus ad genitos. Quid Marco felicius fuiſſet, ſi Commodum non reliquiſſet hæredem? Quid Severo Septimio, ſi Baſſianum non genuiſſet? Adeo vere, ut *quadam, quaſi naturæ lege*, ut recte Aurelius Victor [a], *crebro tanquam ex induſtria mali è bonis, agreſtes è doctioribus, & cætera hujuſmodi, ceu contra, gignantur.*

XXVI. Cum igitur conſtaret, *liberos fidelium* non ea ratione *ſanctos* dici, quod omnes agantur per Spiritum Sanctum: recurrerunt Theologorum plurimi ad *Sanctitatem externam*, quę originem ſuam habeat ex *Fœdere externo*. Ita prorſus, ut liberi fidelium *ſancti* eſſent, quia à mundo ſegregati in communione Eccleſiæ externæ vivunt & educantur, & Symbolorum Eccleſiæ externæ participes ſunt. Sicuti quondam Iſraëlitæ è cæteris mundi nationibus lecti, licet plurimam partem impuri eſſent, *gens ſancta* (גוי קדוש) dicuntur [b], eorumque liberi *ſemen ſanctum* (זרע הקדש) vocantur Ezræ cap. IX. 2. quod conferendum cum Neh. cap. IX. 2. ubi eſt זרע ישראל *ſemen Iſraël*. Et profecto verum eſt, in Iſraële ſecundum carnem locum habuiſſe *ſanctitatem externam* & *typicam*, ortam ex fœdere *externo*, quod *præceptis externis* (Scriptura *carnalia* dicit, quia *caro* exterior hominis pars eſt:) & *Promiſſis* etiam *externis*, quę Scriptura *deteriora* vocat Promiſſis Novi Fœderis, conſtabat; cui *fœderi externo internum* Gratiæ Fœdus fuit involutum. Ita enim placuit Deo agere in οἰκονομίᾳ illorum temporum. Atque id jam ſignificavit Deus Abrahamo Gen. XVII. 7. ubi ſe *fœdus pangere* dixit *non tantum cum Abrahamo, ſed & SEMINE ejus*. Fœderis vero illius promiſſiones ibi & *ſpirituales* & *carnales* recenſentur, quas obſignabat *circumciſio*. *Harum* jus conferebatur in omne qualecunque ſemen Abrahami, ſive *purum* ſive *impurum*: *illarum* ve-

Nec videtur hic recurrendum ad *ſanctitatem Fœd. externam.*

Qualis obtinuit ſub OEconomia Vetere.

a In *Caligula*. b Exod. XIX. 6.

ro in ſemen Abrahami ſpirituale, h. e. credituros in Chriſtum, & per fidem conſequuturos Juſtitiam & Vitam. Paulus expreſſe ad Romanos [a]: Οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. Ita quoque Docti illi Viri videntur heic loci concipere *ſanctitatem externam* eorum, qui nomina ſua dant Eccleſiæ, in quantum ſeparati ſunt à mundo; in quorum univerſitate cum ſint infantes, hinc & illos *ſanctos* appellari, uti quondam infantes Iſraëlitarum.

Pugnat enim talis ſanctitas externa fœderalis cum ſtatu Eccleſiæ OEcon. N.

XXVII. Sed ſit illud invita doctrina clara Divini *Verbi*, & omnino repugnat indoli Novi Fœderis. ut jam in antecedentibus monere cœpimus. Tantum abeſt, ut *externa* ejuſmodi *ſanctitas* locum habeat ſub N. T. ut contra Novi Teſtamenti, vel Novi Fœderis, hæc ſit prærogativa, AD ILLUD NEMINEM PERTINERE NISI VERE SANCTIFICATUM; *nemo ſanctus* dicatur, niſi qui vere pro *interne ſancto* habetur; & in eo conſiſtat differentia inter *Vetus* & *Novum fœdus*, quod *hoc* totum Spirituale, totum *internum* ſit; præcepta & promiſſia interna habeat, & fœderatos nullos agnoſcat, niſi vere ſanctificatos, aut pro talibus habitos; *illud* vero & *præcepta carnalia* & *promiſſiones carnales* habuerit, & fœderatos etiam admiſerit corpore quidem ſed non animo puros. Præter ea, quæ diſerte de his *Paulus* adfert in Epiſtola ad Heb. VIII. 7. 8. 9. 10. IX. X. egregia occurrunt teſtimonia in Vaticiniis Veteris Teſtamenti. Eja, obſecro, attende ad clariſſimam Dei teſtationem hac de re apud Ezechielem [b]: *Nullus peregrinus, præputiatus corde & præputiatus carne, veniet ad ſanctuarium meum.* hoc eſt, qui non eſt *totus ſanctificatus*, κατὰ τὸ πνεῦμα, ψυχὴν, καὶ σῶμα [c]; qui non caret παντὶ μολυσμῷ σαρκὸς καὶ πνεύματος [d], mecum non poterit habere communionem. Vide, quam id nobis egregie expoſuerit Joannes, quando Eccleſiam Novi Fœderis ſub emblemate Novæ Hieroſolymæ proponit [e]: Καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν πᾶν κοινοῦν καὶ ποιοῦν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος, εἰ μὴ οἱ γεγραμμένοι ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου. Sed quid hoc *Jeſaiæ* teſtimonio luculentius [f]? ועמך כלם צדיקים ET POPULUS TUUS OMNES SANCTI. Quid hoc? Per *populum* (עם) intelligenda, liceat hoc verbo uti, *tota*

Quod adſtruitur teſtimoniis Verbi Prophetici & Apoſtolici.

a Rom. IX. 7. b Cap. XLIV. 3. c 1 Theſſ. V. 23. d 2 Cor. VII. 1. e Cap. XXI. 27. f Cap. LX. 21.

tota Civitas & *Reſpublica fœderatorum* poſt Chriſti adventum. ejus enim ſignificationis eſt τὸ עם in Hebræa Lingua. Tradit autem Propheta, in univerſa ea Fœderatorum Civitate nullum repertum iri, qui non vere & interne ſit ſanctificatus. Quibus plane reſpondent quę apud hunc noſtrum Jeſaiam alibi quoque leguntur [a]: *Evigila, evigila, indue robur tuum, Tſion; indue veſtes pretioſas tuas, Jeruſalem, Civitas Sancta,* כי לא יוסיף יבא בך עוד ערל וטמא *quia* NON VENIET AMPLIUS IN TE PRÆPUTIATUS *& impurus.* Tempus fuerat, quo *impuri* membra fuerant τῆς Ἱερουσαλὴμ, quam Apoſtolus dicit δουλεύειν μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς: ſed id præteriiſſe proponit ſibi Propheta, neque amplius poſthac ejusmodi fœderatos à Deo in Civitatem ejus recipiendos eſſe. Nulla igitur SANCTITAS EXTERNA ſub Novo Fœdere, quia Novum *Fœdus* totum *internum* eſt. & alio rurſus loco [b]: *Et erit ibi ſemita & via, quæ via ſancta* (דרך הקדש) *vocabitur,* QUAM IMPURUS CALCATURUS NON EST. Alia prætereo. Repeto itaque, nullam *ſanctitatem externam* dari in adminiſtratione Novi Fœderis: non tam miratus Veteres Theologos, qui ad has *Fœderum* Divinorum diſtinctas rationes ſemper non tam accurate attenderunt, quam Cl. Coccejum, qui indolem Fœderis Novi optime perſpexit, hac tamen *ſanctitatis externæ* φράσει uti in ſuo ad hoc *Caput* Commentario.

Oppoſitio hac in parte inter Fœdus Vetus & Novum.

XXVIII. Nobis igitur quid dicendum? Hoc ſcilicet, quod omnium arbitramur ſimpliciſſimum: Infantes Credentium Parentum ideo dici *Sanctos*, quia juſta de cauſſa præſumimus, eos eſſe ſanctificatos per Spiritum Sanctum, in Parentibus. Cum enim Deus gratiam ſuam contulerit in Parentes, vel Parentium alterum, præjudicio charitatis anticipamus, † illum eandem gratiam præſtiturum infantibus, quandiu nobis non liquet con-

Reſtat igitur, *ſanctos* dici, quia in Parentibus, vel Parentum alterutro credente cenſiti, pro *ſanctis* habentur.

a Cap. LII. 1. b Cap. XXXV. 8.

† Piſcator in *Exeg. Aphoriſm. Doctr. Chriſt.* p. m. 534. Aphoriſmus ita habet: *Deinde infantes Chriſtianorum participes ſunt rei per Baptiſmum ſignificatæ, videlicet remiſſionis peccatorum: & ſuo tempore participes quoque erunt regenerationis ſeu renovationis naturæ: ſiquidem fœdere Dei, ubi illa promittuntur, comprehenſi ſunt.* Ad quæ in Exegeſi: *Probatur ex eo quod ad infantes Chriſtianorum pertinet fœdus: quod eſt res per Baptiſmum ſignificata. Id ipſum vero approbatur ex dicto Pauli* 1 Cor.

contrarium. Hæc vero ratio eſt, cur *infidelium* liberi non admittantur ad *baptiſmum*, quia nullum nobis ſuppetit argumentum, vel fundamentum, quo nobis perſuadeamus præjudicio charitatis, Deum cum iis gratiam ſuam communicare velle. Et eſt tamen alia etiam meditatio ad hanc phraſin Paulinam, quam hic reticere nolim. Sunt Docti & Pii Viri, qui nullum nobiscum agnoſcentes *Fœdus externum* ſub OEconomia Nova, *ſanctitatem* hanc *Liberorum*, Parentibus Credentibus prognatorum, exponunt de SANCTITATE, quam vocant CONSECRATIONIS; quippe hac gaudent prærogativa Liberi Credentium, ut à Parentibus, vel altero Parentium Credentium, Deo per preces & vota, & deſtinationes ſanctas, & inſtitutionem quoque ac educationem, iis conſentaneam, *conſecrentur* in Chriſto, quomodo *ſancta* olim dicta ſunt *Deo conſecrata*. Meditatio eſt bona ac docta, quam non ſperno, quare æquum eſt eam lectoris mei ſubmittere judicio.

Ad calcem obſervatur convenientia inter phraſin Paulinam & eam Talmudiſtarum de *Liberis ſanctis*.

XXIX. Ita nunc expoſitus eſt locus Pauli, & ſimul, ſi non fallor, ſublatæ difficultates omnes, quæ ex nexu Doctrinæ Chriſtianæ contra *Pædobaptiſmum* proferri poſſunt. Liceat modo nunc dictis addere, orationem *Pauli* de LIBERIS SANCTIS, qui ex conjugibus credentibus prognati ſint, plane convenire cum dictionibus Judæorum Doctorum, quando illi de *prole Proſelyti* ante Proſelytiſmum & poſt Proſelytiſmum diſſerunt. De *hac* ajunt, נורעה בקרושה *conceptam* genitamque *eſſe in ſanctitate*; de *illa* vero, שלא נזרעה בקרושה / *in ſanctitate*; *ἐν ἁγιοσύνῃ*, *ἁγίαν natam non eſſe*. Atque hanc utriuſque φράσεως inſignem convenientiam notaveram quondam, quando Libros Seldeni de *Jure Naturæ*[a] percurrebam, in quibus ex Codice *Jebamoth*, Maimonide, *Jore Dea*, multa de *conceptis natiſque* בקרושה IN SANCTITATE adſcripta videbam, quæ huic Apoſtoli

a Lib. II. Cap. IV. ſub finem.

1 Cor. VII. 14. LIBERI VESTRI SANCTI SUNT. *Cæterum quod dicitur, infantes Chriſtianorum comprehenſos eſſe Fœdere, id proprie intelligendum eſt de infantibus electis.* PRO ELECTIS ETIAM HABENTUR EX CHARITATE INFANTES CHRISTIANORUM OMNES. *Sicut pro credentibus ex charitate habentur adulti omnes qui fidem profitentur. Et ſic Simon Magus pro credente habitus fuit a Petro: ſecus illum non baptizaſſet.*

ſtoli φεάσει exponendæ convenientia erant, licet non viderem, Seldenum ad id animum advertiſſe. Mirabar etiam, Cl. Altingium id præteriiſſe, niſi forte id me fugerit, in ſua de *Proſelytis* Diſſertatione, ante laudata, aliarum optimarum rerum ferace. Druſius quidem noſter [a], & poſt eum Ludovicus Cappellus [b] heic jam de כשרים *rectis* & פסולים *impuris* cogitarunt, licet uterque *Talmudiſtarum* illud בקרושה præterierit. In ſolo Ligtfooto hic nihil deſideramus.

Caput VII.

Ventilari incipit Dubium: Cur Credentibus in Chriſtum ſit moriendum? *Quem in finem* primo *id agitur, ut momentum hujus quæſtionis oſtendatur;* dein *probatur*, mortem temporalem *omnino habendam eſſe pro* pœna peccati; *ac* tandem prima theſis, *ad expediendam difficultatem hanc ex Scripturis adducta, qua* credentibus mors negatur, *ex mente Chriſti & Apoſtolorum explicatur.*

Difficultas, qua tollenda in hac diſſertatione occupati erimus, petita eſt ex ἀναλογίᾳ primorum principiorum veritatis, quam profitemur, adeoque merito cenſetur eſſe inter ſummas, quę in Syſtemate Theologico Proteſtantium moveri poſſunt. Sic mihi viſum à primo tempore, quo ad hoc ſtudium me applicui. Neque aliter Catechiſtis Heidelbergenſibus, qui cum raro in breviſſimo ſcripto objectionibus ſolvendis incumbant, hanc tamen, quę cuique in oculos incurrit, minime voluerunt præterire. Commodiſſimum igitur Eccleſiæ officium præſtat, qui hunc de via lapidem movet. Commendatio argumenti.

II. Dubium in *Catecheſi Religionis Chriſtianæ* [c] ita concipitur: At, cum Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque est moriendum? Dubium eſt, *cur nobis ſit moriendum?* Ratio dubitationis: *Quod Chriſtus pro nobis mortem oppetierit.* Quam ſatis prægnantem eſſe, qui non videt, næ is de ne- Dubium propoſitum ex Catecheſi Palatina.

a Præteritorum Lib. vi. b In Spicil. ad h. l. c Quæſt. xlii.

xu dogmatum Doctrinæ Chriſtianæ, uteas Eccleſia Proteſtantium profitetur, parum curate & ſolicite cogitat. Sentit enim & profitetur Eccleſia noſtra, *mortem*, quę *corporis* dicitur, ad *pœnam peccati* referendam eſſe: & eadem tamen illa Eccleſia credit, Chriſtum Jeſum credentibus electis adduxiſſe perfectam ἀπολύτρωσιν, h. e. ipſos ſua morte liberaſſe ab omni peccati pœna. Merito itaque quæritur, cur hic peccati *effectus* ſuperſit, *ſublata cauſſa*? Porro, cum liquidum ſit, Deum Judicem à nobis exigere non poſſe ſupplicium, quod ad ejus juſtitiam læſam vindicandam noſtro loco tulit Sponſor; neque minus in confeſſo ſit, Chriſtum Sponſorem hanc mortis ſpeciem ut pœnam noſtra vice luiſſe; jure quæritur, quę ratio ſit, quod fideles redempti non minus ferant moleſtam hanc partium ſuarum diſſolutionem, quam improbiſſimi mortalium? Quin, cum in fœdere gratiæ electis non tantum paria ſed & certiora bona promittantur, quam expectanda habuit Adamus in eo amicitiæ ſtatu cum Deo, quo vixit in Paradiſo: licet forte credenti minus exercitato expoſtulare, cur vi hujus fœderis continuo non reducatur ad illum perfectionis gradum in hac vita, quem ille poſſedit, & non tantum *ab hac morte temporali*, ſed & ab omni *peccato* liberetur, poſtquam in hoc fœdus tranſierit?

Et explicatius enarratur.

III. Etenim omnino velim notari initio hujus diatribæ, idem eſſe momentum quæſtionis, cur in Credentibus ſuperſit *peccatum*, & cur tolerandas habeant *afflictiones* in hac vita, quod hujus noſtræ; cur *iis ſit moriendum*, & cur eorum *corpus* ad tempus *corruptioni* debeat tradi? Cum enim pœna peccati ſit peccare; vel, ſi mavis, cum conſequens corruptionis, in nobis olim dominantis, ſint reliquiæ illius vitioſitatis *ſuperſtites*; cumque dolores & incommoda vitæ primis Parentibus ut *effecta* peccati propoſita ſint: non minor eſt dubitandi ratio de his, quam de *ipſa morte temporali*.

Extenditur dubium ad *afflictiones* hujus vitæ, & *luctam peccati*.

IV. Quid? quod idem hoc malum & incommodum premat Credentes, qui vivunt ſub *Novo Fœdere* poſt *cauſſam juſtitiæ* & *vitæ* adductam, poſt allatam, inquam, צדקה עולמים τὸ δικαίωμα τῦ Χριςῦ? Ante enim id tempus, *peccato* nondum *expiato*, quin Deo jus fuerit Fœderatos ſuos durius tractandi, iiſque & *Leges* præſcribendi & *pœnas* imponendi ejuſmodi, quales huic ſtatui Eccle-

Et videtur hic eſſe difficultas major poſt adductam juſtitiam Chriſti Jeſu.

Eccleſiæ minime convenirent, nemo eſt, qui dubitare poſſit. Ipſa *mors temporalis* homini *credenti* & *reſipiſcenti* illo ſtatu rerum infligi potuit ut *pœna*, qua *typice* ſatisfieri oportebat *juſtitiæ Divinæ*. Locum hoc habuit in *ſuſpenſo Iſraëlita*. *Mori* enim oportebat Iſraëlitam, etiam forte *reſipiſcentem*, ad *ſatisfaciendum juſtitiæ Divinæ*, jure fori Reipublicæ Judaicæ. Neque aliter ſe habuit res in cæteris caſibus, quibus moriendum fuit *Credentibus* propter tranſgreſſionem Legis Moſaicæ, frequentiſſimis utique in illa republica. Sed, expuncto chirographo & abolito peccato per ſanguinem Chriſti, Deus aliter inſtituit. Quo pertinet *Pauli* dictum in ſermone ad *Antiochenos Piſidiæ* [a]: *Notum igitur ſit vobis, fratres*, ὅτι διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται, *quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annuncietur*. Additur: καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται· *Et ab omnibus*, A QUIBUS NON POTUISTIS JUSTIFICARI PER LEGEM MOSIS, *per hunc omnis credens juſtificatur*. Ea, à quibus Credentes non poterant juſtificari per Legem Moſis, non modo erant *peccata* & crimina cujuſvis generis, quę per ſacrificia Legalia nunquam *expiabantur*, ſed etiam ipſa illa ſtatuta & præcepta Legis Moſaicæ, quibus moleſta ſervitute addicti erant Iſraëlitæ. Ab his non poterant Credentes *juſtificari*, (abſolvi) per hanc ipſam Legem Moſis. Hoc eſt, Lex Moſaica non præſcripſit remedium, quo Credentes Iſraëlitæ ab illius jugo & ſervitute penitus liberari poterant. Sed, quod magis etiam pertinet ad rem noſtram: talia quoque ſub Vetere Fœdere committi poterant crimina, tales propter crimina imponi pœnæ, à quibus Lex Moſaica ne κατὰ τύπον quidem abſolvere poterat reum; quę erat ἀδυναμία τοῦ νόμου *impotentia Legis*. Ponas licet, fuiſſe apud Judæos *idololatram*, *blaſphemum*, aut alium quemque, qui *ſciens volens* (ἑκουσίως) tranſgreſſus eſſet Legem Moſis: hunc juxta Leges Eccleſiæ Judæorum [b] *oportebat* χωρὶς οἰκτιρμῶν ἐπὶ δυσὶν ἢ τρισὶ μάρτυσιν ἀποθνήσκειν *abſque miſericordia ex duorum aut trium teſtimonio mori*. Si peccata agnoſceret, ſi confiteretur crimen, ſi revocaret factum, ſi reſipiſceret; nihilominus *moriendum erat*, & ſatisfaciendum juſtitiæ. *typicæ*, inquam, *juſtitiæ* Dei Rectoris Eccleſiæ Judaicæ. Non præſcribebat

Ante enim hoc tempus *mors temporalis*, aliquo reſpectu, potuit eſſe pœna peccati.

Locus Act. XIII. 38. adducitur, & exponitur.

Erant crimina & delicta plura quæ per Legem non poterant expiari.

a Act. XIII. 38. b Heb. x. 28.

bebat Lex Moſis remedium ejuſmodi peccatorem liberandi; *non poterat ab hoc crimine peccatorem juſtificare*, quia ſacrificia pro peccato & reatu tantum inſtituta erant in gratiam *errantium* ex ignorantia aut προλήψει. Hanc verò *Legis impotentiam* ſupplevit Chriſtus ex ſententia *Pauli*. Unde ſequi videtur, hoc ſtatu Eccleſiæ id minime locum habere poſſe, ut *credens* & *reſipiſcens moriatur* ad ſatisfaciendum juſtitiæ Dei. Alias enim Chriſtus non ſuſtuliſſet ἔλλειμμα *defectum* Legis. Quod etiamſi ita ſit: experientia tamen docet, Credentes ſub OEconomia Nova huic fato non minus ſuccumbere quam Sanctos antiquæ OEconomiæ. Inquiramus in rei cauſſam & rationem, & videamus, quomodo id cum principiis Fidei noſtræ conſiſtere poſſit.

Sunt autem qui hoc dubium ita expediunt ut negent, *Mortem temporalem* eſſe *pœnam peccati.*

V. Sunt ex Theologis Chriſtianis, qui, ut huic dubio occurrerent, ſtatuere & defendere veriti non ſunt, *mortem temporalem eſſe conſequens naturæ:* nequaquam vero, quod nos ſupponimus, habendam pro *effecto* vel *pœna peccati.* Pelagii hanc fuiſſe ſententiam, Juniores ex Voſſio [a] & Forbeſio [b] diſcere poſſunt. Recentiorum nominibus, æquitatis & modeſtiæ cauſſa, parcimus. Mota jam quæſtio eſt apud *Stoicos Philoſophos*, εἰ αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται; ſic ſaltem diſquiſiviſſe Chryſippum, Stoicæ Principem Philoſophiæ, in Libro περὶ Προνοίας, Gellius refert [c]. Interpretatur Gellius quæſtionem eleganter; *Naturane ipſa rerum vel pruvidentia, quæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, morbos quoque & debilitates*

Stoicorum de eo ſententia.

& ægritudines corporum, quas patiuntur homines, fecerit? Summa eorum, quæ Chryſippus implicite reſpondit, eſt, *non fuiſſe hoc principale naturæ conſilium, ut faceret homines morbis obnoxios; nunquam enim hoc conveniſſe naturæ auctori parentique rerum omnium bonarum;* factum tamen hoc ipſum eſſe per *ſequelas neceſſarias*, quod κατὰ παρακολούθησιν appellat, hoc eſt, poſita ea hominis conſtitutione, qua nunc eſt, evitari non poſſe, licet natura id non intenderit.

Eaque diſcuſſa.

Patet, ſubtiliſſimo Sophiſtæ aquam hæſiſſe. Quomodo enim dicam, id, quod ex cauſſis rerum naturalium certo conſequitur, naturam non intendiſſe?

Ubi aſſeritur, mortem temporalem eſſe pœnam peccati.

Nos idem de *bonitate Dei* cum ipſo tenentes principium recte percipimus, *interitum* cor-

a De *Hær. Pelagii* Diſp. I. Theſ. III. b Inſtruct. Hiſt. Theol. Lib. VIII. Cap. II. §. II. c Noct. Attic. Lib. VI. Cap. I.

corporis variasque calamitates, ejus miniſtras, neque recta neque per conſequentias aliarum rerum abſque hominis culpa præcedente humano generi incumbere. Quod enim anima domicilium ſuum teneatur derelinquere; quod in corpore, quod colit & amat ut ſuum, ac ſui partem, pro voto & placito ſuo defungi amplius non poſſit operationibus, quibus eam natura deſtinavit; hoc non poteſt non ipſi moleſtiſſimum accidere. Quis vero credat, voluiſſe Deum res ita ordinare in natura earum primo inſtituenda, ut creatura, ipſum quærens, amans, & ardens ſtudio flagrantiſſimo Deum ſuum in corpore ſuo glorificandi, nihilominus non poſſit evitare duriſſimum fatum diſſolutionis partium ſuarum? Quis credat, inquam, voluiſſe Deum, ut creatura ſancta experiretur in ſtatu integritatis rem ſibi moleſtiſſimam, & deſiderio ſuo, quod ipſe Deus naturæ arcano quodam inſtinctu impreſſerat, plane contrariam? maxime ſi deſiderium hoc ſanctum ſit & non minus ad gloriam Dei quam ipſius conſervationem tendat; & ſi ſimul conſtet, Deum alio modo naturæ potuiſſe proſpicere. Sed, quod plus eſt; quis animo perſuadeat ſuo, Deum abſque ratione voluiſſe, ut corpus hominis, quod ipſe ad gloriam ſuam ſumma arte compoſuerat, deſtrueretur corrumpereturque, cum *opus manuum ſuarum deſtruere* non ſoleat? Putemus igitur, graviſſimam ſubeſſe cauſam, quod Deus id permiſerit; quæ nulla poteſt eſſe alia, quam *peccatum.* quam eſſe certam & claram Doctrinam Sacræ Scripturæ, nunc modo ex uno loco *Epiſtolæ* Pauli *prioris* ad *Corinthios* demonſtratum ibimus.

Idque ex ipſa *mortis temporalis* natura adſtruitur.

VI. Verba Apoſtoli in illa Epiſtola Cap. xv. 26. hæc habentur: Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος· *Ultimus* HOSTIS *aboletur* MORS. & deinceps ℣ſ. 56. Τὸ δὲ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία· STIMULUS *autem* MORTIS EST PECCATUM. Apoſtolum diſſertare de *morte temporali*, inde evidentiſſimum eſt, quod agat de *reſurrectione ex mortuis* in toto illo *Capite.* Non negant id adverſarii, adeoque neceſſe non eſt, id prolixius exequi. Hanc *mortem* Apoſtolus vocat *hoſtem*, à Chriſto *abolendum*, ut Rege & Capite Eccleſiæ ſuæ. Spectatur igitur *mors temporalis*, ut Chriſto & fidelibus *inimica*, & *adverſa*; non *incommoda* tantum, ut amaret Crellius. Nunc vero certiſſima res eſt, regno Chriſti

Eadem doctrina probatur ex 1 Cor. xv. 26.

 nihil

nihil inimicum eſſe quam *peccatum*, & quicquid ex peccato oritur, aut vi peccati dominium exercet. Sic nos Joannes docet Apoſtolus[a]: Εἰς τῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τῦ Διαβόλυ· *Ad hoc manifeſtatus eſt Filius Dei, ut ſolvat opera Diaboli. Opus Diaboli* eſt *peccatum.* Ἀπ᾽ ἀρχῆς ὁ Διάβολος ἁμαρτάνει· *à principio Diabolus peccat.* ſic idem noſter Joannes. *Diaboli* igitur *opera* deſtruuntur, quando *peccatum aboletur*, & quicquid ex peccato eſt. Alia ratio non eſt, cur Filius Dei in mundum venerit ex ſententia Joannis. Quod ſi igitur Paulus teſtetur, *mortem* etiam *temporalem* à Chriſto *aboleri*, ut Chriſto inimicam ejuſque regno adverſam; licebit utique inde colligere, *mortem corporis ex peccato eſſe.* Porro cum Chriſti ejuſque regni *hoſtis* alibi ponatur ſolus Diabolus, à Chriſto ſuperandus quippe qui cauſſa eſt *peccati* atque omnium peccati effectuum: non poteſt *mors corporis* appellari *inimica regno Chriſti*, ſi illa ad Diabolum non pertineat, eique ancilletur. Quomodo vero ad Diabolum referetur, ſi non ſit *ex peccato?* Nihil enim ad Diabolum pertinet, niſi quod Diabolus vel ἀμέσως cauſſatur, vel quod conſequens cenſetur peccati, ad quod primos noſtros Parentes ipſe ſeduxit, ut adeo peccati, ac proinde effectuum, inde promanantium, cauſſa habeatur. Certum igitur ſit, *mortem corporis* ex peccato eſſe, quia Diabolo ancillatur ad adverſandum regno Chriſti. Hac de cauſſa Apoſtolus ſignate *Diabolum* vocat τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τῦ θανάτυ *eum, penes quem eſt imperium mortis*[b]. Imperium omne Diaboli ex *peccato* eſt, ergo *mors ex peccato.* Loquitur vero ibi Paulus vel maxime de *morte temporali*, cujus *metui* Patres olim *ſubjecti erant.* Quin ſi *mors temporalis* ſit *præcipuus hoſtis*, à Chriſto debellandus & devincendus, & nihilominus non debeat haberi *conſequens peccati:* an igitur ex Deo erit, quod Chriſto ejuſque regno præcipue *adverſum* eſt? Sic omnino dicendum contrarium ſentienti. Id vero quam dicitur abſurde? Natura enim & gratia non pugnant inter ſe, ſed potius utriuſque opera amice invicem ſuccenturiantur. Quorſum igitur dicas, Naturam Gratiæ, hoc eſt, Deum ſibi adverſari?

Mors temporalis eſt hoſtis Chriſti, adeoque ex peccato.

Et refertur ad diabolum, ut ad cauſſam peccati impellentem.

VII. Non minor vis eſt in *altera ſententia* Pauli, qua *peccatum*

Idem arguitur ex verſ. 56.

a 1 Cap. III. 8. b Heb. II. 14.

ubi peccatum appellatur *ſtimulus mortis.*

tum prædicat eſſe κέντρον θανάτου *ſtimulum mortis.* Conſtat, Apoſtolum voce κέντρον voluiſſe exprimere voces דברים & קטב/ quę apud Hoſeam extant[a], unde hoc teſtimonium transſcriptum eſt, quarum poſterior per κέντρον à LXX verſa eſt. Τὸ דברים notat *peſtes*, קטב vero *venenum exitiale*; utrumque egregie ab Apoſtolo per κέντρον exprimitur. Fieri enim poteſt, ut reſpiciat Apoſtolus *ſpicula* animantum *venenata*, (apud Crellium id legimus:) quę certiſſimæ ſunt cauſſa mortis. Quicquid igitur igitur homini eſt *peſtis*, vehementius graſſata; quicquid *venenum exitiale*; quicquid *ſtimulus* animanti tardæ ad greſſum; quicquid denique *ſpicula* animantum *venenata* ſunt hominibus: id omne *peccatum* eſt homini peccatori *ratione ſui effectus* ex ſententia *Pauli*. Si *vehemens peſtis* certam efficit mortem: idem facit peccatum. Si *venenum exitiale* cauſſa eſt certæ mortis: idem eſt peccatum. Si *ſtimulus* cauſſa ſit, quod tardum animal propellatur ad greſſum: idem erit *peccatum*, quod homini contra ἔγκλισιν totius naturæ ſuæ certiſſimam efficiet mortem. Si denique *ſpicula* animantum *venenata* certum habeant effectum *mortis* aut corruptionis partis læſæ: idem effectum *peccati* erit in peccatore. Certè *peccatum* eſt *ſtimulus mortis*, quia peccatorem propero gradu ducit ad mortem. Quis adhuc neget poſt expreſſimam hanc declarationem *Pauli*, *mortem corporis* eſſe *conſequens peccati effectum*? De *morte* enim *corporis* Apoſtolum diſſerere, in propatulo eſt.

Phraſis illa, & res, phraſi comprehenſa, exponitur.

VIII. Alia itaque ratione ſolvendum eſt quod movimus dubium, vel præſtiterit id ſolvere non tentaſſe. Quod antequam uberius expendamus, è re fuerit conſiderare *Reſponſum*, quod huic quæſito aptatur in Catecheſi Palatina, à prudentibus & Doctis Viris compoſita. *Mors noſtra*, ait Catechiſtes, *non eſt pro peccatis noſtris ſatisfactio, ſed peccati abolitio & tranſitus in vitam æternam.* Negat itaque Catechiſtes primo, *per temporalem mortem credentium ſatisfieri Divinæ juſtitiæ pro ipſorum peccatis.* Id ſane quam veriſſimum eſt, ſi dextre & ſecundum mentem Catechiſtæ accipiatur. Etenim *α.* Per *mortem temporalem* nemo electorum credentium ſatisfacit Divinæ Juſtitiæ pro peccatis, quę prive à ſe commiſſa ſunt, atque adeo nemo nunc in *morte*

Solutio dubii alio modo tentatur; & primo expenditur ſententia Catechiſtæ.

Quo ſenſu accipienda ſit?

a Cap. XIII. 14.

morte temporali, ut communis eſt toti generi humano, argumentum habet iræ & indignationis Divinæ, ſibi incumbentis.

Mortis temporalis σχέσις duplex.

Conſideranda itaque illa eſt tanquam *conſequens pœnale* Peccati à primis noſtris Parentibus in Paradiſo commiſſi, quod quidem σχέσιν habeat ad Juſtitiam Dei vindicantem, quatenus Deus tanquam Judex juſtus Peccatum primorum Parentum in ipſis & toto genere humano hac pœna proſequi voluit; ſed per quam credentes electi nihil ſolvunt Divinæ Juſtitiæ, quod illi pro peccatis à ſe prive commiſſis debebant; ut adeo in morte temporali non habeant argumentum iræ Dei, ſibi prive ad ſuum exitium incumbentis.

Stylo Scripturæ Pœna Peccati tantum dicitur proprie æternum exitium & mala cum eo conjuncta.

€. Stylo Sacræ Scripturæ *Pœna Peccati* proprie non dicitur niſi *Æternum exitium*, & *quod cum æterno exitio neceſſario connexum eſt* & *ad illud ducit*; in quo proin ineſt argumentum & demonſtratio iræ Dei homini ad æternum exitium incumbentis. Illa ſententia eſt veriſſima, quam aliquando uberius proſequuti ſumus & vindicavimus. Cætera *mala*, quæ Deus electis ad ipſos emendandos & corrigendos infligit, ſi ſejuncta ſint ab æterno exitio & ad illud non ducant, (etiamſi vere certo & ſano ſenſu, in ſe ſpectata, ſint *pœna peccati*:) ſtylo tamen Spiritus Sancti, qui nos obſervare vult immenſum diſcrimen quod inter hæc mala eſt & inter *æternum exitium*, pro *pœna peccati* non habentur.

Diſtinctio malorum, quæ hominibus incumbunt, ex uſu Scripturæ.

Utique Scriptura nos docet, Chriſtum *tuliſſe omnia noſtra peccata*; *habere nos in ipſo ἄφεσιν conſummatam omnium delictorum.* quo ſane ſignificatur, Chriſtum nos *liberare ab omni pœna peccati*, quando tranſimus in ejus communionem. Cum tamen experientia doceat, Credentes electos ab illis malis non liberari, nec tamen Scriptura falſum teſtari poſſit: ſequitur utique ſtylo Spiritus S. hæc mala non cenſeri vere eſſe pœnam peccati in credentibus, quod nempe à *ſummo malo*, quod eſt *æternum exitium* & vera pœna peccati, per gratiam Chriſti ſejuncta ſint. Quare qui illa mala ſuſtinet, non proprie per ea dicitur *ſatisfacere Divinæ Juſtitiæ*, quia *Divina Juſtitia* à Peccatore non *ſatisfit*, niſi quis vel in ſe vel in Sponſore luat pœnam *æterni exitii*, aut illi ob dignitatem Perſonæ ſupparem.

Mors temporalis reſpectu Credentium eſt pœna correctoria.

Mortem temporalem in electis haberi non pro *pœna ſatisfactoria*, ſed *correctoria*: liquet quam clariſſime ex Pauli Epiſtola ad *Corinthios*[a]. Imo mors temporalis non tantum in Creden-

a 1 Cor. XI. 30. 31.

tibus

tibus ſejuncta eſt *ab exitio æterno*, quod eſt vera peccati pœna, ſed à Deo etiam ut medium prudentiſſime ordinata eſt ad promovendam electorum ſalutem. Quod Catechiſtes ſignificare voluit *altera* reſponſi *parte*, his verbis: *Sed eſt peccati abolitio, & tranſitus in vitam æternam.* Placuit Deo ob rationes æquiſſimas & magni momenti hoc medio *conſummare electorum credentium ſalutem*: ut nos in ſequentibus fuſius declarabimus. Quandoquidem vero de *malis*, quę occaſione peccati hominibus infliguntur, non tam judicandum eſt ex eorum *materia*, (ſic enim *probatoria mala* quoque cenſenda eſſent in pœnis peccati, ad quas tamen omnium judicio proprie non pertinent:) quam ex ſcopo & intentione Rectoris illa mala infligentis, & eorum conſequentibus ac effectis: ſummo jure *Mors temporalis*, cujus χίσις in OEconomia Gratiæ varie mutata eſt, eximitur *malis peccati pœnalibus*, reſpectu credentium electorum. Hæc paucis prælibaſſe ſuffecerit ad declarandam ſententiam Catechiſtæ. Nobis ſtatutum eſt hæc pluribus nunc exponere & ex Scripturis ſingula illuſtrare, propoſitis hoc de argumento quibuſdam *theſibus*.

IX. Prima inter illas ſit: Credentes non mori. Sic Chriſtus apud *Joannem*[a]: *Amen, amen dico vobis, qui ſermonem meum audit*, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον *& credit in eum, qui me miſit, habet vitam æternam, &* IN κρίσιν CONDEMNATIONEM NON VENIT, *ſed* μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωὴν TRANSIIT A MORTE AD VITAM. Alio loco in eundem ſenſum[b]: *Amen, amen dico vobis*, ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα, *ſi quis ſermonem meum ſervaverit*, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNUM. Nec minus clare in oratione ad Martham, Lazari ſororem[c]: *Ego ſum Reſurrectio & Vita*: ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ ζήσεται· *qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Et quiſquis vivet*, καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ *& in me credit*, οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα NON MORIETUR IN ÆTERNUM. Paulus quoque ad Romanos[d]: *Stipendium peccati* MORS EST, τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ ζωὴ αἰώνιος ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, *donum vero Dei eſt* VITA ÆTERNA *per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum.* Et ad Timotheum[e]: *Quæ*

Doctrina Scripturæ S. de hoc argumento comprehenditur quibuſdam theſibus, inter quas prima eſt: *Credentes non mori.*

Quæ poſitio adſtruitur locis Scriptorum S.

a Cap. v. 24. b Cap. VIII. 51. c Cap. XI. 25, 26. d Cap. VI. 23. e 2 Tim. I. 10.

(Gratia) *facta nunc eſt conſpicua per apparitionem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*, καταργήσαντος μὲν τὸν θάνατον, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ εὐαγγελίου, *qui tum* EVANESCERE FECIT MORTEM, *tum vitam & incorruptibilitatem in lucem produxit per Euangelium.* Joannes quoque [a]: Ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν: *Scimus, nos tranſgreſſos eſſe* A MORTE AD VITAM. Hæc luculentiſſima teſtimonia nobis in rem noſtram ſufficiunt.

Ad quam obſervatur, Scriptores S. hic loqui de *omni genere mortis*.

X. Obſervetur nunc ad præſentem cauſſam, Chriſtum & Apoſtolos de *morte* diſſerentes, qua liberari ſunt fideles, loqui de *omni genere mortis*, quod per peccatum in mundum introductum eſt, ad quod certiſſime pertinet *mors temporalis*; quemadmodum per *vitam æternam* intelligunt omne genus *vitæ*, quod per gratiam Dei propter Chriſtum nobis donatur, *morti* cuivis recta oppoſitum. Etenim non tantum non reſtringunt *ſpecies mortis* in dictis citatis, ſed & adeo communi & efficaci dicendi genere utuntur, ut ea audiens aut legens non poſſit non eorum ſententias de quavis mortis ſpecie interpretari. Sic utique Judæi, ubi Chriſtus apud Joh. VIII. 51. perquam magnifice de hoc argumento peroraverat, verba ipſum abſque ſenſu loqui exiſtimarunt, omnino perſuaſi, non excludi oratione ipſius *mortem corporis* [b]. *Nunc agnovimus*, ajunt, *te dæmonium habere: Abrahamus* MOTUUS EST *& Prophetæ; & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſervaverit*, μὴ γεύσηται θανάτου εἰς τὸν αἰῶνα, *is non guſtabit mortem in æternum. Num tu major es Patre illo noſtro Abrahamo, qui mortuus eſt? Etiam Prophetæ mortui ſunt. Quem tu te ipſum facis?* Chriſtus Dominus autem ſermonem ſuum interpretantes non reprehendit, ſed potius docuit, ipſum quoque Patrem Abrahamum *credidiſſe*, adeoque à morte liberatum, & vitæ, à ſe nunc annunciatæ, participem factum eſſe. Sed clarius etiam ex conſequenti hiſtoria reſurrectionis *Lazari* idem pateſit [c]. Lazarus fuerat mortuus. Martha dolet abſentiam Chriſti. Chriſtus ſignificat Marthæ, *Lazarum eſſe reſurrecturum.* Martha putabat, Chriſtum non poſſe intelligi loquentem, niſi de ultima reſurrectione ex mortuis, ac proinde non admodum magni æſtimat hanc conſolationem. Ad hæc Chriſtus; ſe *reſurrectionem eſſe* & *vitam* ait, *eumque, qui in ſe credit, victurum, etiamſi mortuus fuerit, neque mo-*

Non excluſa etiam, ſano ſenſu, morte temporali.

Quod probatur.

a 1 Cap. III. 14. b Verſ. 52. c Joh. XI. 25, 26.

moriturum in æternum. Dura dicta, & carni creditu difficilia, quia non poterant non de *temporali* etiam *morte* accipi, dum Chriſtus de *morte Lazari* ſermonem miſcebat. Subjicit igitur huic dicto ſuo Chriſtus: Πιστεύεις τοῦτο; *An credis hoc?* Dein, quando Paulus in *Epiſtola* ad *Romanos mortem peccati ſtipendium* eſſe aſſeverat, evidens eſt, ipſum hoc nomine omne genus mortis intelligere, quod *per peccatum in mundum venit*, & per conſequens etiam *mortem temporalem.* Illi vero opponit *vitam*, quę per gratiam Chriſti eſt, quę proinde nos non minus *à morte corporis* quam à cæteris mortis ſpeciebus immunes debet præſtare.

XI. Quando ſic ratiocinamur ex ſententiis Chriſti & Apoſtolorum, merito rogamus Lectorem, ut Chriſtus Martham; Πιστεύεις τοῦτο; Quid enim contra manifeſtam & tot ſæculorum experientia probatam veritatem aſſerimus, Credentes à morte corporis *liberatos vindicatoſque eſſe?* Mori enim omni die, de quibus hanc ſpem concepimus, conſtat. Certe ex ipſis diſcipulis Chriſti fuerunt, qui ad hanc ipſius concionem dixerunt: Σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος [a]. Veriſſima tamen theſis eſt. Videndum ſolummodo, quam patiatur expoſitionem, & quo pacto Chriſtus & Apoſtoli, ſic loquendo, ſummam nobis veritatem revelantes, intelligendi ſint.

Difficultas, quæ in hac theſi hæret.

XII. Nemo quidem æquus arbiter rerum, opinor, negaverit, de una eademque re varia ſæpe poſſe ex vero prædicari, quę non tantum diverſa ſed & oppoſita ſibi ſunt, pro diverſa illius ejuſdem rei contemplatione. Exempla ubique haberi poſſunt. Sic de *Spiritu* dici poteſt, olim *fuiſſe* & *non fuiſſe* [b], pro vario illius effectorumque ejus reſpectu. Idem *Præceptum* eſſe ἐντολὴν εἰς ζωὴν *præceptum ad vitam*, & νόμον τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου *Legem peccati & mortis* [c]. Idem *Evangelium* dici poteſt ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον & ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωὴν [d]. *Eadem vita æterna* fuiſſe occupata *à Patribus*, & demum *revelata* per *Chriſtum* [e]. Eadem *fides* extitiſſe in animis Patrum, & demum *manifeſtanda* fuiſſe ſub N. T [f]. *Circumciſio data eſſe per Moſen*, & tamen eſſe

Ad quam interpretandam ſupponitur, contraria de una eademque re vario reſpectu prædicari poſſe.

Yy 2 ἐκ τῶν

a Joh. VI. 60. b 1 Pet. I. 11. Joh. VII. 39. c Rom. VII. 10. Rom. VIII. 2. d 2 Cor II. 16. e Matth. XXII. 32. 2 Tim. I. 10. f Heb. XI. 1. Gal. III. 23.

ἐκ τῶν πατέρων ex Patribus[a]. *Eccleſia* eſſe *Dei Filia*, *ſponſa*, & *uxor*[b]. *Fideles* in hac vita *τέλειοι perfecti* & nondum *τετελειωμένοι*[c]. & quid ejuſmodi plura refero exempla, quę in Scriptis ſacris cuique attendenti ſunt obvia? Quando igitur in ſermone *Spiritus Sancti* de Credentibus affirmatur, exemptos eſſe *morte*, quam tamen communi uſu loquendi ipſis ſolemus adſcribere: non eſt dubitandum, quin *mortis* vocabulum aliter accipiatur à nobis atque fit à Scriptoribus ſacris; quod in cauſſa ſit, cur Credentibus *mors temporalis* negari poſſit ratione ſtyli Scripturæ, & tamen de iis prædicari poſſit pro uſu recepto loquendi inter homines. Quoniam vero de *Divinis rebus* agimus, quas abſque ſenſu *verborum Dei* bene percepto non facile intelligimus: hinc fieri nequit, ut dubium, ante propoſitum, rite ſolvamus, antequam cognoſcamus, quid *mors* ſignificet in phraſiologia *Spiritus Sancti*.

Ergo *Mors temporalis* hic alio reſpectu ſpectatur, quam in vulgato ſermone.

Exponitur *Mortis* notio ſecundum ideam Scriptorum Sacrorum.

XIII. *Mors*, quę *peccati* pœna & conſequens eſt, notat in Scriptura ejuſmodi mutationem hominis ſingularumque partium ejus, quę ad *malum* atque *interitum* illius eſt. *Mori* eſt in talem prolabi ſtatum & conditionem, qua homo magis magiſque *interit*, & *miſerior* evadit. Quandoquidem vero *homo* duplici conſtat parte, *mente* & *corpore*, quę diverſiſſimæ ſunt *naturæ*: hinc primo quidem ſcire licet, quo pacto utraque pars *moriatur*, id eſt, *intereat*; dein, quomodo *totus homo* dicatur *mori* in Scriptura.

Vita animæ.

Anima ſpiritualis, ac proin *immortalis* naturæ eſt, quę quoad *eſſe* ſuum nunquam *perit*. Illius vero hæc eſt indoles, ut *perpetuo* ſit *actuoſa*. Sed hæc *vita animæ* non dicitur Spiritui Sancto, quæ Philoſophis vita illius eſt. *Anima vivere* dicitur in Scriptura ſancta, quando cum bona conſcientia *actuoſa eſt* ad gloriam Dei; quando bene agendo *lætatur* & *gaudet*; quando Deum quærit amatque ut ſuum, & illius fruitur communione. unde ſumma in mente voluptas oritur. Verbo dicam, *vivere mentis* eſt *ejus operari ad Dei gloriam*, ejuſque *communione frui* cum *conſcientia jucunda* & ſummæ voluptatis ſenſu.

Mors animæ.

Mori è contrario dicitur, quando non amplius ex Deo & ad Deum actuoſa eſt, & proin *conſcientiam* habet *mali operis*, &,

quod

a Joh. VII. 22. b Pſ. XLV. 14. Apoc. XXI. 9. Epheſ. V. 25. c Col. IV. 12. Phil. III. 12.

quod conſequens eſt malæ conſcientiæ, repleta eſt dolore & ægritudine. *Mens* hoc ſtatu concipitur *periiſſe*, quia vere periit reſpectu *finis*, ad quem a Deo producta fuit; & quia illo in ſtatu eſt, ut ſatius eſſet non exiſtere. *Corpus* dicitur *vivere*, quando functiones ſuas naturales ſecundum Leges naturæ integre & feliciter obit ac abſolvit per *ſanguinis* & *ſpirituum animalium*, quos vocant, motum regularem. *mori* vero, quando organicus ille & ordinatus motus deſtruitur, & corpus ad naturales functiones ſuas abſolvendas ineptum redditur. *Totus homo* dicitur *vivere*, quando mentem poſſidet ſanam in corpore ſano, & in communione Dei omnibus gaudet bonis, quibus ad *ſatietatem lætitiæ* ſecundum utramque ſui partem indiget. *Mori* contra *totus homo* dicitur, quando *mens*, privata Dei communione, Deum non amans, neque quærens ἔργου ἀγαθοῦ δόξαν, inordinatis corporis motibus ſervit, & per eos in male agendo juvatur, atque ad male agendum incitatur; unde fit, ut homo tandem in eum redigatur ſtatum, quo à Dei communione alienatus, omni *ſpe* vacuus, imo *Deo* & ſanctis ſuam gloriam *invidens*, ipſe *a Deo* & *ſanctis contemtus ac neglectus*, & ſanctorum communione excluſus, Dei judicio moleſtiſſimis conſcientiæ accuſationibus & corporis quoque doloribus (quos nunc neque cogitando aſſequi, neque fando exprimere valemus:) æternis traditur; vim *iræ Divinæ*, quę omnium ſuperat cogitata, ſentiens. Status itaque is eſt hominis omnium miſerrimus; *doloris*, *contemtus*, *triſtitiæ*, *invidiæ*, *pudoris*, *malæ conſcientiæ*, & *deſperationis*. Hic eſt ille ὄλεθρος αἰώνιος *æternus interitus* hominis, (ne cogitemus, hominem deſinere exiſtere, ubi de æterna illius morte mentio eſt:) per *vermem*, *qui non moritur*, & *ignem*, *qui non extinguitur*, pulcre à Spiritu notatus [a].

Vita *corporis*, ſive, *animalis*.

Totius hominis.

Mors ejus.

Mors æterna compendio deſcribitur.

XIV. Hac deſcriptione *mortis* præmiſſa, obſervetur, Spiritum Sanctum, ubi *mortem* proponit, ut pœnam & conſequens effectum peccati, omne hoc *mortis* genus in cumulo intelligere, neque hanc ſpeciem (uti nos ſæpe in Scholis inſtituimus:) ab illa ſolicite diſtinguere. Quando itaque dixit Deus primis noſtris Parentibus; *Quo die comederitis*, *morte moriemini*; non diſtinxit mortem *ſpiritualem* à *temporali* & *æterna*, ſed ſic haud dubie

Spiritus S. ubi de *Morte* loquitur, omne hoc *genus mortis* in cumulo intelligit.

Senſus dicti: *Quo die comederis, morte morieris.*

a Marc. IX. 44.

dubie intelligendus eſt: Quo die hoc tranſgreſſi fueritis interdictum, continuo ſecundum animam & corpus eam ſubibitis mutationem, quę vobis exitium ſit allatura, & ab eo uſque die incrementa capiet, donec tandem in ſummis & æternis animæ & corporis cruciatibus terminetur. Dicere, hominem eo die mortuum non eſſe: eſt cavillari contra mentem ac intentionem Spiritus. Spiritus, quemadmodum nunc dixi, hoc vult, quod homo eo die, quo peccaret, ſibi contraheret & cum in anima tum in corpore experiretur *ἀρχὴν ὠδίνων principium dolorum*, qui nunquam dehinc ceſſarent, ſed in toto homine & utraque illius parte aliquando conſummarentur cum ingenti iræ Divinæ ſenſu. Neque aliud Apoſtolus, quando *ſtipendium peccati* dicit eſſe

Et ad Rom. VI, 23. *mortem*, per *mortem* intellexit. Ne hic quæras, inquam, an Paulus *temporalem*, an *ſpiritualem*, num vero *æternam* intelligat? Semel dicamus, Apoſtolum id omne intelligere, quod in *anima* & *corpore* moleſtum ac doloriferum eſt, cujus fructus eſt ſempiterna iræ Divinæ in inflicta illius moleſtiæ âc doloris pœna demonſtratio.

Ex quibus principiis explicatur theſis, quæ *mortem* negat credentibus.

XV. Ex his demum bene perceptis liquidum erit intelligere, qua ratione interpretari liceat noſtram theſin, dictis Chriſti & Apoſtolorum confirmatam, qua *credentes à morte liberi* pronunciantur. Nimirum 1. per *fidem* homo miſer, qui *omnis mortis* in ſe habet radices & ſemina, id *principium vitæ* accipit, per quod omne genus *mortis*, cui per peccatum ſubjectus eſt, erit ſuperandum & abſorbendum. 2. per *fidem* homo peccator in eum redigitur ſtatum, ut nullam in ſe ſentiat mutationem, quę ad *interitum* illius eſt; contra, omnis *mutatio*, quam ſubit, poſtquam credidit, eo confert, ut *vita*, cujus cum ipſo communicatum principium eſt, majora capiat incrementa, donec tandem in perfectiſſimo gradu ſuo conſummetur. Quoniam vero in *morte corporis* homo maximam ſubit mutationem, quæ vi peccati ex juſtitia Dei ad ipſius *interitum* eſt, ut ſcilicet *corpus peccatoris* hac via ad *æternos cruciatus fieret immortale:* (cum Eraſmo loquor in egregia illa *fidei Orthodoxæ* expoſitione, quam inſeruit *Colloquiis:*) in *homine credente* hæc ipſa mutatio confert ad *vitam*, cujus principium poſſidet, augendam & complendam, ut ſcilicet *corpus* ipſius hoc ipſo medio præpararetur ad ſtatum con-

conſummatæ gloriæ olim ineundum. Hoc ſenſu Credentes negantur *mori*. Recurramus ad Verbum Dei, ut de hac veritate plene perſuadeamur. Sed de *utraque parte* interpretationis ſententiæ Chriſti, quam hac theſi exhibuimus, diſtincte.

Primo obſervatur, per *fidem* omne genus mortis ſuperari.

XVI. Chriſtus Dominus, quando apud *Martham* differebat de *Lazaro* jam defuncto, ſua potentia reſuſcitando, atque ea occaſione hanc auream ſententiam proferebat; *Quiſquis vivit & credit in me, non morietur in æternum:* quid voluit dicere? An hoc tantum, *quiſquis in me credit*, is aliquando *reſurget?* Id quidem, opinor, ſed non tantum. Quid enim id multum faciebat ad præſentem *Lazari* reſuſcitationem, ad quam cogitationem Chriſtus *Martham* ducere cupiebat? Futuram quidem Lazari reſurrectionem credebat Martha; de præſenti tamen addubitabat, etſi eadem potentia & vis Chriſti ad utramque requireretur. Sed de futuris non æque ſumus ſoliciti, neque in eorum cauſas adeo diligenter inquirimus, quam præſentium. Majus fidei argumentum requirebatur in Martha ad credendam reſuſcitationem Lazari præſentem. Sic igitur interpretare hanc ſententiam, quaſi Chriſtus dixiſſet: *Qui in me credit*, hoc accepit vitæ principium, per quod omnem mortem certiſſime ſuperabit, imo ad quodvis dictum & verbum meum omni tempore ſuperaturus eſt; neque enim frater tuus, Martha! periit, ſed nunc ſecundum animam pergit *vivere Deo* ex eodem vitæ principio, quod ipſi per fidem eſt ingenitum, quod idem principium vitæ in cauſſa eſt, quod corpus ipſius poſſit & debeat vivere, imo certiſſime victurum ſit, ubi id mihi placuerit. Compara nunc verſ. 25. *Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Senſus, ut puto, ex dictis nunc eſt clariſſimus. Neque alius eſt loci παράλληλος Joh. VIII. 51. Per *principium* vero *vitæ*, de quo jam aliquoties loquuti ſumus, intelligimus *Spiritum Sanctum*, vi mortis Chriſti in anima producentem *fidem*, *ſpem*, *charitatem*, *timorem Dei*, & *lætitiam*; ſive *illos ipſos habitus* (ἕξεις) *fidei*, *ſpei*, *amoris* Dei & *ſtudii bonorum operum*, uti fit in opere Gratiæ, quod Scriptura *Regenerationem* vocat; eamque animi affectionem per eandem continuatam gratiæ ſuæ operationem in animo conſervantem. De eo egregie *Joannes*[a]: *Quiſ-*

Colloquium Domini cum Martha de morte Lazari expenditur & illuſtratur, ex Joh. XI. 22. 23. &c.

Et Joh. VIII. 51.

1 Joh. III. 8. exponitur.

a 1 Cap. III. 8.

Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non facit, ὅτι σπέρμα ἀυτȣ̂ ἐν ἀυτῷ μένει· *quia* SEMEN IPSIUS *in ipſo manet*. Hoc eſt, quia eadem vis Spiritus, per quam primum incepit credere *Evangelii Verbo*, ipſi continuo adeſt, neque unquam poſt id tempus ipſum deſtituit. Vel, quia idem *principium vitæ* (eſt enim *ſemen* vitæ principium:) aut potius iidem habitus *fidei*, *ſpei*, amoris & timoris Dei, atque hinc orta *pax* & *lætitia*, cum ipſo in *Regeneratione* communicati a Spiritu, per eandem vim Spiritus potentiſſimam in ipſo continuo conſervantur. Mens ſemel a Spiritu ſanctificata non mutatur rurſus in pejus, neque ab eo Spiritu de novo deſeritur; contra operationes Spiritus in mente ſunt electis Credentibus *arrha* & pignus quo certi redduntur, Spiritum Sanctum hoc ſuum opus tandem conſummaturum ad ſummum uſque perfectionis gradum. Hoc *ſemen* vocatur VITA ÆTERNA in Credentibus *manens*, in eodem hoc *Capite* ℣ſ. 15. *Quiſquis odit fratrem ſuum homicida eſt: & noſtis, quod nullus homicida* ἔχει ζωὴν αἰώνιον ἐν ἀυτῷ μένȣσαν *habeat* VITAM ÆTERNAM *in ſe manentem*. Quænam hæc eſt ἐμμονὴ τῆς ζωῆς αἰωνίȣ *manſio vitæ æternæ in fidelibus?* Eſt conſervatio *illius principii vitæ* in Credentibus, quod in cauſa erit, ut illi in æternum vivant & omnem mortis ſpeciem ſuperent. *Petrus* Apoſtolus idem hoc *vitæ principium* vocat[a] SEMEN ἄφθαρτον INCORRUPTIBILE, quod ait eſſe λόγον Θεȣ̃ ζῶντα καὶ μένοντα εἰς τὸν αἰῶνα *verbum Dei vivum & manens in æternum*. Quomodo nunc *Verbum Dei* eſt *principium vitæ?* Hac ratione, ut exiſtimo. Mutatio omnis, quæ fit in peccatore ad ἁγιασμὸν, eſt per *verbum Evangelii*; maxime quemadmodum id peccatori exponitur ſub Novo Fœdere, de quo *Petrus* loquitur. Ubi id verbum à peccatore bene perceptum & acceptum eſt, quod fieri non poteſt abſque potentiſſima operatione Spiritus Sancti: hunc in homine effectum ſortitur, ut homo *credat*, Deum *amet*, & *timeat*, & *gaudium* ſentiat bonæ conſcientiæ; proximos quoque ſuos amet, & fructus continuos bonorum operum proferat. Comparetur Chriſti explicatio Matt. XIII: 23. Eleganter ibidem dicitur ℣ſ. 22. de *temporario*; ȣ̓κ ἔχει ῥίζαν *non habet* RADICEM, ¬pr *Fundamentum*. quod *Fundamentum* eſt clara veritatis Evangelicæ perceptio, & ſolidum

Vita Regenerationis connectitur cum *vita æterna*.

Gratia Divina æternum producit effectum.

Radix fidei ex Matth. XIII. 22. 23.

a 1 Cap. 1. 32.

dum de ea judicium. Sed properamus ad alias elegantiſſimas deſcriptiones hujus *vitæ æternæ in fidelibus manentis* proferendas.

XVIII. Chriſtus Dominus cum Samaritana Muliere agens occaſione *fontis*, apud quem erat, & cujus *aquam* hauriebat *mulier*, (*aqua* autem *fontana* apud Judæos מים חיים *aqua viva* vocabatur:) de ſua diſſerit *gratia* ſub nomine ὕδατος ζῶντος *aquæ vivæ*. *Quiſquis*, ait [a], *biberit ex aqua illa, quam ego illi dabo, nequaquam unquam ſitiet:* ἀλλὰ τὸ ὕδωρ, ὃ δώσω αὐτῷ γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. *ſed aqua, quam ego illi dabo, fiet in ipſo* FONS AQUÆ *ſalientis in vitam æternam.* Quam hic elegans, quam ſolo Meſſia dignus ſermo! Per *aquam* intelligit *gratiam ſanctificantem Spiritus vi ſuæ obedientiæ.* Hæc *gratia* ſemel communicata cum mente, non eſt in mente otioſa, ſed in continuos ſe exerit actus, qui ſunt ad ſuperandam omnem mortem, quæ adhuc in homine reliqua eſt; immo non ceſſabit actuoſa eſſe, antequam hominem perduxerit ad conſummatæ beatitudinis & vitæ ſtatum, duraturæ in omnem æternitatem. Sic pariter *Cap.* VI. 27. *Operemini*, ait Judæis, *non* (circa) *cibum, qui perit,* SED CIBUM ILLUM, QUI MANET IN VITAM ÆTERNAM. Ἐργάζεσθε τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον. hoc eſt, operam date, ut illius vitæ evadatis participes, quę ſe externis & nunquam ceſſaturis fructibus vobis commendabit. Sed in Feſto Tabernaculorum quam Chriſtus hac de re divine diſſeruit [a]! *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος· *qui credit in me, ut Scriptura dicit, fluvii aquæ vivæ indeſinenter ex ventre ipſius effluent.* Ποῖοι λόγοι! Quę jam cauſſa eſt, cur ex φράσει Chriſti & Apoſtolorum *qui credit*, dicatur habere *vitam æternam*, ut apud Joannem [b]: ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον· *Ut omnis qui credit*, HABEAT VITAM ÆTERNAM. & in eundem ſenſum alio loco [c]: *Qui edit carnem meam & bibit ſanguinem meum* ἔχει ζωὴν αἰώνιον, HABET VITAM ÆTERNAM. Quomodo *credentes habent vitam æternam*? Eo, quo nunc explicitum eſt, modo. Scilicet non habent tantum *initia vitæ æternæ*, fidem, amorem Dei, pacem, & lætitiam bonæ conſcientiæ in Deo; quæ in ſummo ſuo gradu *vitam æternam* facient: ſed habent etiam ejuſmodi *principia vitæ æternæ*, quæ neceſſario con-

In eandem rem expoſitus locus Joh. IV. 11. 12. 13.

Natura Gratiæ hujus Divinæ deſcribitur ex Joh. VI. 27. & VII. 37.

a Cap. VII. 37. b Cap. III. 15. c Cap. VI. 54.

conſummari oportet & certiſſimum fructum involvunt vitæ perfectæ & beatæ, nunquam terminandæ.

Conſequens ejus eſt, Credentes hoc reſpectu dici poſſe liberos à morte temporali.

XVIII. Hoc *primum* è re erat obſervaſſe ad explicandam theſin: *Credentes non mori.* quod nimirum credentes in hac vita id accipiant *vitæ principium*, per quod quamlibet mortem, quæ per peccatum *in mundum venit*, certiſſime ſint victuri; neque minus *temporalem*, quam *ſpiritualem*, & æternam. Non diſtinguit id Scriptura, ut ante dixi. Quod ſi teneamus fundamentum; facile jam intelligemus, quomodo credentes *à morte temporali* liberati cenſeantur, non minus quam à *ſpirituali*. Scilicet *mors temporalis*, ut pœna peccati eſt, non ſpectanda à nobis ſeorſim eſt, ſed ut *pars* illius *mortis*, quæ per peccatum humano generi impoſita eſt, quæ in ſummo gradu ſuo *æterna* vocatur. quæ *mors* inflicta eſt peccatori ut pœna, ut per eam mortem peccator præpararetur ad ſummum exitium atque *interitum*. Quando vero homo peccator incipit credere in Filium Dei vera & viva fide, & illius *principii vitæ* particeps evadit, per quod *æternum illud exitium* ſuperaturus eſt; tum ſimul dicitur ſuperaſſe *mortem temporalem*, quæ ſolummodo conſiderabatur ut *æternæ mortis* miniſtra. Ac proin credens non dicitur *mori* etiam *quoad corpus*, quia *nexus*, qui inter hanc & æternam mortem erat, ſublatus eſt. Quemadmodum igitur *peccator*, qui omnis in ſe mortis, etiam *æternæ*, principia & radices habet, jam dicitur *mortuus*, & ab omni vita tranſiiſſe ad *omnem mortem*: ita etiam *credens*, qui tale in ſe principium vitæ habet, per quod omnem mortem certo vincet, optime dicitur *vivere*, & ab omni morte tranſiiſſe ad *omnem vitam*. *Vita* enim & *mors* non tam ſecundum partes ſuas quam ſecundum gradus ſuos in Scripturis ſpectandi exhibentur, & ſibi mutuo habentur oppoſita. Sed aliud quoque eſt quod huc pertinet, & *ſecundo* à nobis obſervari debebat.

Reſpectus mortis temporalis in ſtatu Reatus Humani generis.

Quænam hic accidat mutatio in ſtatu Gratiæ?

Imo credentes poſtquam crediderint, nullas in ſe ſubeunt mutationes quæ ad interitum aut malum ſuum faciunt.

XIX. *Fidelis*, qui ex puro corde & bona conſcientia in Chriſtum credit, non operatur tantum ex principio, ſibi ingenito, *ad vitam*, ſed etiam nullas, poſtquam credidit, mutationes ſubit in corpore ſuo, quæ ad *interitum* aut *malum* ipſius (hoc eſt, *æternum* ejus *exitium*, quod *ſummum* intelligentis Creaturæ *malum* eſt:) facere poſſunt. Illæ ipſæ mutationes, quibus ſubjectus eſt peccator, quæque in eo *mortis* nomen habent, quip-

pe

pe quæ in ipſo initia & argumenta ſunt majoris *interitus*, in homine credente faciunt ad vitam ipſius promovendam. Id in mente habuiſſe Chriſtum, quando eos, *qui credunt in ſe*, non *mori* aſſeruit, inde patet, quia *mori* interpretatur per *perire* & *condemnari*. Sic eſt apud Joannem [a]: *Ut quiſquis credit in eum*, μὴ ἀπόληται NON PEREAT, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον· *ſed habeat vitam æternam*. ℣ſ. 42. Ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, οὐ κρίνεται· *Qui credit in ipſum*, NON CONDEMNATUR. Τὸ κρίνεσθαι vero *condemnari* ℣ſ. 38. in hunc modum exponitur: ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν· *Ira Dei manet ſuper eo*. Hæc merentur attentionem. Quas mutationes ſui ſtatus homo irregenitus & extra gratiæ ſtatum poſitus experitur in deterius, quarum maxima eſt in *morte temporali*; illæ faciunt omnes ad ipſius *exitium* & *interitum*. in iis omnibus eſt convictio peccatoris, eſſe in ſe aliquod κατάκριμα *condemnabile*, quod non poterit effugere juſtiſſimum Dei judicium. in iis omnibus ſignum editur manifeſtum, peccatorem eſſe ſub *ira Dei*, quæ ipſum nunc *premit* & magis magiſque premet in omnem æternitatem. Hoc teſtimonium, hæc convictio, hæc ſigna inſunt in omni afflictione, & *omni morte* temporali *hominis irregeniti*. *Mori* igitur & *affligi* in peccatore eſt *perire*, *condemnari*, & *ſub ira eſſe*, quia illæ mutationes in peccatore, quas nos inſignimus nomine *mortis*, in ipſo ſunt initia, argumenta, & ſigna certiſſima pleni interitus, & conſummati ſtatus κατακρίσεως *condemnationis* & ὀργῆς *iræ*. E contrario, *qui credit*, *non perit*, hoc eſt, *non moritur*, quia *credens* non ſubit, poſtquam credidit, ullas mutationes, *afflictiones*, puta, *dolores*, adverſa, aſperos & acerbos caſus, & ipſam denique mortem temporalem; niſi quę promoveant *vitam*, cujus principium accepit, eamque perducunt ad ultimum perfectionis gradum. Huc omnia tendunt, quę *credenti* obveniunt, ad externam ſpeciem mala, ut credens magis magiſque *vivat*. unde tantum abeſt, ut hæ *mutationes*, quas credens experitur, ex phraſi Scripturæ ipſius *mors* debeant dici, ut contra mereantur vocari *media*, quibus ejus *vita*, hoc eſt, fides, ſpes, amor, lætitia, pax, gloria, conſummata redduntur. Quod ita ſi eſt, ſimul liquet, credentes non *mori*; neque *mori* etiam *morte temporali*, quatenus illa peccatori ut pœna à Deo eſt impoſita, h. e. qua-

Credentium & non credentium in hoc caſu diſcrimen.

Quo modo inde homo qui eſt in Chriſto dici queat, *non mori*?

a Joh. III. 15.

Solvitur in iis nexus qui eſt inter *mortem temporalem* & *æternum exitium.*

quatenus eſt pars æterni exitii. Ubi enim abeſt *interitus*, *condemnatio*, & *ira*; ibi nulla eſt *mors*. Vel, ubi ſolvitur nexus *afflictionum* & *mortis temporalis* cum æterno *interitu*, *condemnatione*, & *demonſtratione iræ Dei*: ibi abeſt *mors*. nec non, ubi *afflictiones* & *ſolutio mentis à corpore* ſunt media promovendi *vitam veram* credentium, ibi conſiderari non debent ut *mors*, quo ſenſu

Pauli locus cap. VIII. 1.

ea eſt ὀψώνιον τῆς ἁμαρτίας *Stipendium peccati*. Hoc *Paulus* voluit, ubi ad Romanos ſcripſit[a]: Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. NULLA *itaque nunc* CONDEMNATIO IIS, QUI SUNT IN CHRISTO JESU. Paulus vult, peccato expuncto per Chriſtum non poſſe in iis, qui Chriſti ſunt, exſtare ullum effectum iræ aut juſtitiæ Divinæ, tendentem ad *ſummum* hominis *malum*. Si igitur in iis ſuperſint *afflictiones*, *dolores*, & *incommoda* vitæ: hæc non ſpectanda eſſe ut ſigna κατακρίματος *condemnationis*, ſed potius *gratiæ* & benignitatis.

Et ipſa Mors temporalis ſit medium conſummandæ beatitudinis electorum.

Si mors etiam temporalis iis ſit ſubeunda: eam minime expectandam ut argumentum *condemnationis*, ſed potius ἀπολυτρώσεως *liberationis* & *redemptionis* plenæ, ut perveniamus ad ſtatum Filiorum Dei perfectum. imo, ſi in ipſis etiam ſuperſit σάρξ *caro* & ἐπιθυμία *concupiſcentia*; hanc non alium in finem ſupereſſe, quam ut *victoria* credentium de *peccato* & condemnatione tanto eſſet illuſtrior[b]. *Credentibus in Deum omnia conducunt in bonum.*

Locus Pauli ad Rom. XIV. 8.

Quo jam referenda emphatica illa Pauli verba, quibus ait, *credentes*, ubi moriuntur, *mori Deo*[c]: Ἐάν τε γὰρ ζῶμεν, τῷ Κυρίῳ ζῶμεν, ἐάν τε ἀποθνήσκωμεν τῷ Κυρίῳ ἀποθνήσκομεν· *nam ſive vivimus*, *Domino vivimus*; *ſive morimur*, DOMINO MORIMUR. Hoc vult, ni fallor; *vitam noſtram* noſtri non eſſe arbitrii, ſed à Chriſto dependere; vitam noſtram eſſe Chriſti *vitam* & ab ipſo dirigi atque componi ad ſuam gloriam; pariter *mortem* noſtram noſtri non eſſe arbitrii, ſed *ad curam & conſilium Chriſti pertinere*, & ab ipſo *dirigi ad* ſuam *gloriam*. Niſi enim *mors* credentium judicaretur à Chriſto poſſe eſſe ad *gloriam* & *commodum fidelium*: non utique permitteret Chriſtus, ut ipſi hanc ſtatus ſui mutationem ſubirent. Videmus igitur, quo ſenſu id in Apoſtolicis Scriptis accipiatur, quod credentes *liberi* pronuncientur *ab omni morte*. Auguſtinus, poſtquam in *Libro Primo* de *Civitate Dei*[d] de hoc argumento fuſe ſatis diſſeruiſſet, dicta tan-

a Rom. VIII. 1. b Verſ. 28. c Rom. XIV. 8. d Cap. VIII. IX. XXI.

tandem in hanc ſummam colligit: *Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit.* Neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. Imo jam aliquid hac de re viderunt Gentiles. Stoici quidem Philoſophi paſſim jactabant, *nullum malum eſſe niſi turpe, nullum bonum niſi honeſtum:* ut ex Demetrio Cynico Seneca [a]. Sed fuit is craſſiſſimus error, lumini naturæ, ſi quiſquam alius, è directo contrarius. Coacti tamen ſunt eum defendere Stoici, quia originem *mali phyſici* explicare non poterant ſecundum hypotheſes ſuas niſi ex hoc principio. Quid? An ægritudines, labores, incommoda, ignominia, dolores, & ipſa mors, in ſe ſpectata, *mala* non *ſunt:* ut adverſus Pompejum tenuit Apollonius Molonis, celeberrimus Philoſophus, cum vel maxime pedibus laboraret? Certe ſi *bonum* eſt, noſtri reſpectu, quicquid *naturam noſtram perficit*; *malum* eſt quicquid eam lædit aut deſtruit. Id tamen verum eſt, quod Stoici per rimam videre potuerunt, hæc mala non ſemper homines ducere ad æternum & certum exitium. Utique eſt ea de re eximius Socratis locus, quem ex Platone nobis ſervavit Theodoretus in hunc modum [b]: Ἀλλὰ καὶ ὑμᾶς χρὴ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, εὐέλπιδας εἶναι πρὸς θάνατον, καὶ ἕν τι τοῦτο διανοεῖσθαι ἀληθὲς, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν, οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι, οὔτε ἀμελεῖται ὑπὸ Θεοῦ τὰ τούτου πράγματα. Οὐκ οὖν οὐ τῷ ὄντι κακὰ πενία καὶ νόσος καὶ δουλεία καὶ θάνατος, ἀλλὰ καλεῖται μὲν ὑπὸ τῶν ἀνοήτων κακὰ, ἀγαθὰ δὲ γίγνονται τοῖς εὖ καὶ καλῶς κεχρημένοις· *Sed enim, Viri Judices, & vos oportet bonam ſpem de morte concipere, unumque hoc cogitare verum eſſe; bono videlicet viro, ſeu vivat ille ſeu moriatur, nihil poſſe mali contingere, neque Deum non curare hujus negotia. Itaque vere mala non ſunt, mors, pauperies, ſervitus, ægritudo; ſed vocantur quidem à ſtultis mala,* bene autem utentibus bona fiunt [c]. A qua Stoicorum & Socratis ſententia quam non longe abſit Origenes, videre licet in *Fragmentis Commentariorum* ipſius in *Pſalmos* [d], quæ ſuperſunt. Longum eſt omnia deſcribere.

Stoicorum de *Malo* ſententia,

Et de ea judicium.

Quo ſenſu excuſari poſſit?

Socratis dictum hac de re ex Theodoreto.

a De Benefic. Lib. VII. Cap. II. b Ad *Græcos Inſid.* Serm. VI. de *Providentia* p. m 95. c Vide quoque p. 97. d In Orig. *Huetii*, Com. in Pſ. IV. p. m. 47.

Caput VIII.

Continuatur diſſertatio de eodem argumento, & *evincitur*, Interitum corporis, *ut nunc eſt rerum conſtitutio*, promovere vitam *Credentium;* eſſe fructum mortis Chriſti; ſummopere illuſtrare Dei gloriam, *neque* repugnare illius Juſtitiæ; *quæ plurimum faciunt ad hoc quæſitum illuſtrandum.*

Altera theſis illuſtranda ſumitur, *Mortem temporalem hoc ſtatu rerum paratam eſſe ad vitam & ſalutem credentium promovendam.*

EXpoſito itaque, quomodo Credentes in Scriptura dicantur liberi eſſe a morte; propius eo veniendum eſt, ut intelligamus, quid Spiritus Sanctus nos doceat de *interitu corporis noſtri*, qui vulgo nobis *mors* dici ſolet. Sequatur igitur ex ordine inſtituti noſtri *theſis ſecunda:* INTERITUM CORPORIS HOC ORDINE RERUM PARATUM ESSE AD VITAM ET SALUTEM CREDENTIUM PROMOVENDAM. Paulus ad Philippenſes[a]: Ἐμοὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. MORI MIHI EST LUCRUM. Quomodo *lucrum*, ſi non promoveret ipſius commoda? ℣ſ. 23. *Conſtrictus enim teneor ex his duobus*, τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι *deſiderium habens dimiſſionis meæ, & ut cum Chriſto ſim. nam hoc valde multo melius &c.* & ad Corinthios[b]: Εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον· GRATIUS EST NOBIS *abeſſe potius ex corpore & adeſſe apud Dominum.* & quæ hujus generis alia.

Adſtruitur theſis.

Poſitio illa declaratur ex principiis Doctrinæ Sacræ.

II. Quid vero hoc eſt rei, quod tantum *lucrum* Credentes ponant in *interitu corporis* ſui? Quod *mortem*, rem per ſe homini valde terribilem, exoptent tanto cum deſiderio ut ſummum aliquod & amabile bonum? Hoc explicandum eſt diligentius.

Corpus in homine ſedes & fomes peccati.

Obſervetur igitur hanc in rem, Spiritum Sanctum nos in verbo ſuo docere & ſanctis omnibus, per Spiritum Dei regenitis, ex experientia conſtare, *corpus* hominis *regeniti* eſſe *potiſſimum peccati fomitem & ſedem.* Inde Paulus id vocat σῶμα τῆς ἁμαρτίας CORPUS PECCATI[c]. & in ſequenti contextu: *Ne regnet peccatum* ἐν τῷ θνητῷ σώματι ὑμῶν IN MORTALI CORPORE VESTRO. Nempe corpus cum mente mirabili prorſus modo conjunctum, aut potius,

a Cap. I. 21. b 2 Cor. V. 8. c Rom VI. 6.

tius, ut Tertulliani phraſin hic adhibeam, *concretum*, menti occaſionem dare poteſt peccandi, eamque magna & valida vi ad peccandum ſeducere poteſt & irritare. Corpus enim noſtrum, per concupiſcentiam procreatum, propenſiſſimum eſt ad tales motus, quibus ſi mens abſque ratione & judicio obtemperat, peccat: & conſueverunt regeniti, antequam per gratiam Dei in hunc ſtatum perducti ſunt, his motibus concupiſcentiæ obſequi. unde facile ab iis *præripiuntur* & prævertuntur, ſi ad omnes animi ſui motus eam non adhibeant diligentiam & attentionem, quam oportet[a]. Deinde quod in *mente* hominis regeniti ſit *languor*, nec prorſus in ea ſit extincta concupiſcientia ſive bonorum hujus vitæ, ſive honoris & gloriæ, ſive voluptatum carnalium; quod mens illius ſæpe non penitus ſit purgata invidia, ira, ſuperbia, aliiſque vitiis; quod mens Deum clarius & perfectius non cognoſcat, in Deo non magis lætetur & gaudeat: hæc dubio procul adſcribenda ſunt maximam partem *corpori*, in quo habitat, a quo ſæpe ſe patitur regi, etſi ipſa corpori regendo conſtituta ſit. Atque hæc ratio eſt, cur principium peccati, in homine regenito, vocetur *σάρξ caro*, & *ὁ ἔξω ἄνθρωπος homo exterior*. *Mentem* vero quod attinet *regeniti*, ſi eam in ſe ſpectes, indita ipſi eſt in *regeneratione ſincera* voluntas, & *verum* ac minime fucatum ſtudium quærendi Deum & Gloriam illius; Deum cognoſcendi, amandi, & virtuti ad ejus honorem pro virili ſtudendi, & magnum ſalutis ſuæ negotium *in timore & tremore* curandi. Hoc ſtudium adeſt *menti*, etiam tum, quando *peccando* abripitur. Nulla mens eſt hominis ſanctificati, quæ non *vero* & minime *ſimulato* ſtudio optat, deſiderat, imo ad hoc adſpirat omni voto & niſu ſuo, ut Deum perfecte amet, cognoſcat, in ipſius communione vivat, & lætetur. cujus propoſiti & ſtudii reſpectu homo *regenitus* vocatur שלם / *τέλειος, ἅγιος, perfectus, ſanctus. Corpori* igitur, non *menti* (niſi forte delictum ex ignorantia committatur:) imputanda ſunt vitia & peccata, ad quæ regenitos etiam ſanctos prolabi aliquando contingit: a cujus concupiſcentia, nondum penitus extincta, melior pars ſe quibuſdam caſibus vinci & ſuperari patitur ad ejus pudorem & ignominiam.

Quod exponimus.

Inde peccatum περίληψις in Credentibus.

Et varii alij affectus, non regnantes quidem, attamen in iis nondum plane extincti.

Dum tamen Mens hominis regeniti ſemper ſtatum ſuum tuetur.

III. Cæ-

a Gal. vi. 1.

Quandiu tamen homo in vivis eſt, non plane liberatur hac lucta peccati.

III. Cæterum *mens regeniti* nunquam libera erit ab hiſce tentationibus, quandiu *corpore* clauditur. Contra certum eſt, ubi liberata fuerit a corpore, tum eam expleturam omnia ſua deſideria, neque amplius turbandam ab ulla re externa. Scit præterea, ſe moleſtas has tentationes, & vitioſos affectus, qui eas conſequuntur, ſuperare & vitare non poſſe penitus, niſi corpore hoc, peccati inſtrumento, exuta fuerit. Unde fieri nequit, ſi ſerio optet Dei gloriam, & ſuæ conſummationem *vitæ*, quin ſerio etiam optet mortem. Quæ ſi certa ſint & indubia: conſequens eſt, Credentibus magnum accedere emolumentum per *mortem*. Cum enim *peccatum* eorum *vitæ* maxime adverſum & contrarium ſit, eamque conturbet: in morte neceſſe eſt magnum habeant beneficium, tanquam in qua & per quam à peccato ejuſdemque moleſtis effectis conſequentibus liberentur. Id vero nunc eamus confirmatum ex Verbo Dei, ex quo nunc volupe nobis eſt unice ſapere. Sic igitur ad Corinthios Paulus[a]: *Propterea non ſegneſcimus*, (de *afflictionibus* agit, quas ipſe cum cæteris Apoſtolis ſuſtinendas habebat:) *ſed etiamſi* ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος EXTERIOR NOSTER HOMO *corrumpatur*, ἀλλ' ὁ ἔσωθεν ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ· INTERNUS *tamen renovatur indies. Nam illico præteriens levitas afflictionis noſtræ excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis.* Pergit inde in *ſequente Capite* de eodem argumento diſſerere *uſque ad* ℣ſ. 10. Sic ℣ſ. 4. *Etenim, qui ſumus in hoc Tabernaculo, ſuſpiramus gravati: eo quod cupimus non exui, ſed ſuperindui,* ἵνα καταποθῇ τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς· *ut abſorbeatur mortale illud à vita.* Nimirum Apoſtolus diſtinguit *in homine* hominem *duplicem* τὸν ἔξω *exteriorem* & τὸν ἔσωθεν *interiorem.* ὁ ἔξω ἄνθρωπος eſt *homo*, in quantum *corpus* eſt & *corporis motibus obtemperat*; ὁ ἔσωθεν ἄνθρωπος eſt *homo*, in quantum *mens* eſt à Spiritu Dei acta & recta. Hi duo ſibi ſunt oppoſiti, & contrarii. Quicquid alteri decedit, alteri accedit. Quanto magis corpus perit, tanto minus mentem ſeducit. Quanto magis *corpus* alitur, ſive ejus habetur πρόνοια *cura* εἰς ἐπιθυμίαν *ad concupiſcentiam*[b]; tanto magis mentem irritat & ſtimulat ad vitia, eique in ſtudio veræ ſanctimoniæ, & opere Domini adverſatur. Unde ſequitur, interitum τοῦ ἔξω ἀνθρώπου non poſſe non eſſe ad commodum fidelium. Id vero idem cor-

Inde in eo mortis deſiderium.

Pauli locus 2 Cor. IV. 16. 17. huc adductus.

Qui declaratur. In homine regenito eſt homo *exterior*; & *interior*.

a 2 Cor. IV. 16. 17. b Rom. XIII. 14.

corpus vocatur ἐπίγειος οἰκία *terreſtris domus*[a], in qua mens στενάζει *ſuſpirat*, ut in carcere. quod homini ſancto eſt βάρος *grave* & *moleſtum*. qui eam ob cauſam cupit ἐκδύσασθαι *ſe exuere*, ut τὸ θνητὸν *mortale abſorbeatur à vita.* id eſt, ut à corpore mortali liberetur per plenam vitæ ſuæ conſummationem, & ut Chriſto perfecte fruatur. Etenim quamdiu ἐνδημεῖ ἐν τῷ σώματι *mens in corpore commoratur*, tamdiu ἐκδημεῖ ἀπὸ τοῦ Κυρίου *peregre abeſt à Domino*; hoc eſt, tamdiu vita Chriſti in ea plene non manifeſtatur: tamdiu non poteſt Chriſtum perfecte cognoſcere, amare, & in ejus communione abſque dolore, incommodo, & pudore lætari.

Ita inter ſe oppoſiti, ut alterius incrementum, ſit alterius decrementum.

IV. Pertinet etiam huc dictum Pauli ad Romanos[b]: Ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας· *Etenim qui mortuus eſt*, LIBERATUS EST A PECCATO. Proprie: *Juſtificatus eſt à peccato.* Hoc eſt, ille verum fructum juſtificationis à peccato conſequutus eſt. Noſtra enim juſtificatio hunc fructum debet proferre, ut aliquando perfecte ab omni peccato, omnibuſque illius effectis, liberemur. Neque alia eſt ratio, cur *reſurrectio* fidelium vocetur ἀπολύτρωσις *redemptio corporis.* qua de re Apoſtolus in eadem Epiſtola[c]: *Nos, qui primitias Spiritus habemus, in nobis ipſis ſuſpiramus* υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν· *Adoptionem expectantes*, REDEMPTIONEM CORPORIS NOSTRI. Tum enim *corpus*, quod ſemper peccati fuit inſtrumentum & corruptionis particeps, liberabitur ab omni interitu & cum cæteris creaturis totum ad Dei erit gloriam. quo etiam pertinet, quod Paulus in Epiſtola ad *Coloſſenſes*[d] τὴν περιτομὴν ἀχειροποίητον *circumciſionem, quæ eſt abſque manibus*, hoc eſt, ſanctificationem peccatoris, conſtituat ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς *in exutione corporis peccatorum carnis.* quo nomine non tantum intelligit *peccatum* ſive vitioſitatem in membris noſtris hærentem, quæ cum *corpore* recte comparari poteſt; ſed ipſum quoque *corpus*, per quod tanquam per inſtrumentum αἱ ἁμαρτίαι τῆς σαρκὸς *peccata*, *quæ ex concupiſcentia corporis* oriuntur, perficiuntur. *Reſectio carnis* in circumciſione cum dolore notabat abolitionem omnis σαρκὸς *carnis*, hoc eſt, peccati in carne habitantis ad perfectam hominis ſanctificationem & πλήρωσιν. *Morte* igitur *circumcidimur.* Quare tandem dicta in hanc ſummam colligamus: Si liberatio à peccato,

Alterum Pauli dictum Rom. VI. 7. huc advocatur.

Quod Ap. dictum exponitur, & cum locis Rom. VIII. 23. & Col. II. 14. comparatur.

Quid Ap. in poſteriore loco intelligat per *exutionem corporis peccatorum carnis*?

a Cap. V. 1, 2. b Cap. VI. 7. c Rom. VIII. 23. d Cap. II. 14.

& peccati tentationibus omnibus; ſi plena ſanctificatio; ſi perfecta lætitia; *ſi cum Deo & Chriſto eſſe*, promoveant *vitam* credentium; ergo utique *interitus corporis*, quo mediante *credentibus* hæc obtingunt bona, *promovet fidelium vitam.* Imo, quod plus eſt: Interitus Corporis Credentium præſtatur illis tanquam fructus & effectum mortis Chriſti. qua de re nobis ad *tertiam theſin* diſtinctius diſſerendum eſt.

Tertia poſitum *Diſſolutionem corporis credentium eſſe*, certo reſpectu, *fructum mortis Chriſti.*

Quæ adſtruitur.

V. III. Interitum corporis credentium derivari ex condemnatione peccati, facta a Deo judice in morte Christi, ac proin in credentibus ut fructum illius mortis spectandum esse. Paulus ad Romanos[a]: *Si Chriſtus in vobis ſit*, τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν, τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην· *tum* corpus quidem est mortuum propter peccatum; Spiritus *autem* vita propter Justitiam. Et in præcedente orationis contextu[b]: *Hoc cognoſcentes, quod vetus noſter homo cum eo crucifixus ſit*, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ· *ut* aboleatur corpus peccati, *ut nos non amplius ſerviamus peccato.* Ad quæ loca utile fuerit obſervatu, *carnem* in credentibus eſſe præcipuam *ſedem peccati.* Quemadmodum enim *anima* per corpus poteſt tentari, ita à corpore poteſt ſuperari & vinci ad illius parendum concupiſcentiæ. Cæterum per *mortem Chriſti* hoc effectum eſt, ut omne *peccatum aboleretur.* Hic fuit fructus τοῦ παθήματος & obedientiæ Chriſti. Paulus Apoſtolus hunc effectum vocat[c] ἐλευθέρωσιν ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας *liberationem à peccato*, & ἀπολύτρωσιν. In eo conſentimus, quotquot Chriſtum Dominum diligimus. Sed eleganter ait in eadem ad Romanos Epiſtola[d]: *Filium Dei, factum* περὶ ἁμαρτίας (חטאת) *ſacrificium pro peccato*, condemnasse (κατακεκρικέναι) peccatum *in carne.* Probro erat Diabolo & peccato, in *carne*, infirmitatibus iiſdem ſubjecta, quibus ſubjecta peccatorum caro eſt, *peccatum condemnari*, hoc eſt, judicari nullo jure amplius *credentibus dominari*, aut *eos damnare.* Declaravit enim Deus, per mortem Chriſti ſatisfactum eſſe ſuæ Juſtitiæ, ac proinde effecta *peccati* debere ceſſare. Hæc erat *condemnatio peccati*, κατάκρισις τῆς ἁμαρτίας. Alibi vocatur δικαίωσις ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας *Juſtificatio à peccato.*

Effectus enim mortis Chriſti eſt *deſtructio omnis carnis.*

a Cap. VIII. 10. b Cap. VI. 6. c Rom. Cap. VI. 18. d Cap. VIII. 3.

to. quemadmodum ante obſervatum eſt. Verum ſi *peccatum condemnatum eſt* ut abolendum: conſequitur, vi mortis Chriſti *abolenda* eſſe credentium corpora, quia in iis peccatum eſt, habitat, regnat: quia corpus non deſinit credentem regenitum tentare, ſeducere, irritare, iique infinitas creare moleſtias. Non poteſt igitur *peccatum damnari*, niſi *corpus noſtrum* damnetur, in quo *peccatum* eſt; quod per peccatum inquinatum eſt; quod que poſt ſanctificationem noſtram nos non ceſſat laceſſere. Eſt igitur *interitus corporis* credentium *fructus* & effectus mortis Chriſti, qui ex juſtiſſima Dei ſententia credentibus, ſecundum hanc illius σχέσιν, debet præſtari. Tantum abeſt, ut fidelibus interitus corporis malus aut noxius ſit. Interitus noſtri corporis eſt fructus *condemnationis peccati*, quæ credentium *juſtificatio* eſt. Atque id vult Apoſtolus, quando *corpus mortuum* eſſe dicit *propter peccatum*. Corpus poſt regenerationem manet peccati ſedes. Peccatum declaratum eſt abolendum eſſe. Ergo corpus abolendum eſt. Quam primum peccator *per fidem* communionem init cum Chriſto, mox certus redditur, *corpus peccati* debere aboleri, ut ipſe fructuum mortis Chriſti reddatur particeps.

Ac proinde *corporis* quoque, quod fuit ſedes peccati.

VI. Sed quomodo ais, *interitus corporis* credentibus poteſt imputari ut beneficium? Quatenus enim interit corpus, illi concipi debent, ſecundum illam ſaltem partem, interire. Reſpondebo ad hanc difficultatem, præter ea, quæ prolixe in præcedentibus ſunt diſcuſſa, Credentes in Scriptur *ſe à corpore ſuo* diſtinguere: fere ut Paulus in *Epiſt. ad Rom. Cap.* VII, peccata, quæ committit, non imputat *ſibi*, ſed *carni ſuæ*, & *peccato* in ſe *habitanti:* etſi tamen fieri poteſt ut Paulus ibi non loquatur de Regenito ſecundum Oeconomiam gratiæ ſub Novo Fœdere[a]. Eſt in fideli eodem *volens* & *nolens*. Mens, in quantum vult Chriſtum & quod vult per Chriſti gratiam exequitur contra tentationes corporis & carnis, concipitur eſſe *novus homo*. Sed fidelis judicat, hoc omne, *quod huic parti in ſe adverſum eſt*, *ad ſe minime pertinere*. Καταργησιν hujus partis adverſæ ſpectat ut καταργησιν τῆς ἁμαρτίας. Hinc dicitur *mortuus peccato*. Eſt enim *mori peccato* ſolvi à vinculo *ſerviendi peccato*; non amplius

Difficultas, quæ huic ſententiæ objicitur ex contemplatione corporis, ut partis credentium, removetur.

a Rom. VI. 2.

actuoſum eſſe in bonum peccati. Unde ſequitur, nos *mori* etiam *carni noſtræ*, hoc eſt, nos carnem noſtram, quatenus ea eſt concupiſcentiæ ſedes, pro parte noſtri non habere; ut partem noſtri non amare; imo eam ſpectare, ut nobis adverſam, nobis inimicam, ac proin pro ſummo lucro habere, ut id corpus in tantum deſtruatur. Fieri equidem non poteſt unquam, ut anima corpus ſuum non amet, ἁπλῶς, abſque ullo reſpectu & σχέσει. Fieri etiam nequit, ut anima ſanctificata non deſideret Deum in corpore ſuo perfecte glorificare; atque adeo fieri non poteſt, ut mens ſanctificata perpetuam corporis ſui deſtructionem poſſit appetere & non pro damno habere: ſed tamen hoc fieri poteſt & fit commodiſſime, ut mens, videns, corpus ſuum peccati eſſe inſtrumentum & ſæpe eſſe cauſſam peccati, ſibi eſſe inimicum & adverſum in omni bono opere, (ſecundum ordinem rerum, qui nunc juſto Dei judicio poſt Adami lapſum obtinet:) κατὰ τοῦτο τὸ μέρος cupiat ſui corporis diſſolutionem, ut abolitionem inſtrumenti peccati, & ut effectum juſtitiæ Dei propter mortem Chriſti, quo tandem aliquando vi ejuſdem illius mortis Chriſti ad æternam gloriam Deo ſiſtatur.

Temperamenta reſponſi.

VII. Hoc omnino ſignificatum fuit *Adamo* & *Evæ* in prima promiſſione Gratiæ, ac deinceps adumbratum fuit per *Diluvium*, *Circumciſionem*, ac *Baptiſmum*. Prima promiſſio habet[a], *ſerpentem Semini mulieris contriturum calcaneum*. ואתה תשופנו עקב. Per *mulieris ſemen* intelligendi ſunt Chriſtus homo, & qui in Chriſto ſunt omnes, electi ἐγκατεσμένοι. Serpenti igitur datum eſt, non tantum Chriſti, ſed & Credentium mortis cauſſæ eſſe per peccatum. Tam itaque Chriſtus quam *fideles moriuntur propter peccatum*. Quod idem eſt Apoſtoli dictum[b]; τὸ σῶμα νεκρὸν διὰ τὴν ἁμαρτίαν *corpus mortuum eſt propter peccatum*. Sed quid ita; an corporis noſtri interitu ſatisfit juſtitiæ Divinæ, quemadmodum ſatisfactum eſt juſtitiæ Divinæ per mortem Chriſti? Id nemo impune dixerit. Scriptura Sancta declarat conſtanter, ſolam mortem Chriſti eſſe εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ, & illius ſolius *ſanguini* ac *obedientiæ* adſcribit εἰρηνοποιΐαν *pacificationem* & καταλλαγὴν *reconciliationem*. Qui vero interitui corporis credentium idem

Illuſtratur theſis ex Gen. III. 15.

Nec tamen per mortem corporis ſatisfit Divinæ juſtitiæ.

a Gen. III. 15. b Rom. VIII. 10.

idem vellet adſcribere effectum, næ is *mortem Chriſti irritam faceret*, quę unica peccatoris ſpes eſt. Scriptura docet amplius, juſtitiæ Divinæ ſatisfieri non poſſe, niſi *peccator* ſit *ſub ira* Divina, ejuſque vim ſentiat: quod reſpectum habet non tam ad corpus quam ad *mentem*: quę ſi exempta ſit ſupplicio, neque cum corpore patiatur, tota ſupplicii vis & efficacia perit. Intelligi nequit, Deum in peccatore ſerio velle glorificari per demonſtrationem ſuæ juſtitiæ, & hoc agendo, animam illius velle dimittere impunitam, imo eam velle beare & glorificare. Quin imo, ſi ita ſe res haberet, tum Chriſtus *fruſtra fuiſſet mortuus*, quia quiſque fidelis pro ſe, Chriſtus pro nemine ſatisfaceret, aut ſatisfeciſſet; tum peccator ipſe Deo pretium potuiſſet dare ſuæ redemptionis; tum in credentibus vere ſupereſſet καύχημα. Hoc igitur ſi ſtatuatur, ſolvitur tota Scriptura, ſolidum fidei noſtræ fundamentum luxatur, & vacillat anchora unica ſpei noſtræ. Res igitur, ut exiſtimo, hoc modo concipienda eſt. Deus nunciat Adamo lapſo, ſe velle adducere *juſtitiam* & *vitam*. Qua via, quo modo? Hoc medio, ut *ſemen mulieris moriatur*, hoc eſt, ut *unus*, qui futurus eſt in emphaſi *ſemen mulieris*, *morte ſua* Deum ſanctificet, *cujus mortis* poteſtate *peccatum* in carne totius ſeminis erit condemnandum, ſic ut totum ſemen illius mortis communione propter κατάκρισιν τῆς ἁμαρτίας ἐν τῇ σαρκὶ certo ſit moriturum. Filius Dei excitaret humanam naturam, in qua *moreretur* ad frangendam vim Diaboli & peccati. Deſtructio vero peccati in ſemine mulieris hoc modo fieret, ut *calcaneus* illius *contereretur*, hoc eſt, ut id, quod inſtrumentum fuerat & eſſe poterat peccandi, perfecte deſtrueretur, quippe quo medio Diaboli & peccati poteſtas omnis periret, & commodiſſime *deſtrui* poterat. *Omne* igitur *ſemen mulieris moreretur*: Chriſtus quidem ad ſatisfaciendum juſtitiæ Divinæ, cæteri vero ut cum hac morte habentes communionem, & eam ob cauſſam hac via à poteſtate peccati liberandi.

Sed ſolummodo oſtenditur: Mortem corporis credentium eſſe conſequens mortis Chriſti.

VIII. Idem ſignificatum eſt *per Diluvium*. quod Petrus nos non obſcure docuit his verbis [a]: *Nam idcirco mortuis* (iis hominibus, qui temporibus Noæ extiterunt & per Diluvium perierunt; ut conſtat ex præcedente orationis textu:) *prædicatum eſt*

Idem figuratum fuit per *Diluvium*.

 Euan-

a 1 Cap. IV. 6.

Euangelium, ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι· *ut* JUDICARENTUR *quidem ſecundum homines* CARNE; VIVERENT *autem ſecundum Deum* SPIRITU. Sententia Apoſtoli eſſe videtur, exiſtimandum non eſſe, omnes, qui per aquas diluvii quoad *corpus* perierunt, periiſſe vere & quoad mentem: ſed placuiſſe Deo, hac via quoſdam *ſpiritus* ſervare & pœnitentes ad meliorem ſtatum perducere poſt hanc vitam, quemadmodum ipſi placet noſtros ſervare ſpiritus per mortem. Certe *aquæ Diluvii* fuerunt σύμβολον mortis Chriſti.

Quo demonſtrabatur, fructum mortis Chriſti eſſe *interitum carnis.*

Per *aquas Diluvii* delebatur omnis σάρξ (כשר apud Moſen:) *caro*, ex juſta Dei ſententia prolata contra peccatum. Pariter per *mortem Chriſti* damnatur omnis *caro* Credentium, tanquam quę deſtrui & perire debeat, ut per eam ſpiritus ſerventur.

Cujus ejuſdem rei emblema fuit in *Circumciſione.*

In *Circumciſione* ejuſdem rei habuimus exemplum & emblema. Per *Circumciſionem* figurabatur juſtificatio & ſanctificatio peccatoris, quę conſiſteret in καταργήσει *abolitione omnis carnis.* Nam in circumciſione præputii peribat *caro cum dolore.* quod tamen in totius hominis ſalutem cedebat.

Ejus ſignificatio myſtica.

Quo elegantiſſime ſignificatum eſt, plenam hominis ſanctificationem hoc efficiendam medio, ut non tantum Meſſias moreretur, ſed & *omnis caro* propter mortem ipſius *aboleretur*; ac proin ipſa quoque illa *caro*, quæ credentium eſt.

Nec non in Baptiſmo, cujus myſterium detegitur.

Baptiſmum vero idem hac parte ſignificaſſe quod *circumciſionem*, Apoſtolus Auctor eſt[b]. Docet, inquam, *baptiſmus*, nos propter communionem, quam habemus cum morte Chriſti, debere *mori peccato* atque *carni noſtræ*, quæ peccati ſedes eſt: quod fieri nequit abſque interitu noſtræ carnis.

Cypriani hac de re ſententia.

Egregie jam olim id obſervavit & docuit Cyprianus, quando Gentiles & profani homines eandem hanc difficultatem de *Morte Credentium* ipſi objiciebant[c]. *At enim*, ait, *movet quoſdam quod æqualiter cum Gentibus morbi illius* (Mortis:) *valetudo nos corripiat, quaſi ad hoc crediderit Chriſtianus, ut & immunis à contactu malorum mundo & ſeculo feliciter perfruatur, & non omnia hic adverſa perpeſſus ad futuram lætitiam reſervetur. Movet quoſdam*, QUOD NOBIS SIT CUM CÆTERIS MORTALITAS ISTA COMMUNIS. *Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quandiu adhuc ſecundum Legem primæ nativitatis manet* CARO ISTA COMMUNIS? Moriendum itaque nobis eſt ut li-

a Coloſſ II. 12. Rom. VI. 1, 2, 3, 4. b Serm. IV. de *Mortalitate.*

ut liberemur à carne & ſpiritus noſter conſummetur in communione Dei. In quam eandem ſententiam pulcre ſcripſit Philippus Melanchton, cujus verba alibi enotavit & laudavit Cl. Coccejus [a]: *Quanquam in anima inchoata eſt lux & vita æterna per Verbum & Spiritum Sanctum, tamen adhuc in maſſa carnali hæret peccatum. ideo deſtrui maſſam carnalem oportet, ut poſtea in reſuſcitatione induamur corpore prorſus purificato, ſicut ad Corinthios ſcriptum eſt: Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur.*

Expeditur interim difficultas, quare Deus non potius, cum fide in Chriſtum hominem perfecte ſanctificet?

IX. Nunc reſtat, ad difficultatem, in initio hujus diſſertationis propoſitam, reſpondeamus. Scilicet poſita hypotheſi quam nunc explicatam dedi, quæ ſtatuit, carnem *fidelium propter peccatum oportere interire*; dubium adhuc ſupereſt, cur credentes hujus effectus mortis Chriſti ab eo tempore, quo incipiunt credere, mox non fiant participes, quia expuncto peccato nullum in ipſis ſupereſt κατάκριμα? Vel, ſi omnino corpus credentium deſtrui debeat & diſſolvi, an id fieri nequeat alia & longe commodiori ratione? Videtur enim Deus potuiſſe ſua potentia corpus hominis ad imaginem ſuam in Chriſto regenerandi uno momento ſic mutare & ſanctificare, ut neceſſe non habeat *interire* & corruptioni tradi. Ad quæ paucis.

Ubi in antecesſum quædam conceduntur.

X. Poſſe Deum *corpus peccatoris credentis*, quod in hac vita ſemper manet peccati ſedes & inſtrumentum, alio modo ſanctificare & purificare, quam per illius interitum, in longum tempus protractum, quis dubitet? Πάντα δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ. Sic utique Dominus agere inſtituit cum Enocho & Elia: nec alia eorum erit mortalium inter Credentes conditio, quos tempore noviſſimi ſui adventus Dominus ſuperſtites deprehenſurus eſt. Quæ cauſſa itaque, *cur Deo potius placeat alio modo inſtituere, & corpora Credentium tantum temporis tradere corruptioni?* Ad quod quæſitum mihi commodum eſt reſpondere, hunc modum ſervandi peccatoris credentis omnium maxime illuſtrare Gloriam Chriſti. Rogas iterum, *an hic agendi modus non repugnet Juſtitiæ Dei, cui per Chriſtum ſatisfactum eſt?* Non exiſtimem, ſi modo id dextre explicetur. Hæ theſes itaque reſtant explicandæ. Obſervo igitur,

Et, quæ *quarta poſitio* eſt, docetur.

XI. IV. Hunc modum credentes electos perducendi ad salu-

a Com. ad Rom. VIII. §. 43.

hunc modum ſervandi peccatoris maxime illuſtrare Dei gloriam.

SALUTEM, QUO CORPORA EORUM INTEREUNT, SUMMOPERE ILLUSTRARE GLORIAM CHRISTI. Certe cum eventus doceat, hunc modum ſervandorum electorum, qui eſt per interitum corporis eorum, Deo præ cæteris probatum eſſe: dubium eſſe non poteſt quin is maxime Dei gloriam illuſtret. Deus enim omnia agit ad ſe. Videamus ergo, quantum nobis licebit in hoc βάθος penetrare, quid in hac ratione glorificandi peccatorem credentem, quæ eſt per κατάργησιν τοῦ σώματος τῆς ἁμαρτίας, liceat obſervare ad gloriam Dei & Chriſti, magis quam in quacunque alia. 1. Hic modus ſervandi peccatores credentes, qui eſt per interitum corporis eorum, illuſtrat maxime POTENTIAM Chriſti Domini, idque variis modis.

Et quidem primo *Gloriam Potentiæ Chriſti in reſuſcitandis corporibus credentium ad ſtatum Gloriæ.*

α. Dici nequit, quam inſigniter & præclare manifeſtetur *Chriſti potentia* in reſuſcitando corpore ex mortuis eoque liberando ab interitu, cui multum temporis fuit obnoxium; multo certe magis, quam in *mutatione illius repentina*. Paulus oſtendit in Epiſtola ad Corinthios *priore* [a], per reſuſcitationem corporis, quod aliquandiu jam fuit corruptioni & mori datum, ſummo modo *victoriam* Chriſti illuſtrari. Nulla glorioſior occaſio inſultandi morti & peccato, quam hæc. Ἐπιφάνημα & ἐπινίκιον apud ipſum videri poteſt: Apparet hoc evidenter in *Lazaro*. Chriſtus noverat, Lazarum ægrotare. Sciebat illum moriturum, quem voluit vivere. Non placebat tamen ægrotantem ſervare. Mortuus ergo Lazarus eſt. Mirantur, qui adſunt, ſecum ita reputantes, ſi voluiſſet Chriſtus Lazarum vivum, debuiſſe illum *ægrotantem* ſervare [b].

Exemplum illuſtre in Morte & Reſuſcitatione Lazari.

Martha ipſa, licet potentiæ Chriſti probe confidens ut ex ℣ſ. 22. conſtat, omnem jam abjecit ſpem, quando Lazarum *olere* ſenſit. Sed nunc demum nata erat Chriſto occaſio manifeſtandi τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ *gloriam Dei* [c]. Suſcitavit ergo Chriſtus Lazarum jam *olentem* & corruptioni pene traditum ad revelandam ſuam δύναμιν & ἐνέργειαν, qua ſibi τὰ πάντα δύνασθαι ὑποτάξαι [d].

Quod applicatur ad omnes Credentes.

Hoc putemus eſſe ſymbolum & emblema illius, quod eadem de cauſſà & ratione accidit omnibus Credentibus electis. Vult amicos ſuos non ſervare ægrotantes, ſed *mortuos* & corruptioni traditos, ad vim infinitam ſuæ potentiæ in mortem prodendam. Vix alia ratio eſt, cur ipſum Chriſti cadaver tamdiu traditum fuerit poteſtati mortis. Cur enim, quo

a 1 Cor. xv. 54, 55. b Joh. xi. 37. c verſ. 40. d Phil. iii. 20.

quo momento mortuus eſt, Chriſtus non reſurrexit? Scilicet voluit & debuit Dominus noſter mortem explodere, illiuſque & peccati potentiæ illudere. β. *Potentia Chriſti* eſt, quod per credentes ipſos *vincat* Diabolum & peccatum, ac γ. inter medias tentationes, pugnas, & luctam, eos nihilominus *conſervet*. Nempe *Peccatum* debebat *vinci* in omni *carne* per Spiritum Chriſti ad Diaboli opprobrium; ad quod requirebatur *potentia Chriſti*. Sic Paulus eleganter ad Corinthios [a]: *Habemus hunc theſaurum in teſtaceis vaſculis*, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν· *ut hac* HUJUS POTENTIÆ SUPEREMINENTIA *ſit Dei & non ex nobis. Dum in omnibus affligimur, at non coarctamur; hæſitamus, at non prorſus hæremus; perſequutionem patimur, ſed in ea non deſerimur; dejicimur, at non perimus: ubivis mortificationem Domini Jeſu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jeſu in corpore noſtro manifeſta fiat. Potentia* Chriſti *in ipſorum infirmitate completur* [b]. Quemadmodum igitur gloriæ fuit Filio Dei, potenti adverſario Satanæ *vaſa* ejus *eripere* per condemnationem peccati in carne & miſſionem Spiritus ipſius ad ſanctificandos peccatores: ſic in eo ipſius potentia glorioſe demonſtratur, quod in ipſa carne peccatoris, quę ſedes fuit peccati, Diabolum per Spiritum ſuum vincat & ſubigat [c].

Quæ eadem *potentia* Chriſti demonſtratur in Credentibus conſervandis in ſtatu Gratiæ.

XII. 2. Hic modus credentes perducendi ad ſalutem, qui eſt per *luctam* cum carne ejuſque interitum (hæc enim ſeparari non poſſunt aut debent:) valde facit ad BONITATEM & *gratiam Chriſti* deprædicandam. α. Bonitati Divinæ adſcribendum eſt, quod ipſe arma credentibus ſubminiſtret, quibus ipſi Diabolum & peccatum debellent. De hac *victoria* Joannes [d]: *Quoniam quicquid ex Deo natum eſt* νικᾷ τὸν κόσμον, VINCIT *mundum*: καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίστις ἡμῶν· *Et hac eſt victoria vincens mundum, fides noſtra. Fides* credentium viva & efficax non tantum eſt victoriæ certæ cauſſa ſed & continuus triumphus: actus ipſius ſunt perpetua victoria. Paulus ad Romanos de afflictionibus, imo de morte ipſa diſſerens, Credentibus incumbente, ſic ait [e]; ἀλλ᾽ ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς· *ſed in omnibus hiſce amplius ſumus, quam victores, per eum, qui*

Secundo, modus Credentes ſervandi per *luctam*, illuſtrat *bonitatem* Dei.

Gratia Dei fulti vincunt Mundum.

 nos

a 2 Cor. IV. 7, 8, 9, 10. b 2 Cor. XII. 9. c Col. I. 11. d 1 Cap. V. 4. e Cap. VIII. 37.

nos dilexit. Amplius ſunt quam *victores.* 1. Quia ante pugnam certi ſunt de *victoria.* 2. Quia pugnando non ἡττῶνται, *deteriores non fiunt:* nihil perdunt, ſed contra non parum in ſtatu vitæ ſpiritualis proficiunt. Hæc igitur ſumma Dei gratia eſt, quod ipſos fideles tanta velit armare potentia, ut ipſi quaſi per ſe peccatum & Diabolum vincant in *carne ſua.* β. *Bonitatis* & *gratiæ* eſt, quod credentes *pugnantes* & *luctantes* cum *carne* ac *corpore peccati*, & per id ſæpe præreptos & in vitia actos, non tantum toleret, ſed & conſervet, erigat, & novis continuo viribus fulciat atque inſtruat. Inter medios gemitus, inter ipſas lacrymas, quas fundunt, propter hanc ſuam luctam ejuſque exitum, ſæpe ſuis non reſpondentem deſideriis, exclamandi rationem habent [a]: Ἐυχαριςῶ τῷ Θεῷ διὰ Ιησȣ̃ Χριςȣ̃ τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν. Pleni ſunt hymni Davidici præconii hujus gratiæ. Quemadmodum amor nullus eſt tenerior, quam quo Pater filium proſequitur reſipiſcentem; ſic ille tenerrimus eſt, quo Deus credentem & vere reſipiſcentem excipit; & quemadmodum nullus ſenſus bonitatis & gratiæ vividior, quam illius, quę à Patre filio præſtatur, reſipiſcenti & oranti veniam, quippe quę parit *ſecuritatem* & tranquillitatem animi longe jucundiſſimam; ſic nullus ſenſus *gratiæ Divinæ* in credentibus major, quam ejus, qua lapſos erigit, & ſinu ſuo excipit. Hoc ſuperat omnem cogitationem mentis.

Et Dei bonitate conſervantur.

Et Sapientiam Divinam,

XIII. 3. In hoc modo electi peccatoris ad gloriam perducendi, qui eſt per deſtructionem corporis peccati, multiplex etiam demonſtratio eſt SAPIENTIÆ *Dei.* Summa tantum attingemus capita, quia properamus ad finem. α. *Sapientiæ* eſt *Divinæ* magna opera per gradus perficere & conſummare. *Sic in creatione rerum* & *redemptione* generis humani factum conſtat. Sapientiæ itaque eſt Divinæ, ut Credentes per gradus ducat ad ipſorum τελείωσιν. β. Chriſtus concipitur ea lege & conditione in mundum veniſſe ad ſervandos peccatores, ut veluti ſubordinaretur conſtitutioni rerum, ut nunc erat poſt lapſum. Secundum quam rerum conſtitutionem, corpus, per concupiſcentiam productum, in quo concupiſcentia regnat, φθείρεται *corrumpitur.* Jam vero facile intelligimus, *ſapientiæ* eſſe, illas leges non

Cujus eſt, res per gradus perficere.

Et ordinem poſt lapſum inſtitutum non turbare.

a Rom. VII. 25. b 1 Joh. III. 19.

non turbare, ſi iis ſalvis & integris Deus ſcopum ſuum attingere poſſit. γ. Eſt hic modus glorificandi peccatorem maxime ad *opprobrium Diaboli & peccati*; quod rurſus *Sapientiæ Divinæ* illuſtre ſpecimen & argumentum eſt. Nihil magis opprobrio eſt hoſti potenti, quam ut poſt longam moram pugnæ & luctæ, ſæpe ancipitis, tandem tamen ab inferiore & debiliore parte vincatur & ſuperetur. Sic ſe res habet hoc in loco cum *Diabolo*, operante per *carnem noſtram*, ad peccatum pronam. δ. Nullus modus glorificandi peccatorem alius tantum facere poteſt ad credentes veram docendum humilitatem; hoc eſt, ut nihil *ſibi*, omnia Deo adſcribant, quam hic ipſe qui eſt per interitum corporis eorum. Non eſt dubium, quin rem heic loci acu tangamus. Jehova ſolus volebat *glorificari* ab hominibus regenitis, ut qui eſſet πάντα ἐν πᾶσι *omnia in omnibus*. Commodum igitur erat, ut tali in ſtatu aliquandiu conſervarentur, quo ſibi poſſent detegi & revelari, quales eſſent, quidve valerent, hoc eſt, ut ſcirent ſe abſque gratia Divina *nihil eſſe* & *valere*. Hoc vero in ipſis plurimos eoſque præſtantiſſimos fructus parit: a. Ut *gratiæ Divinæ* omnia in ſolidum, quę habent & poſſunt, adſcribant. b. Ut fratrum ſuorum miſereantur, iiſque injurias, ſibi ab illis illatas, lubenter condonent. Hoc *Joannes* Apoſtolus æſtimat veri regeniti argumentum. Et certe eſt Chriſtianiſmi nota & character, qua in Eccleſiis quam pauci ſint inſignes, experientia ſatis docet. Et tamen, ut tentatio nulla carnis noſtræ per Diabolum eſt fortior; ita Deo nihil gratius, nihil Chriſtiano dignius, nihil Diabolo moleſtius, nihil Eccleſiæ utilius, quam ut illa ſuperetur. c. Ut diſcant magnitudinem gratiæ Divinæ, cujus conſummationem expectant, rite & pro ſuo merito æſtimare. Neſcirent *pondus gloriæ futuræ*, ſi ante non fuiſſent experti illius defectus. d. Atque hinc, ut in iis excitetur *vivida ſpes* & *vehemens deſiderium* futurorum bonorum. Confer elegantes Pauli [a] & Petri [b] ſententias. Quod ſi igitur hic modus ſalvandi peccatoris electi tam præſtantes fructus producat; minime dubium, quin in eo ſumma eluceat Dei Sapientia. Inſuper etiam (e) argumentum eſt *Sapientiæ* credentes eodem modo ad *vitam* & *gloriam* duci, quo ὁ ἄρχων τῆς σωτηρίας αὐτῶν, Chriſtus.

Et hominibus inculcare, omnia ipſos ſuæ debere gratiæ.

Cujus præcepti fructus & documenta recenſentur.

Eſtque in hoc modo ſervandorum credentium imitamentum

 Ille

a Rom. v. 3, 4, 5. b 1 Petri Cap. 1. 7, 8.

modi glorificandi Christi.

Ille vero *conſummatus eſt per paſſiones.* Hoc eſt, afflictus in hoc mundo vixit; ſuſtinuit perſequutiones & opprobria, mortuus eſt, & reſurrexit tandem ad vitam. Chriſtus & Credentes unum ſunt. Oportebat igitur, ut quam viam ille præiverat, illi ſequerentur. Si ille *mortuus eſt*; ergo & illis moriendum erat ad *carnis* νέκρωσιν *mortificationem.* Summa autem carnis mortificatio eſt in morte corporis. Si illius corpus reſurrexit per τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δύναμεως τῦ Θεῦ; horum corpora eodem modo reſuſcitanda erant, ut *Paulus* apud Corinthios ratiocinatur. Mors Chriſti erat *ad condemnationem carnis in carne.* Mors item credentium *ad condemnationem carnis in carne:* etſi mors Chriſti conſideranda ſit ut cauſſa, mors fidelium ut illius effectus. Referamus huc Lucæ verba de Apoſtolis[a]: Ἐπιςηρίζοντες *confirmantes ſolide animos diſcipulorum, hortantes, ut permanerent in fide,* καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ, *&* *quod per* MULTAS AFFLICTIONIS *nos oporteat ingredi in regnum Dei.*

Facitque etiam Eccleſiæ conſervatio in Mundo, ejuſque defenſio, ad Dei gloriam.

f. Si præſentem mundi, & Eccleſiæ in mundo, ſtatum conſideremus, quomodo Divina Providentia circa eam verſatur; non eſt dubium, quin in ea eluceat ἡ πολυποίκιλος σοφία τῦ Θεῦ *multifaria Dei ſapientia.* Quod Deus in mundo habeat Eccleſiam, per certa loca diſperſam, certis ætatibus colligendam, medio ad id à ſe deſtinato; in qua vult eſſe experimentum varium *ſpei, fidei, charitatis*; per quam mundum vult *convincere,* cum mundo pugnare, imo mundum ſuperare; quam per continuam luctam altius altiuſque vult erigere; quam ad pudorem mundi, Diaboli, & *ſuam gloriam* vult conſervare, & *probare:* quis non, inquam, in hiſce mirabiles Dei vias ejuſque Sapientiam ſummam perſpicit? Sed vero ſi credentes in hoc mundo mox ducerentur ad talem ſanctificationis gradum, ut nulli luctæ amplius ſubjecti eſſent; non eſt dubium, quin horum omnium nihil in ipſis amplius poſſit locum habere, adeoque magna pars illius pereat, in quo nos Dei vias & prudentiſſimum ejus conſilium nunc ádmiramur. Ubi conſummata ſanctitas, quæ credentibus à Deo decreta eſt & aliquando in eos conferenda erit propter obedientiam Chriſti: ibi nulla afflictio, tentatio, probatio, lucta, lacrymæ, ſuſpiria, ſpes, deſiderium. Ibi non cadi-

a Act. XIV. 22.

caditur, & reſurgitur; non peccatur & petitur venia. *Sapientiæ* igitur eſt, ut *tempus luctæ* præcedat conſummatum ſtatum *victoriæ* & *triumphi*, quem fideles expectandum habent, ad lætitiam eorum majorem; nec non ut *tempus convictionis* præcedat ſtatum miſeriæ impiorum, ad majorum eorum miſeriam, & condemnationem; & ut Deus, mundum & Eccleſiam in mundo aliquantum temporis hac ratione gubernando, interea demonſtret infinitam potentiæ & ſapientiæ ſuæ vim.

Denique etiam *Sanctitatem* Dei.

XIV. Addam 4. facere item plurimum hunc modum ſervandi peccatoris ad deprædicandam SANCTITATEM *Dei*. Si enim Deus *carnem* paſſim transferret in ſtatum gloriæ, abſque quo data eſſet corruptioni: videri poſſet, ac ſi Deus cum *carne*, quæ impura eſt & nunquam non manet inſtrumentum peccati, poſſet colere communionem. Enocho & Eliæ præſtitit Deus hanc gratiam, quod eorum corpora mutata bearit. Erant vero hi viri in vita ſua probatiſſimi, & ſancti: & voluit Deus, ut in iis peculiare extaret exemplum, ex quo credentes omnium temporum intelligerent, ipſum eſſe μισθαποδότην. Sed in cæteris hæc ratio non obſervaretur, quia Deus non vult, ut peccatores cogitent, ſe cum *carne*, nondum ſatis purificata, poſſe communionem exercere. Peccatum ad tempus uſque mortis in carne habitavit, & in carne prius debet mori. Caro debet diſſolvi antequam homo ad glorioſum Dei commercium admittatur, & deſtrui, ut judicetur pura & ad peccatum poſtea inepta. Hoc juſtitiæ & ſanctitatis eſt, damnantis omnem carnem. Sed de his dictum jam eſt in antecedentibus. Claudamus igitur hanc diſſertationem noſtram *ultima theſi*, quæ eſt:

Quod paucis demonſtratur.

Quinta poſitio: *hunc modum ſervandi peccatoris non repugnare Juſtitiæ Divinæ.*

XV. v. VIAM SALVANDI PECCATOREM CREDENTEM PER PRÆCEDANEAM LUCTAM CUM CARNE & INTERITUM CORPORIS, NON REPUGNARE JUSTITIÆ DIVINÆ. Tantum abeſt, ut hæc via ſervandi peccatoris non reſpondeat Juſtitiæ & Sanctitati Divinæ, ut contra Juſtitiæ Divina, damnans peccatum propter mortem Filii in omni carne, talem viam & rationem ſervandi peccatoris poſtulet; ut jam dictum, & demonſtratum eſt in antecedentibus. Eſt tamen operæ pretium id paucis illuſtrare. Per *Juſtitiam Divinam* hic intelligimus illam Divinæ Voluntatis virtutem, qua creaturas intelligentes gubernat ſecundum jus ſuum

 & crea-

Quod demonſtratur.

& creaturæ. Secundum hanc *juſtitiam* punit delicta hominum, eademque condonat, ſi peccator per ſe aut per alium (factum id eſt per alium, quia conſtat per ſe non potuiſſe:) poteſt adferre λύτρον, quo majeſtas Dei læſa placetur. Mortuus ergo eſt Chriſtus hunc in finem, ad ipſam Patris ſui voluntatem. Ad hanc mortem ſequi oportebat hanc ſententiam Patris: Filium tantum feciſſe, quantum Juſtitiæ Divinæ debitum, cui ſatisfaciendum erat, poſtulabat; ac proinde, ſemen illud, cui Filio placet vitam dare, ab ira & condemnatione omni, qua juſtitia ejus expletur, immune fore, iique jus eſſe pleniſſimum poſtulendi vitam æternam: concedere igitur ſe Filio ſuo id ſemen ea via, eoque modo ſervandum, qui quam maxime facere poterat ad gloriam ſuam, & de quo, pacto inter Patrem & Filium inito, convenerat. Hæc eſt *juſtificatio* omnis ſeminis Chriſti, quo die iniquitates totius terræ ſublatæ ſunt per ipſius mortem. Cæterum hæc *juſtificatio* non excludit. 1. peccatum tentans, irritans, ſeducens, ſed *peccatum damnans & dominans*. Si enim judicet Servator, poſſe hoc facere ad ſuam Gloriam, ut ſemen ſuum per luctam, afflictiones, probationes, etiam graviſſimas, ſanctificetur & glorificetur, hoc ſane contrarium non eſt ſententiæ Judicis; modo peccatum non *damnet* Credentem, eumque *filium* faciat *iræ*. 2. Hæc *juſtificatio* non excludit modum peccatoris ad gloriam perducendi per *gradus* quod hic probe obſervandum. Peccator omnis poſt peccatum à ſe commiſſum reus eſt pœnæ, & quandoque etiam pœnæ ferendę jam damnatus, (ut res habet cum iis, qui pertinaciter in irreſipiſcentia ſua hærent, divino judicio indurati:) ex juſta Dei ſententia. Hæc tamen ſententia non exigit, ut peccator mox ſubeat omnem mortem; ſed facile permittit, ſalva juſtitia, ut peccator, mox alienatus à facie Dei, longo adhuc tempore toleretur, donec tandem per mortem ad ultimum gradum ſupplicii præparetur. Pariter, quando Deus peccatorem *juſtificat*, illum mox ponit extra ſtatum iræ & condemnationis; communicat cum ipſo Spiritum, ut arrham & pignus boni majoris, certo ſecuturi; & interea temporis eum indies magis ſanctificat, & opus gratiæ ſuæ in ipſo potenter promovet, atque ita ipſum præparat ad ſtatum gloriæ. Quemadmodum igitur dilatio pœnæ

Electi à Chriſto redempti, dati ipſi ſunt ſervandi eo modo, qui maxime illuſtraret Gloriam Divinam, & quidem per *gradus*, à Deo definitos in Conſilio ſuo.

næ, dum præparatio fit ad pœnam, non repugnat juſtitiæ; ſic dilatio gloriæ, dum continua fit præparatio ad gloriam, juſtitię non eſt adverſa. Tempus itaque & gradus, quibus Deo placet ſententiam in gratiam peccatoris latam pro ſua ſapientia exequi, non adverſantur *Juſtitiæ Divinæ*. Juſtitia enim Divina addicit ipſis *bonum* certum; dat illis jus id bonum poſſidendi; ſimul in eos confert ipſorum illorum bonorum primitias; ſed judicat æquum eſſe, ut ipſi, qui hoc jus habent, ſua gratia armati cum hoſtibus ſuis pugnent & luctentur ad eos deturbandum è poſſeſſione, dum interea certi ſunt de victoria. 3. Bene obſervandum eſt, *Juſtitiam* Patris hic æſtimandam juxta id, quod Filius ſtipulatus eſt in contractu, cum ipſo inito. Hæc via ſervandi peccatores credituros per luctam, afflictiones, & mortem ad experimentum fidei, ſpei, & charitatis, ordinata eſt à Patre. Hac via poſtulavit Filius ſeminis ſui ſalutem. Non eſt igitur ἀδικία παρὰ τῷ Θεῷ, quando hac via peccatorem ſervat. Hoc ſignificatum jam eſt in prima promiſſione, & variis emblematibus, quæ ſupra expoſita ſunt, confirmatum. *Sit ergo Deus juſtus, & omnis homo mendax*. Quod vero ais, poſita cauſſa tolli effectum; ac proinde ſublato peccato per mortem Chriſti, ceſſare etiam debere illius conſequentia; utrumque ſane veriſſimum eſſe pronuncio. Sed hæc duo obſerventur, in præcedentibus jam uberius declarata. 1. *Effectum peccati* eſſe *condemnare*. Ubi tollitur *condemnatio*, ibi tollitur effectus peccati. Peccatum non tentat, irritat, ſeducit, ut ſæpe facit in fidelibus, niſi ut *condemnet*. Jam vero Credentes non condemnat. Contra peccatum Credentes irritat, ſeducit, ad vitam eorum promovendam magis atque magis, ut victoriam eo illuſtriorem conſequantur. 2. Credentes ex pacto, quod Filius cum Patre inierat, ab omnibus noxiis peccati conſequentibus liberari *per gradus*. atque inde effecta peccati in ipſis ceſſare & aboleri ſecundum modum ac rationem Divini conſilii. Sic volebat Pater, ſic ſtipulatus erat Filius, ut non uno momento & ſaltu è ſtatu miſeriæ electi tranſirent in ſtatum Gloriæ & ſalutis, ſed ſalus ipſorum per partes veluti & gradus conſummaretur. Secundum quod conſilium Dei Chriſtus quoque pro ipſis Divinæ Juſtitiæ ſatiſfecit, & ipſius ſatisfactio pro electis effectum ſuum ſortitur. Abolentur itaque Peccati effecta, quatenus & quo-

Non repugnat autem Juſtitiæ, Conſummationem electorum vi Redemptionis fieri per gradus.

Et quidem ſecundum præfinitionem Decreti ſalutis.

quomodo aboleri debebant ex conſilio Dei. quam ſententiam egregie ex Divinis Scripturis expoſitam dedit & illuſtravit Cl. Coccejus [a], ubi de *Gradibus Abrogationis Fœderis Operum* (tu potius dicas, *Abolitionis effectorum & conſequentium peccati:*) diſtincte differit.

Cl. Coccejus laudatur.

Caput IX.

Demonſtratur ex Vaticiniis Veteris Teſtamenti, *notatu digniſſimis, Supplicium* Crucis, *à Chriſto Jeſu ferendum, in iis clare & perſpicue eſſe prædictum ſignificantiſſimis vocibus & phraſibus, quales;* חלל / הקיף / כור / נבל / מוסר / דקר / חפשי / מחולל *quarum genuina notatio in lucem producitur, variisque exemplis confirmatur.*

Præfatio ad novum argumentum de prædictionibus *Crucis Chriſti.*

Apoſtolus Paulus affirmat in *priore Epiſtola* ad *Corinthios* [b], ſe neque *ſcire* aliud neque *profiteri* inter eos *decreviſſe* εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον· *niſi* Jesum Christum eumque crucifixum. Quod illuſtre illius teſtimonium nobis argumento eſſe debet, occupationem omnem hominis Chriſtiani, quę *circa crucem Chriſti* eſt, non modo dignam eſſe laude, ſed utilem quoque & ſummopere neceſſariam.

Ejus commendatio.

II. Merito autem exiſtimamus, non infimam hanc ſacræ hujus occupationis partem eſſe, ut quis *crucem Chriſti quærat in Vaticiniis Veteris Teſtamenti.* Nihil enim æque eam, quam in *crucifixo Chriſto* fiduciam repoſitam habemus, roborare poteſt; nihil etiam æque noſtros pariter atque *crucis Chriſti hoſtes* (ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ [c]:) Judæos confundere, quibus Jesus crucifixus est σκάνδαλον *offendiculum:* hoc eſt, quibus *crux Chriſti* in ſummis prætenditur cauſſis, ob quas ſe profiteri volunt à noſtra religione eſſe alienos; ſimul etiam in ſummis dubiis, quæ cum fide vaticiniorum non poſſe conciliari jactant. Nos igitur, quibus hoc datum eſt negotii, ut, quicquid poſſumus, eorum ſaluti ac converſioni impendamus: in hac atque ſequentibus diſſerta-

a Summa Doctr. de Fœd. Cap. III. b Cap. II. 2. c I Cor. I. 21.

ſertationibus operam dabimus diligentem, ut hoc ſcrupulo non ipſorum modo animos, ſed & noſtros liberemus. *Noſtros* inquam. Fuerunt enim inter nos quoque Chriſtianos præſtantiſſimi Viri, qui omnem ſuam diligentiam in hac veritate demonſtranda non adhibuerunt. Eruditiſſimus Voſſius, cum præclare totam Paſſionis Chriſti hiſtoriam illuſtraſſet in *Harmonia Evangelica*: hoc in argumento omnino hæſitat. *Quæritur*, ait ille [a], *an in Veteri Teſtamento evidentem habeamus prædictionem hujus crucifixionis? Non abitror*. Productum poſtea locum celebrem à Patribus ex Pſ. XCVI. convellit. Typum vero unicum tantum hujus tam notabilis rei invenit in *Serpente Æneo* [b]. Quod non nego, licet Viri illius eruditionem & merita colam, me offendiſſe. Quid enim? Si *Spiritus Chriſti*, qui in *Prophetis* operatus eſt, ut plurimum verſatus fuerit circa τὰ ἐις Χρισὸν παθήματα, quod Petrus affirmat [c]: an ſimile vero eſt, eum graviſſimum hoc acerbæ *paſſionis* Chriſti caput omiſiſſe, quod tamen ſcitu nobis maxime erat neceſſarium? An cætera omnia, minimaſque mortis Chriſti circumſtantias, in Prophetiis obſervabimus; ipſum tamen non obſervabimus *genus ſupplicii mortis*, à Meſſia ferendi, quod vere omni animadverſione digniſſimum eſſet, & noſtræ conſolationis maximum argumentum? Sane, ſi verus Meſſias debuit à cruce ſuſpendi, ut eventus docuit: fatendum eſt, debuiſſe illum quoque, ſive typis Legis ſive prædictionibus Prophetarum ut *crucifigendum* delineari; ſi inficias nolumus ire, veri Meſſiæ characteres in Lege & Prophetis ſcripto nobis relictos eſſe. Plus debemus aliis Doctiſſimis Viris, qui hanc materiam occuparunt. Nos vero putamus, totum hoc negotium non minus clare à *Prophetis* eſſe expoſitum, quam *typis* illuſtribus figuratum atque depictum; &, ut fidem faciamus dictis, primo *Vaticinia* cum bono Deo excutiemus, dein *Typos*. Ordimur à Pſalmis.

Doctorum quorundam ex noſtris negligentia in hoc argumento.

Et ad eam ἐπίκρισις.

Probabile eſt, in prædictionibus & typis V. T. non negligi *Crucem Chriſti*.

III. Inter *Pſalmos*, qui de *ultimis* Chriſti doloribus agunt, omnium conſenſu eminet *viceſimus ſecundus*. Hunc enim in ſuis ſcriptis ad convincendos ſui temporis Judæos ſæpe numero advocant Apoſtoli & Evangeliſtæ. Quod pluribus nobis nunc non ſumemus probandum, ne diſputatio noſtra à ſcopo ſuo recedat.

Vaticinia, quæ de *Cruce Chriſti* extant in Pſalmis, releguntur, & in iis primum quod occurrit in Pſ. XXII.

a Lib. II. Cap. VII. §. XCVIII. b §. XLIX. c 1 Cap. I. 11.

Satis nunc ſit lectori, nos nullos *Pſalmos* vel *Vaticinia* eſſe in probatione noſtra de hoc argumento inſtituenda allegaturos, quam quę de Meſſia agere in confeſſo eſt apud Chriſtianos, & ab iis contra Judæos dudum demonſtratum, & facili opera demonſtrari atque evinci poteſt.

Argumentum *hujus Pſalmi*, hypothetice aſſumptum.

IV. Supponimus itaque, quod ad minimum ut ὑπόθεσιν admitti volumus, in toto Pſalmo XXII Chriſtum proponi à cruce pendentem, & ſummis laborantem animi angoribus, quibus actus & motus *deprecationes & ſupplicationes cum* CLAMORE VALIDO & LACRYMIS *ad eum miſit, qui illum à morte poterat liberare.* ut Auctor Epiſtolæ ad Hebræos[a]. Fruſtra eſt qui illius explicationem abſque hac hypotheſi aggreditur. In hac vero ſua δεήσει & κραυγῇ ἰσχυρᾷ, ſive in *his verbis* RUGITUS (דברי שאגתי) ad Patrem ſuum, ſatis eſt prolixus in exponenda miſeriæ ſuæ & dirorum παθημάτων gravitate & pondere, ſuæque ἀδημονίας & anguſtiæ magnitudine; quo argumento ſuadet neceſſitatem *liberationis*, quam à nemine niſi à Patre ſuo expectare poterat. Ad hanc vero, quam ſuæ orationi immiſcet, paſſionis ſuæ totam hiſtoriam pertinet *comma ſeptimum decimum*, in quo illi etiam *crucem* Chriſti reperire potuerunt Interpretes, qui cæteroquin in hoc argumento minime ſunt liberales. Ita habet: כי סבבוני כלבים עדת מרעים הקיפוני כארי ידי ורגלי *Quoniam circumdederunt me canes; cœtus maleficorum* PERFORARI FECERUNT ME, PERFODIENTES MANUS MEAS & PEDES MEOS. Nos certe exiſtimamus, tam clare hic deſcriptam eſſe *crucem Chriſti*, ut ſingulæ pene hujus *commatis* ſententiæ eo reſpiciant. Quod demonſtrabimus initio facto à parte ultima: כארי ידי ורגלי.

Significationes duæ vocis כארי, abſolute ſumptæ.

V. Vocabulum כארי / ut hic *legitur* & *punctatur*, duplicem eamque *diverſam* plane ferre poteſt *ſignificationem*. Vel enim ſumi poteſt ut vox *ſimplex*, vel ut *compoſita*. Si poſterius, tum litera כ erit *ſimilitudinis nota*, ארי *leonem* denotabit: ſi prius, כארי vel erit *verbum* כארו / vel *participium* pro כארים / à כרה vel כור / ſenſu *perfodiendi*. Priore ſignificatu accipitur apud *Jeſaiam*[b]: שויתי עד בקר כארי כן ישבר כל עצמותי *Compoſui* animum meum *uſque ad mane;* SICUT LEO, *ita confregit omnia oſſa mea.* Conqueritur *Hiskias* Rex, ſe ægrum & laborantem ſibi propoſuiſſe *ma-*

Prima ſignificatio: *ſicut Leo*, adſtructa ex Jeſ. XXXVIII. 13.

tuti-

a Cap. v. 7. b Cap. XXXVIII. 13.

tutinum tempus, eoque expectaſſe doloris ſui levamen, ſed cum matutina hora adveniſſet, *Deum inſtar Leonis oſſa ſua confregiſſe.* Dari quoque alia poteſt hujus *commatis* ἐξήγησις, ſed nulla in qua vox כארי non vertatur, *ſicut Leo.* Cum vero vox כארי / eum in modum punctata, ut eſt in hoc textu Jeſaiæ, præter hunc *Jeſaiæ* alio nullo in loco reperiatur, quam in hoc noſtro *Pſalmi viceſimi ſecundi*; dubium eſt, an hoc quoque in loco verti debeat: *ut Leo.* Hoc *Judæi* volunt, *Chriſtiani* negant. *Hi*, ut in Vaticiniis crucem Chriſti *inveniant*, *Illi* vero ut *tollant.* Utra ſententia ſtare debeat, noſtrum erit diſpicere.

Senſus hujus loci.

Quam interpretationem hic locum habere non poſſe, demonſtratur.

VI. Obſervari itaque cupio, ſi כארי heic vertatur *ſicut Leo*, quod Judæi volunt, verba Pſalmi nullum commodum ſenſum dare. Quid enim, obſecro, hoc ſibi vult: *Sicut Leo manus meas & pedes meos?* Quænam hæc digna ſuſpirante, mediiſque in angoribus liberationem circumſpiciente, ſententia eſt? Nulla equidem, ut apparet: quod & Judæi hujus interpretationis Auctores ſatis perſpexerunt. Factum enim hanc ob rationem eſt, ut τὸ הקיפוני / quod ἀμέσως præcedit, ad ſententiam hanc mutilam & valde imperfectam ſupplendam traxerint, hoc modo παράφρασιν hujus dicti inſtituentes: *Circumdederunt me*, SICUT LEO, *manus meas & pedes meos.* Sed & hæc interpretatio prudenti & ſtudioſo veritatis homini non facile ſatisfaciet. *Primo* enim incurrit manifeſte in *rationem diſpoſitionis accentuum*, quam ſane Judæos obſervare oportebat. Habet הקיפוני *accentum Atnach*, qui ſententiam dividit atque diſtinguit. Quod cum fecerint accentuum Auctores, indicarunt ſane & docere nos voluerunt, τὸ הקיפוני non pertinere ad ſequentem ſed ad præcedentem contextum. quod eos prudenter feciſſe liquet, quia τὸ הקיפוני cum præcedenti ὑποκειμένῳ plenam ſententiam efficit; in hunc modum: עדת מרעים הקיפוני *Congregatio maleficorum circumdederunt*, aut, *perforarunt me.* Videt quiſque ſententiam plenam eſſe, & ſibi conſtare, ac verbum הקיפוני abſque vi manifeſta ad ſequentem contextum trahi vel rapi non poſſe. *Dein* notatu dignum eſt, ſententiam ita conceptam omni ſano & commodo ſenſu carere. Quid enim hoc ſibi vult: *Circumdederunt me manus meas & pedes meos.* Tolerari potuiſſet forte hic ſenſus ſi ſcriptum fuiſſet: הקיפו *Circumdederunt manus & pedes meos.* ſed quod dicitur; *circum-*

Judæorum ſententia de hoc loco, in hac fundata hypotheſi.

Sed quæ refellitur.

Nullum enim commodum huic loco aptat ſenſum.

cumdederunt ME *manus meas & pedes meos :* ſpeciem non habet. Ne dicam, rationem reddi non poſſe, cur illa *circumdatio* reſtringatur ad *manus* & *pedes*, & non ad totam perſonam. Ita omnia hic peregrina & à veritate aliena. Tandem hoc obſervemus, ſententiam totam plane omni vi atque elegantia ſua privari, quando τὸ כארי additur, vertiturque: *Sicut Leo.* *Leonis* enim proprium non eſt *circumdare*, ſed *rapere*, *devorare*, *frangere*, *comminuere*. Sed & *Leo* non *frangit* ac *devorat* manus & pedes modo, ſed totum hominem decerpit, & lacerat. Omnia igitur in hac explicatione recentiorum Judæorum ſunt aliena, inepta, & ἄλογα. quod operæ pretium erat oſtendere.

Et in qua *prædicatum* non convenit *ſubjecto.*

VII. Viderunt id eorum Majores, iis longe prudentiores, qui tantum ſuo erga veritatem odio & Chriſtianos invidiæ dare noluerunt, ut verum hujus loci ſenſum interverterent. Scilicet notatum reperimus in *Minore Maſora*, quod hodiernos Judæos confundere poteſt, τὸ כארי cum *Kametz* punctatum *bis* occurrere in textu ſacro, ſed *diverſis ſignificatibus.* Nota hæc eſt: ב׳ קמצין בתרי לישני שויתי עד בקר Hoc eſt: *Bis occurrit* τὸ כארי *cum Kametz, ſed in diverſis ſignificationibus. Locus eſt apud Jeſaiam Cap.* XXXVIII. 13. Eſt hæc certe magni pretii obſervatio, quippe ex qua liquet, vocem כארי in hoc loco Davidis aliter verti non poſſe quam *fodientes*, aut *foderunt*; nempe quia certum eſt, τὸ כארי in loco *Jeſaiæ* aliter exponi non poſſe quam *ſicut Leo.* Accedit, quod dictis pondus affert, priſcos Interpretes Græcos τὸ כארי hic vertiſſe per ὤρυξαν *foderunt.*

Quin monuerunt nos Maſorethæ, hanc interpretationem hic loci fugiendam eſſe.

Colligitur, vocem כארי vertendam per *fodientes*, vel *foderunt.*

VIII. Si igitur notio כארי vere non ſit compoſita ſed *ſimplex :* nihil ſupereſt quam ut illius ἔτυμον ſtatuatur, vel כרה/ quod notat *fodere*, *perfodere*, vel obſoletum כור/ quod idem ex analogia ſignificare debet. Prius communiter ſtatuunt inter Chriſtianos, qui τὸ כארי hic accipiunt pro כארו/ ſive ἀνωμάλως, ſive, quod contendant, neque abſque fundamento & auctoritate, in Veteribus Editionibus ſcriptum olim fuiſſe כארו & non כארי. Illis itaque litera א minime eſt *radicalis*, ſed *epenthetica ſervilis.* Poſterius evicit erudite admodum & ſolide Cl. Altingius[a], & ante ipſum Pocockius[b], τὸ כארי accipientes pro *participio præſenti* ex inuſitato כור/ docenteſque ſcriptum eſſe כארי pro כארים.

Etymon vocis vel כרה vel כור.

Poſterius hic præfertur.

Sed

a Diſſ. Phil. Cap. v. b Not. Miſc. ad *Portam Moſis*, Cap. IV.

Sed noſtrum non eſt de eo nunc litigare, cum in hac noſtra diſputatione perinde nobis ſit, ſive τὸ כארי vertatur per *perfodientes*, ſive per *perfoderunt*. Liceat itaque dictum repetere, ſi τὸ כארי aliter hic ſit vertendum, quam *ſicut Leo:* literam כ neceſſario eſſe *radicalem*, & τὸ כאר / cum radices כאר aut כור in Scripturis V. T. non reperiantur, neceſſario explicandum eſſe ex proximo themate כרה / cujus ſignificatus hic indicandus erit.

Genuina ſignificatio vocis כרה & כור, eſt *fodire*, perfodere, excavare.

IX. כָּרָה / quod idem dictum volumus de obſoleta radice כור / notat *fodere*, *perfodere*. Exemplum deſumamus ex verbis Davidis [a]: כור כרה ויחפרהו *Foveam* FODIT *& excavavit eam*. Recte admodum & in rem noſtram egregie obſervat Cl. Coccejus [b], plus eſſe in חפר / quam כרה. Etenim כרה heic notat *fodiendi* ſimplicem actum, ſed חפר *excavationem*. Apud Hebræos enim ſurgit oratio in ſententiis. Eadem eſt ſignificatio obſoletæ notionis כור / quantum ex thematibus, quę ſuperſunt, derivatis poſſumus colligere. In his ſunt voces כור & כר / quarum *illa catinum*, hæc *menſuram maximam aridorum* atque ſubinde etiam *liquidorum* ſignificat. Utraque ita dicta eſt ab *excavatione*, & *perfoſſione* ſive *perforatione*. Refert huc etiam Cl. Altingius τὸ כרים [c] / quando deſignat ראשי אבות *Principes Patrum:* quia Patres ſunt quaſi *putei*, unde *effodiuntur poſteri*. Mea inſuper ſententia non parum lucis huic notioni ex affinibus terminationibus accedit. Apud Hebræos eſt conſonantia literarum כ & ק. Extat vero τὸ קיר / cum ק ſcriptum, in Codice Sacro ſignificatu *fodiendi*. ut apud Jeſaiam [d]: אני קרתי ושתיתי מים *Ego* FODI *& bibi aquam*. Hinc מקור *fontem* ſignificat, in quo *apertura* inſtar *foſſuræ* eſt, per quam aquæ ebulliunt. Conveniunt quoque enunciatione literæ ח & כ. חר / autem *foramen* & *cavernam* notat. Hæſitant Interpretes, unde hunc ſignificatum vocis arceſſere debeant. Nos hic recurrimus ad commune thema, כור / quod pro *intenſa* vel *remiſſa reſpiratione* modo per חור / modo per קיר enunciatum fuit. *Arabica* Lingua vocabulum כאר ſimiles ſignificationes admittere, obſervavit Cl. Pococke [e].

Quæ adſtruitur.

Altingii obſervatio ad loc. Jeſ. LI. I.

Conſonantia themata idem evincunt.

X. Colligimus tandem ex ſignificatibus omnium horum thema-

Colligitur inde, כרה ſignificatum.

a Pſ. VII. 16. b In Lex. ad h. v. c Confer Jeſ. LI. I. d Cap. XXXVII. 25. e In l. c.

perforationem majorem, quæ *foſſuræ* proxima ſit.

matum ſimul ſumptis, τὸ כרה /. vel tritum כיר / olim Hebræis notaſſe *perforationem majorem*, quę *foſſuræ* proxima eſt. Quam quando in his verbis referri vides ad *manus* & ad *pedes*; quid, obſecro, aliud commodius hic intelligas, quam Crucifixionem? In *crucifixione* enim, quod ex Veterum monumentis & ex ipſa *Hiſtoria Evangelica* abunde liquet, *hæ* tantum corporis *partes*, hoc eſt, *manus* & *pedes*, *clavis majoribus* cruci affigebantur. Hiſce *clavis perforati* & *perfoſſi* pedes manuſque ſuſpenſi ſunt. *Perfoſſi*, inquam. Cum enim magna ſatis corporis moles (ut ut ſuppedaneum admittamus, vel medium in trunco crucis lignum, cui crucifixus inſideret:) his partibus corporis incumberet, eaſque premeret: dubio procul hæc manuum pedumque vulnera cum in modum dilatata diſtentaque ſunt, ut manus pedeſque *non transfixi* amplius, ſed *transfoſſi* viderentur. Sane id verum eſſe, quod dicimus, ex *Joanne* etiam liquet *Evangeliſta*, qui refert[a], Thomam *digitum ſuum immiſiſſe* εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων *in* VESTIGIUM CLAVORUM. Quid igitur φορᾶς *perforationis manuum & pedum* commodius notet quam *crucifixionem*? Non dubitamus itaque aſſerere, Spiritum Sanctum proprie & directe hoc in contextu id intendiſſe, ut verbis clariſſimis prædiceret *crucifixionem Chriſti*.

Quæ ſi in ſupplicio deſcribendo referatur ad *manus* & *pedes*, nihil aliud ſignificare poteſt quam *Crucifixionem*.

Chriſti dices? Imo vero *Chriſti*, quia conſtat, *Davidem à cruce ſuſpenſum* non eſſe, *Jeſum* vero eſſe *crucifixum*. Unde itaque ſimul colligo, totum nunc Pſalmum non ad *Davidem*, vel aliam præter Davidem perſonam qualemcunque, ſed unice referendum eſſe ad *Jeſum* Chriſtum, Mariæ Filium, quia prædicatum hoc notabile cum tot circumſtantiis aliis ad nullum aliud ſubjectum poteſt applicari.

Et cum de Davide intelligi nequeat: accipiendum de *Chriſto*.

Aliud argumentum ex hoc loco, productum pro *cruce Chriſti* ex voce הקיפוני.

XI. Sed hoc ſolum & unicum argumentum non eſt, quod pro *Cruce Chriſti* ex his verbis produci poteſt. Fuerunt enim diligentiſſimi Viri, qui ſatis felici cum ſucceſſu ad idem hoc ſupplicium *Crucis Chriſti* reſpicere docuerunt vocem הקיפוני. Nempe fuerunt inter Doctos, qui contra Judæos hoc ex loco pro *cruce Chriſti* pugnantes, iis tantum aliquando voluerunt largiri, ut conceſſerint, τὸ כארי verti poſſe, *Sicut Leo*, neque tamen contra eos deſierunt contendere, extare in his verbis indicium clariſſimum *crucifixionis Chriſti*. Quem in finem τὸ הקיפוני advocarunt ad ſupplen-

a Cap. xx. 25, 27.

plendum contextum, illud vertentes per *perforarunt me*. Ita quondam viſum Alexandro Moro[a]. Etiamſi vero ſatis à nobis in antecedentibus ſit evictum, הקיפוני ה׳ ad contextum ſequentem minime referendum eſſe: non repudiamus tamen hanc obſervationem; nec ea ante nos diſplicuit eruditis Viris, Pocockio & Altingio, qui hanc notationem vocis הקיפוני / ſtudioſe inculcarunt in Diſſertationibus modo laudatis. Et ſane negari non poteſt, eſſe hanc ſignificationem vocis illius tam huic loco, in quo de *crucifixione* agi modo probatum eſt, quam illius etymo convenientiſſimam. qua de re paucis.

XII. Deducitur הקיפוני ה׳ in *Hiphil* communiter à themate קוף. ſed convenientius eſt præceptis Grammaticæ id derivare à נקף / quia in *Kal* nunquam uſurpatur. נקף vero notat *deſtringere*, vel, ut alii volunt, *violenter cadere*, ut fit, ubi arbores amputantur vel decutiuntur. Proprie enim pertinet ad *arbores*, quando illæ fructibus, frondibus, aut majoribus ramis privantur. Inde itaque *quævis amputatio*, *vulneratio*, *exciſio*, ſive ea violenta ſive voluntaria ſit, hac voce apud Hebræos exprimitur. Eam dubio procul ſignificationem obtinet in celebri loco apud *Jobum*[b]: ואחר עורי נקפו זאת *Poſtquam* DESTRINXERINT *cutis mea hoc*. Belgice dicerem: **Na datſe deſen mijnen huyt ſullen afgeſtroopt hebben.** Noſtri habent: **En als ſy na mijn huyt dit doorknaeght ſullen hebben.** Recte quidem expreſſerunt vim vocis נקף / de qua diſquirimus, etſi vocem אחר infelicius hic verterint. Sane, cum *cutis*, ſive *pellis*, id notet, quod *carnem & oſſa* tegit atque ſuſtinet: hinc *ſtrictura cutis* hoc in loco notat conſumptionem totius humani cadaveris. Quandoquidem vero hæc *ſtrictura cutis* in *cadavere* per *vermes* fieri ſolet, quorum eſt *rodere*, & per *continuam arroſionem* pellem *perforare*: Interpretes *Belgæ* נקפו ה׳ bene interpretati ſunt per *corrodere*: **Doorknaegen** / & in Notis explicarunt per *perforare*: **Doorbooren.** quę nobis nunc mirifice favent. Altingius obſervat, Hebræos Veteres eodem modo accepiſſe verba *Jeſaiæ*[c]: תחת חגורה נקפה / eaque convertiſſe: *Loco cinguli* PERFORATIO. Imo certe, ſic Kimchius: נקפה׳ יהיה הבשר נגוע ומכה שלא יוכלו לחגור עליו כמו ואחר עורי נקפו זאת *Caro ita erit affecta plagis & contuſa, ut ferre non poſſit cingulum.*

Etymon & genuina ſignificatio vocis הקיפוני veſtigantur. נקף notat deſtringere.

Locus Job. XIX. 26. illuſtratus.

Et Jeſ. III. 24.

Qua-

a Exercit. Genev. p. 92. b Cap. XIX. 26. c Cap. III. 24.

Qualis ſignificatio vocis apud Jobum eſt: Poſtquam cutem meam &c. Abarbenel: נקפה' ר"ל חבורה *Vult dicere: tumex* aut *vulnus*. Allegat locum *Jobi* modo recenſitum, eique adjungit alium ex Jeſ. *Cap.* x. 34. ונקף סבכי היער בברזל *Et* CIRCUMCIDET *perplexa ſylva ferro*, & tandem colligit, נקף gaudere ſignificatu כריתה *exciſionis*, quę communiter conjuncta ſolet eſſe cum *vulnere, tumice, compunctione, perforatione*. Ego tamen in hoc *Jeſaiæ* loco τὸ נקפה potius accipere velim pro *ſtrictura* ſive *deſtrictione veſtium & ornamentorum*. Belgæ: Losſichept. Nos potius: Afſtroopinge. etſi omnino teneamus, τὸ נקף notare *amputationem, exciſionem, vulnerationem, & perforationem*.

Et cap. x. 44.

Et illuſtratur ſignificatio ex affinibus thematibus נקב & קבב.

XIII. Faciunt certe ad hanc ſignificationem vocis adſtruendam affinis enunciationis themata קבב & נקב. נקב notat *perforare*, ut ſatis notum. Sic in *Poſteriore* Regum *Libro*[a]: *Et ſumpſit Jehoiada Sacerdos Arcam unam*, ויקב חר בדלתו & FORAVIT FORAMEN *in operculo ejus*. Hinc צרור נקוב *crumena perforata*. נְקָבִים *fiſtula*. מקבת *foramen*. & à קבב / ejuſdem ſignificationis notione, קב *Cabus*, menſura parva, ab excavatione ita dicta: & haud dubie etiam קב / *lacus*, vas vino excipiendo, quod ex torculari fluit, paratum, à perforatione ita dictum. quibus addi poſſunt quę ex Arabum Dialecto notata ſunt à Cl. Pocockio[b].

Eſtque vox aptiſſima ad ſignificandum ſupplicium *crucifixionis*.

XIV. Omnes autem hæ ſignificationes hujus vocis nos ducunt ad cogitandum de *ſupplicio crucis Chriſti*. Nempe, quod jam demonſtratum eſt: נקף notat *ſtringere, deſtringere, excutere*; tum etiam *cædere, vulnerare*, & *perforare*. quos ſignificatus nos hic non dividimus, ſed conjungimus. Crucifigendus primo *deſtringebatur*, hoc eſt, nudus exuebatur; *cædebatur*, quod in Chriſto factum videmus; & tandem *perforabatur*. Vides quam egregie omnia conſentiant! En igitur *Chriſtum* hic *circumdatum* à Romanis militibus, (סבבוני כלבים *circumdederunt* me *canes:*) *cruci* traditum à toto malevolorum Judæorum cœtu (עדת מרעים הקיפוני *Cœtus malevolorum nudandum, cædendum, & crucifigendum me tradiderunt*;) & tandem clavis per pedes manuſque tranſmiſſis ligno affixum. כארי ידי ורגלי PERFODIENTES *manus pedeſque meos*.

Pertinet etiam illuc,

XV. Sed putandum non eſt, Chriſtum in hac ſua δέσει tam ſubito

a 2 Reg. XII. 10. b p. 62.

quod dicitur: *Numero omnia oſſa mea.*

ſubito abrumpere filum ſuæ orationis de *Crucifixione.* Pertinent quoque ad eam ejuſque circumſtantias *commata ſequentia:* אספר כל עצמותי *Numero omnia oſſa mea.* Hoc eſt, in eo ſum ſtatu & conditione poſitus, ut ipſe ego & quilibet me contuitus oſſa mea numerare poſſimus. Proponat quis ſibi Chriſtum *nudum*, à cruce pendentem, jam ante per tenuem victum & præcedentis noctis anguſtias emaciatum, & videat, an hæc verba alii alicui vel alio in ſtatu poſito tam commode & ἐμφατικῶς applicari queant, quam illi in ea, qua tum erat, conditione? המה יביטו יראו בי *Illi aſpiciunt & intuentur me.* Judæi ſe rem ſibi ſalutarem perfeciſſe arbitrati, quod Chriſtum per Romanos cruci affixiſſent, circumeunt *Chriſtum nudum*, eumque læti contuentur, ſcommata in illum & dicteria jacientes, & miſero illudentes. quod quam durum & moleſtum acciderit Chriſto, qui ad eos ut fratres ſuos ſervandum miſſus fuerat, quam horrendum vero Angelis & piis præſentibus ſpectaculum, facile nobiſcum reputamus. Sed τοῦτο ἴδιον παθεῖν τὸν Χριστόν. Sequitur diſtributio veſtimentorum crucifixi per ſortem facta: יחלקו בגדי להם ועל לבושי יפילו גורל *Dividunt veſtes meas inter ſe, & ſuper tunica mea projiciunt ſortem.* quę in ſolo Chriſto crucifixo implementum ſortita eſſe ſuum, res ipſa clamat.

Et quod additur: *Aſpiciunt & intuentur me.*

Et poſtea: *Dividunt veſtes meas*, &c.

Tranſitur ad Pſ. LXIX.

XVI. Præter hunc Pſalmum, in confeſſo eſt apud Chriſtianos in Pſalmo quoque LXIX nobis ob oculos poni *Chriſtum* eumque paſſum. Nos addimus, *eumque crucifixum*, quia Evangeliſtæ *Mattheus*, *Marcus*, & *Joannes*, *comma vigeſimum ſecundum* certæ circumſtantiæ crucifixionis Chriſti applicarunt. Quod ſi certum eſt, putabimuſne, nullum proprie ipſius *crucis* Chriſti indicium in *Pſalmo* extare? Utique illud præſumendum eſt: atque adeo operæ pretium fuerit *Crucem Chriſti* hic inveſtigare. Notatum igitur volumus, Chriſtum in tota hac ſua ad Patrem *ſupplicatione* (eſt enim ejuſdem argumenti cum Pſ. XXII.) deſcribere *mortis* & calamitatis *ſuæ genus*, ut maxime *pudendum* & *ignominioſum.* Ita ỷſ. 8. כי עליך נשאתי חרפה כסתה כלמה פני *Nam propter te tuli* PROBRUM; *texit* IGNOMINIA *faciem meam.* ỷſ. 20. אתה ידעת חרפתי ובשתי וכלמתי *Tu noſti* PROBRUM *meum*, *&* PUDOREM *meum*, *&* IGNOMINIAM *meam.* Chriſtus nullas hic negligit voceș, quę *probrum* aut *ignominiam* ſtatus, in quo tunc erat, deſi-

Argumentum illius *Pſalmi*, & de quo agat *ſubjecto*?

Deſcribitur in hac Ode *Mors* Chriſti ut ipſi *probroſa, pudenda*, ignominioſa.

deſignare valent. ℣ſ. 21. חרפה שברה לבי ואנושה PROBRUM *fregerat cor meum & infirmabat.* Vides continuam fieri mentionem *opprobrii*, *ignominiæ*, *pudoris*. Quid inde? Nempe id ego velim conferas cum eo ſupplicii genere, quod Chriſtus ſuſtinuit, hoc eſt, cum morte *crucis*. Nullum ſane mortis & ſupplicii genus fuit tam *pudendum* & *ignominioſum*, quam illud *crucis*. Exponebatur *cruci affixus* omnium oculis & ludibriis vivus, veſtibus nudatus; quod honeſto & verecundo homini grave erat, & ipſo dolore gravius. Quare ſi hæc verba ad *crucem Chriſti* referantur: multo majorem, quam in alia quavis expoſitione, habebunt ἔμφασιν.

Quod maxime locum habet in ſupplicio *crucis*.

Præcipue tamen huc referuntur verſ. 26. & 27.

XVII. Sed clarius forte adhuc & preſſius Chriſtum à cruce pendentem deprehendemus, in *commatibus* 26. & 27. Sic habent verba Prophetæ: *Sit palatium eorum deſolatum, & in tentoriis eorum ne ſit habitans*, כי אתה אשר הכית רדפו ואל מכאוב חלליך יספרו *quia eum, quem tu percuſſiſti, perſequuntur, & (ad) dolorem* PERFORATI TUI *narrant*, aut, *numerant*. Datur his in verbis ratio longe maxima & graviſſima, propter quam Judæi terra ſua eſſent ejiciendi, & nomine ac prærogativis Populi Dei privandi, quia nimirum *eum perſequuntur*, quem à Deo *percuſſum* vident, hoc eſt, quem vident ab ira Divina maximopere preſſum & ad ſummam ἀδημονίαν redactum. qui dubio procul Chriſtus eſt. Sane *Jeſaias* eum eadem φράσει vocat מכה אלהים *percuſſum a Deo*[a]. Pergit Propheta: *Et quia ad dolorem* PERFORATI TUI *narrant*. Quid hoc? Nos putamus expreſſis verbis hic deſcribi *crucifixionis* ſupplicium. Certum enim eſt, in *Crucifixione Chriſti* longe maximam & graviſſimam ſitam eſſe rationem, cur Judæi ultimo ſupplicio à Deo affecti ſint. Cur igitur *crucifixionem* non intelligamus, cum ea maxime mereatur prædicari de *ſubjecto*, de quo hunc Pſalmum agere conſtat; & optime conveniat contextui orationis Propheticæ; &, quod præcipuum eſt, nihil æque ſatisfaciat poteſtati verborum hujus ſententiæ. quod demonſtrandum eſt.

Ubi vox חללים PERFORATI emphatice de ſupplicio *Crucis* uſurpatur.

Significatio vocis חלל apud Hebræos.

XVIII. Supponimus itaque hic tanquam quod certiſſimum eſſe arbitramur, חלל apud Hebræos olim *perforandi* notionem habuiſſe. id enim facile quis ex derivatis colligat. חליל *tibiam* notat,

a Cap. LIII. 4.

notat, lignum *cavum* & *perforatum.* unde חול *tripudiare* ad *tibiam*, vel inſtrumenta muſica. חוללים χορεύοντες *ad tibiam ſaltantes.* חלון *feneſtra.* מחלות *cavernæ.* חלה *placenta.* Singula ſic dicuntur à *perforatione.* Juxta cum his derivatur ab eodem hoc themate noſtrum חלל / quod per *exanimatum*, ſive *vulneratum*, interpretari ſolent: Belgice: Verwondde. Evidens eſt, indicari hominem, qui *gladio* aut *enſe* transfoſſus, *perforatus*, & transverberatus eſt. Unde חללי ח־ב *tranſfoſſi gladio.* Quod vero gladio *confoſſi*, & ſanguine *taminati*, vel maxime impuri haberentur; inde forte נחל *profanari*, חלל *profanare*, חול *profanum*, חלילה *abominationis nota*, & quæ ſimilis generis alia. Ex quibus patet, vix ullum aliud commodius inveniri potuiſſe vocabulum, quo *crucifixio* denotetur, quam hoc ipſum. Eſt in *crucifixione perforatio gravis*, quę *ferro* fit, & indubitata *mortis inſtantis* ſocia eſt. Hoc tantum difficultatis ſupereſt, quod in hac oratione חללים dicatur *numero plurium*, cum potius dictum debuerit eſſe חלל ut *de uno.* Sed hæc facile tollitur. Conſtat enim, Hebræos ubi rem aut perſonam graviter & emphatice appellare volunt, *plurali* pro *ſingulari* uti[a]. Converte oculos tuos ad Chriſtum Jeſum, miſeris modis per *cædes* & *vulnera* crucifixionis ſibi inflicta deformatum, & à cruce pendentem moribundum, à Deo veluti atque ab hominibus derelictum, & non dubitabis quin ille ſingulari modo חללים dici mercatur pro חלל. Imo & alibi חללים *numero plurium*, pro חלל dici videtur. Compara Jobi locum de *aquila*[b]: באשר חללים שם הוא *Ubi cadavera ſunt, ibi ille*; cum Chriſti dicto apud *Matthæum*[c]: Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα· *Ubi* CADAVER *fuerit, ibi aquilæ congregabuntur.* Hoc igitur graviſſimum Judæorum delictum hic loci deſcribitur, quod illi Chriſtum crucifixum viderint, narrent, memorent, tanquam inſigne perpetraſſent & laude digniſſimum facinus, illiusque dolores & gemitus læti referant, & ad illos ſubſanniant, quaſi nihil à ſe actum eſſet male.

Significat *perforare.* ut ex derivatis liquet.

Quæ proprietas eſt *crucifixionis.*

Pluralis numerus hic uſurpatur ἐμφάσεως cauſa.

XIX. Cum duobus hiſce *Pſalmis* XXII, & LXIX, ad omnia convenit *Pſalmus* LXXXVIII. quod argumento eſt, cum eodem modo à nobis eſſe explicandum. Continet igitur pariter oratio-

Reſpondet Pſ. LXXXVIII. ejuſdem plane argumenti.

Ddd 2

a Vide Glaſſ. Gram. Sacr. lib. II. Tract. I. Can. XXIV. b Cap. XXXIX. 30. c Cap. XXIV. 28.

tionem Chriſti ad Patrem è cruce fuſam. Auctor hujus Cantici, *Heman Ezrachita*, inter ſui ævi ſapientiſſimos honoratus, qui non alium in finem illi titulum dedit משכיל *erudientis*, quam ut Eccleſia poſteriorum temporum ex eo diſceret ultima hæc Meſſiæ fata. Ut ut vero plures circumſtantiæ mortis Chriſti in hoc Pſalmo notentur & depingantur: nos tamen unicum modo *comma ſextum* ex eo excerpemus, quia id omnium maxime ſcopo noſtro inſervire videtur. Ita habet: במתים חפשי כמו חללים Extiti *in mortuis* LIBER, *ut* PERFORATI; vel ut alii, *exanimes*, *jacentes in ſepulcro*. Latet in his verbis, ut nos quidem putamus, elegantiſſima deſcriptio *crucis Chriſti*. Quod ut aliis quoque demonſtratum demus, φράσεις hujus ſententiæ diſtinctius ſunt perpendendæ & exponendæ.

Comma ſextum notabile, inde excerptum.

XX. Τὸ חפשי quod in prima parte ſententiæ extat, denotat ἐλεύθερον *liberum*, qui opponitur *ſervo*. Sic inter Leges Moſaicas una eſt de *ſervo Hebræo*[a], cui conceditur ſeptimo anno egredi לחפשי LIBERUM, vel *in libertatem*. Quod ſi vero diceret לא אצא חפשי *non egrediar* LIBER, quia Dominum ſuum, uxorem, liberoſque diligebat, concedit illi Legiſlator, ut aure ad januam perforata in ædibus heri ſui maneat, & ſe æternæ ſervituti ultro mancipet. Kimchius id vernacule expreſſit per פרנ׳קו *Franco*. Belgæ: Vry. Sed quid hoc, quod, cum *libertas* ſit res in ſe optima & gratiſſima, τὸ *eſſe* חפשי in hoc loco Davidis nobis proponatur ut *ſummum malum*? Hebræi igitur Commentatores hic de *morte* cogitarunt, per quam quis *liberatur à corpore*, ejuſque *functionibus*, ſimul à mundo, & omni mundi jugo ac ſervitute. Ita Salomo Jarchi, & Aben-Ezra; & Kimchi quoque in Lexico[b]: במתים חפשי פירושו חפשי מעמל העולם *In mortuis liber: Liber à moleſtia & labore mundi*. Neque improbaremus hanc expoſitionem, ſi omni modo circumſtantiis hujus contextus ſatisfaceret. Etenim Perſona, quæ hic loquens inducitur, hoc eſt, Chriſtus, *mortuus* nondum erat, quando hæc verba proferebat. Contra deplorat magnitudinem ſuæ miſeriæ atque ἀδημονίας præſentis, & hunc ſuum ſtatum deſignat voce חפשי *liber*. Neque etiam *liberum eſſe à moleſtia & labore mundi* apta ad conditionem hominis miſeri depingendam phra-

Significatio vera vocis Hebrææ חפשי.

Quomodo ſtatus *libertatis* hic proponi queat ut *ſtatus* ſummæ miſeriæ?

Judæorum Intt. ſententia, ſed quæ refellitur.

ſis

a Exod. XXI. 1. 5. b ad h. l.

ſis eſt. Quatenus enim tales ſunt homines mortui, vulgo felices judicantur & beati. Vix aliis utitur argumentis Seneca in ſuis *Conſolationum* Libris, quam hoc ipſo *libertatis mortuorum*, ut eorum nobis felicitatem repræſentet. In quibus ubi eſt, ipſum quoque LIBERTATIS vocabulum adhibet. Ita ille ad Polybiam[a]: *In hoc tam procelloſo mari nullus portus, niſi mortis. Ne itaque invideas fratri tuo: quieſcit. Tondem* LIBER, *tandem tutus, tandem æternus eſt*. Nec non[b]: *Fruitur nunc aperto &* LIBERO *cælo*. De alia itaque expoſitione horum verborum cogitandum eſt, ſi hæc admitti nequeat. Poteſt vero, ni fallor, חפשי (ſi μεταφορικῶς ſumatur, ut hic ſane accipiendum eſt:) ſignificare hominem, ab omnibus derelictum, quicum nemo commercium vult exercere, & qui eam ob rationem ut חפשי *liber*, hoc eſt, ab omnibus ſeparatus & ſibi relictus habetur. Belgæ vocem hoc in loco reddiderunt: **Afgeſondert**. Sed ſignificatus hic nimis eſt tenuis & anguſtus. Cum enim Chriſtus ſummum ſuæ miſeriæ & παθήματος gradum nobis hic proponat: quiſque facile videt, eum non ſatis efficaciter deſignari & exponi φράσει *ſeparationis ab hominibus*. Fuit quidem ea pars non levis paſſionis Chriſti, ab hominibus, & ipſis cariſſimis diſcipulis atque amicis ſuis, ſeparatum eſſe, ſed tanta tamen non fuit, ut nobis totam vim paſſionis Chriſti commode ob oculos ponat. Quid igitur amplius vagamur? Vertamus oculos ad *Chriſtum crucifixum*, & palam fiet, nulli ſtatui commodius hanc φράσιν poſſe applicari. *Crucifixus* in eo ſtatu, in quo eſt, habetur ab omnibus, περικάθαρμα, περίψημα τῦ κόσμυ; ut *mundi* totius *fæx* & *purgamentum*, cuique abominandus & execrabilis. Hinc ſuſpenditur *liber*, inter cœlum & terram medius. *Separatur* igitur in *crucifixione* à cæteris hominibus, & *pendet liber*. Quiſque eum fugit. Quiſque vitat illius commercium. Si ante commercium cum eo habuerit, nunc ſe habuiſſe negat. Exponitur denique omnibus *liber*, cum quo cuivis quidlibet agere licet. Hic illudit gementi & ſuſpiranti, ſuamque deploranti miſeriam. Alius querentis verba invertit. Alius crimina commiſſa exprobrat. Quiſque ſpectaculum horret, & quam longiſſime illius commercium fugit.

Libertas, in quam homo venit per mortem, Stoicis non habitur pro magno malo.

Vox חפשי *Liber* hic emphatice deſignat ſtatum Chriſti Jeſu, pendentis à *cruce*.

Quod ulterius declaratur.

Crucifixus liber.

 git.

a Conſol. ad Polyb. Cap. XXVIII. b Confer Conſol. ad Marc. Cap. XXIV. & XXVI.

git. Utique ſic exiſtimo, ſi Spiritus Chriſti depingere voluiſſet impropria loquendi ratione hanc ejus *crucifixionem*, eam vel ſignificantiore vel elegantiore ῥήσει non potuiſſe appellare.

Illuſtratur quod jam dictum, ex ea ſignificatione vocis qua ſumitur pro *leproſo*.

XXI. Facit huc quod vocabulum חפשי in Scriptura uſurpetur ad deſignandum *ſtatum* ejuſmodi, in quo quis ſumme miſer ab aliis derelinquitur, ſpernitur, vitatur. Ejuſmodi homo *leproſus* erat. Sane *domus*, cui Rex *Uzzias* incluſus fuit, poſtquam ſua culpa affectus erat *plaga lepræ*, appellatur בית החפשית *domus* LIBERTATIS. Belg. **Een afgeſondert huys**[a]. Lege enim ſpeciali cautum erat, ut leproſi extra caſtra, hoc eſt, hominum aliorum ſocietatem habitarent[b]. Conſtat vero ex *Jeſaia*, Chriſtum, à cruce pendentem, ſe comparare cum נגוע *plaga affecto* (leproſo) & מכה אלהים *percuſſo à Deo*[c]. Quia *crucifixus* non tantum inſtar *leproſi* ſpectabatur, ut nefandus homo, in quem Deus extraordinario ſupplicio animadverſum vellet, ſed etiam inſtar *leproſi* ab omnibus derelinquebatur, vitabatur, ſpernebatur, nullo audente μετὰ παῤῥησίας illius commercium profiteri.

Comparatio *Crucifixi* & *Leproſi*.

Confertur cum hac voce affinis דרור, quæ ſumitur pro *publicatione perſonæ* aut *bonorum*.

XXII. Meretur inſuper diligentem animadverſionem Cl. Cocceji annotatio. Obſervavit ille, vocem דרור/ ejuſdem ſignificationis cum חפש/ uſurpari pro *publicatione Perſonæ*, qua omnium injuriæ, violentiæ, & contumeliæ exponitur. Atque ille quiden vocis uſus eſt apud Jeremiam[d]. Cum vero חפש/ atque hinc חפשי/ ejuſdem ſit naturæ & indolis cum altera *libertatis* notione דרור/ nihil obeſt, quo minus eodem ſignificatu capi queat τὸ חפשי/ quando circumſtantiæ orationis id ſuadent. Suadent autem, ut nunc eſt dictum, hoc in loco, in quo hac voce *ſtatus ſummæ miſeriæ* deſignatur. Cum vero nemo magis ſit miſer, quam qui omnium injuriis, contumeliis, & ludibriis eſt expoſitus: flagitat ratio, ut talis etiam hic admittatur vocis ſignificatio. Quod nos iterum ducit ad *crucem Chriſti*. Fuit enim in *cruce* omnibus *expoſitus* contumeliis, illuſionibus, contemptus denique & injuriæ omni generi. Cæteri *crucifixi* ſæpe numero exponebantur *feris*, *canibus*, *lupis*, *avibus*. Petrus ἔκδοτον dixit, ſignificantiſſima voce in *Actis*[e]: Τῦτον ἔκδοτον

a II Reg. XV. 5. b Lev. XIII. 46. c Cap. LIII. 4. d Cap. XXIV. 17. e Cap. II. 23.

δοτον λαβόντες διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε. Reſpicit *Petrus* manifeſte ad ſtatum *crucifixi* depictum cum hoc in loco tum in Pſalmo *vigeſimo ſecundo*.

Animadverſio ad id quod additur: *Liber* INTER MORTUOS.' *Crucifixi* enim jam inter *mortuos* recenſebantur, licet *viverent*.

XXIII. Negligi inſuper à nobis non debebat emphaſis, quæ eſt in phraſi: חפשי במתים *liber* INTER MORTUOS. Hoc dubio procul ἐμφατικῶς ſignificat, Chriſtum, à cruce pendentem, licet *viveret* etiamnum in eo ſtatu qui hic *libertatis* dicitur, in hoc ipſo tamen ſtatu proximum eſſe *morti*, imo jam *inter mortuos* cenſeri. Quod quidem inde egregie illuſtratur, quod *crucifixis lignum* ſoleret eſſe *ſepulchrum*. Monſtrarunt enim Eruditi Viri, quos inter amicus noſter plurimum honorandus, Antonius Bynæus[a]: *corpora crucifixorum* communiter apud Romanos in cruce permanſiſſe aliis in exemplum, ibidemque periiſſe. Cui rei quid convenientius applicari poteſt φράσει hujus loci, qua *liber* dicitur *Chriſtus inter mortuos?* Nunc vere poſitus in eo ſtatu, in quo morti erat vicinus, & in quo mortuus debebat juxta receptam conſuetudinem permanere. *Vivus* igitur erat *in ſepulchro*, quando *crucifixus* erat. Conſidera nunc ſequentia: כמו חללים שוכבי קבר *Inſtar* PERFORATORUM, (*occiſorum* vulgo reddunt:) *qui jacent in ſepulchro*. Quæ ſimpliciter ex dictis ita poſſumus interpretari, quod in *cruce* medios quaſi inter mortuos ſe ipſum tamen vivum in ſepulchro viderit. Sed nihil obſtat, quominus vocem חללים eadem efficacia reddamus per *crucifixos*, qua illam interpretati ſumus in Pſalmo *ſexageſimo* & *nono*. Non enim facile demonſtrabitur apud Hebræos vocabulum, quo magis proprie *crucifixionis* ſupplicium denotetur: quod ante oſtenſum. Conſideremus igitur ultima hæc verba, tanquam quę priora exponant, ante implementum magis obſcura & ambigua. *In mortuis*, ſive *inter mortuos liber erat*, Chriſtus, *inſtar crucifixorum*, *qui* vivi *in ſepulchrum quaſi deſcenderunt*. Nihil habet hæc expoſitio contorti & ambigui. Sed hæc miſſa facientes, alia ſectemur.

Favent ſequentia: *Inſtar* PERFORATORUM, *qui jacent in ſepulchro*.

Quæ ad ſcopum applicantur.

Evinciturque idem ex Jeſ. LIII.

XXIV. Dudum eſt, quod contra Judæos Chriſtiani evicerint, in Capite *quinquageſimo tertio Jeſaiæ* παθήματα Chriſti ultima tam nobis accurate delineari & depingi, ac ſi eorum hiſtoria ibidem extaret, non prædictio. Probabile itaque ſi quic-

a De Chriſto Crucifixo Cap. xx. §. v.

quicquam aliud, non minus in eo extare memoriam *crucis Chriſti*, quam aliarum circumſtantiarum mortis & & ſepulturæ Chriſti, quas Interpretes ex eo feliciter ſolent eruere. Et ſane docebit nos inſpectio & conſideratio prophetiæ, non fallere hanc πρόληψιν. Noſtrum erit id nunc probatum dare. Poſſemus autem merito huc referre eas ῥήσεις, quę *commatibus tertio* & *quarto* occurrunt, quibus eo in ſtatu poſitus deſignatur per מסתר פנים ממנו OCCULTARE FACIENTEM FACIES A SE & נגוע PLAGA AFFECTUM. Quid enim ſub his phraſibus aliud lateat, quam eo in ſtatu collocandum eſſe Chriſtum, ut eum quiſque reſpiceret veluti fœdum aliquod & fuga dignum ſpectaculum, à cujus commercio & ſocietate cujuſque erat ſibi cavere? Kimchi: לא היינו רוצים להביט בו *Noluimus eum aſpicere.* Coccejus: *Qui videbatur nobis vitandus & non aſpiciendus, & in occurſu averſandus, ne vel oculi noſtri per ipſum fœdarentur.* Conſentiunt Belgæ. Quæ de *crucifixo* maxime vera eſſe, nemo facile negaverit. Nec tamen nobis propoſitum nunc eſt, in his, utut ſignificantiſſimis loquendi modis, hærere, tum quia alio etiam à perverſi ingenii hominibus torqueri poſſunt; tum, quia jam in anteceſſum horum aliqua anticipavimus.

Argumentum illius prophetiæ. In anteceſſum quædam obſervantur ex verſ. 3. & 4.

XXV. Convertimus igitur nos potius ad *verſum quintum*, in quo, ni fallimur, duplex, idque inſigne, *crucis Chriſti* indicium extat. Pars prior ita habet: הוא מחולל מפשענו Belgæ: **Hy is verwondet om onſe overtredingen.** Alii: *Excruciatus eſt propter defectiones noſtras.* Alii: *Profanatus eſt propter defectiones noſtras.* Quarum quidem verſionum nulla contemnenda eſt, quia omnia hæc & ſingula de Chriſto ex vero prædicari poſſunt. Diſpiciendum tamen eſt accuratius, quænam proxima horum verborum ſignificatio & ſumma vis ſit; quam Interpretes omnes non ſunt aſſequuti. Obſervari igitur volumus, τὸ מחולל *Participium præteritum Pyal* deducendum eſſe vel ex חול vel ex חלל/ quę themata ſignificatione & literarum poteſtate inter ſe uſque adeo conveniunt, ut perinde ſit utrum eorum elegerimus. Hoc tantum operam dare oportet, ut eam *activi Piel* (inde enim *Paſſivum* deducendum eſt;) ſignificationem adinveniamus, quę utrique themati ex æquo applicari poſſit. quod detectum nos ad genuinam hujus textus intelligentiam ducet. Etenim cum τὸ חלל

Comma quintum ex hac prophetia relegitur; ubi: PERFORATUS EST propter defectiones noſtras.

Vox מחלל, particip. Pyal, vel ducendum ex חול, vel ex חלל.

Significatio illius inveſtigatur.

חלל in *Piel*, à חלל deddułtum, *profanandi* quoque ſecundaria ſignificatione valeat, quod ante quoque monitum eſt; colligo inde, hanc *profanandi* ſignificationem hic præcipue conſiderandam non eſſe, quippe quę utrique *themati* communis non eſt. Quod enim ſciam, τὸ חולל ex חיל/ (unde τὸ מחולל derivandum eſt:) nunquam *polluendi* vel *profanandi* notione accipitur. Quærenda igitur alia eſt notio, utrique communis. quę ſane eſt *Ferro acuto aliquem perforare.* ita ut מחולל ex vi & uſu Linguæ ſignificare debeat FERRO PERFORATUM. Sic utique accipitur חולל ex חול in oratione apud Jeſaiam[a], qua de *brachio Jehovæ* prædicatur, quod ſit מחוללת תנין VULNERANS *Draconem.* Coccejus in *Lexico*, hoc loco allegato, ait: *Gladius Jehovæ crucians Draconem.* Sed *gladii* vox in textu non reperitur. Fieri non poteſt, meo judicio, ut aliud quid hic intelligamus, quam mortiferam Draconis læſionem, quę *ferro* fit. plane ut modus capiendi Draconem per *uncos* deſcribitur apud *Ezechielem*[b]. Hic itaque non *excruciatio Draconis*, ſed *mortifera læſio*, quę *ferro* fit & *uncis*, vel quovis alio modo, intelligenda eſt, quia alluditur ad interitum Pharaonis in rubro mari. Belgæ optime: **Die de zeedraeck verwondet hebt.** Sic in Diverbiis Salomonis[c]: רב מחולל כל *Sagittarius omnia vulnerat*, hoc eſt, vulnerando ad ſe rapit. Adhibet vim, eamque ob cauſſam omnibus moleſtus eſt. Vides, τὸ חולל adſcribi *ſagittis*, ferro munitis, quæ *vulnera* faciant ſimilia vulneribus per *gladios* & *uncos* inflictis. Ex חלל habes *Piel* חלל eodem ſignificatu. De Tyro dicitur apud *Ezechielem*[d]: *An dices, Deus ſum coram eo, qui te occidit:* ואתה אדם ולא אל ביד מחללך *cum tu ſis homo, non Deus, in manu* EXANIMANTIS TE, hoc eſt, per experientiam demonſtretur, ex morte videlicet & interitu tuo, te Deum non eſſe, cum Dei non ſit mori, neque ab alio *occidi*. Advertendum eſt, eadem plane vi pollere voces הרג & חלל hoc in contextu. הרג autem denotat quamvis violentam mortem, quæ quovis inſtrumento (ferro maxime, quod in eum uſum aptiſſimum inſtrumentum eſt:) alicui infertur[e]. Sed & ipſum *Pyal* apud eundem hunc Prophetam reperitur, מחללי חרב INTEREMPTI *gladio*. Quod alias dicitur חללי חרב. Ex qui-

Vox מחולל *ſignificat perforatum.*

Locus Jeſ. LI. 9. expoſitus.

Adſtruiturque hæc ſignificatio vocis חלל *ex aliis locis pluribus.*

E e e

a Cap. LI 9. b Cap. XXIX. 4. c Prov. XXVI. 10. d Cap. XXVIII. 9.
e Cap. XXXII. 26.

quibus patet, eſſe hanc generalem hujus thematis ſignificationem, à qua recedendum non eſt, niſi circumſtantiæ id flagitent.

Suadent autem circumſtantiæ contextus hanc ſignificationem in loco Jeſaiæ.

XXVI. In hoc vero *Jeſaiæ* contextu tantum abeſt ut circumſtantiæ aliam ſignificationem flagitent, ut contra hanc ipſam vehementer urgeant, quia in eo homo ſumme miſer, & quibuſlibet injuriis expoſitus, depingitur. Deinde, quia videmus de perſona, ad quam applicandum eſt, nihil *ἐμφατικώτερον* in hoc contextu prædicari poſſe, quam ſi vox מחולל hoc ſignificatu retineatur, & Chriſtus dicatur *à cruce ſuſpenſus eſſe.* Vertimus igitur verba directe: Crucifixus est *propter defectiones noſtras.* **Hy is gecruycigt om onſe overtredingen.** Sane ita prorſus exiſtimo, ſi Spiritus Sanctus nobis quam propriiſſime abſque ullis ambagibus & metaphoris voluiſſet delineare *crucifixionem Chriſti*; uti non potuiſſe commodiore & eam in rem aptiore *φράσει*, quam hac ipſa: ni fingere velimus, debuiſſe eum novis & inuſitatis periphraſibus rem hanc depingere. Verum id ſemper uſu non venit. Solent Prophetæ res futuras iis phraſibus enunciare, quę tum in uſu erant quando vaticinia ſua edebant.

Apoſtolus hanc interpretationem confirmat ad Rom. IV. 25.

XXVII. Sed quid hic dubitamus, aut hæremus? Reſpici his verbis directe *ad crucem Chriſti*, colligimus ex *Pauli* ſermone in Epiſtola ad Romanos [a], ubi de Chriſto: Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν· *Qui* traditus est propter offensas nostras. Vocabulum *παραδίδωμι*, quo heic loci utitur Paulus, de Chriſto enunciatum in Scriptis Novi Fœderis, eam obtinet ſignificationis emphaſin, ut notet, *Chriſtum à Judæis* traditum *eſſe gentibus, eum in finem,* ut *ab iis* crucifigeretur. Ita Dominus apud *Matthæum* [b]: Οἴδατε ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι & apud Lucam [c]: Ὅπως τε παρέδωκαν αὐτὸν οἱ Ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν εἰς κρίμα θανάτου, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Paulus de Chriſto in Epiſtola ad Galatas [d]: Καὶ παραδόντος ἑαυτὸν ὑπὲρ ἐμοῦ. Exempla ejuſdem generis plura extant alia.

Emphaſis & ſignificatio vocis παραδιδόναι, ubi uſurpatur de Chriſto Domino.

Quando itaque Apoſtolus dicit, *Chriſtum traditum eſſe propter offenſas noſtras:* ita id oportet accipere, *traditum eſſe cruci*, hoc eſt, *crucifixum eſſe propter offenſas noſtras.* Quomodo ſi Pauli hanc ſententiam interpreteris: an non mox maximam *Pauli* & *Jeſaiæ* verborum *ἁρμονίαν* obſer-

a Cap. IV. 25. b Cap. XXVI. 2. c Cap. XXIV. 20. d Cap. II. 20.

obſervaveris? Jeſaiæ ſunt modo explicata: Perforatus ferro est *propter peccata noſtra.* Pauli: Traditus est cruci *propter peccata noſtra.* Sane patet, ex *Pauli* hac poſteriore ſententia illam *Jeſaiæ* illuſtrandam eſſe. Conferatur jam Pauli dictum ad Corinthios[a]: Χριστὸς ἀπέθανεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν κατὰ τὰς γραφάς. Ni omnino fallor, hoc ipſum *Jeſaiæ* caput reſpicit, in quo hoc noſtrum inter alia: מחולל מפשענו. Et ſi omnino τὸ מחולל ſecundario ſignificatu pro *profanato* accipere velis: non deerit materia cogitandi de *cruce.* Quis *impurior* habebatur *crucifixo*, vel, ſi mavis, *ſuſpenſo quocunque* ſub Oeconomia antiqui Fœderis? Suſpenſus enim ferebat pœnam tam gravium Delictorum, ut ſi in ipſo punita non fuiſſent, totum Iſraelem *impurum* reddidiſſent & culpandum: ita ut *maledictio* illi incumberet, per pœnam ab eo latam ab Iſraelitis cæteris auferenda. Ecquis *impurior ſuſpenſo?* ecquis magis *profanatus*, quam *furca damnatus?* Hoc igitur quando in Vaticiniis de Chriſto dictum legitur: ſecundum hanc etiam vocis ſignificationem commodiſſime cogitamus de *cruce Chriſti.*

Ut & 1 Cor. xv. 3.

Nec excludit hæc interpretatio alteram, qua מחולל ſumitur pro *profanato.*

XXVIII. Altera hujus commatis pars, qua, licet minus aperte, indigitari putamus *crucem Chriſti*, his continetur verbis: מוסר שלומנו עליו Poena exemplaris pacis nostræ *ſuper ipſum eſt.* Vel; *Ipſi incumbit pœnam exemplarem pacis noſtræ*, hoc eſt, per quam pax nobis adduceretur, *luere.* Belgæ: **De ſtraffe/ die ons de vrede aenbrenght.** Quid מוסר ſit, omnium accuratiſſime in Lex. ad vocem יסר docuit Cl. Coccejus. Ego rem quam clariſſime ſtudebo proponere. Notat nimirum מוסר id omne, (deſcendit enim à יסר παιδεύειν *erudire:*) quod ad aliquem *erudiendum*, eumque in officio continendum ſuo, hoc eſt, ad σωφρονισμὸν facere poteſt. quod fieri poteſt vel *verbis*, unde מוסר παιδεία: **Onderwijſinge**/ vel *plagis*, quando מוסר *pœnam* ſignificat: unde שבט מוסר *Virga diſciplinæ*[b]. *Plagis* vero duplici modo poſſumus *erudiri*, vel, *quando ipſi nos punimur*, vel, *quando eadem peccata, quæ nos committimus, puniri videmus in alio.* Poſteriore ſignificatu מוסר notat παράδειγμα, *Pœnam exemplarem.* Ita accipitur apud *Ezechielem*[c]: והיתה חרפה וגדופה מוסר ומשמה לגוים אשר סביבותיך *Et eris opprobrium, & blaſphemia,* poena exemplaris,

Altera pars ſententiæ, quæ *ſupplicium Meſſiæ* appellatur מוסר, *pœna exemplaris*, eodem refertur.

Genuina ſignificatio vocis מוסר in lucem producta.

a 1 Cor. xv. 3. b Prov. xxii. 15. c Cap. v. 15.

& ſtupor gentibus illis, quæ circumcirca te ſunt. Videamus nunc, quæ ſignificatio hujus vocis in hoc loco *Jeſaiæ* debeat obtinere.

מוסר hic neceſſario accipiendum de *caſtigatione*, quæ *plagis* fit, non *verbis*.

XXIX. Et quidem cum ex toto contextu conſtet, mentionem eſſe de homine, qui *punitur*, quique ob *pœnam* ſibi inflictam, & dolores, quos ſuſtinet, acerbiſſimos valde miſer eſt: omnium primo certum haberi debet, τὸ מוסר hic non de *verbis*, ſed de *pœna* capiendum eſſe. Miſerum enim eum prædicare, qui verbis officii ſui monetur, ineptum eſſet. Nunc dubium eſt, an hic intelligere debeamus *pœnam*, per quam ipſe erudiretur, caſtigaretur, & in ordinem atque officium ſuum componeretur propter peccata à ſe commiſſa, num vero *pœnam*, per quam alii ſui monerentur officii ſuique convincerentur reatus. Nos *poſterius pœnæ erudientis* genus intelligi putamus ob manifeſtam rationem. Deſcribitur enim Perſona in toto hoc *Capite* ut *inſons* [a], adeo ut Petrus ad hunc ipſum locum reſpiciens, de Chriſto ſcripſerit [b]: Ἔπαθε δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ· *Paſſus eſt* JUSTUS *pro* INJUSTIS, *ut nos ad Deum adduceret*, hoc eſt, ipſi incubuit *pœna* שלומנו / per quam nos *pacem* cum Deo habere poſſemus. Ille igitur, ſi *juſtus* paſſus eſt, non neceſſe habuit pati ad *ſui correctionem*. Quare omnino τὸ מוסר hic capiendum erit pro *pœna exemplari*, hoc eſt, pro ſupplicio quo quis aliis hominibus in exemplum punitur. Inter *pœnas* vero *exemplares*, per quas quis ita puniebatur ut alii homines ex eo exemplum caperent, apud Judæos *ſuſpenſio*, apud Romanos *crucifixio*, ſumma habebatur & maxima. Ratio enim ſuadet, ut facinoroſus qui omnibus in exemplum puniendus eſt tanquam παράδειγμα, omnibus exponatur in eo, in quo eſt, ſtatu miſero, ut eum videntes omnes hoc exemplo vel diſcant, quid ipſi quoque meriti ſint, ſi eorundem criminum ſibi ſunt conſcii; vel à ſimilibus factis abſterreantur. Utique inter graviſſimas rationes, cur *Chriſtus crucifigi*, vel *à ligno ſuſpendi* debuerit, hæc neutiquam eſt negligenda, quod Chriſtum εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ *ad demonſtrationem Juſtitiæ Divinæ* publice oporteret *proponi*, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ [c]. Hoc eſt, ut omnis peccator ex hoc exemplo cognoſceret, quam indecorum Deo ſit abſ-

Et quidem de *pœna exemplari*;

Cujuſmodi fuit ſupplicium *crucifixionis*.

Quæ ob ipſam hanc rationem fuit neceſſaria.

a verſ. 4, 5, 7. b 1 Cap. III. 18. c Rom. III. 25, 26.

abſque demonſtratione ſuæ juſtitiæ hominem peccatorem admittere ad ſuam communionem. Quod ut omnibus peccatoribus palam demonſtraretur: eo genere mortis mori debuit Chriſtus, quo eum mortuum eſſe experientia docuit. Hinc à publico judicio cum Judæorum tum gentium, ut inſons, debuit condemnari, & omnibus in exemplum puniri, eamque ob cauſſam ut horrendum fœdumque ſpectaculum iræ divinæ in crucem rapi, atque omnibus palam exhiberi. Ita demonſtratum, quę vis peccati. Sic recte probaſſe videmur, novum nos *crucis Chriſti* indicium habere in voce מוסר. Tranſeamus ad alia.

XXX. Chriſtus Servator in Evangelio *Joannis* verba faciens de futura ſua *crucifixione*, eam non ſemel deſignavit voce *exaltationis*. Sic apud Joannem[a]: *Et ſicut Moſes exaltavit Serpentem in deſerto*, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· *ita* EXALTARI *oportet Filium hominis*. & alibi[b]: *Dixit ergo eis Jeſus*: ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· *Cum* EXALTAVERITIS (in altum eduxeritis:) *Filium hominis*, *&c*. Tum etiam[c]: Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς· *Ego ſi à terra exaltatus fuero*. Addit vero *Joannes*: *Hoc autem dicebat*, *ſignificans* ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν· QUO MORTIS GENERE *moreretur*. Certum equidem eſt, in cruce ſummam fuiſſe ταπείνωσιν reſpectu Chriſti, cui Apoſtolus τὴν ὕψωσιν, & quidem τὴν ὑπερύψωσιν τοῦ Χριστοῦ[d], opponit: ſed dubium non eſt, quin hic loquendi modus primo referri debeat ad *ſerpentem æneum*, qui *exaltatus* eſt in deſerto, vel potius in *altum eductus*, ut palam Iſraelitis omnibus proponeretur. Quandoquidem tamen eo in loco vocabulum ὑψόω non reperitur: merito cogitare cœperunt Doctiſſimi quidam Interpretes, an non hæc phraſis Joannis alio reſpiciat. & certe commode iis in mentem venit locus Jeſaiæ[e]: *Ecce prudenter aget ſervus meus*: ירום ונשא וגבה מאד EXTOLLETUR (ὑψωθήσεται) & *elevabitur ac exaltabitur valde*. De Chriſto mentionem eſſe, nemo negat. Et quidem de Chriſto mentionem eſſe, in quantum ille in ſtatu ſumme miſero & valde deplorando poſitus erat, patet ex *commate* ſequenti: *Sicut ſuper te ſtupuerunt multi*, *ita perditus* (corruptio) *erat aſpectus tuus præ viro*, *& forma tua præ filiis hominum*, hoc eſt, ut neque *vir* neque *homo* vide-

Idem probatur ex voce *exaltationis*, quæ de Meſſiæ Jeſ. LII. 13.

Et confertur cum phraſi Joannis, in qua non ſemel Chriſto D. adſcribit *exaltationem* cum reſpectu ad ejus *crucem*.

Idque optime convenit loco Jeſaiæ.

a Joh. III. 14. b Joh. VIII. 28. c Cap. XII. 32. d Phil. II. 8, 9, 10. e Cap. LII. 13.

viderere. Putarunt igitur ad *crucem* Chriſti hæc verba referenda. Bene id quidem: & tamen plus huic loco ſubeſt. Sunt enim phraſes de hac re plures & variæ. Ita omnino eſt; licet in Chriſti *cruce* ſumma conſpicua fuerit ταπείνωσις, *humiliatio*, quando illam Chriſti Jeſu crucem in ſe ſpectamus: quando tamen *ad effecta crucis* Chriſti attendimus[a], ſano ſenſu dicimus, illum copſe tempore quo à cruce eſt ſuſpenſus, *exaltatum* fuiſſe. Sic *Paulus* Chriſtum à cruce pendentem infert, ut palam *traducentem* (δειγματίσαντα) *Imperia, poteſtatesque* (Diabolum, omnemque Poteſtatem, quæ vi peccati adhucdum ſupereſt in populo Dei:) *& de iis* TRIUMPHOS *agentem*, θριαμβεύσαντα, *per eandem hanc crucem*. Hoc glorioſiſſimum fuit Chriſti facinus, per quod Diabolo & peccato potentior declaratus eſt. Plus addo. In ipſa Chriſti Jeſu *exaltatione ad crucem* fuit ſignificatio *futuræ ipſius exaltationis*. Myſticum eſt, quod non capiunt οἱ σοφοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου. *Exaltari* prius debuit in *cruce*, qui *exaltandus erat ad dextram Patris*; & quotquot hominum prudenti oculo Chriſtum Jeſum viderunt *exaltatum in crucem*, in ipſa illa *exaltatione* jam videre & cernere debuerunt *exaltationem ejus ad ſummam Gloriam*. Certe ſi id illo tempore pauci viderint: ipſorum factum eſt vitio. Dominus enim clare monuerat, & hoc myſterium revelaverat; & nos illud hoc tempore, Divina Gratia, videmus.

Alius locus adducitur pro *cruce Chriſti* ex Zach. XII. 10. *Intuebuntur me, quem transfixerunt.*

XXX. Si vero aliquod aliud, hoc ſane egregium teſtimonium *crucis Chriſti* eſt, quod apud *Zachariam* extat cap. XII. 10. Mentio ibi eſt de Judæis, ad Chriſtum convertendis poſt effuſionem Spiritus Gratiæ & precum, quorum in Chriſtum fides his notabilibus verbis proponitur: והביטו אלי את אשר דקרו *Et* INTUEBUNTUR *in me*, *quem* TRANSFIXERUNT. Vox דקר aptiſſima

Significatio genuina vocis דקר.

eſt ad deſignandam *crucifixionem*. Valet ea, νύσσειν, ἐκκεντεῖν *Vulnerare*, *transfigere*, *perfodere*. **Doorſteecken. Doorpriemen. Verwonden.** Hinc דקרות *Punctiones*. Unde Scriptores Sacri: Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Cum vero Chriſtus in *crucifixione* ſit *perfoſſus*, *transverberatus*, *transfixus clavis* & *lancea militis*: quis dubitare poteſt, quin hic locus, in quo de Chriſto mentio eſt,

Collatus locus Joh. XIX. 37. & expoſitus.

eo reſpiciat? Hoc equidem jure miramur, plures Interpretes verba *Joannis*[b] hoc vaticinium Chriſto applicantis, ita accepiſſe,

a Col. II. 15. b Cap. XIX. 37.

piſſe, ac ſi hoc teſtimonium unice pertineret ad *perfoſſionem lateris Chriſti*, quę facta eſt *lancea militis*. Utique *Joannes* non ad hunc ſolum caſum, ſed ad præcedentia omnia, teſtimonium hoc extendit. Ἐγένετο γὰρ ταῦτα, inquit ille. *Hæc facta ſunt*. Dein expendendum, hic Judæorum omnium commune quoddam delictum deſcribi. Judæi vero Chriſtum proprie *crucifigendum* tradiderunt, non *lancea militis perfodiendum*. Magis igitur proprie ad eos refertur, quod Chriſtum *crucifixerint*, quam quod eum *lancea profoderint*. quod igitur ſub notione דקר omnino quoque intelligendum erit.

Alia loca apud Prophetas, quæ recte referuntur ad hoc ſupplicium *Crucis Chriſti*.

XXXII. Præter hæc teſtimonia, quę ad ſupplicium Crucis Chriſti clare & directe referuntur, alia quoque in Divinis extant Literis, quę vaticinium de *Cruce Chriſti* magis implicite continent, omnia à nobis non recenſenda. Sic in Cantico Moſis[a] refertur in rationes Populi Dei, quod נבל צור ישעתו *inſtar flagitii tractarit rupem ſalutis ſuæ*. Quid hoc? Homines maxime flagitioſi, facinoroſi, publicæ rei peſtes, apud Judæos, eo tempore, quo rerum potiebantur Romani, à furca ſuſpendebantur. Ejuſmodi homo Chriſtus habitus & cenſitus eſt. Hinc *crucifixus*. Quod cum vocabulum נבל ſignificet; quis negabit eo ſignificatu & ἐμφάσει id accipiendum eſſe? Nunquam enim *indignior habita* eſt à Judæis *ſalutis eorum rupes*, quam quando Chriſtus cruci eſt affixus.

Locus Moſis Deut. XXXII. 16. producitur.

Sic pariter huc referri poteſt, quod eſt Pſ. CXVIII. 22. אבן מאסו הבונים *Lapis, quem reprobarunt ædificantes*. τὸ מאס hic idem eſt quod ἀποδοκιμάζειν. Ita enim redditur hic locus apud Matthæum[b]. Vocabulum vero hoc à Sacris Scriptoribus indirecte refertur ad *crucifixionem*. Ita apud *Marcum* cap. VIII. 31. *Luc.* IX. 22. 1 *Pet.* II. 4. Et vere, ſi rem bene perpendimus, latet hoc ſupplicii genus in re ipſa. *Spernere* enim *Chriſtum lapidem*, quod hic Architectis tribuitur, ſignificat, Chriſtum ab ipſis *indignum eſſe habitum qui eſſet membrum Eccleſiæ Judaicæ*. *Spernere lapidem* hic non notat *interficere*. Poterat enim *interfectus* ab ipſis eſſe Chriſtus, & tamen Judæus manſiſſe ac habitus eſſe. Sed ἀποδοκιμάζειν hic ſignificat, *Scribas* & *Phariſæos* eum gentibus tradituros eſſe, ut *Gentilem*, non ut *Judæum*, tractandum. Quod vero Chriſtus Romanis traderetur, ut *perduellis* & Reipublicæ noxius,

Et Pſ. CXVIII. 22.

Verbum ἀποδοκιμάζειν, ejuſque ſignificatio.

Involvit *crucifixionem*.

a Deut. XXXII. 16. b Cap. XXI. 42.

noxius, ac Romano Imperio, qui communione Judææ Eccleſiæ indignus eſſet, & quod Judæi Phariſæi & Scribæ à Romanis peterent, ut Chriſtus tanquam *talis* puniretur: per id ſane factum ut ipſe ſupplicio crucis affectus ſit.

Veterum Eccleſiæ Doctorum conatus in probanda *cruce Chriſti* ex vaticiniis Vet. Teſt.

XXXIII. Sic non videmur indiligenter & perſunctorie id egiſſe, ut *Crucem Chriſti* ex Vaticiniis antiqui temporis demonſtraremus. quod operæ erat pretium. Non ignoramus interim, Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores multo plura, & alia etiam loca, ex Tabulis vetuſti Fœderis in medium produxiſſe ad *Crucem Chriſti* adverſus Judæos aſſerendam; optimo quidem

Sed non ubique laudantus.

paſſim *conſilio & affectu*, ſed non pari *judicio & delectu*, ut Vir quidam Eruditus probe obſervavit[a]. Mirandum ſane eſt, in argumento tam gravi & ſerio, quam hoc eſt *Chriſti Crucifixi in Vaticiniis indicandi*, auſos illos eſſe levi ſæpe armatura inſtructos oppugnare pertinaces & malevolos Crucis Chriſti hoſtes Ju-

Loca quædam ab iis perperam huc relata.

dæos. Sic nimirum loca Jeſaiæ[b]: EXPANDI MANUS MEAS *tota die ad plebem contradicentem*; &: *Sicut* DIES LIGNI, *dies Populi mei*: de *Chriſti Cruce* interpretati ſunt. Quod apud Jeremiam legitur[c]: *Venite, &* MITTAMUS LIGNUM *in panem ejus, & eradamus à terra vitam ejus*: licet haud dubie ejuſmodi aliquem ferat ſenſum, qui nihil commune habet cum *Cruce*, & quidem cum *Cruce Chriſti*; quis non Patrum huc rapuit? quemadmodum & alium quendam locum, in Vetere Eccleſia celebratiſſi-

Inter quæ eſt vetus lectio loci Pſ. XCVI. 10.

mum, ex Pſalmo XCVI. 10. deſumptum: *Regnat* A LIGNO *Deus*. ſive. ut Græci: Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου. cum tamen voces ἀπὸ ξύλου A LIGNO tam in Hebræis Codicibus quam in Veteribus Editionibus & Verſionibus deſiderentur, & vere ad contextum orationis non videantur pertinere. Alia jam Divinarum Lite-

Et alia plura, adducta ex Cypriano.

rarum teſtimonia, cujus generis ex Moſe ſunt[d]: *Non quaſi homo* SUSPENDITUR, *neque quaſi filius hominis patitur*. Nec non[e]: *Et erit* PENDENS VITA TUA *ante oculos tuos, ac timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ*. Et ex Pſalmis[f]: CONFIGE CLAVIS *de metu tuo carnes meas*. Nec non[g]: ALLEVATIO MANUUM MEARUM *ſacrificium veſpertinum*. Inſuper quoque[h]: *Exclamavi ad te*

tota

a Le Moyne Not. & Obſerv. ad Polycarpi Epiſt. p. 497. b Jeſ. LXVI. 2. 22. c Cap. XI. 19. d Num. XXIII. 27. e Deut. XXVIII. 66. f Pſ. CXIX. 88. g Pſ. CXLI. 2. h Pſ. LXXVII. 2, 3.

tota die, Domine, EXTENDI AD TE MANUS MEAS: quę ſane huc nihil magis pertinent, & pleraque longe aliud ſonant in Editione Scripturæ Sacræ Hebræa; huc pariter retulerunt. Utique id agit Cyprianus [a], quando in eo eſt ut *Crucem Chriſti* adverſus Judæos ex Vaticiniis maxime adſtruat: cui pleraque horum debeo. Eſt itaque quod nos ſummas Deo tribuamus gratias, quod Verbum ejus nunc purius legamus. Licet autem cum his, quæ ex Cypriano excerpſimus, conferas quæ ad aliqua horum locorum docte commentatus eſt Vir Cl. cujus tanquam Præceptoris bene de me meriti veneranda mihi ſemper erit memoria, Stephanus Le Moyne [b].

CAPUT X.

Typi Crucifixionis Chriſti, *qui in Lege & Prophetis extant, incipiunt proponi & explicari. Inter quos primo loco cenſetur* Iſaacus, *ad aram oblatus, cujus rei geſtæ myſteria aperiuntur;* & Paſchalis Agnus, *ad ignem* ſuſpendendus *atque* ASSANDUS.

DEmonſtrata à nobis eſt *Crux Chriſti* ex Vaticiniis illuſtrioribus Veteris Teſtamenti. Sed quia Deo viſum fuit Eccleſiam illius temporis omnium maxime paſcere ſymbolis & figuris: ambigere non licet, quin tanti momenti negotium, quanti hoc eſt *Crucis Meſſiæ*, ibi *luculentis typis* traditum atque adumbratum fuerit. in quos proinde operæ pretium erit inquirere. Eadem *Crux Chriſti* demonſtranda ſumitur ex typis V. T.

II. Primæ Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores *Crucem Chriſti* quæſiverunt & reperiſſe ſibi viſi ſunt in *hiſtoria oblati Iſaaci*. recte quidem hactenus & feliciter, ſi tam reſpexiſſent ad *Iſaacum*, quam ad *Arietem*, ipſi ſubſtitutum. Nos quid hac de re ſit, videamus. Quæritur primo in hiſtoria Iſaaci.

III. Legimus in *primo libro Moſis* [c], Deum, exploraturum Abrahami fidem, illi in mandatis dediſſe, ut offerret Iſaacum Filium ſuum in monte Moria in holocauſtum: Abrahamum a- Hiſtoria oblationis ipſius ex Moſe narrata.

 ctutum

a Adverſus Jud. Lib. II. Cap XIX. b Not. & Obſ. in Polycarpi Epiſt. pag. 487. & ſeq. c Cap. XXII. 1. 12. 13.

ſtutum morem Deo geſſiſſe in re maxime difficili; duxiſſe Iſaacum Filium ſuum, rei ignarum, ad montem Moria, huic ſacrificio deſtinatum; eum *ligâſſe*, *ligatum* altari impoſuiſſe extructo, jamque in eo fuiſſe, ut cultro gulam Filii reſcinderet, ni à Deo cohibitus fuiſſet. factum ſimul eſſe per Dei providentiam, ut Abrahamus *arietem*, *arboribus implexum*, viderit, eumque Filii loco in altari cremaverit. Verba, quibus ultima hæc pars hiſtoriæ exprimitur, ſic ſonant hebraice: וישא אברהם את עיניו וירא והנה איל אחר נאחז בסבך בקרניו וגו׳ *Et ſuſtulit Abraham oculos & vidit*, & EN ARIETEM POST TERGUM INTER VEPRES HÆRENTEM *cornibus ſuis*.

Ubi præcipue notatur pericopa de *Ariete*, Iſaaco ſubſtituto.

Difficultates, quæ hic hærent in textu Hebræo.

IV. Eſt vero hæc, quam dedimus, horum verborum communis verſio, ſatis, uti primo intuitu apparet, facilis & ſimplex. Obſervarunt nihilominus eruditiſſimi Viri, occurrere in brevi hac pericopa difficultates ejuſmodi, quę veri ſtudioſum poſſint morari. Notant primò inſolentiam φράσεως Hebrææ, איל אחר נאחז / quæ redditur; *Aries poſt tergum detentus:* ſed proprie valet; *Aries poſt detentus.* quod obſcurius eſt, cum אחר neque ſignificationem ejuſmodi neque conſtructionem videatur ſuſtinere poſſe. Ad quæ accedit, Codicem *Samaritanum*, & Interpretes Veteres, *Onkeloſum*, *Syrum*, hic pro אחר legere אחד / unica tantum litera, eaque ſimilis characteris, mutata, quando verba ſenſum fundunt commodum, & ſimul ſecundum φράσιν Hebræam quam puriſſime enunciantur. Sane ὁ πάνυ Bochartus [a] tam obſcuram atque impeditam judicavit hanc lectionem vulgatam, ut non veritus fuerit eam repudiare, & novam hanc אחד textui reſtituere. quod ille ſuo fecerit periculo. *Nos veterem* defendi poſſe arbitramur, ſed in hunc modum: *Et vidit arietem poſtea detentum &c.* Quæ ſententia Abarbenelis eſt, probata Cl. Heideggero [b].

Primo in voce אחר.

Deinde in voce בסבך.

V. Sed quod ad rem noſtram propius ſpectat: obſcurum itidem priſcis Interpretibus viſum eſt, quid ſibi velit vocabulum בסבך / quod Vetus Interpres *inter vepres* reddidit: Belgæ: **In de verwerde ſtruyckken** / neque tamen expreſſum eſt à Lxx Interpretibus, τὸ Σαβὲκ in verſione ſua retinentibus. Sic enim illi: Κριὸς κατεχόμενος ἐν φυτῷ Σαβέκ· *Aries, qui tenebatur in virgulto Sabek:*

a Hieroz. Lib. II. Cap. XLVI. b Hiſt. Patriarch. Exerc. IX. § XVI.

Sabek: quaſi *Sabek* nomen proprium ſit virgulti, illis regionibus notiſſimi. quod etiam in *verſionis hujus* defenſione tuetur Cl. Voſſius. Neque tamen ideo minus cæteri Paraphraſtæ in transferenda hac voce luxuriati ſunt, ut Bochartus jam monuit [a]. Jonathan habet: בחרישתא *ἐν ὑλήμασι inter frutices*. Onkelos: באילנא IN ARBORE. Syrus: בסוכתא IN RAMIS. Arabs: *In condenſo*, ſcilicet *arborum*.

VI. Quæ cum ita habeant, nemo facile mirabitur, Veteris Eccleſiæ Doctores, ubi conſiderabant varias easque ambiguas hujus vocis verſiones, per quas indicabatur, *arietem in arbore cornibus ſuis detentum hæſiſſe*, hic incepiſſe cogitare de *cruce Chriſti*, qui & ipſe per *arietes* & *oves* ſub Veteri Fœdere frequens figuratus eſt. *Finxerunt*, ait Heideggerus, *inter Veteres nonnulli, arietem cornibus implicatum erectum & ſublatum, quaſi hærentem vel pendentem, typum fuiſſe ipſius Chriſti, in cruce pendentis. Quo trahit etiam vocem* נאחז *Melito his verbis*: Ὁ Σύρος καὶ Ἑβραῖος κρεμάμενον φησὶ, ὡς σαφέστερον τυποῦντι τὸν σταυρόν· *Syrus & Hebræus dicunt pendens, tanquam manifeſtius effingens crucem*. Refert quoque Bochartus, ſe Arabum unum Interpretem in Suecia vidiſſe, qui τὸ נאחז SUSPENSUM verterit. Videbis etiam apud ipſum pro hac ſententia adductum Pſeudo-Athanaſium *in Interpretatione Parabolarum* [b] in hac verba diſſerentem: φυτὸς Σαβὲκ ὁ τίμιός ἐστι σταυρός· *Planta* SABEC *eſt* VENERANDA CRUX: & prætereа prædicantem, hunc *arietem figuraſſe Chriſtum* ἐν τῷ σταυρῷ θάνατον ὑποστάντα ἕνεκα ἡμῶν, *qui pro nobis* IN CRUCE *mortem ſubiit*. Et Procopium quoque, cujus hæc ſunt verba: SABEC *ſpecies fruticis eſt, ex quo pendebat aries. Nam cum fruticetum anterioribus pedibus conſcendiſſet, fruticeto implicitus, crucis formam pendens præ ſe ferebat extenſione pedum*. Ejus quoque credulitatis fuit Ambroſius. Omitto temeritatem *Scholiaſtis*, qui τὸ σαβὲκ per ὄρθιος *erectus* ab aliis verſum comprobat, ὡς εἶναι, ait, φανερὸν τύπον σταυροῦ, *ut ſit manifeſtus typus crucis*.

VII. Nihil in hoc invento Patrum laudandum eſſe exiſtimo præter bonam voluntatem promovendi doctrinam de neceſſitate *crucis Chriſti* ex typis priorum temporum. Quod enim ad ipſam attinet ſententiam: neque ullam veri ſpeciem habet, *arietem* ab arbore pependiſſe; neque, quod caput rei eſt, id ex verbis

Inde Veteribus hic occaſio cogitandi de *Cruce Chriſti*.

Sententiæ illorum relata.

Sed improbatur ille luſus ingenii tanquam in falſa fundatus hypotheſi.

a d. l. b Quæſt. LXVI.

bis hiſtoriæ exſculpi poteſt. Quænam ſit ſignificatio ꝟ סבך abunde monſtratum eſt à Viris Doctis, maxime, poſtquam eam dubiam facere voluit Voſſius. Notat *perplexitatem arboris & ſylvæ*, atque ita acceptum plus ſemel eſt in Scriptura. In Hiſtoria, quę à Samuele nomen habet [a], occurrit שובך האלה PERPLEXUM *quercus*. **De dichte tacken van een eycke.** Apud Jeremiam [b]: עלה אריה מסבכו *Aſcendit Leo ex* PERPLEXO ſuo. Hiſtoriographus itaque nihil aliud vult dicere, quam *arietem* aliquem ab Abrahamo viſum cornibus ſuis in perplexitate & denſitate arborum montis illius forte fortuna detentum hæſiſſe. Mihi igitur commodius videtur hic attendere ad *Iſaacum* ipſum, Divino juſſu à Parente Abrahamo offerendum. Quod quando facio, plurima offendo & notatu digniſſima, in quibus Chriſtum Jeſum cruci affigendum clariſſime adumbravit, quippe quem certo conſtat Chriſti Jeſu typum & figuram geſſiſſe. quod cum nunc ſupponam: ea ſolummodo obſervabo, quę ad meum ſcopum directe faciunt.

Rectius hic itur ad *Iſaacum* ipſum.

Qui *offerendus* à Patre, α. *Impoſitus fuit lignis.*

VIII. 1. Notari velim, *Iſaacum* à Parente ſuo offerendum, *impoſitum fuiſſe* LIGNO. Verba Moſis: וישם אותו על המזבח ממעל לעצים *Et impoſuit eum ſuper altari*, SUPER LIGNIS. In *crucifixione* Chriſtus *affixus fuit ligno*. ut ſatis notum.

β. Quæ *portaverat* ipſe.

2. *Iſaacum ligna*, quibus impoſitus fuit, PORTASSE. ℣ſ.6. ויקח אברהם את עצי העלה וישם על יצחק בנו *Et accepit Abraham* LIGNA HOLOCAUSTI, & DEDIT ILLA PORTANDA *Iſaaco Filio ſuo*. De Chriſto certum eſt, eum *crucem*, cui alligatus fuit, *portaſſe*, pro more, Romanis recepto. Joannes de ipſo [c]: Καὶ βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ ἐξῆλθεν· *Et* PORTANS CRUCEM SUAM, *egreſſus eſt*.

γ. *Ligatus*.

3. *Iſaacum ligno impoſitum fuiſſe* LIGATUM. Hiſtoriographus ℣ſ.9. ויעקד את יצחק בנו *Et* LIGAVIT ISAACUM *Filium ſuum*. Chriſti Domini à cruce ſuſpendendi *manus pedeſque* duris vinculis conſtrictos fuiſſe, ex conſuetudine Romanorum notiſſimum.

δ. *Nudus*.

4. *Iſaacum ligno impoſitum fuiſſe* NUDUM. Id quidem in Hiſtoria ſua Moſes factum non prodit, ſed ſupponit. Sacrificia enim animantum, altari imponenda, excoriabantur, eorumque

a II Sam. XVIII. 9. b Cap. IV. 9. c Cap. XIX. 17.

que pelles cedebant Sacerdotibus. De Chriſto certum, *eum veſtibus fuiße nudatum*, cum crucifigeretur. Joannes[a]: Οἱ οὖν στρατιῶται, ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.

5. *Iſaacum, lignis fuiſſe impoſitum*, IN ALTUM ELEVATUM. Iſaacus impoſitus fuit lignis, diſpoſitis ſuper *altari*, ab *Abrahamo* extructo. Altaria vero in altum extrui atque educi ſolebant apud Veteres, quod Deus poſtea ab Iſraelitis fieri vetuit[b]. Sane *crucifixio* ab ipſo Chriſto deſignata eſt φράσει ὑψώσεως ELEVATIONIS & EXALTATIONIS apud *Joannem*[c]: ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· *Oportet* EXALTARI (crucifigi:) *filium hominis*. Quod facto comprobatum eſſe, ex hiſtoria *crucifixionis* conſtat. Quin ſi attendamus ad rationem, cur *ſacrificia* comburenda in altum elata ſint; ſimul, cur ſuſpendendus vel crucifigendus in altum educi debuerit: unam illam eandemque eſſe comperiemus. Nimirum *ſacrificium* comburebatur in altari εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης τοῦ θεοῦ, *ad demonſtrationem juſtitiæ Dei*. Quod Deus fieri voluit in loco publico, aëre libero, ſuper *ara in altum educta*, ut in omnium incurreret oculos, quorum erat hoc Divinæ Vindictæ exemplum conſiderare. Hæc eadem vera fuit & certa ratio, cur Iſraelita, qui ſe graviore aliquo delicto Deo Judici obſtrinxerat, *in altum efferretur* & *ab arbore ſuſpenderetur*; & cur Meſſias morte crucis potius quam aliquo mortis genere alio, hanc vitam finire debuerit; quod ante à nobis demonſtratum eſt.

ε. In altum evectus.

Ratio illius in Iſaaco & Chriſto eadem.

6. *Iſaacum ligno impoſitum fuiße* VIVUM. Eſt hæc circumſtantia dubio procul præ reliquis obſervanda, quia hic prorſus eſt ſingularis, & in vulgaribus ſacrificiis animantium locum non habuit. Etenim ſecundum Legem Divinam quę eſt apud Moſen, animans aræ devota, ad latus altaris *mactanda*, excorianda, & in partes dividenda erat; partes vero diſſectæ in aram ferendæ à Sacerdotibus. Sed hic *vivus imponitur lignis Iſaacus*, in altari demum occidendus. Hoc quid notet, quam *Chriſtum vivum eße affigendum cruci?* vivum in altum elevandum eſſe εἰς παράδειγμα τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ?

ξ. Vivus.

7. *Iſacum vivum fuiſſe lignis impoſitum* & *in altum elevatum in* MONTE. Hoc idem Chriſto accidit, qui ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε *in monte Cal-*

η. In monte.

[a] Cap. XIX. 23. [b] Exod. XX. 26. [c] Cap. III. 14. [d] Lev. I. 11.

te Calvariæ. Conſtat, idem in more fuiſſe poſitum, quando ſcelerati inſigniores cruci tradebantur. Sic nimirum, quod Valerius Maximus notat[a], *Polycrates in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice crucifixus fuit.* Docet etiam ratio, eos, qui cæteris in exemplum puniuntur, in altiſſimis locis puniendos eſſe, ut in oculos omnium eo facilius incurrant.

9. Et illo quidem in *Monte*, in quo *crucifixus* eſt Chriſtus.

8. *Et eo quidem* IN MONTE, IN QUO CRUCIFIXUS EST CHRISTUS. Deus præceperat Abrahamo, ut proficiſceretur ad *montem Moria*, utpote quem oblationi Iſaaci deſtinarat: לך לך אל ארץ המריה *Abi ad terram* MORIÆ. Conſtat quidem, illum montem, cui inædificatum Templum fuit à Salomone, appellatum fuiſſe הר המוריה *Montem Moriæ*[b]. Nihil tamen minus dubium eſt eruditis Viris, quin hoc nomen *Moria* מוריה olim datum fuerit non *huic* tantum *monti*, ſed OMNI MONTANO, quod montem Templi cinxit. Noſtra enim ſententia, מורה ab Aquila recte admodum per καταφανῆ (regionem) *lucidam, conſpicuam* verſum eſt, neque minus recte à LXX Interpretibus per τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν *terram excelſam.* Deſcendit enim à ראה videre. Cæterum cum mons *Tſion*, *Acra*, cæterique montes vicini, æque fuerint *excelſi*, & excelſiores etiam altioreſque, quam *mons Moria:* non eſt dubium, quin hoc nomen olim tributum fuerit toti huic tractui montano, in quo ſiti erant montes Tſion, Acra, Calvaria, Bezetha. Omne igitur hoc *montanum* (nam & הר τὸ eo ſignificatu frequenter gaudet:) vocatum eſt ארץ המוריה *terra Moriæ*, & conjunctim ſumptum eſt. Cum igitur Chriſtus paſſus ſit in monte *Calvariæ*, qui *Tſioni* ad *Occidentem* erat, & ad illud *montanum* pertinebat: dici utique vere poteſt, illum fuiſſe crucifixum בארץ המריה *in terra conſpicua*, ſive *in* ipſa illa *terra Moriæ*, in qua ſe Patri Abrahamo offerendum dedit Iſaacus.

Significatio, & latitudo ſignificationis *Montis Moriæ.*

Collectio facta ex ſuperioribus.

IX. Quid, obſecro, hic deſideramus? Utique ſi noluimus, ut Iſaacus ipſe juſſu Dei cruci à Parente affixus fuerit ad præfigurandam crucem Chriſti, quod prorſus abludebat à moribus illius ætatis: non potuerunt plures circumſtantiæ in qualemcunque alium ſimilis generis caſum concurrere, quam heic concurriſſe vidimus. Aliud addimus ex *Ritibus Paſchalibus:* quod jam

a Lib. VI. Cap. ult. b II Par. III. I.

jam ante à Juſtino Martyre notatum, non ita pridem à Doctiſſimis Viris egregie illuſtratum eſt.

X. Juſtini Martyris, non modo ob doctrinam & zelum, ſed & ætatem, qua vixit, venerandi, teſtimonium hac de re extat in *Dialogo cum Tryphone Judæo*, Bocharto [a] aliiſque Eruditis Viris jam obſervatum. Nos illud paulo altius repetemus. Eſt Juſtinus in probanda neceſſitate paſſionum & ſubſecuturæ glorificationis Meſſiæ contra Judæos, in qua ita pergit: Τὸ μυστήριον οὖν τοῦ προβάτου ὃ τὸ πάσχα θύειν ἐντέταλται Θεὸς, τύπος ἦν τοῦ Χριστοῦ, οὗ τῷ αἵματι κατὰ τὸν λόγον τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως χρίονται τοὺς οἴκους ἑαυτῶν, τουτέστιν ἑαυτοὺς, οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· *Myſterium arcanumque agni, quem Paſcha immolare Deus mandavit, typus & figura erat Chriſti, cujus ſanguine juxta rationem noſtræ in illum fidei, ædes ſuas, hoc eſt, ſe ipſos aſpergunt in eum credentes.* Quod Præceptum Juſtinus docet fuiſſe πρόσκαιρον, & aliquando debuiſſe ceſſare. Οὐδαμοῦ θύεσθαι, ait, τὸ πρόβατον τοῦ πάσχα ὁ Θεὸς συγχωρεῖ, εἰ μὴ ἐπὶ τόπῳ, ᾧ ἐπικέκληται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, εἰδὼς ὅτι ἐλεύσονται μετὰ τὸ παθεῖν τὸν Χριστὸν, ὅτε καὶ ὁ τόπος τῆς Ἱερουσαλὴμ τοῖς ἐχθροῖς ὑμῶν παραδοθήσεται καὶ παύσονται ἅπασαι ἁπλῶς προσφοραὶ γενόμεναι· *Nullibi ſacrificari agnum Paſchæ Deus permittit, niſi in loco, ubi invocatum eſt nomen ejus. Scivit ille, adventuros fuiſſe dies poſt Chriſti paſſionem, cum futurum eſſet, ut & locus veſter Hieroſolymorum hoſtibus veſtris traderetur, & omnes porro oblationes fieri deſinerent.* Placet mihi hoc Juſtini argumentum, quo contra Judæos demonſtrat, Leges de Cultu Carnali & Typico aliquando abrogandas fuiſſe. Si enim hanc Legem Deus tanti feciſſet: utique paſſus non fuiſſet, ut populus ſuus tam diu extorris fuiſſet illo loco, in quo præcipue obſervari potuit. Quibus deinde ſubjungit verba, quę nunc proprie ad rem noſtram faciunt: καὶ τὸ κελευσθὲν πρόβατον ἐκεῖνο ὅλον γίνεσθαι, τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ, δι' οὗ πάσχειν ἔμελλεν ὁ Χριστὸς, σύμβολον ἦν. τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται. εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μηρῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου· ET AGNUS ILLE, *de quo ut aſſus totus fieret, præceptum eſt*, SUPPLICII CRUCIS, *quod ſubiturus erat Chriſtus*, SYMBOLUM *fuit. Agnus namque aſſus in figuram, cruci ſimilem, conformatus ad ignem torretur: nam veru unum*

ab in-

Simile aliud ex ritibus *Agni Paſchalis* prolatum ex Juſtino Martyre.

Verba ejus de modo illius *Agni aſſandi*.

a p. m. 259. *Hierozoic.* lib. II. Cap. L. p. 615.

ab infimis partibus adactum perfigitur, & aliud rurſus ſecundum ſcapulas, ad quod ſuſpenduntur manus agni. Vidimus itaque, Juſtinum Philoſophum in hoc Dialogo docere, *Agnum Paſchalem* non tantum fuiſſe *typum* Chriſti, ſed & *typum Chriſti crucifixi*, & hanc ſuam ſententiam illuſtrare *ritu aſſandi agni*, apud Judæos uſitato.

Paſchalis agnus ſuſtinuit *figuram Chriſti.*

XI. Quod Paſchalis *agnus* ſignate *Chriſtum crucifixum* reſpexerit, quæ Juſtini hypotheſis eſt, non obſcure patet ex verbis Joannis Evangeliſtæ[a], ſic ſcribentis: Ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ· *Hæc enim facta ſunt, ut Scriptura impleretur: Non confringetur* ullum *os ipſius.* Non inepte quidem hoc à Grotio ad Pſ. xxxiv. 20. refertur, neque enim auderem præfracte negare, illum locum huc pertinere. Rectius tamen & plenius, ut exiſtimo, applicatur ad Divinam Legem de *agno Paſchali:* Exod. xii. 46. ועצם לא תשברו בו *Os non frangetis in eo.* LXX. καὶ ὀστοῦν οὐ συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ. Joannes, quod animadverſione dignum eſt, eam directe in probatione ſua transfert ad *Chriſtum*, quaſi illa Lex, quæ proprie ad Paſchalem agnum attinuit, eum tantum in finem data eſſet, ut nobis præſignificaret, *Chriſtum eo mortis genere occubiturum, in quo oſſa ipſius ſalva manerent.* Videmus enim, *Joannem præceptum* convertiſſe in *vaticinium.* Tanta virtus eſt convenientiæ inter typum & antitypum, ut quod de typo præceptum eſt, directe ad antitypum referri poſſit. Significavit autem *Joannes*, quando hunc locum præſentem adduxit, *Paſchalem agnum*, in eo, quod *integer* aſſari & comedi debuerit abſque fractis oſſibus, adumbraſſe Chriſtum crucifigendum, in quo oſſa integra manerent. Neque poſſumus non Divinam ſapientiam hic ſummopere mirari. Cum enim ordinaria, quæ mactabantur, ſacrificia in partes ſcinderentur, licet ſciſſæ partes, ſi Judæis fides, in altari rurſus ad integri animalis formam componerentur: Deus hoc voluit *ſacrificium* extare *animalis integri aſſandi & comedendi*, ne in typis Crucis Chriſti inter ipſa ſacrificia quicquam deſideraremus.

Locus Joh. xix. 36. comparatur cum Exod. xii. 46.

Emphaſis in dicto Apoſtoli.

In aſſeveratione autem moris Judaici

XII. Videmus inſuper, Juſtinum hanc ſuam hypotheſin de *agno Paſchali*, ut typo Chriſti crucifixi, illuſtrare ex ritu, qui apud

a Cap. xix. 36.

In aſſando Paſchate fides videtur habenda Juſtino.

apud Judæos in aſſando agno Paſchali obtinebat. Hoc vero facti eſt. In aſſertione autem facti teſti probo quid aſſeveranti credendum eſt, uſque quo contrarium liquet. *Quidni vero illi hac in parte credamus*, ait Bochartus, *viro non ſolum ſancto, ſed & rerum Judaicarum peritiſſimo, cum Sichemis natus fuerit ex Patre Samaritano?* Addo; quidni credamus ritum memoranti religionis Judaicæ ipſos apud Judæos, quibuſcum diſputabat? Fuiſſet enim ſummæ temeritatis & maximæ imprudentiæ, in diſputatione factum allegare falſum, quod tuto abſque præjudicio cauſæ omitti potuiſſet, eos apud homines, qui falſitatis ipſum potuiſſent convincere. Sed bene admodum res ſe habet, quod Maimonides ipſe Juſtinum abſolvat, qui *aſſandi agni Paſchalis* ritum hoç modo deſcribit [a]: כיצד צולין אותו תוחבו מתוך פיו עד בית נקבותו בשפוד של עץ ותולהו לתוך התנור והאש למטה *Quomodò aſſant eum? A medio ore uſque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo, & ſubjecto igne in medio furno* SUSPENDUNT.

Et confirmatur ex traditione Judaica.

Rectius certiusque in ipſa aſſatione quæritur figura Crucis Chriſti.

XIII. Cæterum, ſicuti *agnus Paſchalis à ligno* ſuſpenſus, quando *aſſabatur*, Chriſtum à ligno pendentem potuit præfigurare: ita *aſſatio ipſa* luculenter admodum potuit adumbrare *crucifixionem* Chriſti. In aſſatione enim *caro ſucco ſuo*, ſive liquore naturali, per æſtum ignis ſenſim privatur, neque tamen conſumitur, ſed integra manet. Sane Chriſtus id genus mortis oppetiit, quo quaſi *toſtus* eſt, & cum *ſpiritibus*, qui dicuntur, *vitalibus*, tum etiam ſero & liquoribus, qui ſpirituum vehiculum ſunt, ſenſim exhauſtus. Nullum aliud fuit genus mortis violentæ apud Judæos, in quo id locum potuit habere. Sive enim quis *ſtrangularetur*, ſive *ambureretur*, ſive *decollaretur*, ſive *lapidaretur*: confeſtim & è veſtigio peribat. *Nullum* itaque *genus* mortis, quod apud Judæos in uſu erat, per *aſſationem* potuit deſignatum eſſe. At in *crucifixione* ſola locum potuit habere, quod in *aſſatione* obſervamus. Cum enim ſanguis *crucifixi* tam ex ſenſu graviſſimi doloris quam ex metu mortis inſtantis (in Chriſto plurimæ aliæ accedebant rationes:) valde agitetur: fit equidem ut liquidæ ſanguinis partes ſenſim in crucifixo conſumantur, & ſerum naturali vitæ ſuſtinendæ neceſſarium, in corpore illius paulatim exhauriatur, ipſo tamen corpore hactenus quod ad ſpeciem

Utriuſque convenientia.

Crucifixorum liquores, fomentum vitæ, ſenſim abſumpti ſunt.

a *Tract.* de *Paſchate* Cap. VIII. §. X.

ciem ſuam externam integro permanente. Vere igitur & proprie dici poteſt, *crucifixum* exſiccatum, *toſtum*, & *aſſatum* fuiſſe. Nullum quoque, quod ſciam, ſacrificium hoc genus mortis Chriſti tam diſtinctè potuit figurare. Sacrificia enim, altari impoſita, igni quidem admovebantur, ſed mox *conſumebantur*. Nequid igitur in typo deeſſet: Eccleſiam ſuam docere voluit Deus, Meſſiam, licet non abſque ſenſu ignis periret, non tamen totum conſumptum iri. quod fiebat in ſacrificiis. *Ignis* vero rationem habuit in morte Chriſti hoc omne, quod animam Chriſti ita potuit afficere, ut ſanguis per corpus vehementius agitatus motuſque ſit. Conſidera, ſi vis, ſenſum iræ Divinæ, quo Dominus à cruce pendens, preſſus & fere oppreſſus fuit; amorem ingentem ſalutis Eccleſiæ electorum, quem in ipſo excitavit Spiritus Sanctus; angores animi, & lucta, & metus, aliique affectus moleſtiſſimi, quos in ipſo hoc tempore excitare permiſſum eſt Satanæ; deſiderium exequendi juſſa Dei Patris & zelum gloriæ Divinæ, qui ab ipſo nunquam abfuit; & denique dolorem externum, quem in corpore ſuo ſenſit, maximum & graviſſimum; hæc, inquam, conſidera, & intelliges, quis ille fuerit ignis, ad quem *toſtus*, *aſſus*, exſiccatus, & arefactus fuit Chriſtus, licet totus non ſit conſumptus, ad inſtar Paſchalis agni.

Ignis, ad quem allatus fuit Chriſtus in cruce, myſtice eſt ultrix Dei juſtitia.

XIV. Nihil hic anticipavimus, quod non ex Scripturis facile nobis ſit adſtructum dare. Ex Hiſtoria paſſionis Chriſti conſtat, cum non tantum *guttas ſanguineas ſudaſſe*, ſed etiam, cum in ſumma anguſtia in cruce verſaretur, exclamaſſe: Διψῶ Sitio [a]. Quod argumento eſt, illum per continuas & vehementiores ſanguinis ac ſpirituum commotiones prorſus emaciatum & exſiccatum fuiſſe. Id quoque ante notatum erat in Vaticiniis. ut in Pſalmo xxii. 16. ubi Propheta eſt in deſcribendo ſtatu Chriſti crucifixi: יבש כחרש כחי ולשוני מרבק מלקחי AREFACTA *eſt ut* TESTA VIS MEA, *&* *lingua mea eſt* RES AGGLUTINATA *palato meo*. ita Coccejus admodum emphatice. *Ex hoc ardore*, ait ille, & *ariditate corporis ac oris illa ſitis in cruce*. Putat etiam huc referendum Eſ. liii. 7. *Non aperiebat os ſuum*. quaſi hoc Chriſti ſilentium non tantum *à voluntate & conſilio*, ſed & *ab infirmitate car-*

Confirmatur hypotheſis ex hiſtoria paſſionis Domini.

Et maxime ex *ſiti* Chriſti in cruce.

Loca Prophetarum de hac ſiti adducta.

nis

a Joan. xix. 28.

nis profectum fuerit. Sed abſque omni dubitatione huc pertinet, quo & *Joannes Euangeliſta* reſpicit, Pſ. LXIX. 22. ויתנו בברותי ראש ולצמאי ישקוני חמץ *Et dederunt in* REFECTIONE MEA *venenum, & ad* SITIM MEAM *potarunt me aceto.* Belgæ: **Sy hebben my galle tot mijne ſpijſe gegeven.** Sed ברות non tam *cibum* notat, quam quidem omne cibi ac potus genus, quod ad *refectionem* & *recreationem animi* facit. Vellem itaque potius vertere hanc pericopam: **Ende ſy hebben my galle gegeven om my te verquicken.** Quod & hiſtoriæ conſentaneum eſt. Et quid ſibi aliud volunt hæc notabilia verba ex Pſalmo ejuſdem argumenti [a]: עלי עברו חרוניך *Super me tranſierunt* ÆSTUS TUI, quibus ſcilicet ego *arefactus* & *exſiccatus* ſum.

Locus Pſ. LXIX. 22. expoſitus.

Caput XI.

Serpens Æneus *in medium producitur, ut figura Crucifixionis Chriſti futuræ. imprimis vero expenditur Celeberrimi cujuſdam Theologi ſententia de figurata per hunc* Æneum Serpentem, in pertica erectum, *pugna Chriſti cum Diabolo in cruce, eaque variis argumentis confirmatur.*

Si qui ſint, qui verentur, ne Chriſtiani Interpretes ingenio ſuo nimium indulgeant, & luxurientur, quando Eccleſiæ præcedentium temporum, ſive cæremonias, ſive geſta & caſus, comparare inſtituunt cum geſtis, caſibus, atque eventibus OEconomiæ Novæ: iis equidem ratio hujus ſuæ ſolicitudinis non couſtat, ubi Dogmata Fidei & qualeſcunque Novæ OEconomiæ eventus ex ejuſmodi typis illuſtrantur, quos ipſe Chriſtus & Apoſtoli produxere. Hujus generis ſunt SERPENS ÆNEUS, in Deſerto erectus, *& Suſpenſus Iſraëlita*, ante occaſum ſolis humo mandandus. de quibus nunc ſecundum orationis noſtræ filum & ſcopum diſtinctius agendum eſt.

Typus *Crucifixionis* indubius oſtenditur *Serpens Æneus*.

II. Diſſertationi de *Serpente Æneo* fundamenti veluti loco ſubſternimus verba Chriſti, quę apud *Joannem* leguntur [b]: Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ὅπως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώ-

Myſtica *Serpentis Æneis* contemplatio fundata in loco Joh. III. 14, 15.

a Pſ. LXXXVIII. 17. b Cap. III. 14, 15.

ἀνθρώπου· Ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. *Et ſicut Moſes* EXALTAVIT SERPENTEM IN DESERTO, ITA EXTOLLI OPORTET FILIUM HOMINIS: ut *quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Chriſtus Dominus hic reſpicit hiſtoriam, quæ in *quarto* Moſis *Libro* in hunc modum narratur[a]: Populus pertæſus itineris in vaſtis Arabiæ ſolitudinibus, & ad faſtidium uſque ſatur cœleſtis mannæ, pro more lingua ſua abutitur, Deumque pariter ac Moſen protervè compellat. Ad hæc Deus, cujus juſta ubique vindicta ſuæ contemptoribus majeſtatis adeſt, *urentes ſerpentes* (שרפים) in populum immittit, ex quorum morſibus plurimi moriuntur: quo malo afflicti miſeri ad Oratorem ſuum Moſen confugiunt, ejuſque interceſſionem exorant, qui precibus ſuis à Deo impetravit, *ut ad præſentis mali remedium ſimulacrum aliquod ſerpentis urentis ex ære formatum, idque palo impoſitum ſit, quod qui intuerentur Iſraëlitæ, iis morſus ſerpentum nihil obeſſet.* Ultima verba hiſtoriæ ita ſe habent: ויעש משה נחש נחשת וישמהו על הנס והיה אם נשך הנחש את איש והביט אל נחש הנחשת וחי.

Hiſtoria Serpentis Ænei.

Caſus Serpentis Ænei illuſtris plane & ſingularis eſt.

III. Eſt hic certe Caſus illuſtris & memorabilis, cui inter tot alios Populi Dei eventus ſimilem non facile reperias. Exercuit itaque præ cæteris Interpretum Chriſtianorum ingenia, quorum aliqui *Serpentis* hoc *urentis* vel *igniti* (שרף) genus inveſtigarunt, in quo Bochartus præcelluit[b]; alii Judæorum de hac hiſtoria opiniones & traditiones retulerunt, uti inter alios Druſius, Fagius, Muiſius, ſed quod copioſe & data opera fecit Buxtorfius, Filius, ſingulari *Diſſertatione*; alii animum ſuum ad rationes *typi* recte interpretandas appulerunt, inter quos eminent Cl. Coccejus[c], Burmannus[d], Witſius[e], & qui eos ſequuti ſunt Viri Docti: adeo ut noſtræ diligentiæ hac quidem in parte vix quicquam videatur relictum. Non potuimus tamen ab animo noſtro impetrare, ut argumentum tam illuſtre prorſus intactum prætermitteremus. Venia igitur detur ſpicilegio, hac lege fixa, ut eorum, quę dicta ab aliis ſunt, quam pauciſſima repetamus; iis vero, quę repetuntur, ἐπίκρισιν noſtram ſubjiciamus, &, quę nobis ad typum hunc clarius illuſtrandum adferri poſſe viſa ſunt, libere expromamus.

Docti Viri, qui ſe exercuerunt in hac parte Scripturæ explicanda, laudati.

IV. Hi-

a Cap. XXI. 8, 9. b Hierozoic. Lib. III. Cap. XII. c Com. in Joh. Cap. III. 14. d Com. in Lev. e OEcon. Fœd. Lib. IV. Cap. X.

Serpentes, שׂרפים dicti, fuerunt *cherſydri.*

IV. *Hiſtoria*, ad quam nobis prius erat attendendum, poſtquam ab Eruditis Viris illuſtrata eſt, vix quicquam habet difficultatis. *Serpentes*, qui Iſraëlitas momorderunt, à Moſe vocantur שׂרפים. Bochartus copioſe oſtendit fuiſſe *cherſydros.* cui ſententiæ quod opponamus nihil habemus. Nobis ſufficit, ſi שׂרף accipiatur pro *corpore*, *igne pleno.* hæc enim, ni fallimur, generalis illius verbi notio eſt. Quę nobis cauſa eſſe videtur, cur Moſes *hunc ſerpentem ære* expreſſerit. Æs enim maxime comparatum eſt ad corpus totum candens & ignitum figurandum. Dicitur autem *æneus* hic *ſerpens ponendus* על הנס LXX. ἐπὶ σημεῖον. Sed obſcurius. Belg: **Op een ſtange.** Interpretes vulgo: *Super perticam* vel *palum.* R. Salomo vernacula voce פרקא vel פירטיגא deſignat ſignificationem vocabuli נס / quod *quidam optime meritus Vir* (ita Saubertus[a]:) furcam *ennunciat*, *Latinumque judicat*, *cum illud ſit Gallicum* Perche, *idem ſcil. cum* pertica, *quod in antiquiore illa editione extat.* Vidi, Druſium & Grotium ſic ſenſiſſe[b]. Sane τὸ נס accipi debet ex vi radicis נסס pro omni eo, quod *in altum erigitur.* quod Kimchius recte monet. Latius eſt, quam דגל / quod *vexillum* notat, licet eo ſenſu ſæpe accipiatur. Intelligamus igitur heic loci longiorem † *palum*, *perticam*, vel *haſtam*, cui *æneus* hic *ſerpens* ita fuerit impoſitus, ut omnium Iſraëlitarum oculis pateret. Hæc pauca ſufficiat ad hiſtoriam obſervaſſe.

Significatio vocis שׂרף.

Inde petenda ratio, quare Deus *ſerpentem* ære expreſſum voluerit.

נס hic ſignificat *perticam.*

Quo modo differat à דגל *Vexillum*?

V. Cæterum eſt in hac hiſtoria novum & παράδοξόν τι, quod cujuſque provocat attentionem, qui eam ſerio perpendit. Deum enim, qui ſimulacra omnia à gente ad idololatriam prona procul abeſſe juſſerat, *ſerpentis* tamen ſimulacrum in *pertica* erigi jubere, ab omnibus conſpiciendum! Deum ipſum, qui ſpem fidemque Iſraëlitarum omnem in ſe repoſitam volebat, ſimulacrum erigi jubere, ut ſalutis ipſorum inſtrumentum, ad quod oculi

Paradoxum in hiſtoria *Serpentis Ænei*, diſtinctius expoſitum.

a Diſſ. de *Serp. Æneo.* b Ad Joh. III. 14.

† Peculiaris hic eſt Cl. Moebii ſententia. Contendit, נס hic notare *perticam vexillarem*, & omnino habuiſſe *figuram crucis*, cui *ſerpens æneus*, alis inſtructus, ad modum ſerpentium ignitorum, qui Iſraëlitas vulnerarunt, *expanſis alis* affixus ſit. Nihil eſt in hac ſententia abſurdi, atque adeo nihil video cauſſæ, cur illa admitti non debeat. Buxtorfius nihil hic habet ſingulare.

Exercit. II. de *Serpente Æneo*, Cap. II. §. 15. Exercit. de Serp. Æn. Cap. V. §. IV.

oculi omnium convertendi erant: quid ni, amabo, hoc mirandum ſit, atque, ut primum ad aſpectum videtur, alienum à Dei ſapientia præceptum! Neſcio an quis Theologorum ſit, (poſt Juſtinum Martyrem, mox appellandum:) qui hoc tam ſtudioſe & appoſite urſerit, quam Coccejus. Sic ſcripſit hac de re in *Conſiderationibus* ad *Ultima Moſis*[a]: *Res ipſa clamat, typum id fuiſſe & ænigma. Nam neque in pertica neque in ſerpentis forma, neque in intuitu ejus ulla vis erat ad ſanandum ictum ſerpentum*, ET DEI MOS NON EST, SED DIABOLI POTIUS, SE OBLIGARE PACTO AD SIGNUM ET REM EXTERNAM, UT EA EXTANTE ET OPERE OPERATO IPSE OPERETUR MIRABILIA. *quemadmodum videtur Evaputaſſe, Deum arborem cognitionis boni & mali dediſſe medium, per quod acquireret majorem cum Deo ſimilitudinem in ſapientia.* Similia alibi quoque habet[b]. Ipſa itaque rei geſtæ inſolentia nos eo ducere debet, ut cogitemus, ſubfuiſſe huic rei aliud aliquod majoris momenti μυϛήριον, de quo Deus hac occaſione Iſraëlitas voluerit edocere.

Coccejі verba hac de re.

Quæ inſolentia facti nos ducit ad cogitandum de myſterio.

VI. Accedit, quod animadverſione dignum eſt; Judæos Commentatores *rationem nullam* dare poſſe, cur Deo placuerit hoc inſolenti remedio Iſraëlitas male affectos curare. Hariolantur equidem varia, & circumſpiciunt, an non forte hic illic offendant quo anxias ſuas hac de re curas pellant. ſed ubi tandem rationes ſuas colligunt, vident, nihil ſe habere ſolidi; mirantur & ſtupent factum rerum omnium incerti. qua de re videbis, ſi placet, Buxtorfium[c]. Egregie vero Juſtinus *Martyr*, pius Vir, id urſit in ſua *diſputatione* contra *Judæos*[d]. Ἐπεὶ, ait poſt alia hujus generis plura, εἰ μὴ τοῦτο νοηθήσεται, δότε μοι λόγον τίνι χάριν τὸν χαλκοῦν ὄφιν Μωσῆς ἐπὶ σημεῖον ἔστησε καὶ προσβλέπειν αὐτὸν τοὺς δακνομένους ἐκέλευσε καὶ ἐθεραπεύοντο οἱ δακνόμενοι, καὶ ταῦτα αὐτὸς κελεύσας, μηδενὸς ὅλως ὁμοίωμα ποιεῖν. *Niſi enim hoc ſic in animis veſtris conſideratum fuerit: date mihi rationem, cujus gratia* ÆNEUM SERPENTEM *Moſes pro ſigno collocaverit, & inſpicere id, qui morſu lædebantur, præceperit, unde etiam illi curabantur:* CUM QUIDEM AUCTOR JUSSIONIS HUJUS FUERIT IS, QUI NULLAM PRORSUS SIMILITUDINEM FIERI JUSSIT. Reſpondet *Judæorum unus*, qui cum Juſtino diſſere-

Accedit, Judæos nullam rationem dare poſſe præcepti Divini de *Serpente Æneo*.

Juſtini Martyris locus.

a §. 1064. b Com. in Joh. Cap III. §. 46. c Exercit. de Serp. Æn. Cap. V. d Dial. cum *Tryphone Judæo* p. 322.

ſerebant: Ἀληθῶς εἶπας· οὐκ ἔχομεν λόγον διδόναι· καὶ γὰρ ἐγὼ περὶ τούτου πολλάκις τοὺς διδασκάλους ἠρώτησα, καὶ οὐδείς μοι λόγον ἀπέδωκε· *Vera dixiſti. Non enim habemus, quam reddamus rationem. nam & ipſe aliquoties Magiſtros noſtros hac de re ſum percunctatus: nullus autem rationem explicuit.* Similem in modum etiam alio loco diſputat.

VII. In *poſteriore hoc loco* Judæorum Doctores accuſat Juſtinus [a], quaſi hac fuerint ſententia, † ipſum hunc *Serpentem æneum* σεσωκέναι τὸν λαὸν *populum ſalvaſſe.* quod tamen haud dubie cum grano ſalis à nobis accipiendum erit. Ut ut enim non perſpexerint Judæi antiquiores vim arcanæ ſignificationis *crucis* Chriſti: ſtatuerunt nihilominus, Patrum ſuorum ſpem & fidem terminatam non eſſe *in æneo hoc ſerpente*, ſed in *Deo.* Jonathan *Paraphraſtes*, Ainſwortho, Altingio: & ni memoria fallat, Fagio, & Buxtorfio quoque laudatus, ita commentatur ad hæc verba: ויהי כל רנכות יתיה הויא ויהי מסתכל ביה וחאי אין מכוון לביה לשום מימרא דיי *Et fiet, ut, ſi quem momorderit ſerpens, & intuitus fuerit eum, ut convaleſcat, ſiquidem* DIREXERIT COR SUUM AD VERBUM DOMINI. Si tu per VERBUM DOMINI in παραφράσει Chaldæorum *Secundam Sanctæ Triados* ὑπόστασιν intelligas, quod multi faciunt: habebis in his verbis non contemnendum argumentum fidei Veterum. Sed non opinor id ubique, ſi ullibi, obtinere. *Hieroſolymitanus* habet: והוה תלי אפוי בצלו גב אבוי דבשמיא *Si faciem ſuam in oratione elevaverit ad Patrem ſuum, qui eſt in cælis.* In libro *Sapientiæ* idem habetur [b]. An ſaniora quædam apud ipſos extent, ignoro. Sane, quem Cappellus [c] ex *Bemidbar Rabba* locum produxerat ad probandum, Judæos veteres hic etiam de *cruce Chriſti* cogitaſſe: eum ab ipſo non recte intellectum eſſe docuit Buxtorfius.

Quo ſenſu Juſtinus Martyr dicat, Judæos eſſe hac ſententia, majores ſuos per ſerpentem ſervatos eſſe.

Quod tamen dextre accipiendum.

Paraphraſtarum notabilia dicta.

VIII. Non ſatisfit tamen hactenus à Judæis difficultati, à nobis motæ. Ratio enim nulla ab iis redditur, quare Deus voluerit, ut *medium* vel *remedium ſalutis*, etſi eam ipſe Populo ſuo ſua

Urgetur amplius cæcitas & ignorantia Judaica in hoc caſu.

a p. m. 339. b Cap. XVI. 5, 6, 7. c Spicil. ad Joh. III. 14. Hiſt. Serp. Æn. Cap. VI. p. 487.

† Verba Juſtini: Ὁ ὄφις ἄρα νοηθήσεται σεσωκέναι τὸν λαὸν ὅτι, ὃν (προεῖπον) κατηράσατο ὁ Θεὸς τὴν ἀρχὴν, καὶ ἀνεῖλε διὰ τῆς μεγάλης μαχαίρας, ὡς Ἠσαΐας βοᾷ· καὶ πῶς ἀφρόνως παραδεξόμεθα τὰ τοιαῦτα, ὡς οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν φασι καὶ οὐ σύμβολα.

ſua præſtaret virtute & potentia, conſequendæ eſſet *ſimulacrum Serpentis ænei.* Sed profecto ea dari ab ipſis nulla poteſt, niſi nobiſcum pro certo habeant, *Meſſiam cruci* fuiſſe affigendum ad ſalutem eorum omnium, qui per Diabolum à communione Dei ſeparati (*læſi à ſerpente antiquo*:) ipſum fide vera apprehenderent. Hanc enim ſententiam myſticam ſub hoc emblemate latere, ipſe nos Dominus in verbis ſupra deſcriptis docuit.

Supereſt tamen difficultas, quo modo Chriſtus D. recte comparetur Serpenti?

IX. Nec tamen, quando hanc ſententiam ſic ſimpliciter tenemus & admittimus, eſt putandum, omnem nos jam ſuperaſſe difficultatem. Supereſt enim ut quis quærat, quo pacto *Chriſtus* à *cruce pendens* cum *ſerpente* potuerit comparari, cum *ſerpens* emblema ſit *Diaboli*? imo cum *ſerpens mordens aut urens* in hac ipſa narratione Moſis emblema & σύμβολον Diaboli extiterit, animam noſtram ſeducentis & lædentis? Sane Cl. Bochartus cum hac in re verſaretur, non dixit quidem, nullam ἀναλογίαν eſſe inter *Chriſtum* & inter *ſerpentem*: (aliorum enim opiniones de rationibus hujus typi referre non neglexit:) ſi tamen illius mentem bene percepi, magis eo mihi videtur propendere, ut ἀναλογία quæratur in *circumſtantiis exaltati ſerpentis*, quam in ipſo *ſerpente elevato*; hoc ipſo indicio ſatis prodens, ſe hic implicitum eſſe & impeditum. Franciſcus Burmannus[a], eximius noſtri ævi Eccleſiæ Doctor, ulterius progreſſus, & vulgatam hanc ſententiam rejicere auſus eſt, rationibus nec vanis nec debilibus nixus. Merentur id verba ejus, ut in Linguam Latinam converſa huic diſſertationi inſerantur. *Deus*, ait, *erigi jubet æneum ſerpentem, quem communiter volunt imaginem eſſe Chriſti, qui nimirum in ſimilitudine naturæ noſtræ peccaminoſæ apparuit, illius veneni atque peccati expers. Verum durum videtur, Chriſtum comparare cum Diabolo, cujus emblema Serpens eſt, ſicuti & hac ipſa in hiſtoria. Rectius igitur ſtatuitur hac narratione ſignificari Chriſtum in cruce ſua de ſerpente triumphaturum, eum ibi expoſiturum, & ſimul ab eadem cruce, à qua ipſe penderet, ſecum ſuſpenſurum, ad ipſum devincendum, quemadmodum* & vetus noſter homo, hoc eſt, ipſum peccatum cum Chriſto crucifixum eſt[b], & *Paulus alibi docet*, *eum* exſpoliata imperia & poteſtates (*Diabolum & Angelos ejus intellige*:) traduxiſſe palam, triumphatis illis per crucem. *Id vero figuravit Serpens*

Bocharti ſententia hac de re.

Et Cl. Burmanni.

Qui rectius exiſtimat Serpentem hic geſſiſſe imaginem Satanæ, à Chriſto D. in cruce vincendi & triumphandi.

a Com. Belg. in Num. XXI. 1, 2. b Rom. VI. 6. Col. II. 14, 15.

pens hic elevatus. adeo ut ſimilitudo non tam in convenientia, quæ eſt inter Chriſtum & ſerpentem, conſiſtat; eo enim uſque extendi non debet; quam in utriuſque elevatione, Chriſto apud Joannem indicante, ſicuti æneus ſerpens exaltatus eſt, ita etiam exaltandum eſſe Filium hominis. *Quicquid hanc comparationem excedit, ſcopum excedit hiſtoriæ.* His ſimilia habet, licet compendioſe, in *Synopſi Theologiæ* & *Fœderum* Dei [a]. Non obſervavi tamen, Cl. Virum ullum laudare hujus ſententiæ auctorem. Ignoro itaque hactenus, an ante eum † alius vel inter Veteres, quos inſpicere omnes non vacat, vel noſtri temporis Theologos, idem ſcripſerit. Utique apud Coccejum, Mommam, alioſque Viros Doctos, qui huic argumento explicando operam dederunt, ejuſmodi quid nihil inveni. Sed ea de re forte opus non eſt admodum

Quæ ſententia expendenda ſumitur.

a Lib. IV. Cap. XXXII.

† Sic olim libere ſcripſeram. Sed monuit me per Literas Rev. Vir. Arnoldus Monenius, Eccleſiaſtes Daventrienſis Eruditus atque Diſertus, debere Cl. Burmannum hanc ſententiam Joanni Eſpagneo, qui Miniſtrum egit Chriſti in Eccleſia Gallorum Londinenſi, Viro, ut ſatis conſtat, ingenioſo, & in Divinis Scripturis dextre verſato. Ita eſt. Extat hæc Viri Docti meditatio in Tractatu, quem inſcripſit *Schibboleth*. Ipſe autem nunc ſimul Lectorem meum monere poſſum, antiquiſſimi temporis Eccleſiæ Doctores, Juſtinum nempe Martyrem, Tertullianum, & alios etiam, non obſcure in hac fuiſſe ſententia. Juſtini Martyris hæc habe: *Sacramentum enim arcanum per hunc* (Serpentem:) *ſicut antea dixi, denunciavit:* δι' οὗ καταλύειν μὲν τὴν δύναμιν τοῦ ὄφεως, τοῦ καὶ τὴν παράβασιν ὑπὸ τοῦ Ἀδὰμ γενέσθαι ἐξεργασαμένου, ἐκήρυξε· *per quem* EVERSUM IRI POTESTATEM SERPENTIS, *transgreſſionis ab Adamo commiſſæ* AUCTORIS, *publice veluti prædicavit; ſalutem vero eventuram credentibus in iſtum, qui per id ſignum adumbrabatur, & in cruce moriturus præmonſtrabatur, à Serpentis morſibus, qui ſunt actiones pravæ, idolorum cultus, & iniquitates aliæ.* Tertullianus autem in hunc modum: *Idem rurſus Moyſes poſt interdictam omnis rei ſimilitudinem, cur* ÆNEUM SERPENTEM, *ligno impoſitum, pendentis habitu in ſpectaculum Iſraëli ſalutare propoſuit, eo tempore quo à ſerpentibus poſt idololatriam exterminabantur? ni quod hic* DOMINICAM CRUCEM *intentabat, qua* SERPENS DIABOLUS DESIGNABATUR, *& læſo cuique ab ejuſmodi colubris, id eſt, Angelis ejus à delictorum peccantia ad Chriſti crucis ſacramenta intento, ſalus efficiebatur.* Serpens itaque Æneus ſecundum hos Eccleſiæ Doctores typum ſuſtinuit Diaboli à Chriſto cruci affixo in ipſa cruce victi.

Op. Tom. II. p. m. 171. Edit. Belg.

Dial. cum Tryph. Jud. p. 322.

Adverſ. Jud. Cap. IX.

ſimus ſoliciti. Potius longe eſt & magis nunc ad nos ſpectat, ut videamus, an ſtare hæc debeant an exigenda ſint. Veri quærendi nos cura vexat. Ego vero ita hic exiſtimo, rationes, quas ad hanc ſententiam adſtruendam Vir Cl. attulit, digniſſimas eſſe, quę æqua mente ponderentur, & ſatis valere ad huic ſententiæ magnam conciliandam ſpeciem. Non eo tamen inficias, à diverſa parte id etiam dici poſſe, quod expendi mereatur. Sed inhæreamus aliquantiſper huic meditationi, &, quænam vis utrinque adferatur, expendamus.

Et primo quidem illud, an Chriſtus D. nos voluerit docere, ſe figuratum eſſe per *Serpentem?*

X. In ſententia vulgo recepta, qua *Serpens æneus* ponitur fuiſſe typus *Chriſti*, id non præcipue ſpectandum cenſeo, an ratio aliqua dari queat, cur Chriſtus Dominus ob qualiſcunque attributi convenientiam, ſub *figura Serpentis* repræſentetur: (forte enim inveniret hic acumen ingenii, in quo ſe exerceret:) ſed an in ſermone Chriſti indicia extent, quibus probetur, Chriſtum hoc voluiſſe dicere & docere? Extant autem, ni fallor, duo, quę cum ſpecie urgeri poſſunt. *Primum* eſt, quod Dominus *exaltationem ſerpentis* conferat cum *ſua exaltatione* (ὑψώσει.) *Alterum* quod in commate *quinto decimo* ſequente, *fidem in ſe* videatur componere cum *intuitu ſerpentis*, qui Iſraëlitis, quotquot ab ictibus & morſibus Serpentum ſanari cupiebant, præceptus erat. Ἵνα, ait, πᾶς ὁ πιϛεύων ἐις αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ᾽ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. Quæ comparatio non admodum appareat commoda eſſe, ſi *ipſe Serpens*, quem Iſraëlitæ contueri debebant, Chriſtum ipſum non adumbraverit.

Rationes, quæ pro illa ſententia facere videntur.

Et pro diverſa; ubi quæritur, an *Serpens* potuerit eſſe *figura Chriſti Domini?*

XI. In altera vero ſententia, quæ *Serpentem* hunc Diaboli figuram eſſe ſtatuit, non habeo pro ſummo argumento, quod Chriſtus Dominus, à *cruce* pendens, non poſſit ſub *forma ſerpentis* τυπικῶς proponi, quia Diabolus alibi & ſæpe hoc nomine atque emblemate figuratur. Conſtat enim, Chriſtum *patientem* figura *hirci laſcivi*, & *ſcelerati* etiam *ſuſpenſi*, (de quo deinceps, ἐι θέλει ὁ κύριος:) olim depictum fuiſſe. *Hirci* vero (שעירם) in ipſa Scriptura Sancta *Dæmonum* quaſi emblemata ſunt; vel, quod plus eſt, *Dæmones* etiam figurate *hircorum* nomine veniunt; & tamen Chriſtus ſolenni illo Expiationis die, qui *decimus* erat *Tiſri*, hoc typo toti Iſraëlitarum cœtui quotannis exhibitus eſt. In *typicis* enim ſufficere poteſt, ut quædam

atti-

attributa illius *ſubjecti*, quod ad aliud tanquam ἀντίτυπον ſuum referetur, in *antitypo* demonſtrari poſſint; cæteris neglectis. Etiamſi itaque vere durior videatur comparatio Chriſti cum *ſerpente:* poſſent tamen forte aliqua *Serpentis* attributa demonſtrari, quę reſpondeant quibuſdam idiotiſmis Chriſti: ſed eſt aliud, quo vis hujus argumenti valide adſtringitur. Nimirum negari nequit, *ſerpentes*, Iſraëlitas *mordentes*, in ipſa hac hiſtoria abſque omni dubitatione ſuſtinere figuram Diaboli, & Dæmonum, qui *mortis ſpiritualis* & exitii humani generis primi ſunt auctores. Hoc vero durum eſt dictu, in una eademque hiſtoria *ſerpentem* modo *Chriſti*, modo *Diaboli* figuram gerere. Satius videtur, *ſerpentem* eodem modo utrobique, ſive mordentem Iſraëlitas, ſive exaltatum in pertica, myſtice interpretari. Qui enim cum Iſraëlitas morderet, typus erat *Diaboli:* quomodo in pertica erectus poterit eſſe typus *Chriſti?* Hæc ſane videntur ἀσύγκλωστα, & non facile inter ſe poſſe componi. Quod ubi diligentius ad animum meum referebam, non negabo, potiorem varioremque mihi viſam eſſe Cl. Burmanni ſententiam, à me paucis nunc illuſtrandam.

Et demonſtratur, id in hac hiſtoria commode admitti non poſſe.

Serpentes enim qui Iſraëlitas momorderant, ſunt figuræ Diaboli, & Dæmonum.

XII. *Primo* putem, neminem poſſe dubitare, quin illa doctrina Iſraëlitis inculcata ſit per *typum erecti ſerpentis*, quam ut ſcirent atque intelligerent, præſens rerum ſtatus maxime poſtulabat; ſive, quæ omnium prudentiſſime & præſenti illi rerum ſtatui convenientiſſime inculcari merebatur. Quænam vero illa? An hæc ſcilicet, fore ut Meſſias *morti crucis* ſuccumberet? & quemque qui à Diabolo ejuſque morſibus liberari vellet, Chriſtum ut Servatorem ejuſque crucem debere oculis fidei intueri? Sane ſunt hæ præſtantiſſimæ doctrinæ, quæ omni quidem tempore inculcari merentur, ſed quæ tamen cur hoc temporis articulo magis quam alio Iſraëlitis fuiſſent inculcatæ & hac figura demonſtratæ, ex hiſtoria rei geſtæ ejuſque circumſtantiis oſtendi nequit. Vide igitur, an rei præſenti non magis conveniat ita de hoc emblemate cogitare. Iſraëlitæ halitu aut morſu ſerpentum ad mortem uſque lædebantur. Pœnitentes ad Moſen confugiunt, ad cujus interceſſionem Deus gratiam miſeris addicit, *medio ſerpentis ænei*, à pertica ſuſpendendi. Ille itaque, Deo jubente, ſerpentem æneum in pertica erigit, quo ſpem faciat Iſraë-

Superior itaque ſententia, quæ *Serpentem in pertica* facit figuram *Diaboli*, primo ex hiſtoria ipſa evincitur.

Cujus circumſtantiis convenit, hanc inculcari Doctrinam, Diabolum à Chriſto vincendum eſſe.

Iſraëlitis pœnitentibus, *Diabolum*, ſerpentem antiquum, qui hoc tempore, durante peccato, vires ſuas adhucdum ſtrenue exerebat, & longe lateque graſſabatur, cum Chriſto olim in *crucem* elevandum eſſe, ibi vincendum, & occidendum, hoc eſt, vi ſua omni ſpoliandum eſſe; præſentis rei eſſe, id fide conſiderare, ſpe in cruce Filii Dei defixa, & interea temporis ardentiſſimis votis hoc tempus abolendi peccati & maledictionis expetere. Duo igitur hic præcipue in conſiderationem mittuntur: *Chriſtum crucifigendum eſſe*; &, *Diabolum in cruce Chriſti viribus ſuis ſpoliandum eſſe.* Alterum quidem alteri involutum eſt; ſed ita tamen, ut magis conveniat rei præſenti geſtæ, ut hoc emblemate poſterius expreſſum ſit quam prius.

Deinde ex primo promiſſo ſalutis, facto in Paradiſo, cujus circumſtantiæ cum præſentibus comparantur.

XIII. *Secundo* obſervari cupio, primum Oraculum illud, quo Deus hominibus lapſis & miſeris ſpem fecit *Salutis* & *Servatoris* in Paradiſo, nos ad hanc eandem Typi noſtri interpretationem ducere. Conſideremus illius Caſus circumſtantias, rei, de qua nunc agimus, ſimillimas. Diabolus, allegorice *Serpens* dictus in hiſtoria, *Evam* ſeduxerat, hoc ipſo auctor mortis univerſi generis humani. Homines, conſcientia facti ſui perterriti, à facie Dei fugiunt. Verum Deus pro gratia ſua ſingulari ſpem facit homini ſalutis his verbis[a]: SEMEN MULIERIS CONTERET CAPUT SERPENTIS, *ille vero viciſſim ipſi conteret calcaneum.* Senſus eſt, Filium Dei, in humana natura manifeſtandum, cum Diabolo in cruce conflicturum, & morte ſua Diabolum ſuperaturum, abolito peccato & maledictione. Factum prodit *Paulus*[b], aſſerens, Chriſtum in mundum veniſſe, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον. *Diabolus* itaque juxta verba figurati hujus promiſſi certamen iniret cum illuſtri aliquo *Semine Mulieris*, Chriſto. In illo conflictu vinceretur, & viribus ſuis privaretur; inflicto tamen aliquo etiam ictu ejus Victori. Id vero quid eſt aliud, quam quod Deus Iſraëlitas hic docere voluit in typo *Serpentis Ænei*?

Tertio, ex loco Pauli ad *Coloſſ.* Cap. II. 14.

XIV. *Tertio*, ad eandem meditationem nos ducunt Pauli verba notabilia in Epiſtola ad Coloſſenſes[c], quę ſe in hunc modum habent: *Quod contrarium nobis erat* RITUUM CHIROGRAPHUM, *expunctum ex medio ſuſtulit*, προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ

AFFI-

a Gen. III. 16. b Heb. II. 14. c Cap. II. 14.

Affixum cruci: *Et exſpoliata imperia ac poteſtates traduxit palam, triumphatis illis* per eam. Quę paucis excutienda & declaranda ſunt. Primo itaque hic aſſerit Apoſtolus, τὸ χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν chirographum, *quod in Ritibus conſiſtebat*, affixum *fuiſſe* cruci. Per *Chirographum* illud intelligit Paulus ipſa δόγματα (חקים) Legis Moſaicæ, quatenus teſtimonium perhibebant, peccatum adhuc extare, & Iſraëlitas obligabant ad id *manu & ore ſuo* ſignandum. quod utrumque in *ſacrificiis pro peccato* locum habebat. χειρόγραφον hic igitur nihil aliud eſt, quam שטר חוב *tabula debiti*: een ſchuld-brief. Confeſſio extantis & nondum ſoluti debiti. Sed quo pacto id ait *affixum fuiſſe cruci?* Duplici ratione, ni fallor. α. Quatenus ex Chriſto, à cruce pendente, certo colligi poterat, peccata electorum hactenus extitiſſe atque etiamnum extare, per ipſum expianda. Etenim, qui Chriſtum in cruce hærentem cum ratione ſana contemplabatur, hanc tenebatur collectionem facere: Peccata hactenus expiata non fuisse. Ille quaſi tabulam debiti legebat omnium Credentium ſubſcriptione confirmatam, *ſe debere, neque tamen debito ſuo ſolvendo pares eſſe.* Idem igitur illud χειρόγραφον, quod dabatur omni die in cæremoniis legis, nunc extabat in ipſo Dei Filio, licet modo diverſo. Imo, quod plus eſt; hoc χειρόγραφον nunc transferebatur à dogmatibus Legis ad ipſum Chriſtum, hoc eſt, nunc edebatur in Chriſto, quod in tot cæremoniis quondam editum fuerat. β. Quatenus *illa tabula debiti* in cruce fracta, rupta, & abolita eſt. Hoc enim *Paulus* contendit; ut in *vivente* & *patiente* Chriſto ſpecimen extitit *virium peccati extantis*, & confeſſio debiti, nondum expuncti, ita in morte Chriſti reperiri *abolitionem hujus chirographi*, ejuſque pleniſſimam κατάργησιν. Secundo affirmat Apoſtolus, τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας *Principes & Poteſtates*, quos Chriſtus exuit, hoc eſt, omnibus ſuis ornamentis ſpoliavit; vel, quibus ſe Chriſtus exuit, ut veſte, qua hactenus uſus erat, (ita enim Cl. Coccejus argute τὸ ἀπεκδύσασθαι accipit:) à Chriſto eſſe δειγματισθέντας *traductos*, ludibrio & contemptui expoſitos; ut illuſtria victoriæ Chriſti argumenta habitos eſſe, & de iis *ſplendidum triumphum eſſe actum* in cruce. Convenit φράσει *Paulinæ*, ut per τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας primo loco *Angelos* intelliga-

In quo loco exponendo, primo docetur, quid ſit τὸ χειρόγραφον τοῖς δόγμασι?

Et quo ſenſu illud dicatur *affixum fuiſſe cruci?*

Et *deletum* atque *expunctum fuiſſe?*

Quomodo Diabolus, & Poteſtates ex Peccato, victæ ſint à Chriſto in *cruce?*

ligamus; & quia *boni* hic intelligi nequeunt, *Angelos malos*, Diabolum cum omni ejus cohorte. Ita in aliis hujus Epiſtolæ locis hac phraſi uſus erat [a]. Sed quia id pati poteſt Pauli aſſertio & fidei ἀναλογία idem flagitat: per τὰς ἀρχὰς & ἐξουσίας amplius illam *omnem poteſtatem* intelligimus, quę eſt *vi extantis & necdum aboliti peccati.* quod ex analogia Sanctæ Scripturæ dici poteſt de poteſtate illa, quam *Principes & Præfecti* populi Judaici in Eccleſiam V. T. exercuerunt. Neque enim dignum Deo fuiſſet Eccleſiam V. T. *hominibus* eorumque *præfecturæ* ſubmittere, ſi pro peccatis Eccleſiæ fuiſſet ſatisfactum. Sic manifeſte ſumitur hæc phraſis apud Lucam [b]: ὅταν δὲ προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγὰς καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας. ubi *Præfecti* populi Judaici, οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, intelliguntur [c]. Apoſtolus itaque aſſerit, cum *Dæmones* tum quoſcunque alios homines, poteſtatem exercentes vi peccati & maledictionis nondum abolitæ, cum *Christo* Domino *crucifixos* eſſe.

Vox Græca παραδειγματίζεσθαι hic recte refertur ad *Crucem Christi.*

XV. Non adhibet quidem Apoſtolus ipſum illud *Crucifixionis* vocabulum, quando de hoc myſterio loquitur, quia illud in verbis antecedentibus uſurpaverat: *rem ipſam* tamen, quam animo conceperat, duplici, eaque elegantiſſima phraſi, quæ totam *crucifixionis* indolem nobis ob oculos ponit, clare ſatis repræſentat. Nimirum in *crucifixione* duo occurrunt, παραδειγματισμὸς quo quis omnium oculis, contemptui, & ludibrio vivens exponitur; & ſequens *mors*, quę *crucis* effectus eſt. Duo hæc Apoſtolus locum habuiſſe prædicat reſpectu *Dæmonum* in Chriſti *crucifixione.* α. Expoſiti ſunt ludibrio & contemptui, ut viribus ſuis privandi. β. Expoſiti ſunt in *eadem cruce* poſt breve momentum temporis, (mortuo ſcilicet Chriſto:) ut viribus ſuis omnibus privati, ita ut Chriſtus per ſuam mortem, quę in *cruce* contigit, de iis pleniſſimum triumphum egerit. Quando igitur ſententiam Apoſtoli colligimus; hoc eum dicere velle putamus, quando Chriſtus ut παράδειγμα in *cruce* fuit expoſitus, &, poſtquam ad aliquod tempus expoſitus fuerit, mortuus eſt: re probe inſpecta non tam Chriſtum, quam quidem *Diabolum*, & *peccatum*, & omnem, quę ex peccato eſt, *poteſtatem*; omne, quod ex peccato eſt χειρόγραφον & δόγμα, *ludibrio*

a Cap. I. 16. & II. 10. b Cap. XII. 2. c I Cor. II. 6.

dibrio & *contemptui* expoſita fuiſſe. Quod paucis declarandum eſt.

Vis peccati in eo maxime manifeſta eſt facta, quod Chriſtus D. ejus expiandi cauſſa rapi debuerit in crucem.

XVI. Petrus Apoſtolus teſtatur in *priore ſua Epiſtola*[a], Chriſtum PECCATA NOSTRA SURSUM TULISSE IN CORPORE SUO SUPRA LIGNUM ILLUD. Jeſaias vero[b], Chriſtum crucifixum ſe ipſum poſuiſſe אשם *ſacrificium pro reatu*. Paulus ἁμαρτίαν[c] interpretatur & περὶ ἁμαρτίας[d]. quibus ſignificatur, peccata Credentium, Chriſto imputata, tum demum vires ſuas exeruiſſe, quando ipſum Dei Filium, vicem peccatoris ſubeuntem, vi Legis cruci affixerunt. Fieri non poterat ut Filius Dei in cruce, ut vindictæ divinæ exemplar, ſuſpenſus hæreret abſque ratione peccati, ſive à ſe commiſſi ſive ipſi imputati. Nemo itaque Chriſtum rite contueri poterat, niſi ſimul conſideraret magnam vim *peccati*, quippe per quod effectum eſt, ut ipſe Chriſtus, tanquam ſceleratiſſimus peccator, in cruce expoſitus ſit ad vindictæ Divinæ ſatisfaciendum. Vere itaque Petrus dixit, *peccatum* in corpore Chriſti ſurſum *actum fuiſſe in crucem*, hoc eſt, quando ipſe *Chriſtus crucifixus* eſt, *peccatum quoque crucifixum* eſſe. Sed plus etiam myſterii his verbis ſubeſt. *Peccatum*, in crucem actum, *ludibrio expoſitum* eſt & tandem *mortuum*. quod ad *crucifixionem* pertinet. Prius evincimus, quia *peccatum* tum, quando maximas ſuas vires exeruit, nihil valuit, imo quo magis vires ſuas exerebat, eo magis promovebat ſui ipſius κατάργησιν & plenariam *abolitionem*. quod revera erat peccato † *illudere*, & peccati vires, ut invalidas, contemtui exponere. Nimirum *peccatum* tantum valuerat ex vi legis, ut ipſum Dei Filium *cruci affixerit*. Hoc publice omnibus factum erat manifeſtum. Peccatum in cauſſa erat, quod ipſe Chriſtus quoad animam & corpus

Eſtque ea peccati vis oſtentata in *Cruce Chriſti*.

Quod tamen idem *peccatum* in cruce Chriſti viribus ſuis privatum eſt.

a Cap. II. 24. b Cap. LIII. 12. c 2 Cor. V. 21. d Rom. VIII. 3.

† Elegantia hic ſunt verba Cl. Cocceji, qui non diſſimilia his meditatus eſt ad Jeſ. VIII. 14. expoſiturus, quomodo Chriſtus Dominus incolis Hieroſolymæ factus ſit DECIPULA. Ex illis hæc pauca habe: *Qui &* DECEPTI A CHRISTO *dici poſſunt. Nam cum ipſis ſe tradidiſſet occidendum, atque ita videretur victus ab illis: tum vel maxime illis impoſuit &* ILLIS ILLUSIT, *& omnem illorum Gloriam & poteſtatem abolevit, & inutilitatem illorum in cruce publicavit, deque iis triumphavit.*

pus graviſſimis angoribus atque doloribus premeretur. Imo *peccatum*, vi legis juſtæ, à Deo datæ, Chriſtum ipſum morti dederat. At vero hic veluti terminus erat regni peccati. Declarabat Pater, hanc Filii ſui *obedientiam* μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ, ſe *acceptam* habere, & *peccato* dehinc omne ſuum jus peccatorem damnandi iique dominandi abdicare. Filius igitur Dei corpus à ſe depoſitum ſibi denuo vindicat ex pulvere terræ, ad ſtatum gloriæ, in exemplum eorum omnium, qui huic ejus morti confiderent. Viden' quam egregie illuſum ſit *peccato*? Quando enim ipſum Chriſtum *interemiſſe* videbatur, atque nunc *vires* ſuas omnes exeruerat ut quod maxime: tum demum poſtliminio manifeſtum evaſit, illud omnem hunc conatum impendiſſe propriæ ſuæ *deſtructioni* & κατάργησιν.

Cum peccato autem cenſentur *cruci affixa* eſſe omnia, quæ quod ad principam originem ſuam ex peccato ſunt, ut *Præcepta Ritualia*, & *Magiſtratus* ſub OEcon. Vet.

XVII. Cæterum quando adſtruimus, *peccatum cruci fuiſſe affixum*, ubi Chriſtus in crucem actus eſt: una intelligimus cum peccato in hunc cenſum venire omnia quæ vi *peccati* & *maledictionis* nondum abolitæ in Eccleſiam introducta erant, hoc eſt, δόγματα omnia Legis Moſaicæ, & Principes *Poteſtateſque*, quos Deus Eccleſiæ Veteri præfecerat. *Peccatum* nunc conſiderabatur *vires acquiſiviſſe* per continuum exercitium ejuſmodi cultus, quo ſignificabatur, *peccatum* adhuc *extare*. Paulus id tempus appellat tempus τῆς βασιλείας τῆς ἁμαρτίας REGNI PECCATI[a]. Non videbatur itaque hic Rex, cujus imperium ipſo quaſi Deo probante ſtabilitum erat, facili negotio regno ſuo excuti poſſe. Palam igitur in cruce commiſſum eſt prœlium inter *hoc peccatum* ac quoſcunque illius ſatellites, qui Regnum hoc ſtrenue hactenus defenderant, & inter ipſum Chriſtum. Videbatur *peccatum* à parte ſuperiore ſtare, quando Chriſtum ad ſummas *anguſtias* atque ad ipſam mortem uſque perduxerat. Sed vicit morte ſua & conſtanti obedientia Leo, qui eſt è tribu Juda. Peccatum vero cauſſa ſua cecidit, hoc eſt, abolitum eſt cum omni illo Dogmate, Principe, & Poteſtate, quę ipſo regnante locum habere poterant.

Idem cogitandum dicendumque de *Diabolo*, qui in factis,

XVIII. Sed nihil hactenus de *Diabolo* dictum. Putaſne illum quieviſſe, cum à cruce penderet Chriſtus? Imo nihil certius quam id omne, quod modo de *peccato* diximus, ex *Pauli* ſen-

a Rom. v. 21.

ſententia de Diabolo intelligendum eſſe, qui apud Divinum tribunal ex vi *Legis* & *Peccati* ut adverſarius Electorum; dicam clarius, ut adverſarius Chriſti; agit, hinc מתנקם *ſe vindicans* dictus [a]. Enimvero *regnum peccati* regnum *Diaboli* eſt, quatenus is homines ſeducit ad peccatum, & ſeductos accuſat apud thronum Dei. Hinc *regnaſſe* dicitur in ipſo Dei populo ſub V. T. quando plurimorum mortis cauſſa fuit. Quando autem Chriſtus tandem inter Judæos manifeſtatus eſt: ipſe operam dedit ut Judæam Gentem, quę gloriabatur nomine Populi Dei, ad *ἀπιστίαν incredulitatem* ſeduceret; imo ſane effecit, ut Chriſtus à diſcipulo ſuo proditus & ab ipſa Gente Judaica in crucem ſit actus. Sic Joannes [b]: Καὶ μετὰ τὸ ψωμίον τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ σατανᾶς. *Diabolus* vere *Princeps* fuit illius Concilii Sacerdotum, quod Chriſtum mortis condemnaverat inſontem, & poſtmodum vere Rex univerſæ Politiæ Judaicæ. Diabolus tum erat ἐν τῷ οὐρανῷ *in cælo* [c]. Videbatur vero juſte agere coram Tribunali Dei, Deo ut judice omnes hos conatus veluti probante, quia Diabolus ex vi Legis contra Chriſtum, ut qui peccata aliorum in ſe ſuſceperat, agebat. Nemo igitur Chriſtum *à cruce pendentem* videbat, niſi ſimul *Diabolum* videret, in eandem quaſi cum Chriſto crucem elatum, ex vi Legis & peccati cum Chriſto dimicantem, & de eventu, ſive proſpero ſive triſti, cum eo diſceptantem. Erat Chriſtus in eo, ut *Diabolo* vaſa ſua eriperet; *Diabolus*, ut ea conſervaret. Videbatur vero Diabolus plurimum profeciſſe, quando Chriſtum à Patre derelictum videbat, & *ſummis tentationibus* ad ſtatum deſperationi proximum redegerat. Appellatur in hac rerum conſtitutione eleganter אריה טורף ושואג *Leo diripiens & rugiens* [d]. Expectabat omni momento vel minimam remiſſionem illius *obedientiæ* exercitii, quam Chriſtus Patri addixerat. Sed perſtitit & vicit Chriſtus. Illuſum eſt Diabolo: & in *illa ipſa cruce* exhibitus eſt victus, triumphatus, & viribus ſuis privatus, in qua hærebat Chriſtus. Abolito enim peccato, cum *peccato* abolita Lex eſt, neque ullum intentare crimen amplius poterat Filiis Dei. Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ [e].

proponitur ut cauſſa peccati, & ſtimulus Divinæ Vindictæ.

Idque viſus eſt, Lege agere.

Et conflixit ille cum Chriſto D. in *cruce*.

Et ibi victus triumphatuſque eſt, conſtantia obedientiæ Chriſti.

XIX. Hoc itaque illud μυστήριον eſt, quod & Paulus docere voluit

Collectio ex ſuperioribus facta.

a Pſ. viii. 6. b Cap. xiii. 27. c Ap. xii. 7. d Pſ. xxii. 14. e Rom. viii. 33.

voluit *Coloſſenſes* eo dicto, quod deſcripſimus, & Deus myſtice ſignificare voluit Iſraëlitis *Ænei Serpentis* typo. Momorderant eos ſerpentes. Multi ex morſu vel halitu eorum moriebantur. Hoc ſignificabat ſtatum illius gentis præſentem, quo plurimi erant, qui per Diabolum ſeducebantur ad mortem. Deus vero *Serpentem* in altum erigi jubet ad perticam, & quidem *Serpentem æneum*, cæteris ſimilem; mortuum tamen, ut videtur, & viribus ſuis privatum: ut eos doceret, inſtare tempus, quo *Diabolus* in crucem agendus erat una cum Filio ejus, & in cruce occidendus viribuſque ſuis privandus.

Nec pugnat ſententia cum Oratione Chriſti D. apud Joannem.

XX. Bene nunc omnia ſe habebunt, ſi hypotheſin hanc noſtram poſſimus conciliare cum oratione Chriſti apud *Joannem*. Et forte poterimus. Chriſtus ait, *ſe exaltandum eſſe inſtar ſerpentis in deſerto.* Optime profecto. Diabolus enim affigendus erat eidem cruci, cui ille. Imo *Diabolus* non exhibitus erat Veteribus Iſraëlitis ut crucifixus, niſi quatenus ipſe Meſſias crucifigeretur. Diaboli enim vires tolli non poterant, niſi ſublato peccato: Peccatum vero expiandum erat per paſſionem & obedientiam Chriſti in cruce. Non poterat itaque Diabolus *crucifixus* repræſentari, niſi in Meſſia crucifigendo. Vere igitur *crucifixio Chriſti* figurata fuit per *crucifixionem ſerpentis*, quatenus *Diabolus* & *peccatum* quaſi in Chriſto & *cum Chriſto* crucifixa ſunt, uti nunc expoſitum.

Quomodo fides in Chriſtum comparari queat cum intuitu *Serpentis ænei?*

Phraſis hæc Pauli eſt ad Romanos [a]: ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη. Quo expoſito, perit itidem *altera* illa difficultas, in ſuperiore oratione producta, quomodo Chriſtus *fidem in ſe*, ut crucifixum, comparare poſſit cum intuitu Serpentis Veterum Iſraëlitarum, ſi *Serpens* hic figuraverit Diabolum. Sane hóc quidem certiſſimum eſt, neminem *Iſraëlitarum ſerpentem*, à pertica pendentem, ut decebat, *in fide* potuiſſe contemplari, niſi oculos ad Chriſtum converteret, *ſerpentem antiquum* victurum. Non terminabatur illius fides in *ſerpente*, ſed in *Chriſto*, per quem *ſerpens* victus repræſentabatur in cruce. Atque hæc illa ipſa fides eſt, quę ſuadetur ſub N. Teſtamento. Debita igitur νοήσει huc allata, ceſſat omnis difficultas, patetque, Chriſtum nihil dicere & docere, quod non priora, à nobis illuſtrata, ſupponat.

a Cap. VI. 6.

Caput XII.

Lex Divina de Iſraëlita Suſpendendo *ex Moſe profertur, & attente conſideratur, collatis Hebræorum Interpretum explicationibus, & temperamentis, quæ ad eam ſolent producere. Speciatim expenditur eorum ſententia de illa Moſaicæ orationis phraſi, qua* Suſpenſus *dicitur* קללת אלהים Maledictio Dei, *quæ hic ſingularem animadverſionem meretur, eaque variis rationibus refutatur. Tandem vero comparatur* Suſpenſus Iſraëlita *cum* Chriſto Crucifixo *in omni parte ac circumſtantia, ad illuſtrandum præclarum Teſtimonium Paulinum in Epiſtola ad* Galatas *Cap.* III. 13.

SI clariſſimum *Crucifixionis Chriſti* emblema potuimus deprehendere in *Serpente Æneo*: non eſt, quod deſperemus, idem nos reperturos in Suspenso Israelita, quem pariter Sacræ Scripturæ *typum Chriſti crucifixi* extitiſſe docent. Verba, quæ reſpicimus, *Pauli* ſunt in *Epiſtola* ad *Galatas* [a]: Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ κατάρας τοῦ νόμου γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. γέγραπται γάρ, Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου· *Chriſtus nos redemit à maledictione Legis*, FACTUS PRO NOBIS MALEDICTIO. *Scriptum enim eſt: Maledictus omnis, qui pendet à ligno.*

Iſraëlita ſuſpenſus ſub OEconomia Vetere typum geſſit Meſſiæ crucifigendi, ex *Gal.* III. 13.

II. Reſpicit Paulus ad Legem, quę in Quinto libro *Moſis* à Deo data fertur his verbis [b]: כי יהיה באיש חטא משפט מות והומת ותלית אותו על עץ לא תלין נבלתו על העץ כי קבור תקברנו ביום ההוא כי קללת אלהים תלוי ולא תטמא את אדמתך אשר יהוה אלהיך נותן לך נחלה *Si quis delictum commiſerit, quod eum reddiderit* ἄξιον τοῦ θανάτου, *ideoque occiſus ſit, tuque eum à ligno ſuſpenderis: non permittes, ut pernoctet cadaver ipſius ſuper lignum illud, ſed certiſſime illum ſepelies eo ipſo die*, QUIA MALEDICTIO DEI SUSPENSUS, *& non committes, ut terra tua impura fiat, quam tibi ut hæreditatem tuam Deus aſſignavit.* Operæ pretium erit hunc orationis Moſaicæ con-

Lex Moſis, quo Apoſt. reſpicit Deut. XXI. 22, 23. de *Iſraëlita*, in gravi crimine deprehenſo, *ſuſpendendo*, tanquam *maledicto*.

a Cap. III. 13. b Cap. XXI. 22, 23.

contextum cum eo *Pauli* contendere, ſententiaſque myſticas plurimas non levis momenti, eo contentas, in lucem proferre. Neque enim tanto ſtudio quę huc pertinent, ab aliis tractata ſunt, ut non aliquid noſtræ etiam diligentiæ relictum ſit. Propoſitum hoc ordine exequemur, ut *primo* σὺν Θεῷ ad verba Legis Moſaicæ eorumque genuinum ſenſum attendamus, & ex iis *Suſpenſionis* ritum, ut apud Judæos uſitatus fuit, in medium proferamus; dein vero comparationem duplicem inter *Suſpenſum* & *Chriſtum*, & inter *Crucifixionem* & *Suſpenſionem*, inſtituamus. Ad contextum Moſaicum hæc ſequentia notamus.

Ad illuſtrandam Legem Moſaicam obſervatur, α. Illam valde fuiſſe generalem, & ad *facinoroſos* quoſque pertinuiſſe.

III. 1. *Legem Moſaicam de* SUSPENDENDO ISRAELITA *adeo fuiſse generalem, ut ad facinoroſos quoſvis, mortis damnatos, attinuerit, modo ſupplicii capitalis ea eſſet ratio, ut ſuſpenſio in eo locum habere poſſit.* Lex Moſaica loquitur de חטא *peccato* משפט מות *judicii mortis*, hoc eſt, quod peccantem facit ἔνοχον vel ἄξιον θανάτου. *Mortis* autem genus non definit. Sive quis *ſtrangulatus*, ſive *lapidatus eſſet*, ſive quovis alio ſupplicii ultimi genere afficeretur, quod corpus integrum relinqueret & non truncaret, perinde id erat; modo judicaret Rex aut Synedrium, è re eſſe populi, ut facinoroſus, de quo ſupplicium per mortem ſumptum erat, publice in exemplum omnibus proponeretur; quilibet interemptus ſecundum hujus Legis præſcriptum poterat *ſuſpendi.* Judæi tamen, qui nimium quantum omni tempore patrocinati ſunt honori tribulium ſuorum, & ſpeciatim iis, qui in vitæ diſcrimen veniebant; hanc etiam Legis partem triplici ratione reſtrinxerunt.

Hebræi tamen Intt. eam reſtrinxerunt ad *lapidatos.*

Primo ſtatuerunt, *ſolos lapidatos eſſe ſuſpendendos.* quod quidem in textu ipſo minime traditur. Inquirenti tamen in rationes hujus ſententiæ duæ potiſſimum occurrerunt. *Altera* eſt, quod hæc Lex immediate ſubjungatur illi Legi, quæ ſtatuebat *Filium prodigum & rebellem eſſe lapidandum.* Cum igitur in verbis hanc legem præcedentibus ſupplicium lapidationis memoratum eſſet: Interpretes id in gratiam ſuæ gentis ita interpretati ſunt, quaſi *ſoli lapidandi eſſent ſuſpendendi.*

Illius ſententiæ rationes.

Facile hoc Veterum acumen probo ex *Baal Hatturim*, qui Legem hac nota adſperſit: לעיל כתיב ורגמוהו וסמך לו פרשת נתלין לומר שכל הנסקלין נתלין *Supra ſcriptum eſt*; Et lapidabunt eum, *& mox illi jungitur* Lex de ſuſpendendis. *quod indicat*, omnes *Lapidandos eſſe ſuſpen-*

den-

dendos. *Altera* eaque communior ratio eſt, quod, ut mox dicetur, verba קללת אלהים interpretati ſint de *blaſphemo*, Deo maledicente. Quoniam vero *blaſphemia* vindicanda erat *ſupplicio lapidationis:* viſi ſibi ſunt inde recte colligere, *ſolos lapidandos eſſe ſuſpendendos.* Jarchius [a]: ותלית אותו על עץ' רבותינו אמרו כל הנסקלין נתלין שנאמר כי קללת אלהים תלוי והמברך יי בסקילה Et ſuſpendes eum à ligno: *Doctores noſtri dixerunt, lapidatos eſſe ſuſpendendos, ſicut dicitur,* Maledictio Dei ſuſpenſus. *At vero qui Deo maledicit, debet puniri per lapidationem.*

Secundo Legem interpretati ſunt de *lapidatis Blaſphemis* & *idololatris.*

IV. *Secundo* antiquæ Synagogæ Doctores *Lapidationem* reſtrinxerunt ad *ſolos Blaſphemos & idololatras lapidatos.* Sic eſt in *Codice Sanhedrin* [b]: כל הנסקלין נתלין דברי רבי אליעזר וחכמים אומרים אינו נתלה אלא המגדף והעובד ע״א Omnes lapidati suspenduntur *ex ſententia* R. Eliezeris: *at Sapientes finiunt,* nullum suspendi nisi blasphemum *aut* idololatram. Maimonides [c]: מצות עשה לתלות את המגדף ועובד עבודה זרה שנאמר כי קללת אלהים תלוי *Præceptum affirmativum eſt de ſuſpendendis omnibus, qui convitiis proſcindunt nomen Dei & qui committunt idololatriam, prouti dicitur; Maledictio Dei ſuſpenſus.* Profectum haud dubie hoc temperamentum eſt ex ſummo illo ſtudio, quo Judæi omnium temporum fuerunt affecti erga honorem & exiſtimationem ſuæ Gentis. Judæum enim, ut ut in grave crimen prolapſum, Judæum tamen, hoc eſt, in fidei ſuæ profeſſione perſeverantem, ſuſpendere & omnium ignominiæ exponere, grande videbatur nefas. Prætextum nihilominus quæſiverunt Doctores in Lege.

Cauſſa illius interpretamenti vera.

Ad *Blaſphemum* nempe hanc Legem retulerunt, quia per φράσιν קללת אלהים *blaſphemiam* intellexerunt, ut modo videbimus. Sed obſcurior ratio videtur *idololatriæ*, quę in textu non exprimitur. En tamen rationem qualemcunque! Per קללת אלהים intelligitur ὁ מגדף hoc eſt, *qui nomen Dei convitiis proterve proſcindit,* cujus eſt mentio *Num.* xv. 30. ὁ מגדף autem æque *idololatram* ac *blaſphemum* ſignificat. Inde itaque recte ſibi colligere viſi ſunt, *idololatram* æque ac *blaſphemum ſuſpendendum eſſe.* Subinnuit id Seldenus alibi [d], his verbis: *Et idololatram parili cum Blaſphemo jure cenſent eiſdemque verbis contineri* הוא המגדף. Imo vero. Sic enim

Rationes hujus ſententiæ ab ipſis ex contextu Moſaico petitæ.

a Com. in h. l. b Miſnæ Cap. vi. §. iv. c Hilch. Sanh. Cap. xv. §. iv. d Lib. ii. de Syned. Cap. xiii. §. iv.

enim Maimonides loco, ante notato; ſic R. Salomo cum ad *Gemaram* Miſnæ hujus tum ad *locum Num.* xv. 30. ſed omnium, ut perſpicere potui, clariſſime de hoc negotio diſſerit Maimonides ad *Miſnam* modo notatam. ועובד ע"א נקרא גם כן מגדף הוא מה שנאמר והנפש אשר תעשה ביד רמה מן האזרח ומן הגר את ה' הוא מגדף ופירושו זה בספרי כי אותה פרשה כולה בע"א מדברת *Idololatra autem ipſe etiam ſignificatur per verba* מגדף הוא *Num.* xv. 30. *Et quicunque commiſerit manu elata, ſive domi natus ſive adventitius, Deum is convitio proſcindit. In Siphre vero docetur, totum hunc contextum loqui de idololatria.* Ego vero miror, Interpretes Judæos aliam clariorem probationem (niſi forte ego eam non offenderim:) non deſumpſiſſe ex *Num.* xxv. 4. ubi *Idololatræ*, ſcilicet qui ſcortati erant cum *Baal Peore*, dicuntur *ſuſpenſi*. Sic eſt in textu: *Et dixit Deus ad Moſen: Accipe omnes Principes populi & ſuſpende eos Jehovæ coram ſole.*

Tertia reſtrictio eſt, intelligendam eſſe Legem de *Viris*, non de *fœminis*.

Ratio illius temperamenti: ſed quæ rejicitur.

V. *Tertium* quorundam Doctorum temperamentum eſt, intelligendam eſſe *Legem ſuſpenſionis* de Viris, non vero de Foeminis. In *Miſna* allegata: חכמים אומרים האיש נתלה ואין האשה נתלית *Sapientes ajunt: Vir ſuſpenditur, verum mulier non ſuſpenditur.* Contrarium tamen & hic R. *Eliezeris* ſcitum profertur. Maimonides id inde colligit, quia apud Moſen eſt: כי יהיה באיש חטא וגו' quaſi איש hic *Virum* notaret non *fœminam.* Hæc ſcilicet illa fulcra ſunt antiquorum dogmatum populi Judaici, quæ in Traditionibus Patrum occurrunt! Sed non eſt, quod nos hic detineamus. Dubium equidem non videtur, quin *Mulieres* raro *ſuſpenſæ* ſint: neque tamen id exſculpi poſſe putamus ex verbis Legis, quę generalia ſunt.

Nec priora duo temperamenta, à Magiſtris prolata, videntur fundata eſſe in Scriptura S. aut antiqua praxi Gentis.

VI. Et videntur etiam priora duo *temperamenta* hujus Legis, in placitis Magiſtrorum magis quam in ipſa Lege eſſe fundata. Ubi enim hiſtorias Sacras percurrimus, quoſvis etiam homines, quamvis ob cauſam & quovis modo morte punitos, legimus ſuſpenſos, non vero eos præciſe, qui *lapidati* ſunt, ut viſum eſt Judæis ſtatuere. Primum quidem exemplum eorum, quià *ligno ſuſpenſi* ſunt, jam produximus ex *Num. cap.* xxv. 3. 4. Ibi fatemur crimen fuiſſe *idololatriam*, junctam cum *ſcortatione*. Proximum eſt, quod extat in *Libro Joſuæ*, ubi *Rex Urbis Ai* itidem à Joſua dicitur ſuſpenſus eſſe ad veſperam [a]: ואת מלך העי תלה

a Cap. VIII. 29.

תלה על העץ עד עת הערב *Regem vero, Ai* SUSPENDIT DE LIGNO *uſque ad veſperam*. Quodnam dices ab hoc homine commiſſum fuiſſe crimen? *Blaſphemia?* Non opinor. *Idololatria?* At tum omnes fuiſſent *ſuſpendendi* devicti Canaanitæ, & nulli idololatræ dimittendi fuiſſent à Joſua. Forte itaque hic reſpicitur ad crimen *peculatus*, cujus ſe reum fecit hic Rex & cæteri quoque Reges Canaanis, quando ad edictum Divinum & ſeriam Joſuæ admonitionem Iſraëlitis cedere noluerunt, veris terræ ab ipſis occupatæ hæredibus. Ejuſdem omnino generis eſt, quod ſequitur *Cap*. X. 26. ubi *quinque alios Canaanæos Reges* occiſos *ſuſpenſos* fuiſſe narratur. Crimen in ipſorum rationes aliud non refertur, quam quod fuerint איבי ישראל *hoſtes Iſraëlis*. Sed nec in duobus his exemplis *lapidationis* mentio eſt. Quantum ex hiſtoria intelligere datur, gladio transfoſſi ſunt vel alio aliquo modo interempti, minime vero lapidati. Pariter *lapidatio* & *blaſphemia* locum non habuerunt in duobus *Parricidis*, Davidis juſſu *interemptis & ſuſpenſis*, *Baëna* & *Recabo*. Videntur interfecti eſſe *gladio*. Crimen commiſſum hic erat *parricidium*. non *blaſphemia* aut *idololatria* [a]. Neutrum quoque obtinet in *ſeptem Filiis* Saulis, ut vindictæ divinæ exemplaribus *ſuſpenſis* in gratiam *Gibeonitarum* [b]. † Nec videtur etiam hæc fuiſſe intentio Legiſlatoris, ut lex in hunc modum reſtringeretur. Cum enim *ſuſpenſum* voluerit eſſe typum Filii ſui, aliquando *ſuſpendendi:* dubium non eſt, quin multo pluries hunc *typum* voluerit extare in *ſuſpenſis*, quam Judæi in legibus ſuis decreverunt. Rariſſime id eveniebat, ut quis à Synedrio tanquam *blaſphemus* & *idololatra* damnaretur. Ante Exilium Babylonicum *Crimen idololatriæ* publice commiſſum eſt: ſed per errorem. Poſt Exilium illud adeo ſuæ religionis tenax fuit hic populus, ut quam rariſſime hominum, hoc nomine *blaſphemiæ* & *idololatriæ* damnatorum, exempla

Quod ex exemplis hiſtoriæ evincitur.

Inter quæ notabile eſt illud ſeptem Saule genitorum.

a 2 Sam. IV. 2. b 2 Sam. XXI. 9.

† Eſt in his *ſuſpenſorum* exemplis quod deſiderem. Illa enim *ſuſpenſio*, qua mortis damnati à Synedrio publice ut graviſſimi peccatores propoſiti ſunt, & quæ *typum* geſſit mortis Chriſti, proprie pertinuit ad Iſraëlitas. in qua ſententia ſunt quoque Magiſtri. licet negare non auſim, ad *Legem* de *ſuſpendio facinoroſorum* hic reſpectum eſſe. imo id videtur patere ex Joſ. VIII. 29.

Factum autem per hæc temperamenta Legis, ut hic typus Iſraëlitis raro exhibitus ſit.

pla offendas. Sic itaque humana arte fiebat, ut hic *ſuſpenſi typus* Iſraëli raro ſit exhibitus. quod tamen ut data occaſione frequentius fieret, populi Iſraëlitici intererat. Nec tamen velim, conſequens hujus Legis eſſe, ut omnes interempti quamvis ob cauſſam ex ſententia Judicum ſuſpenderentur. Puto requiſitum ad illam infamiam eſſe *crimen gravius*, cujuſcunque generis. Colligo id ex voce חטא / quę omnino notat *crimen grave* & *enorme.*

Et verum tamen, hic deſiderari crimen grave & ἄτοπον.

Sic apud *Hoſeam* [a] memoratur עון אשר חטא *iniquitas, quæ peccatum eſt.* Non quaſi omnis *iniquitas* peccatum non eſſet, ſed quia poteſt exiſtere actus vitioſus & *iniquus*, qui tamen non meretur ἐν δυνάμει חטא vocari. Si quid igitur *gravius* & extra ordinem peccatum eſſet in Iſraële: Judicum erat id ita punire, ut ex ſcelerati illius ſupplicio omnes exemplum caperent, hoc eſt, peccantem ſuſpendere. quod deinceps nobis uſui erit. Hactenus in prima *theſi* exponenda hæſimus. tranſimus ad *ſecundam*, quę eſt,

Secundo ad Legem obſervatur, mortuos eſſe ſuſpenſos, non vivos. Quod ex contextu evincitur.

VII. II. MORTI DATOS, *non vivos, uti apud nos fieri aſſolet*, FUISSE SUSPENSOS. Hoc videtur ex ipſo poſſe conſtare textu, qui ita habet: *Si quis inſigne crimen, morte dignum*, (capital) *commiſerit*, והומת & OCCISUS FUERIT, & EUM SUSPENDERIS. Præcedit itaque *mors* ſuſpenſionem. Additur: *Non facies ut pernoctet* נבלתו *cadaver ipſius.* Suſpenſum itaque à ligno *cadaver* eſt. Coccejus [b]: *Non igitur* כדרך שהמלכות עושה *ſicut à Regibus fieri ſolet, vivos ſuſpendunt, ſed mortuos.* Res notior eſt, quam ut declarari mereatur. Ex collectione exemplorum hujus indolis idem colligere eſt.

Hallucinatio Doctorum quorundam Virorum hoc in argumento.

Quare itaque graviſſime hic impegerunt Sigonius, Baronius, aliique Viri eruditione cæteroquin clari, qui hoc ſupplicium contulerunt cum eo *crucis* vel *patibuli Romanorum* & *Chriſtianorum.* Caſtigatus jam eſt hic error à Scaligero, Caſaubono, aliiſque, &, ni fallor, à nemine nunc defenditur. Ipſa autem *ſuſpenſio* in hunc modum à Magiſtris peracta eſt dicitur [c]: כיצד תולין אותו משקיעין את הקורה בארץ והעץ ממנה ומקיף שתי ידיו זו על גב זו ותולה אותו Coccejus: *Quomodo fit ſuſpendium? Trabs in terram depangitur, ex quâ lignum extet, dein revinctis manibus ſuſpenditur.*

Ritus ſuſpendendi, ut traditur à Magiſtris.

Pluribus id alibi proſequitur Maimonides [d], loco à Viris Doctis jam notato & deſcripto.

VIII.

a Cap. XII. 9 b In Sanhed. Cap. IV. §. 9. c Sanh. Cap. VI. §. IV. d Hilc. Sanh. Cap. XV. circa med. Schickard. de *Jure Reg. Heb.* Cap. IV. §. XIV.

VIII. 3. Suspensum *quocunque tandem modo fuiſſe* EXEMPLAR MALEDICTIONIS Divinæ. Hanc ſententiam ſubeſſe putamus verbis, קללת אלהים תלוי Maledictio Dei suspensus. Nihil æque ponderoſum eſt in univerſa noſtra hac diſſertatione, ac hæc verba ſunt pauciſſima, quippe à quorum vero intellectu tota hujus myſterii intelligentia & demonſtratio pendent; & fuerunt tamen illa à paucis adeo intellecta, ut Maſius ſcribere non dubitarit [a], *obſcurum eſſe hunc locum*, & multis multorum verbis parum adhuc illuſtratum & patefactum. Judæi ſane Interpretes vetuſtiſſimi (ſi Lxx Interpretes exceperis:) ſenſum hujus phraſis non ſunt aſſequuri. Sed Lxx Interpretes optime hic functi ſunt ſuo officio, & probe fuerunt intenti ſtylo Sp. S. quando locum ſic verterunt: Ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου· *Quoniam maledictus à Deo eſt omnis, qui pendet à ligno.* A quibus nihil differt *Paulus* in Epiſtola ad Galatas [b]: Ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Loquar igitur de Interpretibus Judæorum Syris aut Hebræis, ut nunc σὺν Θεῷ viſuri ſumus.

Tertio obſervatur, Suſpenſum quemcunque fuiſſe exemplum publicum *Maledictionis Divinæ*.

Obſcuritas verborum: *Maledictio Dei ſuſpenſus.*

IX. Nempe antiqui Interpretes Judæi, qui poſt τοὺς ό de hoc loco meditati ſunt, conſiderantes, τὸ קלל in Scriptura accipi pro *maledicere*, & τὸ קלל אלהים pro *maledicere Deo*, Deum execrari, βλασφημεῖν, quale exemplum eſt Lev. xxiv. 11--15. cogitarunt, τὸ קללת אלהים hic *active* ſumendum eſſe pro *maledictione*, *quæ Deo fit*, ſive, quę Deum habet pro *objecto*, † hoc eſt, quod vel ipſe ille *ſuſpenſus* criminis blaſphemiæ ſit reus; vel quod alii, cum *ſuſpenſum videntes*, inde occaſionem ſumant *Deo maledicendi*; (ſive Dei & Judicum culpando *ſeveritatem*; ſive quod hominem ad *imaginem* Dei *factum* ſuſpenſum videntes, Deum ipſum quoque vilipendant:) ſive quod ad ignominiam Dei faciat, enormia illa crimina, quę à ſuſpenſis commiſſa ſunt, & inter ea crimen *blaſphemiæ*, ore hominum vulgari & repeti, quotiens

Veteres Intt. quomodo hæc verba acceperint?

Phraſin: *Maledictio Dei*, paſſim expoſuerunt *active*, ſive tranſitive.

a Com. ad Joſ. Cap. viii. p. 149. b Cap. iii. 13.

† Tres Veterum Hebræorum ſententias de ſenſu hujus phraſis notavit & ex Commentariis Abarbanelis in Legem excerpſit Cl. Carpſovius, & aliam inſuper peculiarem ipſius Abarbanelis, in eruditis adnotationibus, quibus adſperſit Schickardum. Multa etiam, quæ huc faciunt, & ad Veterum ac Recentiorum Interpretationes hujus loci illuſtrandas pertinent, habet Cl. Moebius.

De Jur. Reg. ad Cap. iv. Theor. xiv. Diſſert. de Serp. Æn. §. xxix.

tiens illi *ſuſpenſum* illum *vident*. Onkelos: ארי על דחב קדם יי איצטליב *Quoniam pro eo, quod peccavit coram Domino, ſuſpenſus eſt.* Sumpſit itaque τὸ קללת אלהים ſenſu maxime *tranſitivo*. Talmudici [a]: כי קללת אלהים תלוי מפני שבירך את השם ונמצא שם שמים מתחלל Coccejus: *Execratio Dei ſuſpenſus. q. d. quare hic ſuſpenſus eſt? quia maledixit Deo, quo pacto nomen Dei profanationi eſt.* R. Salomo, poſtquam expoſuiſſet, quo pacto ſuſpenſus eſſet *Dei maledictio*, quia nimirum Deo indecorum eſt, hominem ad ſimilitudinem ſuam conditum, ſuſpenſum ſinere medium inter cœlum & terram, (quod deſcripſerat ex *Gemara*:) ſubjungit [b]: כל קללה שבמקרא לשון הקל וזלזול כמו והוא קללני קללה נמרצת *Omne* קללה / *quod in Scriptura occurrit, notionem habet vilipendii & contemptus: Prouti dicitur* (1 Reg. 11. 8.) *Et ipſe maledixit mihi* (vilipendit me:) *maledictione acerba.* Aben-Ezra: בעבור שברך השם *Quoniam maledixit Deo.* R. Salomo ad Gemaram: כי קללת אלהים תלוי מפני שבירך את השם נתלה העוברים והשבים אומרים מפני מה זה תלוי מפני שבירך את השם *Quoniam maledictio Dei ſuſpenſus*: h. e. *Quoniam maledixit Deo ſuſpenſus eſt. Euntes & redeuntes dicunt inter ſe; Quare hic ſuſpenſus eſt? Quia maledixit Deo.* Omnium clariſſime Kimchi [c]: כי קללת אלהים תלוי כלומר על שקלל את השם תלוי ויש לפרשו מהענין הראשון כלומר בזיון אלהים הוא התלוי שכשיראה אדם אותו תלוי אומר על שחרף וגדף הוא תלוי הנה הדבר בזיון אלהים Quia maledictio Dei ſuſpenſus: *Quaſi diceretur; Propterea quia maledixit Deo ſuſpenſus eſt. Sed & poſſumus interpretari hæc verba ex priore ſignificatu* τοῦ קלל (qui eſt *vilipendere*, *negligere*, *leve* aliquid *habere*:) *quaſi diceretur: Contemptus Dei eſt ſuſpenſus. Siquidem quandocunque quis ſuſpenſum viderit, dicere hunc oportet, ideo eum ſuſpenſum eſſe, quia ſuſpenſus hic conviciis & maledictis Deum proſcidit, quod in Dei opprobrium atque contemptum eſt.* Samaritana, Syra, & Arabica verſiones conſentiunt, quas alibi recenſuit Seldenus [d]: neque alienus ab hac expoſitione eſt Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, notatus Coccejo [e].

Verba Magiſtrorum hac de re.

X. Nec eſt in hac interpretatione quicquam vitii, ſi ad Canones Grammaticæ eam exigas. Apud Hebræos enim non minus

Interpretatio autem ejuſmodi eſt, ut

a Cod. Sanhed. Cap. VI. §. IV. b Excerp. Cocc. §. V. c In Lex. d Lib. II. de Syned. Cap. IV. De Jur. N. & G. Lib. II. Cap. XII. e Not. ad *Excerpta Gemaræ*.

nus quam apud Latinos & Græcos כנוים בשמות יפלו על הפעל ועל הפעול *affixa nominum cadunt tam ſupra activam quam paſſivam ſignificationem*: ut Kimchi apud Glaſſium [a]. Judæi volunt, קללת אלהים hic *active* ſumendum eſſe, & notare *maledictionem*, *qua maledicitur*, vel *opprobrium* & *contemptus Dei*, hoc eſt, quo Deus contemnitur. Vide vero, an non eadem obtineat ſignificatio & *ratio conſtructionis* in exemplis: רוממות אל *Exaltationes Dei*, hoc eſt, laudationes, quibus Deus extollitur. יראת יהוה *Timor Domini*, quo ſc. Deus timetur. חמס בני יהודה *Violentia Filiorum Jehudæ*, Filiis Judæ illata. προσευχὴ τοῦ Θεοῦ *Oratio Dei*; Oratio, quę ad Deum dirigitur. Verum etiamſi in Præcepta Grammaticæ non incurrat hæc interpretatio: obſervari tamen hic velim: 1. In ipſo orationis contextu eſſe rationes, quæ hanc verſionem diſſuadeant. 2. φερώτιν קללת אלהים (licet ita verti poſſit, ut Judæi cupiunt:) multo tamen commodius *paſſive* accipi, quam *active*, comparatione ſimilium locorum evidenti inſtituta.

non pugnet cum Canonibus Grammaticæ.

XI. Quod ad *prius*: evidens eſt, verba, *quia maledictio Dei ſuſpenſus*, proferri in hoc loco ut rationem, non cur ſuſpenſus ſit ille Iſraëlita, qui adeo graviter impegerat, ſed cur *ſepeliri* debuerit, poſtquam ſuſpenſus eſſet. Sic habent verba Moſis: *Non facies pernoctare cadaver ejus* (ſuſpenſi) *ſuper lignum, quin potius ſepeliendo ſepelies illum die illo*, QUIA MALEDICTIO DEI SUSPENSUS. Tu vero hoc ita intelligas, *quia ſuſpenſus Deo maledixit*? Dic, ſodes, an ratio ſit ulla hujus conſecutionis? *Suſpenſus debet ſepeliri, quia Deo maledixit.* Tantum abeſt, ut hoc verum ſit, ut potius contrarium obtineat: *Iſraëlita, Deo maledicens, debet* SUSPENDI, *quia Deo maledixit.* Hæc eſt certiſſima conſequentia, quam Legis Divinæ ratio ſuadet. Tu vero dicas, *Iſraëlita debet* SEPELIRI, *quia Deo maledixit.* Non putem ſane, hæc duo ullo modo inter ſe poſſe conciliari. Sed ſi τὸ קללה accipias pro *opprobrio*, & *vilipendio* ac *contemptu Dei*, quaſi hæc eſſet mens Legiſlatoris, Suſpenſum debere ſepeliri, quia *ad ignominiam Dei eſt, ut homo ad imaginem ejus creatus indecoro modo mortuus ſuſpenſus relinquatur*; nihil etiam quicquam proficies. Præterquam enim, quod negemus, τὸ קללה in Scriptura unquam (locus enim productus à R. Salomone [b] optime de *maledictione* accipitur ſtricte ſum-

Verum &c. non recte conſiſtit cum *contextu* orationis Moſaicæ, in quo verba, *Maledictio Dei ſuſpenſus*: proferuntur ut oratio, cur *Suſpenſus* ſit *ſepeliendus*?

Ubi ſententia Jarchii ſpeciatim refellitur.

a Phil. Sacr. Lib. III. Tract. I. b 1 Reg. II. 8.

ſumpta:) pro *vilipendio*, *contemptu*, & *opprobrio* accipi, primo quidem, expoſitio hæc Legis, ſi ulla alia, valde eſt exilis & ſterilis; deinde rei præſenti, ſi rite expendatur, non quadrat. Si enim, obſecro, in *opprobrium Dei* cedat, hominem, & quidem *Iſraëlitam*, *ſuſpendi*: ratio dari nequit, cur Deus pateretur ullum Iſraëlitam per momentum etiam temporis ſuſpendi. Neque noſtra hæc ratio eſt, ſed ipſius Abarbanelis, qui pariter nobiſcum hanc Veterum gloſſam repudiat. Addit is idem optime: כי הנבירה אינה רעה להתמדתה כי אם כפני עשיתה כל זמן שתהיה *Quia transgreſſio non eſt mala per ſui continuationem, ſed propter patrationem omni tempore, quo fit.* Accedit jam altera ratio, apud Moſen expreſſa, cur ſuſpenſus, cum ſit *maledictio Dei*, ſepeliendus ſit. nempe Legiſlator ait, *terram Canaan impuram fore, ſi ſuſpenſus in ligno pernoctaret, quia ſuſpenſus eſt maledictio Dei.* Vide jam, utra hujus phraſis interpretatio, *activa* an *paſſiva*, huic rationi adjectæ magis conveniat. An dicendum, *ſuſpenſus non debet relinqui in Ligno, quia cum Deo maledixit, terram impuram faceret*; num vero? *Suſpenſus non debet relinqui in ligno, quia, poſtquam à Deo maledictus eſt, terram Canaan impuram redderet, ſi in ea maneret ſuperſtes.* Poſterius abſque dubio accipiendum eſt tanquam quod ſit clarius & facilius.

Et in ligno pernoctans, *terram impuram facit.*

XII. Sed quod plus eſt: addimus ad vindicandam verſionem *Pauli*, eſſe, quę ſuadent, τὸ קללת אלהים/ licet tam *activo*, quam *paſſivo* ſenſu accipi poſſit, *multo tamen commodius* ſecundum ipſos quoque Grammaticæ Canones, *ſenſu paſſivo accipi*, quam *activo.* Suppono itaque hic *primo*, poſſe phraſin קללת אלהים pati hanc interpretationem: *Qui à Deo maledictus eſt.* Videat, qui ea de re dubitat, Glaſſium [a]. *Secundo* contendo, hanc *interpretationem priore multo eſſe commodiorem.* Unde vero hoc demonſtrem? Etenim τὸ קללה/ ſi non fallor, alibi cum alio nomine conſtructum non occurrit. Habeo tamen, quod forte ad rem facere poſſit. Oppoſitum τῷ קללה eſt ברכה *benedictio.* Nemo mihi negabit, opinor, duorum horum vocabulorum unam eandemque rationem eſſe atque ἀναλογίαν in conſtructione. Poſterius vero ברכה occurrit ſubinde cum *affixo perſonali.* Locus eſt Gen. XXXIII. 11. ubi *Jacobus Eſavo*: קח נא את ברכתי *Accipe,*

Et analogia Grammatica magis favet interpretationi *paſſivæ*, quam *activæ*.

Quod demonſtratur ex uſu contrario vocis ברכה Gen. XXXIII. 11.

a Lib. III. Tract. I. De Nom. Can. XXX.

pe, quæſo, BENEDICTIONEM MEAM. Munera, quibus Jacob fratrem ſuum volebat donare, (hoc eſt, hebraice, *quorum donatione fratri volebat benedicere:*) vocantur ברכת יעקב *benedictio Jacobi*, quibus ſc. Jacobus fratrem ſuum *benedictum* efficere ſatagebat. Sit itaque τὸ קללת אלהים eadem ratione & ſecundum eandem ſtructuræ Grammaticæ analogiam, *maledictio*, quæ à *Deo*, ut à Judice, proficiſcitur. cujus *maledictionis* non *objectum* ſed *cauſſa* & *ſubjectum maledicens* ſit Deus. Neque aliter accipitur τὸ εὐλογία in Scriptis N. T. & ſignate 2 Cor. IX. 5. ubi Apoſtolus Eleemoſynas, *à Corinthiis dandas*, vocat τὴν εὐλογίαν αὐτῶν *benedictionem eorum*, qua illi aliis benefaciebant & benedicebant. Obſervatum jam id à Cl. Coccejo [a], neque prætermiſſum à Vorſtio [b]. Sed quid ego? Incido hæc commentans in locum manifeſtum, qui eſt Prov. X. 22. ברכת יהוה היא תעשיר BENEDICIO JEHOVÆ, *illa ditat*. Nonne φράσεις, ברכת יהוה & קללת אלהים inter ſe conveniunt? At vero prior manifeſte capitur paſſive. Hebræis in uſu ſunt, ברכת היין / ברכת המזון / ברכת לחם: ſed tunc ברכה ſignificat ipſas illas preces, quę inſtra *cauſſæ* benedictionem Divinam in cibos derivant. Eſt itaque τὸ קללת אלהים *paſſive* idem quod מקלל אלהים. quæ dictio reperitur Pſ. XXXVII. 22. מקלליו יכרתו MALEDICTI IPSIUS (maledictiones ipſius, קללותיו:) *exſcindentur*. Et, ne longi ſimus, conferatur tandem cum hac ſententia; קללת אלהים תלוי / alia ſimilis prorſus ſtructuræ apud Moſen [c]: תועבת מצרים כל־ רעה צאן ABOMINATIO ÆGYPTIORUM *eſt omnis Paſtor pecudis*. Nonne hæc verba valent; *omnis Paſtor Ægyptiis eſt abominabilis?* Probetur itaque altera etiam illa, *ſuſpenſum omnem quoquo modo maledictionis Divinæ objectum eſſe*. Ab hac vero interpretatione non admodum fuerunt alieni R. Moſe Bar Nachman & Abarbanel, licet & à ſe invicem & ſimul a nobis diſſentientes. Videri illorum verba poſſunt apud Carpſovium [d].

Et vocis εὐλογία, 2 Cor. IX. 5.

Comparatur etiam locus Prov. X. 22.

Maledictio Dei itaque valet *maledictus à Deo*.

Idemque confirmatur ex Gen. XLVI. 34.

XIII. IV. MALEDICTIONIS *tamen* CAUSSAM *non petendam eſſe à Suſpendio, ſed à* DELICTO, *quo ſuſpenſionem commeruerat*. Ita omnino res ſe habet. Iſraëlita ſuſpenſus eam ob cauſſam non dicitur *maledictio*, quia *ſuſpenſus* eſt, ac ſi ſuſpenſio faceret, ut quis *maledictio Dei* dicatur: ſed *maledictio* dicitur propter iram Dei

Quarto obſervatur, cauſſam *maledictionis* non eſſe *ſuſpendium*, ſed *delictum*, à ſuſpenſo peccatum.

a Lex. ad voc. ברכה. b Hebraiſm. N. T. Part. 1. Cap. VI. c Gen. XLVI. 34. d l. c.

Dei ipſi incumbentem ob crimen, quod perpetraverat. nec tamen id ab omnibus Interpretibus rerum ſacrarum accurate ſemper obſervatum eſt. Utique eſt inter † Doctos, qui acrius quam par erat hanc ob cauſſam invectus ſit in *Catecheſin Palatinam* [a], quod ea MORTEM CRUCIS *à Deo* MALEDICTAM dicat. acſi maledictio repetenda eſſet à *ſupplicio*. Sed exiſtimandum, Viros graviſſimos metonymice loquutos eſſe, & pœnam accepiſſe pro eo qui pœnam ſuppliciumque hoc luebat. Alias optime Hieronymus [b]: NON IDEO MALEDICTUS, QUIA PENDET, SED IDEO PENDET, QUIA MALEDICTUS. Obſervavi, ipſum Coccejum [c], qui cæteroquin hæc duo optime diſtinxit, ſimili plane ratione loquutum fuiſſe. *Quare potuit Deus*, ait in Commentario ad Galatas, *quando voluit*, ALIQUOD GENUS MORTIS NOMINARE EXECRATIONEM, *ut ἀνάμνησιν faceret peccati & execrationis.* Rem igitur ita componamus. *Suſpenſio* fuit ſignum incumbentis alicui iræ & maledictionis Divinæ. Maledictio autem Divina incumbebat cuivis graviter delinquenti propter transgreſſionem Legis, ſecundum ſententiam diri carminis: *Maledictus, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in Libro Legis.* Fuit ille παράδειγμα, 1. τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ. 2. τῆς ἀδυναμίας τοῦ νόμου.

Unde mors crucis non ſatis commode maledicta dicitur.

XIV. V. SUSPENSUM ISRAELITAM *ante Solis Occaſum* SEPELIENDUM ESSE. Hæc poſitio latet totidem verbis in contextu Legis. Interpretes tamen Judæi rurſus in favorem gentis ſuæ eam ita reſtrinxerunt, quaſi ſufficeret ad momentum temporis ſuſpenſum oſtendere cadaver ſub occaſum ſolis. In textu *Miſnæ* eſt [d]: ומתירין אותו מיד *Et ſolvant illum illico.* ואם לן עובר עליו בלא תעשה *Si vero pernoctet, interdicti violatio eſt.* Tantundem habet Maimonides [e]: ותולהו סמוך לשקיעת החמה *Suſpendebant vero illum prope*

Quinto: Suſpenſum *ante ſolis occaſum mandandum* eſſe *ſepultura.*

a Ad Quæſt. XXXIX. b Comm. in Epiſt. ad Gal. l.c. c Comm in Gal. III. §. CX. d l.c. e l.c.

† Cl. Vir, Alhardus de Raadt, in *Apol.Verit.* p. 40. qui hanc phraſin vocat ἀπαίδευτον *indiſciplinatam.* En aliqua ex illa Viri Docti diſſertatione: *Si loco Perſonæ, quæ cruci affixa eſt, ipſam mortem ponas, interdictum Dei tantum non omnem amittet efficaciam. Si enim mors ſolummodo eſſet maledicta, quid intereſſet, ſive cadaver maneret ſuſpenſum, ſive non? quomodo illius cadaveris manſio in cruce pollueret terram? Sed ſi perſona ipſa ponatur maledictio Dei, omnia ſponte fluunt;* & quæ ſequuntur lectu non indigna.

prope ſolis occaſum, ita ut *unus liget*, *alter ſolvat*, *ut modo videantur ſatisfeciſſe verbis Legis*, hoc eſt, לקיים מצות תליה. Joſephum tamen aliter hanc legem accepiſſe conſtat [a]. Non eſſet vero neceſſe has minutias ſectari, niſi ex hoc rurſus ſpecimine pateret, quam neglectus fuerit hic typus Meſſiæ in gente Judaica. Mens Dei fuit, typum hunc Meſſiæ crucifigendi Judæis dare frequentem: Doctores contra fecerunt, ut quam rariſſime ipſis ſit exhibitus, legem unice referendo ab *blaſphemos* & *idololatras*. Lex voluit, ut *per diem* ad ſolis occaſum cadaver ſuſpenſum penderet; illi contra id ad momentum temporis ſub occaſum ſolis ſuſpenderunt, ne officio ſuo viderentur deeſſe. Cæterum in hac *ſuſpenſi ſepultura* diſcrimen apparuit manifeſtum inter *Judæorum* & *Gentium* illius ætatis ſuſpenſionem, quia Ægyptii & Philiſthæi corpora ſuſpenſorum in *cruce* vel *patibulo* relinquebant.

Ubi Judæi Intt. rurſus ſenſum Legis extenuant.

XV. VI. TERRAM *demum* PURAM *declarari* POST SUSPENSUM *Iſraëlitam* SEPULTUM. Hoc quis neget, contineri in verbis illis, quibus ratio redditur neceſſitatis ſepulturæ: *Neque impuram reddes terram, quam Jehova Deus tuus tibi daturus eſt?* Nempe *Suſpenſus* erat παράδειγμα *Divinæ Execrationis*, qui tanquam talis publice proponebatur. qui cum frater eſſet omnium Judæorum, omnibus illis in ipſo & per ipſum cenſebatur incumbere *maledictio*, quandiu ille è medio remotus & ſepultus non eſſet. Præcipua tamen hujus rei expoſitio dependet a reſpectu typico, qui eſt inter hunc Suſpenſum & Chriſtum. ad quam noſtræ tractationis partem nunc tranſeo, *primo* diſputaturus, quo fundamento Iſraëlita ſuſpenſus dicatur TYPUS CHRISTI CRUCIFIGENDI; *ſecundo* CONVENIENTIAM, quæ INTER TYPUM ET ANTITYPUM EST, oſtenſurus.

Quod ſi fieret, (quæ *ſexta* obſervatio eſt,) *Terram puram fieri.*

XVI. Fundamentum, quo aſſerimus *ſuſpenſum Iſraëlitam fuiſſe typum crucifixi Chriſti*, duplex eſt, *Alterum* in Pauli verbis [b], *Alterum* in ratione Legis. Pauli verba de Chriſto ſunt: *Chriſtus nos redemit à maledictione Legis*, FACTUS PRO NOBIS MALEDICTIO, γέγραπται γὰρ, ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου· *Scriptum eſt enim:* MALEDICTUS OMNIS PENDENS A LIGNO. Clarum eſt, Apoſtolum hoc ſcitum legis, *ſuſpenſus eſt maledictus*, applicare cum omnibus Iſraëlitis ſuſpenſis, tum Chriſto ſuſpenſo. Quid

Suſpenſum Iſraelitam geſſiſſe figuram Chriſti, ſuſpendendi à *Cruce*, primo evincitur ex Gal. III. 13.

a Ant. Lib. VIII. Cap. IV. b Gal. III. 13.

Vis, quæ eſt in hoc loco, declaratur.

Quid ita? Non equidem alium in finem, quam ut intelligeremus, Chriſtum cum ſuſpenſis omnibus in eo conveniſſe, quod utrique fuerint κατάρα ſive παράδειγμα τῆς κατάρας. Habes igitur *convenientiam* inter *cæteros ſuſpenſos* & *Chriſtum*. Jam obſervari velim, Suſpenſionem Chriſti eamque conſequentem ſepulturam hunc habuiſſe effectum, ut *omnis maledictio* per ipſum ſublata ſit. quem effectum non habebant *ſuſpenſio* & *ſuſpenſorum Iſraëlitarum ſepultura* ſub V. T. Illo quidem die, quo ſuſpenſus erat Iſraëlita, cum ipſius ſepultura terra impuritate purgata credebatur: ſed, ſi quis poſtero die de novo peccaret Iſraëlita, & ſuſpenderetur, *terra* de novo inquinabatur, & reus criminis Iſraëlita ſuſpendebatur ut κατάρα τοῦ Θεοῦ. Sed poſt *ſepulturam Chriſti ſuſpenſi* nulla amplius extitit κατάρα, nulla locum habuit *maledictio*, ne quidem in *ſuſpenſis* Iſraëlitis. Quorſum hæc? Ad docendum, *maledictionem*, *ſuſpenſionem*, & *oblationem maledictionis per ſepulturam ſuſpenſi*, fuiſſe typos maledictionis, cui ſe ſubjiceret Filius Dei, & redemptionis à peccato per ſepulturam Filii Dei ſuſpenſi.

Altera ratio petitur ex ipſa Lege Moſaica, rite inſpecta.

XVII. *Alterum* typi fundamentum petimus ex ipſa Lege, probe inſpecta: quæ ἐπίδειξις, ſi bene attendamus, non minus perſpicua erit. In textu Moſis hæc *duo* clare traduntur. α. Suſpenſum eſſe objectum maledictionis Dei. β. Suſpenſi pernoctationem in Ligno terram impuram reddere, ac proinde per ſuſpenſi ſepulturam terram puram declarari. Qui hæc attente ad animum ſuum refert, neceſſe eſt, in dubium vocet, an hæc *vere* an vero *typice* de ſuſpenſo dicantur. Dubitandi ratio eſt, quia ſi ſuſpenſus vere ſit objectum maledictionis Divinæ: conſequens erit, *omnem ſuſpenſum Iſraëlitam eſſe damnatem æternæ mortis*. Id vero quis affirmet? Sic enim fuiſſet poſitum in poteſtate Synedrii Hebræorum, quotieſcunque ipſi placeret, aliquem æternæ Dei iræ & maledictioni ſubjicere. quod omnino ἄτοπον eſt. Imo Deus, ne id crederemus, latronem, à ligno pendentem, qui cenſeri poſſet ferre maledictionem Dei, voluit ſervare [a]. Colligo itaque inde, *ſuſpenſum Iſraëlitam* vere *maledictionem Dei non eſſe*. Quid igitur? Dicitur nihilominus *maledictio Dei*. Ego hinc evidenter putem ſequi, eſſe illum τυπικῶς *maledictio-*

Quippe à ratione alienum eſt credere, ſuſpenſos omnes vere fuiſſe objecta Divinæ maledictionis.

a Luc. XXIII. 43.

ctionem Dei. α. Quatenus hanc iræ & maledictionis Divinæ partem ferebat, ut, cum *Lex* ipſum non poſſet ſervare, in exemplum τῆς ἀδυναμίας τοῦ νόμου & παράδειγμα quodcunque δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ (quis enim neget, ad *iram* Dei pertinere mortem temporalem illi inflictam, & eam conſequentem ſuſpenſionem?) & argumentum maledictionis nondum ſublatæ, publice deberet exponi. β. Quia & quatenus præſignificabat & adumbrabat alium, qui propter peccata ſibi impoſita *vere* ferret maledictionem Dei, eamque ob cauſſam εἰς παράδειγμα τῆς δικαιοσύνης Θεοῦ à ligno ſuſpenderetur. In poſteriore parte, hoc eſt, in declaratione *puritatis & impuritatis terræ* per pernoctationem aut ſepulturam ſuſpenſi, non minus clarum pro ſententia noſtra latet argumentum. Etenim an quis ſerio dicere ſuſtinebit, cadaveris Iſraëlitæ facinoroſi ſepulturam terram Canaanæam puram reddere? vel, illius pernoctationem in ligno terram omneſque illius incolas *vere impuros* reddere? Quis id auſit affirmare? Fuit itaque hæc *puritas* & *impuritas typica* & legalis. Si enim vere terra fuiſſet purgata cum ſepultura ſuſpenſi Iſraëlitæ: neque impura reddi terra unquam denuo potuiſſet, neque ratio eſſet, cur hic typus fuiſſet repetitus. Sic de *ſacrificiis* nos docuit rationes noſtras colligere Paulus in Epiſtola ad Hebræos [a].

Sed dicuntur *maledictio Dei* typice.

Quia *figurabant* eum, cui crucifigendo *maledictio Dei* vere imponeretur.

Quod idem ſpectandum in *pollutione terræ* per ſuſpenſum.

XVIII. Evictum nunc duplici argumento eſt, *ſuſpenſum Iſraëlitam* omnem, ſive *probum* ſive *improbum*, *tuliſſe* maledictionem *typice*. Nihil itaque nunc reſtat, niſi ut Typum ipſum cum Antitypo brevibus comparemus. Comparationem vero hanc, ſi promiſſis ſtemus, oportet eſſe bimembrem, videlicet inſtituendam inter suspensionem & crucifixionem, atque inter suspensum & crucifixum.

Collectio facta ex ſuperioribus, & comparatio inſtituta inter *typum* & *Crucifixionem*.

XIX. Inter Suspensionem & crucifixionem tanta eſt convenientia, quanta major poteſt eſſe nulla, ſive *nomina*, ſive *rem* ipſam, ſive *ſcopum* & finem utriuſque conſideres. Quod ad *nomen* attinet: quod Romanis eſt *Crucifigere*, quis hebræa Lingua, adhibita paraphraſi, commodius dicat, quam תלוי על עץ suspendi de ligno? Inde utique ipſi Judæi Chriſtum *crucifixum* תלוי vel נתלה *ſuſpenſum* ſolent vocare. ut ille impuri oris Lipman in *Carmine Memoriali*, quod edidit & confutavit Cl.

Et quidem primo inter *Suſpenſionem* & *Crucifixionem*.

a Cap. x. 1, 3.

Quod oſtenditur primo quod ad *Nomina.*

Wagenſeilius, paſſim *crucifixionem* תליה / & *crucifixum* נתלה vocat. Talmudiſtæ *crucifixionem* Chriſti hac eadem voce exprimunt [a]: תלוהו בערב שבת SUSPENDERUNT *eum veſpera Sabbathi.* *Crucem* aut *patibulum* עץ LIGNUM dici conſtat ex Eſth. VII. 10. ויתלו את המן על העץ *Et ſuſpenderunt Hamanem de* LIGNO, hoc eſt, de *patibulo.* Belg. Aan de galge. Druſius, cujus de hac voce obſervationes extant [b], notat, τοὺς LXX τὸ עץ hic vertere per ξύλον τοῦ σταυροῦ *lignum crucis.* ubi tamen in Vaticana ſimpliciter eſt ξύλον. *Suſpendere* vero Interpres Græcus *loco* modo *notato* vertit per σταυροῦν. quod ipſiſſimum eſt *crucifigere.* Alibi τὸ *ſuſpendere* transfert per παραδειγματίζειν, quod rurſus valet, *crucifigere.* παραδειγμάτισον αὐτοὺς κυρίῳ [c]. quæ faciunt ad illuſtranda Paulina [d]: τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισε. Vere enim τὸ δειγματίζειν ἐν παῤῥησίᾳ ibi eſt *crucifigere.* Onkelos quoque τὸ תלה hoc loco quem tractamus, vertit per צלב / & עץ per צליב. At vero Syrus Interpres in N. T. τῷ צלב utitur ſignificatu *crucifigendi*, & צליבה pro *cruce* ipſa.

Deinde, quod ad *rem.*

XX. Si vero NOMINA hic tam bene inter ſe conveniant: quis dubitet, quin ipſæ etiam res, *ſuſpenſio* & *crucifixio*, ſibi optime reſponſuræ ſint? *Lignum*, ſuſpenſioni inſerviens, erat *geminum*, ξύλον δίδυμον. ut alibi habent LXX [e]. Non aliud erat lignum *crucis.* Crucifixus ligno affigebatur *loris* etiam & funibus. idem in *ſuſpenſione* obtinuit. *Crucifixus* faciem obverſam habuit populo. idem verum fuit in *ſuſpenſo*, cujus faciem directam fuiſſe ad populum [f], (פניו כלפי העם) diſerte tradunt *Miſnici.* Sed & idem utriuſque ſupplicii fuit ſcopus. Suſpenſio enim non alium in finem facta eſt, quam, ut ille, quiſquis eſſet ſuſpenſus, למוסר εἰς παράδειγμα *in exemplum* cæteris omnibus Iſraëlitis proponeretur. Hæc vero eadem omnino fuit ratio *crucifixionis.* In quem enim Romani ignominioſe & ſevere aliis in exemplum animadverſum volebant, hunc cruci affigebant. Denique cum Judæi juxta Reipublicæ ſuæ Conſtitutiones *ſuſpendere* præcipue tenerentur *blaſphemos* & *idololatras*; liquet ex Hiſtoria Evangelica, Chriſto objectum fuiſſe crimen *Blaſphemiæ* [g]. De *Idololatria*

Quæ convenientia oſtenditur, variis partibus.

a Cod. Sanhedrin. Fol. XLIII. col. 2. b Miſcel. Cent. I. Cap. LXIII. c Num. XXV. 3. d Col. II. 15. e Joſ. VIII. 29. f l. c. g Matth. XXVI. 65.

tria ipſi teſtantur in Talmude[a], ubi ajunt, ipſum *ſuſpenſum* על שכישף והיסית והדיח את ישראל *quia magiam exercuit, atque ſeduxit & ad profanos cultus impulit Iſraëlem.* Horrenda verba!

Suſpenſus autem typus Chriſti erat, α. Qua *Iſraëlita.*

XXI. Inter suspensum vero & Christum crucifixum pariter demonſtrari poteſt conformitas omni animadverſione digniſſima, per partes & ordine à nobis demonſtranda. 1. Suspensus erat Israelita. Sic puto Hebræos ſtatuiſſe in ſuis Commentariis. Seldenus[b]: *Quin nec illud obſervatu indignum, verba illa Legis ſacra,* קללת אלהים תלוי *ſumi à Magiſtris perinde ac ſi vertenda eſſent: Qui blaſphemaverit Deum ſuſpendendus, ſeu patibulo ſub occaſum ſolis (ſic ajunt) poſt lapidationem affigendus. Ebraus ſcilicet, ſeu Judaus.* Nam ad proselytos domicilii hoc genus mortis non attinuit. Iſraëlita itaque, quod mireris, qui pertinebat ad *benedictum ſemen Abraha*, erat ſuſpendendus. Chriſtus ſimiliter *crucifixus* verum erat Abrahæ ſemen[c], cui factæ erant promiſſiones εὐλογίας, τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, Iſraëlita ex Iſraëlitis, Ἰουδαῖος ἐκ Ἰουδαίων.

β. Reus graviſſimorum criminum.

2. Suspensus Israelita reus erat gravissimorum criminum. Sic pariter *Chriſtus crucifixus*: ſi id recte intelligamus. Conſtat utique, Chriſtum ipſum fuiſſe μὴ γνόντα ἁμαρτίαν[d], nullius prorſus criminis reum, ὅσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν[e]. Hoc fatentur omnes Chriſtiani; nec negant, qui Socinum ſectantur, quibuſcum nobis nunc res erit. Ille nihilominus Chriſtus affixus eſt cruci, pendet à ligno. Eſt itaque ex ſententia Dei *maledictus.* Maledictus verò nemo eſt niſi propter *peccata*, quę in cauſſa ſunt quod ira Dei peccatori incumbat. Colligo itaque ex hoc principio, Chriſtum neceſſario reſpici debere ut *peccatorem.* Sed vero ipſe fuit innocuus. Neceſſe igitur eſt, ut ipſe *aliorum* peccata in ſe ſuſceperit, ut pro iis lueret. *Debitor* enim nemo eſſe poteſt niſi duplici hac ratione, vel quod ipſe per ſe debitum contrahat, vel quod aliorum debita tanquam expromiſſor in ſe ſuſcipiat. Prius in Chriſto locum non habuit. ſupereſt itaque poſterius nobis concedatur. quæ vere eſt certiſſima omnium Scripturarum ſententia. pro qua probanda nunc modo notabimus duo clariſſima teſtimonia

Quo ſenſu id de *Chriſto* affirmari potuerit?

 Prin-

a Sanh. Fol. xliii. col. 1. b De J. N. & G. Lib. ii. Cap. xii. c Gal. iii. 19. d 2 Cor. v. 21. e Heb. vii. 26.

Principum Apoſtolorum. Sic Paulus[a]: Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησε· *Qui non cognovit peccatum, cum* (Deus:) *pro nobis* PECCATUM *fecit.* & Petrus[b]: Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον· *Qui* PECCATA NOSTRA IPSE TULIT IN CORPORE SUO SUPER LIGNUM. ἐπὶ τὸ ξύλον eſt ἐπὶ τὸν σταυρὸν *in cruce.*

γ. Propter quæ illi incumbebat *Maledictio Divina?*

3. SUSPENSUS ISRAELITA REUS ERAT EJUSMODI CRIMINUM, PROPTER QUÆ MALEDICTIO DEI IPSI INCUMBEBAT, hoc eſt, QUÆ ABSQUE SUMMA DEMONSTRATIONE JUSTITIÆ DEI IN MORTE PECCATORIS CONDONARI NON POTERANT. Hæc noſtra comparatio ſummi erit momenti. Quod *Iſraëlita* aliquis, graviſſimorum criminum reus, occideretur & ſuſpenderetur, hæc erat ratio; quod delicta à facinoroſo illo commiſſa illius eſſent generis, ut Divini intereſſet honoris ea publice puniri. Sic pariter res ſe habuit cum Peccatis electorum Dei. Non erat Deo decorum, (οὐκ ἔπρεπε τῷ Θεῷ:) tantam multitudinem electorum, inter quos graviſſimi multi peccatores, ad gloriam perducere abſque interveniente *ſatisfactione*, Divinæ Juſtitiæ publice præſtanda. Illa itaque exacta eſt à Chriſto, electorum Sponſore. quem proinde Deus, ſalvis rationibus ſuæ Juſtitiæ, non magis potuit impunitum dimittere, quam *graviſſimos* quoſque *Peccatores* ſub OEconomia Vetere.

Quomodo id verum de Chriſto?

δ. Quæ exigebat *publicam demonſtrationem* Divinæ Juſtitiæ in ipſo faciendam.

Quod de *Chriſto* ſponſore electorum emphatice affirmari poteſt.

4. PECCATOR ISRAELITA MORTUUS EST ET SUSPENSUS AD DEMONSTRATIONEM JUSTITIÆ DIVINÆ, ET SIC FACTUS FUIT MALEDICTIO DEI. Hoc de Chriſto quis neget, de quo totidem verbis Paulus[c]: Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. & ad Galatas[d]: γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα· PRO NOBIS FACTUS MALEDICTIO. Hoc tantum diligenter *hic ad* animum revocemus, illum typice, hunc vere fuiſſe maledictionem. Illum morte externa ſatisfeciſſe Deo Judici; hunc vero, qui vere portabat maledictionem & iram Dei, vere etiam fuiſſe *maledictionem*, & *angoribus animi*, qui ad *infernales* proxime acceſſerunt, *expleſſe debitum illud*, quod electi peccatores ſibi apud Juſtitiam Divinam contraxerant. Si enim *vere* maledictionem & iram Dei in *anima* & corpore non ſuſtinuit Chriſtus; non

a 2 Cor. v. 21. b 1 Pet. II. 24. c Rom. III. 25. d Cap. III. 13.

non potuit magis alios liberare à maledictione, quam quilibet alius ſuſpenſus Iſraëlita. Quod ſi ita eſſet: dicendum foret, *maledictionem* nobis adhuc incumbere, cujus contrarium Apoſtolus teſtatur. Hoc valide docuit Cl. Coccejus [a], immerito à quibuſdam immodeſti ingenii hominibus aliquando reprehenſus [b], quod differentiam, quæ eſt inter *execrationem Chriſti* & *Suſpenſi Iſraëlitæ* non ſatis prudenter indicaſſet. Unde etiam ſimul liquet, quid judicandum ſit de facinoroſis, qui apud nos *ſuſpendii* ſupplicium luunt. Duo nimirum hic notanda ſunt. α. Nullum Credentem nunc ſuſpendi ut peccatorem ad ſatisfaciendum Juſtitiæ Dei. β. Nullum Credentem ſuſpenſum nunc proponi in exemplum iræ & maledictionis Divinæ ſibi incumbentis. In Veteri Teſtamento puniebatur etiam *reſipiſcens* propter *peccatum*, in Deum commiſſum. ſub N. Teſtamento nunquam. Magiſtratus non vindicat nunc peccatum in Deum commiſſum, ſed læſionem, quę fit Reipublicæ. Sed in V. T. ipſum *peccatum* vindicabatur, quod erat ſignum *κατάρας extantis* & nondum ſublatæ. Nemo igitur mortalium, poſt Chriſtum ſuſpenſum, nunc amplius, *qua ſuſpenſus*, fert maledictionem *typice*, multo minus *vere*.

Declaratur locus Gal. III, 13.

Differentia inter ſuſpenſos ſub OEcon. Vet. & præſentis temporis.

5. Suspensus Israelita, sole ad occasum vergente, expiabatur. unde sepeliendus erat. Sane ſi ſatisfactum Deus non putaret ſuæ juſtitiæ in pœna, de ſuſpenſo ſumpta, non pateretur ſuſpenſum *ſepeliri*. Si enim *ſuſpenſio* ſignum fuit maledictionis extantis & iræ peccatori incumbentis: ſepultura & liberatio ſuſpenſi à ligno ſignum erat terminatæ iræ Divinæ. In Chriſto hoc locum habuiſſe, quis ignoret? Sub finem enim diei, quo Chriſtus maledictionem tulerat, exclamavit ipſe; Τετέλεσται Consummatum est. Per hanc igitur Chriſti *ſepulturam* ſignificatum eſt, ſatisfactum nunc eſſe juſtitiæ Divinæ, expiata eſſe peccata, & iram Dei placatam. Sic ſcilicet *peccata abolita ſunt* ביום אחד *die uno* [c].

ε. *Suſpenſus* Iſraëlita ante occaſum ſolis expiabatur, cujus argumentum fuit *ſepultura*.

In quo figuravit *Chriſtum*.

6. Per illam sepulturam terra Canaan habita est pura esse. Vere non poterat facinoroſus Iſraëlita ſepultus terram *purificare* & *ſanctificare*. ſed hoc modo res tota capienda & digerenda

ζ. Cum *ſepultura* ſuſpenſi *terra* cenſetur purificata eſſe,

a Com. ad Gal. III. 13. b Vide Alhard. de Raadt, *Apol. Verit.* p. 102. c Zach. III. 9.

Quo modo id intelligendum de typo?

renda eſt. Quando Iſraëlitæ graviora non patrabant crimina, quam quę expiari poterant per *ſacrificia pro peccato*, in Lege inſtituta: tum ille populus πολιτικῶς ſecundum forum illius Reipublicæ habebatur *purus*. at cum unus ex omnibus ita peccaret, ut delictum ab ipſo commiſſum per *ſacrificia* expiari non poſſet, tum quidem totus populus habebatur impurus, quippe cujus ipſe pars & membrum erat. Qui ſceleratus quando ſuſpenſus eſt: cenſitus eſt ferre impuritatem totius populi. Sed quando Deus permiſit, ut corpus ejus ad veſperam de ligno tolleretur & ſepulturæ mandaretur: publice veluti declaravit, juſtitiæ ſuæ ſatisfactum eſſe, ac ita totus populus de novo declaratus eſt eſſe *purus*. Per enorme autem peccatum unius è populo totum populum reum fieri, conſtare poteſt ex Divina Conſtitutione, quę initio hujus *Capitis* refertur de *homicidio*, cujus auctor ignorabatur. Si enim homicidium ab uno commiſſum eſſet ex Iſraëlitis, & ſimul ignoraretur, quis illius ſceleris eſſet auctor: tota terra cenſebatur illius ſceleris obſtricta reatu. Quam ob cauſſam Principes populi & Sacerdotes ſolenni ritu terram & populum univerſum debuerunt luſtrare. Hæc eſt ratio typi.

Quo modo in antitypo Chriſto Jeſu crucifixo, & ante Solis occaſum ſepulto?

Sed in antitypo, ut ſolet, ſignificatus multo eſt amplior & auguſtior. Populus electus omnis, per Iſraëlem deſignatus, impurus erat propter peccata. Peccata illa impoſita ſunt Chriſto. Hactenus quidem illi abſque culpa: veruntamen, quandiu in Chriſto non erat facta demonſtratio juſtitiæ Divinæ, tamdiu illi cenſebantur impuri propter ſuam cum Chriſto, ut fratre ſuo, communionem. Sed Chriſto ſoluto à cruce, & liberato à ligno, declarata eſt tota Eccleſia electorum pura eſſe. Quam *hæc mirabilis* eſt veritatum & myſteriorum ſalutis noſtræ ἁρμονία! Quin imo ea ſola ratio eſt, cur Deus tam ſerio mandaverit ſepulturam ſuſpenſi ante occaſum ſolis, ut ſignificaret, Filium ſuum certiſſime ante occaſum ſolis eſſe ſepeliendum cum teſtimonio expiationis peccatorum omnium Credentium. Si qui itaque Judices ſuſpenſum Iſraëlitam in cruce ſuperſtitem relinquerent: illi hoc ipſo ſignificabant, ſe non credere, Meſſiam uno die expiaturum omnia electorum peccata. quod grande fuit nefas. Hæc igitur una vera & certa ratio eſt, quare ſuſpenſus Iſraëlita ſepeliri debuerit ante *occaſum ſolis*, quia, cum eſſet *maledictio Dei*,

quan-

quandiu manebat *in Ligno*, *terram impuram* reddebat, quam tamen Deus *puram* eſſe volebat. *Si ſemper in ligno manſiſſet ſuſpenſus*, ait Vir Doctus [a], *præfiguraſſet, maledictionem nunquam ablatum iri, atque ita omnem Iſraëlitarum ſpem de Remiſſione Peccatorum vanam declaraſſet.* Sed voluit Deus hoc typo Eccleſiam docere, maledictionem omnino de terra auferendam eſſe per Chriſtum ante ſolis occaſum. ut itaque typus reſponderet antitypo, voluit *Suſpenſum ſepeliri.*

Caput XIII.

Crux *Chriſti quæritur in* Sacris diurnis *Religionis Judaicæ, hoc eſt,* Sacrificiorum Præparatione & Oblatione, *qui* Ritus, *quod ad rem præſentem attinet, explicantur. Præſertim vero finitur quæſitum, ſatis famoſum, an* Ara *fuerit* σύμβολον crucis Chriſti; *expenſis rationibus, quæ in utramque partem adferri ſolent.*

Υποδείγματα *Crucis Chriſti* varia, quę huc uſque exhibuimus, hactenus quidem evincunt, Deum datis occaſionibus Iſraëli ſatis clare & evidenter *Crucifixionem Meſſiæ* ob oculos poſuiſſe. Videtur nihilominus nobis majus quid & amplius adhuc requiri. Nimirum illuſtres illi typi, quos in *Iſaaco* oblato, *Paſchali Agno*, *Serpente Æneo*, & *Suſpenſo Iſraëlita* deprehendimus, clariſſimi quidem ſunt, ſed tamen rarius aut ad minimum ſingulis annis *ſemel* (quod in Agno Paſchali locum habuit:) propoſiti. Si vero ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ unica ſpes ſalutis generis humani repoſita eſſet; ſi *crucem Chriſti* ejuſque vim recte intelligere ſumma omnium cognoſcendorum eſſet ſub N. T. quod Paulus in Epiſtola *ad Corinthios* aſſeverat: vellem ratio mihi detur, cur eam Deus per *Sacra quotidiana* Veteris OEconomiæ non potius quam per *annua* præfiguraverit? cur non frequentiſſime hunc typum Iſraëli exhibuerit? Utique cogitare licet, Deo, rerum futurarum ἀποσκίασμα dare volenti, conveniſſe, ut eas res veri-

Eadem *Crux Chriſti* quæritur in *Sacris Quotidianis* Gentis Judæç.

a De Raadt l. c.

veritateſque *in Sacris diurnis* depingeret, quas piis & prudentibus Iſraëlitis meditari maxime conducebat.

Cujuſmodi ſacra fuerunt ſacrificia.

II. *Sacra* vero *quotidiana* fuerunt *ſacrificia*, mane & veſperi offerenda. Hæc quin præſignificaverint *mortem Chriſti*, ſe ipſum oblaturi ad explendum Divinæ Juſtitiæ poſtulatum, quis ambigit? Sed an *modum* etiam mortis Chriſti, hoc eſt *Crucem Meſſiæ*, per mactationem oblationemque ſacrificiorum in Ara figuratum dixeris? Hoc ad primam ſpeciem obſcurius & difficilius videtur. Certiſſima tamen clariſſimaque res eſt, ſi animum ſacris myſteriis imbutum & σύγκρισιν πνευματικὴν huc adferamus.

In quibus Præparatio animantis ad aram, & Oblatio in ara.

III. In *Sacrificiis diurnis*, Deo ad Aram offerendis, duo notanda veniunt: *Præparatio* animantis *apud aram*, & ejuſdem *Oblatio in ara*. In utroque illo *Ritu*, πνευματικῶς conſiderato, forte, ſi attenderimus, deprehendemus *Crucem noſtri* Servatoris.

Ad Præparationem quæ pertinuerint?

IV. In *Præparatione* animantis conſideranda ejus *mactatio* eſt & in partes *ſectio*. Ad mactationem pertinent *jugulatio*, *cutis detractio*, *ablegminum exſectio*, & *purgatio*. Quo vero commodius animanti jugulatæ cutis detraheretur, eique exſecarentur *ablegmina*: erectæ fuerunt à parte altaris ſeptentrionali quædam *columnæ*, *uncis ferreis* inſtructæ, à quibus ANIMANTES recens jugulatæ & occiſæ SUSPENSÆ SUNT. Traditur id in Codice *Middoth*, his verbis [a]: כי המטבחים היה לצפונו של מזבח ועליו שמנה עמודים ננסין ורביעין של ארז על גביהם ואונקליות של ברזל היו קבועין בהם וג' סדרים היה לכל אחד ואחד שבהם תולין ומפשיטין על שלחנות של שיש שבין העמודי' Cappellus: *Locus mactatorum fuit etiam ad latus ſeptentrionale altaris. Atque in eo fuerunt* COLUMELLÆ (marmoreæ) *octo cum* TRABE CEDRINA EARUM CAPITI IMPOSITA *cum* UNCINIS FERREIS *ei infixis*, *erantque tres hujuſmodi columnarum ordines*, *atque ex iis appendebant deglubendas victimas cum menſis* (apud menſas) *marmoreis inter illos columnarum ordines*.

Ubi de ſuſpenſione animantium mactatarum ad uncos ferreos.

Outrami verba de hac re.

Sic fere Outramus ex Bartenora [b]: *Ad Boreale aræ latus octo poſitæ erant columnæ lapideæ*, *iiſque transtra interjecta*, *in quibus ſingulis tres uncorum ferreorum verſus fixi erant*, *ut victimæ maximæ de uncis ſupremis*, *minores de mediis*, *minimæque denique de infimis ſuſpenſæ pellibus*

a Cap. III. §. V. b De Sacrif. Lib. I. Cap. XVI. §. VII.

bus commode exui poſſent. Pergit Vir Doctus: *Quoties autem plures forte victimæ, quam quas reciperent unci illi, immolarentur, quod die Paſchali fieri ſolitum, tum quidem moris fuiſſe perhibent, ut* BACULIS QUIBUSDAM, *qui inter hominum duorum humeros transverſi erant,* SUSPENDERENTUR PASCHALES AGNI, *itaque ſuſpenſi degluberentur.* Imo vero probatum id dedit Outramus ex Codice Peſachin, in quo hæc leguntur verba [a]: כל כי שאין לו מקום לתלות ולהפשיט מקלות דקים חלקים היו שם ומניח על כתפו ועל כתף חבירו ותולה ומפשיט Buxtorfius [b]: *Si quis in illis non habebat locum* (ob multitudinem mactantium:) BACILLI TENUES & LÆVIGATI *erant* ILLIC, *de quibus accipiebat & ſuo & ſocii ſui humero unum imponebat, ſicque* SUSPENDEBAT & *excoriabat.* Et Buxtorfii.

V. Si in hoc Ritu *Suſpenſionis jugulatæ animantis* quæſivero luculentum typum *Crucifixionis* Chriſti: non videbor adverſus rationem peccare. Ante enim nos Doctiſſimis Viris id jam in mentem venit cogitare, & neque à re ipſa neque ab analogia S. Scripturæ abludit. Utique Buxtorfius, quando in eo eſt, ut hunc Ritum explicet, ſic de eo ſcribit [c]: *Dum hoc loco fractionis corporis Chriſti in cruce, h. e. ejus crucifixionis & mortis in cruce memini, facere non poſſum, quin in tranſitu oſtendam, quam eleganter hoc genus mortis ſeu ſupplicii in forma* MACTATIONIS AGNI PASCHALIS *præfiguratum & repræſentatum fuerit.* Quod ille de Agno Paſchali ait, hoc nos ad omnes AGNOS, quotidiano ſacrificio deſtinatos, extendimus. *Agnus* enim ἐνδελεχισμοῦ, Deo bis quotidie in Templo *offerendus* ex præſcripto Legis Moſaicæ, non minus fuit typus Chriſti quam Paſchalis. Putem *Joannem Baptiſtam* ad hunc reſpexiſſe *agnum quotidiani ſacrificii*, quando Jeſum videns Meſſiam exclamavit. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου· *Ecce* AGNUS DEI, *qui tollit peccata mundi* [d]. & poſtea [e]: Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, *Ecce* AGNUS DEI. Neque non huc pertinere, quod idem Chriſtus in *Apocalyſi Joannis* tam frequenter vocetur ἀρνίον AGNUS [f]. *Agnus* ſcilicet, ut egregie Vir quidam Doctus, *tot agnorum balatu & cruore in Templo vocatus & poſtulatus.*

In quo ritu videtur aliqua fuiſſe adumbratio *Crucis* Chriſti.

Jam obſervata à Viris Doctis in Agno Paſchali.

VI. Quo admiſſo, quis dubitabit, *mactationem* hujus agni præ-

Hoc fundamento, quod

a Peſach. Cap. v. §. ix. b Diſſ. vi. de Cœna Domini §. xlv. c l. c. d Cap. i. 29. e Verſ. 36. f Ap. v. 6. 8.

mactatio Agni in ſacris *Paſchalibus* & *Quotidianis* figuraverit mortem Chriſti.

præfiguraſſe *mortem Chriſti?* Sane mors Chriſti in Scripturis cum *mactatione* comparatur. Sic apud Jeſaiam[a]: כשה לטבח יובל Ut *parva pecus* (ovis) *ad mactationem ducitur.* quem locum ad Chriſti mortem pertinere *Philippus* docuit Evangeliſta[b]. Paulus quoque: Τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, ὁ Χριστός *Paſcha noſtrum pro nobis* MACTATUM *eſt*, *Chriſtus*[c]. Et Joannes in Apocalypſi[d]: *Vidi* ἀρνίον ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγμένον AGNUM STANTEM *ut* MACTATUM. Ratio eſt, quia Chriſtus id genus mortis obiit, in quo locum habuit αἱματεκχυσία *ſanguinis effuſio*, arteriis & venis *ferro* reſciſſis.

Collectio inde facta pro adſtruendo typo, ex hoc ritu deſumpto.

VII. Cæterum ſi *mactatus agnus* figuram geſſerit *mortis Chriſti:* an negari poterit, *agnum ſuſpenſum*, per effuſionem ſanguinis vita privatum, geſſiſſe figuram *Chriſti* vita privandi & privati per ſanguinis effuſionem, *à cruce ſuſpenſi?* Agnum mortuum fuiſſe typum Chriſti mortui & morituri concedis, *ſuſpenſionem agni* præfiguraſſe *ſuſpenſionem Chriſti* à cruce non concedes? Utique omnia heic habemus, quę jure poſſumus requirere. Stipes, à quo ſuſpenſus eſt *agnus*, *lignum* erat. Licet enim Talmudici *marmoreas* fuiſſe *columnas* dicant: *lignum* tamen frontibus earum impoſitum fuiſſe, ſimul tradunt. *Ligno unci ferrei* infixi erant, à quibus ſuſpendendus erat agnus. Agnus vero eum in modum ſuſpenſus fuit, ut anteriora crura ejus ad lignum transverſum erecta ſint & extenſa, & *pectus agni apertum fuerit*, & *oſſa ejus* (quod de ſe Chriſtus à cruce pendens[e]:) potuerint *numerari.* Agnus autem ita pendens *à ligno* totus fuit *denudatus* & pellibus ſuis exutus. Cogitemus hic de Chriſto *nudo*, à *cruce* pendente *lignea*, clavis ferreis transfoſſo, erectis brachiis, pectore extenſo & patente, imo patentibus viſceribus; & facile deprehendemus, ea omnia & ſingula illum cum *agno quotidiani ſacrificii ſuſpenſo* habuiſſe communia.

Demonſtrata qualicunque convenientia inter utrumque ἀντίστοιχον.

Non minus clare id repræſentatum in *Oblatione*, à Præparatione diſtincta.

VIII. A *Præparatione* hac *Agni* ad ejuſdem *Oblationem* progredimur. Erant quidem hi *ritus*, quod ad Agnum, diverſi generis, quia *præparatio agni* ſecundum Legem Moſaicam pars *oblationis* illius non cenſebatur. Quapropter *præparatio* Levitis & ordinariis etiam Iſraëlitis, ſed *oblatio partium* ſciſſarum, quę Deo fit in altari, ſolis Sacerdotibus reſervata eſt. At in Chriſto hæc una

a Cap. LIII. 7. b Act. VIII. 32. 35. c 1 Cor. V. 7. d Cap. V. 6. Matth. XXII. 4. e Pſ. XXII. 18.

una eademque res eſt, quippe qui in *ara* mortuus eſt. Si præparatio animantis, hoc eſt, mactatio, pellium detractio, ablegminum ſeparatio & purgatio, commode in ipſa ara fieri potuiſſent: non dubitamus, quin Legiſlator ita ut fieret, mandaſſet. Sane *Abraham* Filium ſuum mactare voluit in ipſo altari. Sed quoniam id abſque ingenti incommodo fieri non potuit, duplici diſtincto actu id peragendum fuit. OBLATIONEM vero *animantis* geſſiſſe typum *crucifixionis Meſſiæ*, dubium eſſe non poteſt illis, qui *ſenſus* in Verbo Dei intelligendo habent exercitos. Sic de eo optime Bochartus [a]: *Sed &* HOLOCAUSTA, *quæ Hebraice* ὑψώσεις *dicebantur, quia ſurſum attollebantur, ſignificabant fore, ut* CHRISTUS *pro peccatis ſe offerens* EXALTARETUR IN CRUCE. Dictum veriſſime, quod ambabus ulnis amplectimur. Oportet tamen, ut aliquanto diligentius inveſtigemus rationem hujus comparationis. Quod fieri poteſt duplici ratione, vel nimirum ut *generalem* tantum inter duo hæc ſubjecta quæramus *convenientiam*, vel ut eandem *ſpecialius* proſequamur.

IX. *Generali convenientiæ* à nobis demonſtrandæ hoc ſubjicimus fundamentum, quod *Crucifixio* Chriſti in Scriptura vocetur ejus OBLATIO. Paulus ad Epheſios [b]: *Et ambulate cum charitate, ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemet ipſum pro nobis* προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας· OBLATIONEM *ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.* & ad Hebræos [c]: Τοῦτο ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας· *Hoc enim fecit ſemel, quando* SE IPSUM OBTULIT. Alio rurſus loco [d]: *Quanto magis ſanguis Chriſti,* ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ Θεῷ· *qui per Spiritum æternum* SE IPSUM OBTULIT *inculpatum Deo.* Agnoſcendum utique eſt, in his loquutionibus plus dici ad noſtrum ſcopum, quam quando τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ *humana Chriſti natura* vocatur אשם / ἁμαρτία, περὶ ἁμαρτίας *ſacrificium pro peccato.* Phraſes enim hæ non neceſſario referuntur ad ipſum *genus* mortis Chriſti, ſed ſimpliciter de eo explicari poſſent, quod *peccata noſtra* Chriſto impoſita, ſive in rationes Chriſti relata ſint. Verum quando ipſa Chriſti mors appellatur προσφορὰ *oblatio*, quę mors fuit *crucis*: fieri

Crucifixio Chriſti appellatur in Sacris Scripturis ejus *Oblatio.*

a Hieroz. Lib. III. Cap. XIII. b Cap. V. 2. c Heb. VII. 27. d Heb. IX. 14.

fieri vix poteſt, quin cogitemus, in morte Chriſti ſimile quid fuiſſe *oblationi*, quę facta eſt ſub V. T.

Convenientia inter *Oblationem* & *Crucifixionem* reſpectu utriuſque *Scopi*, & *Modi*.

X. *In genere* vero vix quicquam dicendum habemus de convenientia, quæ intercedit inter *modum* ac *ſpeciem* mortis Chriſti & inter *Oblationem* animantium in ara, præter id quod jam occupatum à nobis eſt, quando *oblationem Iſaaci* ut typum crucifixionis Chriſti propoſuimus. Scilicet mors crucis ejus eſt generis, & eum etiam in finem inſtituta, ut puniendus cæteris omnibus peccatoribus in exemplum proponeretur. Hæc erat ratio vera & ſolida, cur in altum ad perticam deberet exhiberi, quo ab omnibus conſpici poſſet. Quæ ſi in *Oblatione Animantum* demonſtrare poſſimus: abunde probaverimus, *Oblationem* gerere potuiſſe *typum Crucifixionis*. Poſſunt autem quam facillime demonſtrari. *α.* Satis conſpicua in omni ſacrificio, in altari comburendo, eſt *elevatio* ac *eductio in altum*. *Aræ* pleræque in altum extruebantur apud omnes populos, adeo etiam ut *gradibus* primum, dein tumulis coacervatis *aram* oporteret aſcendere. Quoniam vero neque id ſatis eſſe videretur: *aræ* frequenter admodum in locis *altioribus* & *excelſis* collibus montibuſque extructæ ſunt. Facit huc, quod *ara* ejuſmodi apud Hebræos במה *Excelſum* diceretur [a]. Licet autem Deus, ſacra ordinaturus Tabernaculi, ipſe prohibuerit, ne Sacerdotes *gradibus* altare adſcenderent: minime ideo voluit inhibere *altitudinem ararum*. Sane *altare Tabernaculi gradum* habuiſſe *unum* communiter, plures vero habuiſſe *gradus* præſtantiſſimi Interpretes ſtatuunt. Licet enim altitudo ipſius ad *tres extendatur cubitos* [b]: rationes tamen inveniunt in ipſo contextu non ſpernendas, quæ id de tota *altaris* altitudine intelligendum vetent. Utique *ara ænea*, quæ in Templo à *Salomone* extructa fuit, *decem* alta fuit *cubitos*: & ipſi illi altari, quod ab *Ezechiele* in perfectiſſimi Templi forma deſcribitur, מעלות *gradus* attribuuntur [c]. Videatur de hoc argumento Villalpandus, qui has altitudines ararum *κατὰ τὴν συμμετρίαν* inter ſe laboravit conciliare. Legem vero Moſaicam non de omnibus quibuſcunque *aris*, quæ ab Iſraëlitis extruerentur, ſed de aliis quibuſdam, certis ſingularibuſque in circumſtantiis extra ordinem faciendis, explicandam eſſe, argumento eſt, quod

Quæ *offeruntur*, extolluntur in altum.

Erantque *aræ* olim altæ.

a 1 Sam. IX. 12. b Exod. XXVII. 1, 2. c Cap. XLIII. 17.

quod Deus ibidem ſimul juſſerit, *aras ex lapidibus*, non *cæſis*, parari [a]. cum tamen ipſe *aram Tabernaculi* ex *ligno* & *ære* [b], Templi vero ex *ſolido ære* faciendam, docuerit. Si igitur ratio nos non fugit, primum illud præceptum exponendum erit de *aris* quibuſvis *obviis*, à privatis data occaſione formandis. Ab hac vero *altitudine* ſpectabili, Ara Tabernaculi, in qua animantes, Deo devotæ, *cremabantur, paſſim dicitur מזבח העולה [c]. Ad literam ſonat: *Altare aſcenſionis*, ELEVATIONIS, ὑψώσεως. Græci habent: τὸ θυσιαστήριον τῶν ὁλοκαυτωμάτων. Belgæ. **Brandofferſ altaer.** *Altare holocauſti.* Sic viſum eſt Eruditis non paucis Verbi Divini Interpretibus, quia τὸ עולה in Scripturis pro *holocauſto* accipitur, & *holocauſtum* omni die in hoc altari conſumebatur. Nolo vehementer refragari, modo obſervetur, τὸ ὁλοκαύτωμα, ſive ſacrificium, totum præter pellem in ara comburendum, inde dictum eſſe עולה / quia in *hanc aram extollebatur* atque in eam totum ferebatur comburendum. Kimchi: נקרא הקרבן הזה כן לפי שהיה עולה כלו כליל על המזבח *Sacrificium hoc ita vocatur, quia totum quantum in altare aſcendebat.* Eſt itaque עולה idem, quod ὕψωσις, ἀνάβασις, *elevatio*, *aſcenſio*, & מזבח העולה *altare* deſtinatum τῇ ὑψώσει & ἀναβάσει ſacrificiorum, in eo conſumendorum. Patet utique ſatis evidenter, *ſacrificia* cum *Chriſto crucifixo* id habuiſſe commune, quod in *altum elevata ſint*.

Earũm olim ratio in Sacris Ritualibus.

Quare *Ara Tabernaculi* dicatur *Ara aſcenſionis*?

Gemina ſignificatio vocis עולה.

XI. 2. *Elevatio ſacrificiorum* in hunc finem facta eſt, ut *eorum conſumptio* εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ omnibus exhiberetur. De *holocauſtis* nunc loquimur, ſacrificiis diurnis, quæ typos *crucifixionis* Chriſti eſſe diximus. *Ignem*, animantis partes in ara *comedentem* conſumentemque, inter alia (plura enim ſignificavit:) extitiſſe σύμβολον juſtitiæ Dei Rectoris & Judicis, ad mortem uſque vindicantis peccata in Filio ſuo; extra dubitationem eſt poſitum. Neceſſum enim erat, ut id primo loco per *ignem* ſignificaretur, quod prima & ſumma cauſſa fuit mortis Chriſti. quæ utique fuit *ira Dei*, ἡ δικαιοσύνη τοῦ Θεοῦ. Hanc vero demonſtrationem ſuæ ſeveritatis ſymbolice factam in animantis conſumptione, in loco alto fieri Deus voluit, ut in omnium incurreret conſpectum, & inde argumentum caperent Iſraelitæ, Deum eſſe אל נוקם *Deum vindicem*, qui נקה לא ינקה *peccato-*

Elevatio Sacrificiorum hoc facta eſt ſcopo, ut doceretur, proponi ea ad demonſtrationem Juſtitiæ Divinæ.

a Exod. Cap. xx. 21. b Cap. xxvii. 2. c Exod. xxx. 28. xxxi. 9.

rem non dimittit impunitum. Hæc autem eadem ratio & cauſſa fuit *crucifixionis*, quippe in qua extitit מוסר *eruditio hominis*, & ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ *demonſtratio juſtitiæ Dei.*

Alii jam ulterius progreſſi, *Crucem* Chriſti voluerunt figuratam eſſe per *aram.*

XII. Quæ hactenus *in genere* adduximus ad *Crucifixionem* comparandam cum τῇ προσφορᾷ *oblatione animantium*, minime dubia & obſcura ſunt. nec tamen hic ſubſiſtunt Doctiſſimi Viri, qui meditationes ſuas in hoc typo fixerunt. Ad ſingularia itaque & ſpecialiora progreſſi, ipſam *Aram* inſtituerunt comparare cum *Cruce Chriſti*, ut tanto evidentior inter *Crucifixionem* & *Oblationem* ſit ἀναλογία.

Status hujus quæſiti, ſimpliciter expoſitus, ejuſque origo.

XIII. Quæſivit hac de re & quæſitum tractavit atque rationibus diſputavit Joannes Cloppenburgius, Vir eruditus & ſolidus, in *Schola Sacrificiorum* [a]. Obſervat Vir ille Doctus, diſputari cœptum eſſe de hoc problemate inter Theologos Proteſtantes, quando Pontificii, & inter eos Bellarminus [b], *crucem adorandam eſſe* probare conati ſunt hoc argumento, quod fuerit *ara ſummi ſacrificii.* Quam Bellarmini objectionem ait noſtros diverſimode excepiſſe.

Diſſentientes de eo Doctorum è Proteſtantibus ſententiæ.

Chamierum, Mornæum, Molinæum, Cappellum (Jacobum) notat hanc Bellarmini hypotheſin admiſiſſe, ſed negaſſe conſequens, quod ex eo deducit. Danæum contra, Ainſworthum, & Ameſium non modo τὸ ἀκόλουθον, ſed ipſam quoque hypotheſin Bellarmini negaſſe; negaſſe, inquam, directe, *crucem* fuiſſe *aram ſacrificii Chriſti.* Tranſierunt in has partes alii, qui ipſos ſequuti ſunt. Belgæ Interpretes alibi Chriſtum ajunt *ſe obtuliſſe in ara crucis* [c].

Cocceji ſententia.

Coccejus adverſas eligit, ut ex his ejus verbis liquet [d]. *Eſt quoque in* EO SPIRITU (explicat *Heb.* IX. 14.) *quod* ALTARIS FIGURA *repræſentavit, ipſa divinitas valorem & dignitatem concilians victimæ. Nam altare ſignificat id, quod victimam ſanctificat* [e]. CRUX VERO NON HABET RESPONSUM AD ALTARE, *ſed eſt opprobrium & teſtimonium maledictionis ipſi incumbentis.*

Et Cloppenburgii, qui affirmantem tuetur ſententiam.

XIV. Cloppenburgius tamen ipſe hic ſequitur ſententiam *priorem*, quę eſt Veterum Eccleſiæ Doctorum, & difficultates, quę eidem objiciuntur, reſolvere tentat. Præcipua nimirum,

a Cap. VI. b Lib. II. de Imag. Sanct. Cap. XXVII. c Annot. Num. 19. ad Pſ. CX. 4. d Sum. Theol. Cap. LXI. § XVI. e Matth. XXIII. 19.

rum, quę à Cl. Coccejo, & ante eum ab Ainſwortho, & Ameſio, prolata eſt, petitur ex Matth. XXIII. 19. ubi Chriſtus Phariſæos docet, τὸ θυσιαστήριον, ἁγιάζον τὸ δῶρον ALTARE SANCTIFICANS DONUM eſſe μεῖζον τοῦ δώρου MAJUS IPSO DONO. cum tamen ſatis conſtet, *Crucem Chriſto majorem non eſſe*; imo id dictu ſit abſurdum. Reſpondet Cloppenburgius, Chriſtum *per altare* ἁγιάζον τὸ δῶρον non intellexiſſe proprie *aram*, ſuſtinentem ſacrificia, quippe quæ nihil *ad ſanctificationem* victimæ poterat conferre: ſed *aram* σὺν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ *cum omnibus, quæ ſuper ea ſunt*, hoc eſt, aram, inſtructam *igne ſacro*, per quem victima conſumebatur conſecrabaturque: & non *aram*, ſed *ignem* ſuper aram *Majeſtatem Spiritus Sancti* adumbraſſe. *Chriſtus non adſerit*, (ait [a]) *altari per ſe, quod majus ſit munere oblato ſuper altare, ſed tantum altari una cum igne ſacro, abſque quo ſi eſſet, Altare profanatum erat, adeoque nihil poterat ſanctificare.* Ad alteram vero objectionis partem, qua *Crux* dicitur fuiſſe σύμβολον *maledictionis Chriſti*, hæc reponit [b]: *Si hoc argumentum procedat, nullum unquam altare dici poterit ſanctificaſſe ſacrificium ſuper altare oblatum, quia ſerviebant omnia altaria miniſterio mortis & condemnationis adeoque maledictioni 2 Cor. III. 9. Etenim in eo ſitum erat expiationis myſterium, quod* PER EXECRATIONEM VICTIMÆ CONSECRARENTUR; *ipſas quippe neceſſe erat devoveri maledictioni ad impetrandam divinitus benedictionem. Atque ſic pro nobis expiationem fecit Chriſtus, ipſe factus pro nobis* κατάρα [c], *quando ſe pro nobis ſanctificavit* [d]. *Quod enim ipſe factus eſt* κατάρα maledictio, *factum eſt teſte Apoſtolo* [d], *ut in nobis gentibus benedictio Abrahæ extaret* [e]. Certe quicquid hac de re ſit: patitur ſententia Cloppenburgii benigniorem interpretationem. in quam rem ſequentia expendi queunt.

Quomodo eam vindicet à difficultatibus objectis?

XV. Ara in Sacrificiis *quadruplicem* habuit *uſum*. 1. Ara *tulit* victimam. 2. *Exhibuit* victimam Deo. 3. Eandem per *ignem* ſanctificavit. 4. Et ipſa quoque victimam *accepit*, tanquam donum ſibi datum, in ſe & à ſe per *ignem* conſumendam. Pro quadruplici hoc & diverſo uſu res maxime diverſas *Ara* dici poteſt ſignificaſſe.

Ara in ſacris varius uſus & reſpectus.

1. *Ara* in quantum portavit *ſacrificium*, idque in *altum tulit*, dici poteſt fuiſſe ſignum *crucis*, in quam Chriſtus *tolleretur*, in quam

Primus, quod *victimam tulerit?*

a §. VIII. b §. IX. c Gal. III. 13. d Joh. XVII. 19. e Verſ. 14.

quo ſenſu potuit figurare crucem Chriſti.

Locus 1 Pet. II. 24.

quam *elevaretur*, à qua *ferretur*, & in qua ſe ipſum ut ſacrificium Patri ſuo ſiſteret. Hoc *Petrum* velle, & huc alludere putamus, ubi ait [a]: Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον· *Qui* PECCATA NOSTRA *ipſe* SURSUM TULIT *in corpore ſuo ſuper lignum illud.* Belgæ: **Die onſe ſonden gedragen heeft.** Vix alio verbo ἔμφασις vocis ἀναφέρειν exprimi poteſt, quam ideo *Syrus* duplici voce circumſcripſit. Notat *ferre* & *offerre*. Et poſteriore quidem ſignificatu occurrit in ℣ſ. 5. hujus ejuſdem *Capitis*: *Vos eſtis ſacerdotium ſanctum* ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας AD OFFERENDUM *ſpiritualia ſacrificia* [b]. Belgæ: **Op te offeren.** Primo itaque dicere voluit *Petrus*, Chriſtum *portaſſe* noſtra peccata, in quantum illa ipſi erant impoſita, alludens ad Jeſ. LIII. 4. Secundo ita tuliſſe noſtra peccata, ut ea ſecum tulerit in altare, & ſe, peccatis onuſtum, obtulerit Deo. Reſpicit ad animantes, quibus peccata primo imponebantur, & quæ deinceps peccatis onuſtæ Deo offerebantur. Sed in quam aram? ξύλον, ait Petrus, *Lignum*, hoc eſt, CRUCEM. Ara igitur eatenus fuit *Crux Chriſti*, quatenus ſe in ea Chriſtus Servator Patri ſuo *obtulit*.

Secundus, *victimam exhibere, & Deo ſiſtere*: quando figuravit Divinam Hypoſtaſin Filii Dei.

2. *Ara*, in quantum *exhibuit victimam*, *eamque Deo ſtitit*, ſuſtinuit figuram Chriſti, ſive potius *Divinæ Chriſti naturæ*, humanam ut victimam Deo ſiſtentis & veluti exhibentis: ſecundum id, quod Paulus ait [c], Chriſtum Jeſum ſe *per Spiritum æternum Deo obtuliſſe.* Nimirum in Concilio Gratiæ ſtipulatus erat Filius Dei ſe ſtiturum ἐν πληρώματι καιροῦ humanam naturam ſanctam, in qua Deus per πνεύματα *ſanctificaretur*. Hoc tempus cum præſto eſſet: Filius humanam naturam excitavit, in ea habitavit, eam tandem ad crucem extolli paſſus eſt, atque hac ratione, quod ut Sponſor Patri obtulerat in Pacto, Patri exhibuit, ut præſens. Quæ exhibitio cum a Filio Dei, ſive à Mediatore Deo, facta ſit in cruce: *crux* ut inſtrumentum ad hanc exhibitionem concipitur concurrere. ut adeo *ara* ſignificaverit Filium Dei humanam naturam, ut victimam, exhibentem in *cruce* [d]. Crux exaltabat, ſed Filius Dei exhibebat Patri victimam ſublatam in *cruce*. Hinc, ni fallor, patet, exhibitionem victimæ ab ejus elevatione fuiſſe diſtinctam.

3. *Ara*,

a 1 Ep. II. 24. b Conf. Heb VIII. 27. Heb. XIII. 15. c Heb. IX. 14. d Conf. Pſ XL. 7, 8, 9.

3. *Ara*, in quantum *victimam ſanctificabat*, σύμβολον fuit *Filii Dei humanam naturam præparantis*, & ad id *Spiritu ac potentia ſua diſponentis, ut victima eſſet Deo grata.* Hoc non egit *ara*, quod optime animadverſum à Cloppenburgio eſt, niſi in quantum *ara ignem* habuit *ſacrificium conſumentem*. *Ignis*, inquam, is eſt qui in oblatione Chriſti ab Apoſtolo vocatur πνεῦμα αἰώνιον *Spiritus æternus* [a]. Intellige *Divinam Chriſti Naturam*, per ſuam potentiam & *Spiritum Sanctum* ipſum hoc agentem, ut *victima* θεοπρεπῶς, hoc eſt, ſanctificata Deo exhiberetur. Etenim Filius Dei in humana illa natura, cui ὑποστατικῶς unitus erat, excitavit fortiſſimum deſiderium perficiendi voluntatem Dei, & Eccleſiam electorum, pro qua ipſe ut Sponſor intervenerat, per ſuum πόθημα vindicandi ab æterno exitio, atque adeo illam animavit ad hoc opus, quod in ſe ſuſceperat & vere momenti erat maximi, conſummandum; tum etiam eam in ferendo onere iræ Divinæ continuo ſuſtinuit, fulſit, ſanctificavit, vel potius ſanctam conſervavit, ne in tanto deſperationis metu & anguſtia vacillaret. Hic ille *ignis* fuit, per quem Chriſtus conſumptus & præparatus eſt, ut eſſet *victima*, Patri ſuo grata. Neque enim ſatis erat Chriſtum offerri. ſed offerri debuit εἰς ὀσμὴν εὐωδίας *in odorem bonæ fragrantiæ* לריח ניחוח [b]. *Elevare* & *exhibere* victimam, *altaris* erat. Victimam vero præparare, ut eſſet *cibus Dei*, *ignis erat*; & altaris, in quantum igne erat inſtructum. Hoc ſenſu *aram* dictam fuiſſe exiſtimem קדש הקדשים *Sanctum Sanctorum* [c]. Recte tamen dixeris; cum *Ara* reſpectu primæ & veriſſimæ ſignificationis ſuæ figuret *Perſonam Divinam*, cui victima traditur; & *Ignis* illius Perſonæ Divinæ *Voluntatem ſanctam*, cui Victima probari debet: *Aram* ſanctificare *victimam*, quatenus quicquid Deo devovetur, *ſanctum* fit, ad gloriam ejus conſumendum. quod actutum declaro.

Tertius, Sacrificium *Sanctificare.*

Quod aræ adſcribitur reſpectu *Ignis*, *qui in ara erat.*

4. *Ara*, quatenus victimam *accepit*, typum ſuſtinuit Dei *Patris*, cui humana Chriſti natura inſtar *doni* ad juſtitiam ejus placandam eſt *oblata*, ut per juſtitiam ejus vindicantem conſumeretur: quomodo vere ſumitur ara in hiſtoria ἐγκαινισμοῦ antiqui Fœderis [d]. Sed id nunc ad rem non facit ut urgeamus. Sufficiat

Quartus, *Victimam accipere*, quando figuravit Perſonam Divinam.

N n n

a Heb. IX. 14. b Epheſ. V. 2. c Exod. XXIX. 37. d Exod. XXIV. 4, 5.

ciat nobis nunc ex dictis patere, non abſurdam eſſe ſententiam, quę inter alias myſticas aræ ſignificationes eam quoque figuraſſe ſtatuit Crucem Chriſti, licet ſignificatu omnium tenuiſſimo.

Occurritur objectioni adverſus primam hypotheſin.

XVI. Difficultati, contra hanc hypotheſin motæ à Cl. Coccejo [a], ſatisfactum putamus abunde per Cloppenburgium. Lignum fuiſſe *σύμβολον maledictionis* & *opprobrii*, ait. Concedimus, in quantum nemo à ligno ſuſpenſus fuit, niſi qui *maledictus*. Alias oſtendimus Diſſertatione præcedente, *lignum* per ſe nullam omnino maledictionem ſecum tuliſſe. Suſpenſio non magis maledicta fuit, quam ſtrangulatio. Concedimus igitur, inquam, illud in quantum nemo ſuſpenſus, niſi qui maledictus. Sed conſiderari velim, altare, cum in eo conſumerentur *holocauſta* vel *ſacrificia pro peccato*, eadem prorſus ratione fuiſſe ſignum maledictionis, qua *lignum crucis*, in quantum nihil hujus generis in altare latum eſt, quod Divinæ juſtitiæ devotum conſecratumque non erat, & hoc ſenſu maledictionis nota inſigne non fuit. quod jam ante nos dixit Cloppenburgius. Quæ ad comparationem *aræ* & *crucis* ſpectant, nunc ſequuntur.

Caput XIV.

Poſtquam ſuppoſitum probatumque eſt, Aram *certo reſpectu & modo præfiguraſſe* Crucem *Chriſti: inveſtigatur convenientia, quæ inter utramque eſt; qua occaſione de ratione & modo, quo* ligna *ſunt impoſita altari, ex Hebræorum Conſtitutionibus differitur.*

Convenientia qualiſcunque inter *Aram* & *Crucem* Chriſti, demonſtratur in hiſce attributis,

EO nos duxit noſtræ diſputationis ſeries, ut nobis nunc ſit inquirendum in convenientiam, quæ inter *aram* quamlibet, divino juſſu extructam, & *crucem* Chriſti eſt. quæ noſtra inquiſitio ut libere, ſic modeſte inſtituenda eſt, & favente oculo legenda.

α. Quod *Ara* Tabern. fuerit ex *Ligno*.

II. 1. *Ara holocauſti*, (מזבח העולה) quam Deus in Tabernaculo extruendam præceperat, conſtitit ex *Ligno*, obducto *ære*.

a Exod. xxiv. 4.

Locus Exod. XXVII. 1.

ære Præceptum extat apud Moſen his verbis[a]: *Et facies* ARAM *ex* LIGNIS SITTIM, וצפית אותו נחשת *eamque* OBDUCES ÆRE. Ligna Sittim ex præſtantiſſimis Cedrinis erant oleaginoſis, à putredine liberis. Ære tamen fuerunt obducenda tegendaque, ne flammam conciperent ex igne perpetuo, in altari cubante. Quod igitur *Altare ligneum* obductum ſit ære: hoc conſumendi ſacrificii ratio poſtulavit, quia conſtat, ſacrificium in Ligno integro (quod hic factum oportuit:) non poſſe conſumi. Ubi itaque vides *ſacrificium* impoſitum *altari ligneo*, obducto tamen ære, ne lignum, quod integrum manere oportuit, conſumeretur: an fieri poteſt ut non cogites de *cruce lignea*, in qua *ſacrificium corporis Chriſti* conſumptum eſt? Equidem ultro largior, alia etiam nobiliora per ſpecies æris & cedrini ligni ſignificata eſſe: nec tamen noſtra hæc negligenda videbatur meditatio, aptata hypotheſi. tam enim πολυποίκιλος eſt ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία, ut nihil obſtet, quo minus eodem emblemate res etiam maxime inter ſe diſſidentes ſed in *tertio*, quod ajunt, concurrentes ab ipſo adumbratas credamus.

Qui locus, cum materiam *aræ holocauſti* exhibeat, elucidatur.

β. *Ara* impoſita fuerunt *ligna*, qubus imponendum ſacrum.

III. 2. Non tantum ipſum altare Tabernaculi fuit ex lignis formatum, ſed *ligna* impoſita etiam fuerunt *aris*, quę cremandam in ara victimam tulerunt. Sic eſt inter Moſaicas leges de Sacerdotibus[b]: וערכו עצים על האש *Et diſponent* LIGNA SUPER IGNEM. Quid vero id ſignificet, quam Chriſtum pro peccatis noſtris offerendum, in altum elevandum, & *lignis imponendum* alligandumque eſſe? Ante id obſervatum, ubi *typum Iſaaci* explicatum dedimus. Adjiciamus nunc dictis, *Ligna*, in quibus victima cremanda erat, *ad modum crucis* decuſſatim fuiſſe diſpoſita digeſtaque à Sacerdotibus. Erant ex Hebræorum ſententia *tres* an *quatuor ſtrues lignorum* ſuper altari digeſtæ. Has מערכות vocarunt, voce ex textu Levitico, modo notato, petita[c]. Notat vero ערך apud Hebræos *ordine aliquid digerere* & *diſponere*; non promiſcue aliquid jacere, & nullo obſervato ordine mittere. Uſurpatur idcirco de *exercitu inſtructo* ad prœlium, aciebus rite ordinatis. Unde itaque intelligimus, ligna hæc non promiſcue à Sacerdotibus in altare lata & projecta, ſed ordine & ingenio ita fuiſſe diſpoſita, ut facile flammam concipere poſ-

Et quidem *decuſſatim* diſpoſita.

Uſus vocis מערכות.

 ſent.

a Exod. XXVII. 1. b Lev. I. 7. c Jom. Cap. IV. §. VI.

Traditiones Judæorum Vett. de *Lignis* in Ara diſponendis iiſque rite parandis recenſentur.

ſent. Ad quod primo requirebatur, ut *ligna* commoda *ſecta* eſſent. Id factum eſſe ipſum vocabulum גזירין indicat, quod Talmudici Scriptores in lignis altaris exprimendis adhibent [a]. Sed ſignate docet Maimonides, fuiſſe in *Atrio Mulierum* conclave, in quo ſciſſa, præparata, & electa fuerunt ligna. Dicitur apud Maimonidem לשכת דיר העצים *Cella incolæ Lignorum* [b]. Sic Saubertus. Cappellus; *Evermiculationis lignorum*, quia, ut Maimonides, שם כהנים בעלי מומין מתליעין בעצים שכל עץ שנמצא בו תולעת פסול *ibi Sacerdotes, quibus corporis aliquod vitium erat, evermiculabant ligna, ſiquidem omne lignum, in quo vermis reperitur, inutile & inidoneum eſt*. Mallem, *Cella præparationis lignorum*. notat enim quoque דור ſive דיר *diſponere*. Deinde, ut *ligna decuſſatim* diſponerentur, quo tanto facilius admitterent flammam. Prima aut extrema ſeries ipſum altaris *pomum* attigit, (prius enim diſpoſita ligna ſunt in ara, antequam illis admotus eſt ignis:) atque ſecunda illi decuſſatim fuit impoſita, relicto ſpatio aliquo ab aëre pervadendo inter Lignorum ſegmina. Sic eſt in Codice *Tamid:* [c] ראשי הגזרים הפנימים היא נוגעים בתפוח וריוח בין הגזירין שהיו מציתין את אליתא משם Peringerus: *Extrema intima lignorum attingebant pomum, ſive acervum cinereum. Erat autem* SPATIUM INTER IPSA SEGMINA LIGNORUM, *ut ea faculis ſubjectis ignem concipere poſſent.* Per תפוח *pomum* hic vel intelligas ſpatium medium altaris, in quo acervus cinereus, de quo §. 11. actum erat, vel ſupremum altaris fundum totum, ad quadraturæ angulos inciſum. Atque his *lignis*, ut videtur, *ad crucis formam diſpoſitis*, impoſitæ fuerunt partes mactatæ victimæ, præfiguraturæ Chriſti ſacrificium in Cruce.

γ. Animantis diſſectæ partes ſic ſunt diſpoſitæ ſuper altare & *ligna*, ut *integra* videretur animans. Outrami verba.

IV. 3. Ut Chriſtus integer ſuſpenſus fuit à cruce: ita partes animantis diſſectæ ſic à Sacerdotibus ſuper ſtruem lignorum in ara ſunt diſpoſitæ, ut animans, ante in partes ſecta, videretur *integra*. Tradam id verbis Outrami [d]: *Cæterum proſecta holocauſtorum in aræ clivo ſuper aram ipſam ſale aſperſa in ſtruem illam, quæ à Judæis* מערכה גדולה STRUES MAGNA *vocatur, deinceps ita porrici ſolebant, ut nulla adhuc ſitus ratio haberetur;* POSTEA VERO

SIC

a Schekalim Cap. VI. §. VI. b Beth Habbechira. Cap. V. Tamid. Cap. II. §. V. c Cap. II. §. IV. d Lib. I. Cap. XVI. de Sacrificiis.

SIC DISPONI, UT QUEM QUODQUE IN VIVA PECUDE SITUM HABUIT, EUNDEM, *quantum fieri potuit*, IN ARA QUOQUE OBTINERET. *Id quoque fieri debuiſſe Judæi ex his verbis colligunt*[a]: וערכו בני אהרן הכהנים הנתחים את הראש ואת הפדר על העצים *Fruſta autem, caput & ſebum, ſuper ligna* ORDINABUNT *Sacerdotes Filii Aaronis.* Sane videtur vocabulum ערך / ut jam ante obſervatum eſt, ejuſmodi diſpoſitionem ordinatam denotare[b]. Chriſtus integer cruci affigi, mori, & in ſepulcro poni debuit: quod per agnum Paſchalem clariſſime figuratum eſt. In Holocauſtis videtur Deus permiſiſſe ſectionem victimarum, ut commodior eſſet membrorum lotio, & in aram latio. Nec potuiſſet Juvencus niſi magna opera, integer in altare ferri. Quando vero partes victimæ in ara inter ſe rurſus junctæ & ad integræ animantis formam concinne *ſuper lignum* diſpoſitæ ſunt; tum viſa eſt animans plane integra eſſe, Chriſtum integrum à cruce ſuſpendendum repræſentans.

Quod applicatur ad Chriſtum crucifixum.

Caput XV.

Celebris locus Ezech. IX. 4, 5. *quem multi inter Veteres & Recentiores Interpretes explicant de* obſignatione *per literam* Thau, *excutitur, quæriturque, an in eo lateat argumentum* pro Cruce Chriſti; *nec non, an litera* Thau *apud Samaritanos ad formam* crucis *olim ſcripta ſit? Porro agitur hac occaſione de* unctione Sacerdotum, *quam Doctiſſimi Viri jecerunt factam eſſe* ad formam crucis, *cujus conſuetudinis ratio aliunde indagatur. Ad finem quædam adjiciuntur de* agitatione victimarum, *in qua pariter quibuſdam viſum eſt latere arcanum futuræ* crucifixionis *Chriſti.*

VIr clarus hodie in Literis, Petrus Daniel Huetius, in egregio Opere *Demonſtrationis Evangelicæ*[c] inter vaticinia, quę de *Cruce Chriſti* in Vetere Teſtamento extant, non

Locus Ezech. IX. 4, 5. excutiendus ſumitur, quæriturque an de *Cruce Chriſti* agat?

a Lev. I. 8. b Confer Maimon. Temid. Umuſaph. Cap. VI. §. IV.
c Prop. IX. Cap. CXXVII. §. IV.

non negligit recenſere celebrem locum *Ezech.* IX. 4, 5. dignum quidem qui à nobis excutiatur. Sic habent verba Prophetæ: *Et dixit Jehovah ad ipſum, tranſi per medium urbis, per medium Hieroſolymæ,* והתוית תו *&* SIGNA SIGNUM *ſuper frontibus Virorum ſuſpirantium & gementium propter omnes abominationes, quæ fiunt in ea.* Decreverat Deus Hieroſolymam propter ſcelera ſua exſcindere per Babylonios: Credentes tamen Pœnitenteſque Iſraëlitas, qui pauci numero erant, conſervare. quod ut evidenti emblemate ſignificaret, *frontes* eorum jubet *ſignari* per Virum aliquem veſte talari indutum. *Quo ſigno* vero? In textu quidem nihil aliud dicitur, quam התוית תו SIGNABIS (eas:) THAU.

Verba Prophetæ, eorumque ſententia.

II. Diſputat Huctius ex hoc loco pro *Cruce Chriſti* eodem fere modo, quo ex Veteribus Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus plurimi. Acceperat ſcilicet Origenes à Judæo quodam, *Thau*, ultimam Hebræorum literam, apud Samaritanos pingi ad formam *crucis.* quando vero conſtat, Gentem Judæam ante exilium Babylonicum iiſdem uſam eſſe literarum characteribus, quibus utuntur Samaritani: facile ſibi perſuadebat Origenes, ſubeſſe huic rei notabile aliquod myſterium, & notam illam, qua ſignatæ pœnitentium Judæorum frontes ſunt, omnino eſſe Crucem. *Et* THAU *quidem*, ait ille, *quæ poſtrema erat, præter alias formas* CRUCIS SPECIEM OBTINEBAT; *non ejus duntaxat, in qua lignum transverſum ſuſtinet ſtipes arrectarius, ſed alterius etiam, quæ χιαστὴ eſt, ſive decuſſata. Utramque crucis formam habet litera Thau in Vetuſtis Hebræorum ſiclis, qui ſervantur in eruditorum loculis & in illorum libris pinguntur.* Noſtrum erit Origenis atque Hieronymi teſtimonia primum relegere; deinde de re tota diligentius & curatius diſpicere.

Occaſio diſputationis nata ex ſententia Origenis, qui vocem תו hic accepit de litera *Thau*, quæ à Samaritanos pingitur, ad modum *crucis.*

III. Origenis ac Hieronymi loca dudum deſcripta ſunt à Scaligero [a]. Prioris hæc ſunt: Ἑβραίων δέ τις τῶν εἰς Σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε, τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ταῦ τῷ σταυροῦ χαρακτῆρα. *Hebræorum autem aliquis, ad Chriſtianam fidem converſus, dixit, elementa vetera* LITERAM THAU *ſimilem habere formæ crucis.* Per τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα quin intelligat literas Samariticas, quæ veteres fuerunt Hebræorum, non eſt dubium. Hieronymi vero, Origenem ſequuti,

Origenis & Hieron. loca hac de re in lucem producta.

a Animadverſ. ad Chronicon. Euſebii p. 117. Ad Cap. IX. Ezech.

quuti, ſimilia prorſus [a]: *Et ut ad noſtra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus uſque hodie utuntur Samaritani*, EXTREMA THAU LITERA CRUCIS HABET SIMILITUDINEM, *quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur & frequenti manus inſcriptione ſignatur*. Tradit amplius Origenes, Aquilam & Theodotionem Interpretes hac in parte ſibi ſuffragari, quod τὸ תו hic per ταῦ expreſſerint: Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων: Σημειώσεις τὸ ταῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα· *Aquila & Theodotion: Signabis Thau ſuper frontes*. Hieronymus vero affirmat, ſolam ſic ferre Theodotionis verſionem. *Pro* SIGNO, inquit, *quod* LXX. *Aq. & Sym. tranſtulerunt, Theodotio ipſum verbum Hebraicum poſuit* THAU, *quæ extrema eſt apud Hebræos viginti & duarum literarum*. Sic ſcriptum reperio in *Fragmentis Verſionum* illarum *antiquarum*, à Druſio collectis. Nititur igitur ſententia hæc Patrum duabus hypotheſibus, quarum altera fert, τὸ תו hoc in loco vertendum eſſe per literam *Thau*; altera vero, literam *Thau*, ætate Ezechiëlis, ſive, ante Babylonicum exilium, pingi eſſe ſolitam *forma Crucis*. Videamus de utraque.

Laudantur Aq. & Theodotio, ut ejuſdem ſententiæ.

IV. Literam Samaritanam *Thau* ad ſpeciem *crucis* olim pingi ſolitam, quæ poſt tantos auctores jam invaluerat opinio, negavit Illuſtris Scaliger. *Non vidit igitur*, ſic ille poſt recenſita Origenis verba [b]: *illa* ἀρχαῖα σημεῖα (στοιχεῖα:) *Origenes, ſed ex aliena fide recitat. Nos vero negamus, Thau Canaanæum alia forma fuiſſe, quam qua hodie legimus apud Samaritas*. Certum ſane, quod Scaliger affirmat, hodiernam literam Thau apud Samaritanos per *crucis figuram* non pingi. *Mirari libet*, inquit Druſius ad eadem illa verba Origenis, *cum in Samaritanis characteribus nulla hujuſmodi figura ſit*. Nimium tamen decederet auctoritati Patrum ex opinione præſtantium Virorum, ſi hæc Scaligeri ſententia acciperetur. Tolerari quidem poſſet, Origenem, fide Judæi tale quid prædicantem, lapſum fuiſſe: ſed de Hieronymo idem dicere, paullo videtur durius. Negari enim vix poteſt, Hieronymum figuras literarum Samaritanarum cognitas habuiſſe, quippe qui in ſuo in *Epiſtolam ad Galatas* Commentario affirmat, ſe Samaritanum Codicem conſuluiſſe ad locum *Gal*. III. 10. Quæ potiſſimum ratio movit eruditos Viros non paucos ad defendendam hypotheſin, quæ ſtatuit, *Samaritarum*

Negata hypotheſis de figura Literæ Samaritanæ *Thau* à Scaligero.

a In Ezech. Cap. IX. b l. c.

tarum literam Thau olim omnino pictam fuiſſe *figura crucis*: quod Origenis & Hieronymi aſſertum eſſe vidimus.

Doctorum Virorum de Scaligerano aſſerto ſententiæ.

V. Nec tamen hactenus ſatisfactum eſt Scaligero, qui nos modo monebat, hodiernam Samaritarum literam *Thau* Crucis figuram non referre. quæ ideo cura Doctos ſolicitos habuit. Genebrardus, referente Druſio, exiſtimat, Samaritas, ubi videbant Chriſtianos hoc argumento probare crucis Chriſti veritatem neceſſitatemque, characterem hujus literæ paululum mutaſſe & inflexiſſe. Ejusdem mentis eſt Huetius. *Probabile quidem eſt*, ait, *poſt Chriſti mortem Samaritas, ſubdolam gentem, ut Chriſtianorum cauſſam hoc Ezechielis teſtimonio nudarent, literæ Thau figuram* σταυροειδῆ *rariſſime uſurpaſſe; alias autem literæ hujus formas in libris ſuis adhibuiſſe.* An ſcilicet tanti feciſſent Samaritæ ſuperſtitionem Chriſtianorum! Magis è re eſt, quod Vir Doctiſſimus in ſequentibus urget atque ante eum urſerunt alii, literam *Thau* non uno modo ſcriptam eſſe, ejuſque figuram procedente tempore, ut fit, aliquanto eſſe immutatam. antiquum autem & genuinum *characterem literæ Than* crucis habere figuram, patere ex Siclis vetuſtiſſimis. Sic pariter Brianus Waltonus [a]: *In antiquis ſiclis certiſſimum eſt, talem figuram literæ Thau inveniri, quæ exacte crucem repræſentat, licet hodiernum Thau ab antiqua forma aliquantulum deflexerit ob facilitatem Scripturæ. Nec ab alio fonte illud Ægyptiorum Thau, quod varias crucis formas repræſentat (ut in Ægyptiorum Hieroglyphicis eſt videre:) vel Æthiopum Thau, quod eandem habet figuram, fluxit.* Hottingerus quoque [b]: *Non repugno extare nummos, in quibus* LITERA THAU CRUCIS FIGURAM REFERT, *ſed extra hunc uſum, ſolennem illam aut uſitatam fuiſſe non obſervavi.*

An Samaritæ Litterarum ſuarum figuras mutaverint?

Rectius dicitur, revera inter figuras Lit. Thau apud Samaritas olim fuiſſe crucem.

Adſtruiturque illa ſententia ex Numis, & conſenſu Doctorum.

VI. Variari ſæpe literarum figuras, & unius literæ ſæpe in una Gente plures obtinere, certum. Quin idem evenerit in literis Samaritanis, non eſt quod dubitemus. Inſpiciantur Numi, qui ſuperſunt, & cum characteribus Literarum Samaritanarum recentioris temporis conſerantur. imo comparentur inter ſe ſchemata literarum Samaritanarum, ut apud Scaligerum in *Euſebianis* [c] & Bochartum de *Coloniis Phœnicum* [d] pictæ ſunt.

Qua

a In Apparat. ad Polyglot. p. 245. b Præf. ad Lib. de *Cippis* & *Nummis*. c l. c. d Lib. 1. Cap. xx.

Qua igitur fide Scaliger ſcribat in *Euſebianis*, *in nummis eaſdem literas inciſas eſſe*, *quæ in ſcriptis Samaritanorum leguntur abſque ulla vel exigua mutatione*, non capio. Videantur itaque typi *Numorum*, dudum à Viris Eruditis deſcripti. Exhibent illos Antonius Auguſtinus, Joannes Baptiſta Villalpandus[a], Caſparus Waſerus[b], Joannes Morinus[c], Marquardus Freherus[d], Joannes Seldenus[e], Brianus Waltonus[f], ac forte alii: & extat de eorum antiquitate erudita Conringii Diſſertatio. Imo, ſi typi illi Numorum genuini ſint, ut à Waltono exhibentur: negari nequit in iis occurrere *figuram crucis*. Abyſſinorum *Tha* exacte *crucem* repræſentare, concedit Scaliger. Neque admodum ab hac forma diſcrepat Græcorum & Latinorum T. quam inter antiquiſſimas Jonicas Scaliger in *Alphabeto* ſuo recenſet, & [g] nuper etiam eruditiſſimus Vir, Eduardus Bernardus; ſimul evincens, illarum literarum figuras ex ea Samaritarum natas eſſe. quę nobis quoque hactenus viſa eſt maxime probabilis ſententia.

VII. Vis igitur tota diſputationis in id præcipue incumbet, an vox תו in hoc loco Ezechielis ſit accipienda ut nomen *literæ*, an potius veniat ſignificatu nominis appellativi, & in genere hic *ſignum* denotet? Prius, non Patres modo, ut jam vidimus, ſed alii quoque aliqui ex Doctis tenent, qui *crucis myſterium* heic non quæſiverunt. Præter Kimchium, quem ea eſſe ſententia alii obſervarunt, favent eidem Junius & Grotius. *Nobis autem*, ait Junius, *id ſimpliciſſimum eſſe videtur*, *ut proprie accipiatur mandatum*, *quemadmodum ſonat: nimirum ſignum literæ* Thau *eſſe frontibus piorum imprimendum.* Grotius vero: *Litera* ת *unde incipit* vox תורה/ *ſignificabat illos fuiſſe Legi addictos. Solebant in Oriente ſervi in fronte habere nomen Domini. Vide Heſychium* Ιϛρίανα *&* Σαμίων δῆμος. *Non qualecunque ſignum*, *ſed literam* Thau *hic ſignificari ſenſit & Chaldæus & Theodotio.* Vult itaque Grotius, Thau eſſe *ſignum* תורה *Legis*, hoc loco: quæ vox ab hac litera incipit.

Preſſius itaque quæritur, an vox תו apud Ezechielem recte accipiatur de *litera?*

O o o Kim-

a Appar. U. & T. Part. II. Lib. II. Diſp. 4. Cap. 27. b Lib. II. de Num. Hebr. Cap. VI. VII. VIII. c In Pentateuch. Sam. *Exercit.* II. Cap. X. d Diſſert. de *Numiſ. Cenſ.* e J. N. & G. Lib. II. Cap. VI. f Brian. Walton. in Appar. p. 36, 37. Paradoxa de Num. Hebræorum. g In *Tabula Literaria.*

Kimchii, vel potius Veterum, quos allegat, ſententia fert, literam ת omnium frontibus impreſſam eſſe, ſive piorum ſive impiorum. His tamen ſanguine, illis atramento. In his valuiſſe תמית *morieris*, in illis תחיה *vives*. Falſiſſimum id eſt. Solis enim piis & lugentibus hoc ſignum eſt impreſſum. Junius pro ſua interpretatione ex eo petit rationem, quod *ſignum* apud Hebræos non תו/ ſed אות/ dicatur. Sed ea ratio non eſt magni ponderis, & poſſet etiam forte in contrarium verti. Quandoquidem enim Hebræi literas ſuas אותיות *ſigna* appellare ſolent, cur non vocabulum אות hic appoſitum eſt? Cur non dictum אות תו *litera Thau*, ut clariſſime mentem ſuam exprimeret Propheta? Sed non perſpexit Vir optimus, eſſe hic rationem, cur תו non אות ſcriptum ſit. Vocabulum אות eſt generalioris ſignificationis, neque ſatis rem ſignificantem ab obſignante diſtinguit. Sed תו diſtinctius notat *ſignum ſignans*, vel *ſignatum*. quod uſu veniebat apud Ezechielem. Eadem ſignificatio eſt hujus vocis quando pro *litera* accipitur *Alphabeti* ultima, qua *Alphabetum* quaſi *terminatur* & *obſignatur*: quod recte obſervatum eſt in *Alphabeto veteri*, quod in lucem emiſit & obſervationibus illuſtravit Druſius. Sic etiam accipi vocem תאות adſcripſit R. Salomo ad *Gen.* XLIX. 26. Certe nomina, quæ Hebræi priſci literis dederunt, è figuris illarum literarum petita ſunt: qua in re aliquando luſum ingenio noſtro conceſſimus antequam intellexiſſemus, Euſebium atque Hieronymum id egiſſe, & poſt eos Druſium in ſua *Cenſura in Interpretationes nominum Alphabeti*.

Junii ratio pro ſignificatione *literæ*.

Significatio vocis תו vera & propria.

De *Nominibus* Literarum Hebræorum obſervatio.

VIII. Nos itaque divortium hic facimus à Viris illis Doctis, & exiſtimamus, eſſe rationes in textu Ezechielis, quæ ſuadeant, τὸ תו non eſſe exponendum τεχνικῶς de *litera hujus nominis*, in Alphabeto, ſed de *ſigno*. Nimirum in univerſa Scriptura Sacra nullibi nomina literarum Alphabeti, ad hunc uſque diem vulgata, pro literis illis atque earum figuris uſurpantur. Occurrunt in Scriptura, בית/ וו/ כף/ עין/ פה/ שן/ & quæ his ſunt ſimilia; & facile conſentiunt Interpretes, vocabula hæc, ut ut literis propria, non ut figurarum ſed rerum nomina explicanda eſſe: ac proinde non admodum ſit veriſimile, vocem תו/ quæ abſque ulla adjuncta *litera* aut *characteris* nota heic occurrit, aliter accipi ac pro *nomine rei*. Accedit quod voci

Rationibus adſtruitur, vocem תו apud Ezechielem non eſſe exponendam de *Litera*, ſed de *Signo*.

Nomina literarum in Scriptis V. T. non occurrunt.

תו jun-

תו junctum ſit in hoc textu nomen verbale תוה/ quod illi dat originem, והתוית תו. Quoniam vero apud Hebræos receptæ ſunt ejuſmodi conjunctiones *verborum* cum *nominibus*, ab illis ortis: probabile eſt, τὸ תו hic ejuſdem eſſe ſignificationis cum verbo תוה/ cui junctum eſt. Quid, quod in loco Apocalypſis parallelo, ubi eadem facti ſpecies narratur, nulla *Notæ* alicujus *literalis* mentio ſit? Verba habent[a]: *Et vidi alium angelum ---- dicentem; Ne lædite terram, neque mare, neque arbores,* ἄχρις οὗ σφραγίσωμεν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, *uſque quo obſignaverimus ſervos Dei noſtri in frontibus ſuis.* Lubenter itaque amplectimur verſionem τῶν LXX. quę eadem eſt cum præſtantium Judæorum, & Belgarum quoque, interpretatione, explicamuſque vocem תו ſimpliciter per *ſignum obſignans.* Nec negligitur hic locus parallelus Apoc. VII. 3.

IX. Eſt tamen inter Doctos, qui miſſa hypotheſi de Samaritana litera *Thau* ejuſque cum figura crucis convenientia, hanc ſignaturam frontium, cujus in hoc Ezechielis textu mentio eſt, alio quodam modo de *ſignatura crucis* interpretatur, mira ſane eaque ingenioſa arte. Wilhelmum innuimus Schickardum, qui in Libro de *Jure Hebræorum Regio*[b], de Electione & Inauguratione, atque adeo de *Unctione* Regis agens, ex Hebræis Scriptoribus obſervat, Pontificem olim *prope frontem inter oculorum palpebras ad formam crucis*, ſive χ Græcorum, *oleo ſignatum eſſe.* Schickardi, Viri Cl. peculiaris ſententia in demonſtranda *cruce* Chriſti in hoc loco.

In quo cum eſt, ſic ſcribit inter alia: *Eruditioribus hic conſiderandum relinquo, num forte ſignum* Thau, *quo pii ſuper iniquitatem mundi gementes notati ſunt Ezech.* IX. 4. *aut character in frontibus electorum Ap.* VII. 3. *tale quid fuerint? vel, an non Pontifex, qui in cæteris Chriſti typum geſſit, hoc etiam ſigno crucem ejus præfiguraverit? Quoniam conſtat, totam hanc unctionem externam alterius divinioris fuiſſe umbram, qualem præ conſortibus habuit Pſ.* XLV. 8. Verba ejus:

Meditatio hæc eſt piæ mentis: in cujus hypotheſin operæ pretium eſt diligentius à nobis inquiri. Utique negari nequit, eſſe ex Doctoribus priſci ævi, qui hanc traditionem poſteritati commendarunt. Sic quidem Seldenus, ubi agit de ritu *ungendi Pontificis*[c]: *Figura autem ſeu modus unctionis ita omnino deſcribitur, ut Andreana, ut vocant, crucis figuram olei ductu in fronte ejus ſeu inter* Pontifex Hebræorum olim *unctus* figura *crucis.*

 ter

a Cap. VII. 3. b Cap. I. Theor. IV. c Lib. II. Cap. IX. de *Succeſſion. Pontif. Hebræorum.*

ter oculos exprimi ſolitam eſſe merito ſatis autumemus. Fuſo ſcilicet ſuper caput oleo (*juxta illud, quod à Moſe, Aharonem ungente fit*[a]) *digito ungentis, ajunt, in medio, qui oculos & palpebras interjacet, loco, ſolenne fuiſſe figuram τȣ̃* chi *Græcorum ſeu* χ *ex oleo, ibi ductu, confici.* Allegat deinde, ut hoc adſtruat, teſtimonia Maimonidis, Mikotzii, & Bartenoræ.

Verba Maimonidis de hac re.

Verba Maimonidis, à Schickardo notata, ſunt: כיצד מושחין את הכהן יצק את השמן על ראשו ומושך ממנו על גבי עיניו כמין כי יונית כזה *Quomodo ungebant Sacerdotem? Affundebat oleum capiti ejus & illinebat inde ſuper oculos,* AD SPECIEM CHI GRÆCI *hoc modo.*

Et aliorum, qui traditionem antiquam recenſuerunt.

Eadem propemodum repeꝑiuntur in *Gemara Cerithuth*[b], quę occaſionem præbuerunt huic diſquiſitioni. Maimonidis vero ſententia legitur in *Hilchoth Kele Hammickdaſch*[c], atque ad eam notat Schickardus, poſt vocem כזה *hoc modo* in textu ſpatium relictum eſſe *vacuum*, in quo litera Græca χ debuerat eſſe expreſſa. Quod idem in meo exemplari adverto. Obſervat tamen in ſuo extare Codice literam כ majuſculam Cl. Carpſovius[d], *Editionis Venetæ*, Anni 1574. Ex traditione itaque R. *Manaſſis* conſtat, frontes Sacerdotum poſt *affuſionem olei* præcedaneam olim pictas notataſque eſſe ſigno, quod ſimile fuit literæ Græcæ χ.

Cum qua non pugnat illorum traditio, qui Pontificem ferunt unctum eſſe ad modum *Caph Græci.*

X. Nec pugnat cum hac *traditione*, quod Doctores aliqui gentis Judaicæ, qui hanc conſuetudinem non niſi à R. Manaſſe acceperunt, Pontifices non ad modum *chi* χ Græci, ſed *caph Græci* inunctos aſſerant. Sane Abarbanel, in *Commentariis* ad *Exodum*[e], ait, R. *Manaſſen* dixiſſe, *ungendos eſſe Sacerdotes* כמין כף יונית *inſtar* CAPH GRÆCI. Sic etiam Kimchi[f], ut obſervat Schickardus, qui putat illi ſcriptioni ſubeſſe mendum. Sed recte notat Carpſovius, nimis conſtantem eſſe lectionem, quam ut ſubſit mendum, productis inſuper verbis Maimonidis ex ejus Commentario in *Cerithuth*, in quo idem legitur.

Caph Græcum enim eſt ipſiſſima litera Græca χ, ſecundum Judæos.

Nec eſt in eo quicquam vitii. Litera enim Græca κ æque ac χ quodammodo refert *figuram crucis*. Potius tamen eſt, ut hic ſubſcribam ſententiæ Eruditi Viri, Simeonis de Muys, qui Abarbanelis Commentarios ad hunc locum convertit in ſermonem Latinum & in tranſitu de hoc argumento diſſerit, verba Abarbanelis accipi

a Lev. VIII. 12. b Fol. LXXVII. Col. 2. c Cap. 1. d Annot. ad Schick. p. 75. e Ad Cap. XXX. Cap. VI. f Ad Pſal. CXXXIII. 2.

cipi poſſe exiſtimantis de litera Græca χ, quæ commode ex ipſius ſententia dicitur *Caph Græcum*, quia *Caph* adſpiratum Hebræorum eandem in pronunciatione vim habet, quam Græca nota χ. Facit autem ut id facilius credam adnotatio Jarchii ad *Cap*. XXIX. 2. *Exodi*, à Seldeno deſcripta[a]: משחין כמין כי כף יונית שהיא עשויה כנון שלנו *Ungunt* (de laganis mentio eſt:) *in figuram Chi* CAPH GRÆCORUM, *quæ formatur ut noſtrum* NUN. Patet literam χ à Jarchio reddi per *Caph Græcorum*. Seldenum tamen video & heic loci *Kappa* intellexiſſe. Sed quid ita? An Græcorum χ aut κ eſt inſtar נ Hebræorum? Seldenus: *Certe in Scriptura Biblica ſeu quadrata, uti appellant, nullum eſt Nun, quod ſive τῦ χ ſive τῦ κ Græcorum, ſive elementi alicujus aliis in Linguis, quantum ſcimus, reperti, & eorum alterutri reſpondentis, ſimilitudinem gerit. Sed in Rabbinica ſcriptionis formula ipſum Nun angulis, quos in Biblica & vetuſtiori ſemper habet, carens atque inſtar ſemicirculi ſive circuli arcus minoris ad hunc modum, ſe exhibens Latinorum C, quod pro Græcorum Kappa ſubſtitui ſolet, retro verſum imitatur, atque à figura illa, quam* כי יונית *ſeu Chi Græcanicum appellant, maxime recedit.* Fateor me non aſſequi quid ſibi velit Jarchius, niſi ipſius accipiantur verba de Litera נ in utraque extremitate ſua κεραίαις *corniculis*, elegantiæ cauſſâ, pro antiqua ſcribendi ratione, inſtructa. Gravius errat Elias Levita, qui referente Muyſio, ſcribit unctum fuiſſe Pontificem כמין גם יונית *inſtar* GAMMA GRÆCI. forte id potuiſſet tolerari ſi ſcripſiſſet inſtar *Gimel Hebræi*, quod Græcorum κ cum ſuis κεραίαις quodammodo repræſentat.

Quo modo Litera illa conferri queat cum *Nun* Græcorum?

Seldeni verba.

Ἐπίκρισις.

XI. Sed ut in viam redeamus: unde conſtat, *unctionem* Pontificis eum in modum eſſe peractam, ut Hebræi referunt? Non aliunde putem, quam ex auctoritate R. Manaſſis. Et quænam quæſo, hujus ritus ratio? Abarbanel duas dedit in Commentariis. Prima eſt, quod litera כ reſpexiſſet ad vocabulum כהן *Sacerdos*. quam ſolam rationem hic protulit Seldenus. Altera, quod כף *manum* notet, & Sacerdotes Deo manibus debeant ſervire. *Nugæ ſunt in his rationibus perquam ridiculæ*, ait Seldenus. Forte Reges ungebantur per formam O, quia per eam commode repræſentatur *corona*: Sacerdotes vero ad figuram græcæ li-

Rationes *priſci ritus* ungendi Pontificis inveſtigantur.

a l. c.

teræ χ, quia in ea litera latet duplex litera *Caph* Hebræa, ad dorſum ſibi obverſæ, hac ſpecie, ɔc. quo modo ungere voluerunt *Sacerdotes*, quia litera כ eſt prima litera vocis כהן / quę

Conjectura aliæ *ſuper hac re.*

Sacerdotem notat. Voluerunt autem potius duplex ɔc / alterum alteri adverſum, in fronte Sacerdotis pingere per *oleum*, ut illa figura magis appareret diſtincta à forma literæ O, quæ propria erat Regibus. Sed videt quiſque incertam nimis & vacillantem hanc eſſe traditionem, quam ut tanti res momenti, quanti eſt demonſtratio *Crucis Chriſti*, eidem commode ſuperſtruatur: & ſi omnino ritus ille olim in uſu fuerit, quod incertiſſimum: eum, ut eſt inventi humani, ad alia omnia potius quam ad *Crucem Chriſti* referendum eſſe.

In *agitationibus Sacrificiorum* obſervata quoque figura *crucis.*

XII. Ἐπιμέτρου loco habe, in *agitationibus Sacrificiorum* (qui ritus erat ſacer, תנופה dictus:) obſervari quoque poſſe figuram *crucis.* Nimirum Scriptores Hebræi tradunt, תנופה & תרומה *agitationem* & *exaltationem ſacrificiorum* [a] hoc modo peractam eſſe, ut *partes* ſacrificii *ſurſum*, *deorſum*, *horſum*, *vorſum*, à Sacerdote ante aram agitatæ ſint. Maimonides & Talmudici: מוליך ומביא מעלה ומוריד *Prorſum & retrorſum*, *ſurſum & deorſum movet.*

Agitatio illa quo ritu facta?

Diſtinguere tamen accuratius ſolent inter תנופה & תרומה. *Agitatione* (תנופה) *ſacrificium* moveri ſtatuunt ad omnes Cœli partes, prorſum retrorſum. *Exaltatione* (תרומה:) ſurſum atque deorſum verti. In omni autem hujuſmodi *agitatione* conſpicua fuit forma *crucis* ✠, ut nunc pingi ſolet, ſi partes huc illuc, ſurſum

Obſervati in ea potuit figura crucis.

deorſumque agitatas fuiſſe, concipiamus. Id memini mihi aliquando ſuggeri à Viro quodam Docto; quod tamen ſcio levius eſſe, & non facile vocavero λόγον γνησιώτερον, ut ſuam de *Cruce Chriſti* demonſtrationem aliquam multo adhuc minoris pretii Barnabas [b], ſic dictus. Licet vero Theologia hujus ſeculi ſuos cultores multo ſolidioribus argumentis inſtruat, neque hodie hominum mentes levioribus ejuſmodi emblematibus ad fidem veritatis ſalutaris induci poſſint: ſunt tamen hæ meditationes Do-

Studium immodicum Vett. in obſervandis emblematibus crucis Chriſti.

ctorum Virorum longe præferendæ εὑρήμασι illis levioris notæ, quibus prima antiquitas ſe extulit, quorum in ipſa illa Barnabæ *Epiſtola*, quam modo notabam, & alias apud Patres, multa extant argumenta. Quæſiverunt illi *crucis* ſignum *in navi*, *ubi ve-*

lis

a Lev. VII. 30. b Pag. 24. Ed. Le Moyne.

lis fertur tumentibus; in jugo, ubi erigitur; in homine, ubi natat; vel expanſis elevatiſque manibus Deum orat. Bonum factum, ſi hæc Hieronymum, Virum ſatis argutum atque eruditum, auctorem non haberent, & illius auctoritate doctis chartis non committerentur à Pontificiæ ſectæ hominibus. Nos ab ejuſmodi ineptiis abſtineamus, quę cauſſam Euangelii, tot veris & fide dignis argumentis commendatam & commendandam, plus prodiunt quam juvant.

Caput XVI.

Inveſtigatur ex Joſepho, Abarbanele, *aliiſque rerum Judaicarum Scriptoribus, quænam* Signa *Populus Judæus in Meſſia vero deſideret, & olim in Chriſto Domino deſideraverit præter illuſtria illa miracula, quæ ab ipſo edita ſunt, ad intelligentiam quorundam S. Scripturæ locorum.*

CONſtat ſatis ex Hiſtoria Evangelica, Judæos plus ſemel σημεῖον SIGNUM à Chriſto *petiiſſe*. Habemus id totidem verbis apud Matthæum[a]: *Tunc reſponderunt quidam è Scribis ac Phariſæis, dicentes: Magiſter,* θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν, *velimus ex Te* SIGNUM *videre. Ipſe vero reſpondens dixit iis:* Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ· *Gens improba & adultera* SIGNUM *quærit.* quod alibi repetitur, & reliqui Evangeliſtæ non neglexerunt in hiſtoria quoque ſua notare[b]. Apud *Joannem* dicunt[c]: Τί οὖν ποιεῖς σὺ σημεῖον, ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι; τί ἐργάζῃ; *Quodnam vero tu* SIGNUM *facis, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris?* Quibus dictis reſpondet Pauli ſententia, in *priore* ad Corinthios Epiſtola[d]: Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι· JUDÆI SIGNUM PETUNT.

Diſquiſitio inſtituitur de Signis *quæ Phariſæi à Chriſto præter* Miracula *petierunt.*

Loca Scripturæ.

II. Qualia vero hæc erant & *cujus generis ſigna?* Merito enim quis miretur, ea fuiſſe impudentia Judæos, ut à Chriſto auſi ſint poſtulare *ſignum*, cum omni die nova *miracula* (σημεῖα *ſigna*) ederet, eaque illuſtriſſima & omni digniſſima attentione; atque etiam eo momento ederet, quo illi σημεῖον *petere* inſtant. Nimirum

Cujus generis hæc fuerint ſigna?

a Cap. XVI. 1, 2. b Marc. VIII. 11. Luc. XI. 29. c Cap. VI. 30. d Cap. I. 22.

Sc. Signa ex cœlo.

mirum σημεῖα, quæ illi Chriſtum rogant, vocantur σημεῖα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ Signa ex coelo apud Matthæum alioſque Evangeliſtas[a]: *Et cum acceſſiſſent Phariſæi & Sadducæi tentantes rogarunt eum,* σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτοῖς. Chriſtus ejus generis miracula patrabat, quę ἐκ τῆς γῆς *ex terra* erant, hoc eſt, in *terra* fiebant, & circa res, quę in terreſtri orbe vivunt & exiſtunt, verſabantur.

Quid hic per Signa Cœleſtia intelligatur?

Phariſæi, odio in Chriſtum ardentes, per plebem ſpargebant, hujus generis miracula non ſufficere demonſtrandæ veritati tanti momenti, quanti illa erat, Jeſum eſſe Chriſtum. Poſſe enim illis ſubeſſe fraudem. Inſtituunt itaque ejus generis *ſigna* poſcere, quę *in cœlo* fierent, & circa *res cœleſtes* verſarentur, tanquam quę nulli ſubjecta eſſent ſiniſtræ ſuſpicioni fraudis. Patet id ex circumſtantiis ipſorum illorum locorum, in quibus hac de re mentio eſt. Apud Matthæum oculos & linguam reddiderat Chriſtus *cæco* & *muto* δαιμονιζομένῳ, *dæmone* ejecto: plebe factum vidente, probante, ſtupente, & in hæc verba erumpente; Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβίδ; *Nonne hic eſt Filius ille David?*

Quibus ſuſpicionibus Phariſæi gravarent miracula Chriſti?

Phariſæi hunc turbæ impetum animadvertentes, qua erant malitia, odio, invidiaque in Chriſtum, tacita murmura inter populum ſpargere incipiunt, Chriſtum inſigne hoc facinus ediſſe ope Beelzebulis, Dæmoniorum Principis. quam atrocem calumniam Chriſtus ſerio ſolideque retundit, ipſis demonſtrans, ſe factis ſuis Diaboli regnum deſtruere & potentiſſimo huic hoſti vaſa ſua eripere; tantum abeſſe, ut ſibi commercium ſit cum Diabolo. Dein monet ipſos, ut ſibi caverent à blaſphemia in Spiritum Sanctum. Haud dubium, quin juſtiſſimam hanc reprehenſionem laudaverit turba. Videntes igitur quidam Phariſæorum, hac ratione non poſſe ex animis plebis evelli opinionem, quam ea de *Chriſto* conceperat ob mirandum hoc facinus: majore dolo & aſtutia eum aggrediuntur, rogantes, ut

Petebant à Chriſto Signum, non occaſionale, ſed directe ad id inſtitutum.

Signum ſibi oſtendere velit. hoc eſt, 1. Ut illuſtre aliquod edere velit opus, humanas vires excedens, quo *data opera* ſolenniter in panegyri Judæi Populi evincat, *ſe verum eſſe Meſſiam.* Miracula enim, quę Dominus patrabat, edebantur ab ipſo non veluti *data opera*, ut illo ſigno ſe Chriſtum eſſe probaret, ſed *occaſione* eum commoda ad id *invitante*, ut iis aliorum conſuleret ſaluti.

a Cap. XVI. 1. Marc. VIII. 11. Luc. XI. 16.

ſaluti. Miracula in aliorum gratiam potius quam ſui ipſius efficiebat. Volunt itaque *opus* aliquod Chriſti, hunc in finem *directe* editum, ut eo ſe probet & demonſtret eſſe Meſſiam, ut nimirum *Elias* olim ſe verum Judæis demonſtravit Prophetam. 2. Volunt ut id opus in *cœlo* edatur, aëre libero, ut pateat omnem ab eo abeſſe fraudem & dolum. Obſcurum eſſe ajunt, quodnam Chriſto intercedat commercium cum *Beelzebule*, cui in aërem, qui homines ambit, imperium non mediocre adſcribebant; vel, quam forte ipſe conſuetudinem habuerit cum iis hominibus, quos ſanabat. Edi igitur cupiunt mirandum aliquod opus *in cœlis*, quod omnibus pateat à nemine quam à Deo patrari poſſe. Aliquanto clarius hæc conſtant ex Evangelio *Joannis*[a]. Cibaverat Chriſtus quinque millia hominum *quinque panibus* & *duobus piſcibus*. Hi, *miraculo* hoc capti, Chriſtum ſequuntur concionantem, neque tamen omnis ipſis de Chriſto exemptus erat ſcrupulus. En igitur ἀναίδειαν, in quam erumpunt ad fidei ſuæ πληροφορίαν! *Dicunt ei: Quod ergo tu* SIGNUM *edis, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris?* Οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ· *Patres noſtri manna illud ederunt in deſerto.* Tu quidem, ajunt, qui te verum vis monſtrare Meſſiam, multos homines una vice paucis panibus cibaſti; attamen hoc tuum factum non poteſt comparari cum eo Moſis, qui vaſtam Iſraëlitarum multitudinem per integros quadraginta annos, abſque ulla materia panis præſente, cibavit cœleſti pane, qui abſque humana ulla opera præparatus è cœlo deſcendit. Si quid igitur vis omnem nobis ſcrupulum eximere, tibique maximam auctoritatem conciliare: ſimilia iis fac, quę *Moſes* fecit. Petunt igitur *ſignum ex cœlo*, quod palam conſtet abſque ulla humana opera ad merum Dei nutum fieri, cujuſmodi *Moſes*, *Joſua*, & *Elias* inclaruerunt, non editis κατὰ τὸ συμβεβηκὸς *per accidens*, ſed data opera & conſilio *in ſalutem totius populi*, vel in tota Populi panegyri.

Idque edi volunt in *Cœlo*, aëre libero.

Illuſtratur ex loco Joh. VI. 30.

III. Omnino ſane verum eſt, Judæos, *carnalia* ſapientes, hujus generis miracula à Meſſia ſuo expectaſſe, quippe quod tam liquet ex inſtituto Impoſtorum, qui ſe nomine *Meſſiæ* hujus generis miraculis ſtuduerunt commendare, quam ex diſertis

Judæos talia miracula à Meſſia ſuo expectaſſe, liquet ex inſtituto *Impoſtorum*.

a Cap. VI. 30.

tis illorum teſtimoniis. De Impoſtoribus illis luculenter teſtatur Joſephus, & quidem de *Theuda* in hunc modum[a]: Φάδου δὲ τῆς Ἰουδαίας ἐπιτροπεύοντος γόης τις ἀνὴρ Θευδᾶς ὀνόματι, πείθει τὸν πλεῖστον ὄχλον ἀναλαβόντα τὰς κτήσεις ἕπεσθαι πρὸς τὸν Ἰορδάνην ποταμὸν αὐτῷ. προφήτης γὰρ ἔλεγεν εἶναι, καὶ προστάγματι τὸν ποταμὸν σχίσας δίοδον ἔφη παρέξειν αὐτοῖς ῥᾳδίαν, καὶ ταῦτα λέγων, πολλοὺς ἠπάτησε· *Fado porro Procuratore apud Judæam, Præſtigiator quidam nomine* THEUDAS *perſuaſit magnæ vulgi multitudini, ut aſſumptis ſuis facultatibus ſequerentur ſe ad Jordanem fluvium: Prophetam enim ſe jactabat, promittens,* SCISSURUM SE VERBO FLUVIUM, *& facilem præbiturum tranſitum, talique promiſſione permultis impoſuit.* Vides Pſeudo-Prophetam, qui communi gentis ſuæ opinioni de Meſſia ſatisfacere ſtudet, tale molientem facinus, quale quondam *Moſes* & *Joſua*, tum etiam *Elias* & *Eliſa*, in *exſiccando Rubro Mari* & *Jordane* ediderant. cujus Impoſtoris ſtultitiæ ac temeritati prorſus reſpondit conatus *Moſis Cretenſis* ſub Juniore Theodoſio: de quo in hiſtoria ſua Socrates[b]. Sed diſertior adhuc eſt in rem noſtram Joſephi locus in ſequenti contextu hujus Libri. Οἱ δὲ γόητες, ait, καὶ ἀπατεῶνες ἄνθρωποι τὸν ὄχλον ἔπειθον αὐτοῖς εἰς τὴν ἐρημίαν ἕπεσθαι· δείξειν γὰρ ἔφασαν ἐναργῆ τέρατα καὶ σημεῖα κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν γινόμενα, καὶ πολλοὶ πεισθέντες τῆς ἀφροσύνης τιμωρίας ὑπέσχον· *Plani autem & Impoſtores turbas illectas poſt ſe trahebant in* SOLITUDINES, POLLICITI, SE ILLUSTRIA QUÆDAM SIGNA ET PRODIGIA, PER SINGULAREM DEI PROVIDENTIAM EXCITANDA, IPSIS OSTENSUROS, *cujus pars multa perſuaſa dementiæ ſuæ pœnas dedit.* Haud dubie hi *Impoſtores* ideo *populum* in *deſertum* duxerunt, ut ſe Moſi ſimiles probarent. Pergit Joſephus[c]: Ἀφικνεῖται δέ τις ἐξ Αἰγύπτου κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, προφήτης λέγων, καὶ συμβουλεύων τῷ δημοτικῷ πλήθει σὺν αὐτῷ πρὸς ὄρος τὸ προσαγορευόμενον ἐλαιῶν ἔρχεσθαι. ---- θέλειν γὰρ αὐτοῖς ἐκεῖθεν ἐπιδεῖξαι, ὡς κελεύσαντος αὐτοῦ, πίπτῃ τὰ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν τείχη, δι' ὧν τὴν εἴσοδον αὐτοῖς παρέξειν ἐπηγγέλλετο· [d] *Venit vero quidam ex Ægypto Hieroſolyma, ſe Prophetam eſſe aſſerens, & plebi ſuadens, ut ſe ſecuta aſcenderet in montem Oliveti. Velle enim ſe ipſi oſtendere, quomodo* AD SUUM IMPERIUM MOENIA HIEROSOLYMITANA CASURA SINT, *per quæ facilem*

Aliud exemplum *Moſis Cretenſis* & alterius Pſeudo-Meſſiæ, ex Joſepho, in hanc rem adductum.

a Ant. Lib. XX. Cap. II. b Hiſt. Eccl. Lib. VII. Cap. XXXVIII. Cap. VI. c Bel. Jud. Lib. II. Cap. 12. d Confer Matth. XXIV. 11, 12.

lem ipſis aditum in Civitatem promittebat. Quo Tribunum reſpexiſſe putant, ex Paulo quærentem captivo [a]; Οὐκ ἄρα σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος, ὁ πρὸ τούτων ἡμερῶν ἀναστατώσας καὶ ἐξαγαγὼν εἰς τὴν ἔρημον (IN DESERTUM) τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων; Sane Impoſtor hic, quiſquis fuerit, idem affectaſſe videtur miraculum, quod Joſua in ſubvertenda urbe Jericho. niſi forte, (quod non negabo aliquando mihi in mentem veniſſe:) ad Joſepbum confuſe relata ſint, quæ Evangeliſtæ nobis de Chriſto tradunt in Monte Oliveti Hieroſolymorum ſubverſionem prænunciante. Fere eſt ut id credam. Joſephum enim, quæ ſcripſit, omnia diſtincte aſſequutum non eſſe, nobis ſatis liquet, & alibi probatum dedimus.

Coll. locus Act. xxi. 38.

IV. Nihil luculentius in rem præſentem adduci poteſt Abarbanelis ſententia, quę extat in *Commentariis* ejus ad *Jeſaiæ* Capita *undecimum* & *duodecimum*. Dicit initio Commentarii ſui in hæc Capita, iis comprehendi & explicari עשרה חוארים *Decem proprietates Meſſiæ*, quæ ſimul ſe habeant ut תנאים הכרחיים במלכותו ובגאולה העתידה שמבלתם אי אפשר שיהיה הוא משיח *neceſſarias conditiones ipſius Regni & futuræ Redemptionis, quas ſi ipſe omnes non impleverit, hoc quoque Meſſiæ titulo non poſſit decorari.* Ponit autem *Conditionem ſextam*, הנסים והנפלאות שיעשה מלך המשיח כנגד הטבע Signa & miracula, *quæ Rex Meſſias patraturus ſit contra naturam.* Sic ferunt ejus verba: כי מפני דבקותו בשיתי יעשה אותות ומופתים בשמים ובארץ וכבר נבא הנביא יואל שבזמן הגאולה תתרבה הנבואה והנסים בקרב הארץ שני והיה אחרי כן אשפוך את רוחי על כל בשר — ונתתי מופתים בשמים והארץ וראוי היה להיות כן לפי ששני החסרים האלה עשה השותי עם עמו להפליא והם תאי נתתו להם נבואתו לא עשה כן לכל גוי וכמו שדרשו על ונפלינו אני ועמך בקש משה שלא ישרה הקב״ה נבואתו אלא על ישראל והבי׳ במעשה הנפלאות וכמו שיערו כנגד כל עמך אעשה נפלאות וכאשר בית קדשנו ותפארתנו היה לשרפת אש נעדרו ממנו שניהם — ולכן היה משורת הדין שבשוב ״י את שיבת ציון ישובו שני הדברים ההמה רוצה לומר נבואה והנפלאות *Nam quoniam is valide adhæſurus eſt Deo, faciet* σημεῖα καὶ τέρατα *in cœlo & in terra. De eo enim jam vaticinatus eſt Joël Propheta, quod tempore Redemtionis futura multiplicanda ſint* Prophetia & Miracula *in terra, ſicuti dicitur: Poſtea effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem — & dabo* PRODIGIA IN

Abarbanelis ſententia de Miraculis Meſſiæ, ad Jeſ. xi. x. ſeqq.

a Act. xxi. 38. b Cap. 11. 18.

COELO & IN TERRA. *Conveniens vero erat, ut id fieret, quoniam duo hæc χαρίσματα præſtat Deus populo ſuo, quando cum eo mirabiliter agit.* (reſpicit ad Joël. II. 26.) *Primum, quod iis det* PROPHETIAM, *quam nulli alii largitur genti: (Sic enim commentantur ſuper verbis,* (Exod. XXXIII. 16.) Et eximii erimus ego & populus tuus; *Quod Moſes à Deo petierit, ut ne quieſcere faceret Deus Benedictus Prophetiam ſuam quàm ſuper Iſraëlem) Alterum, quod* MIRACULA: *quod pollicitus eſt his verbis:* (Exod. XXXIV. 10.) Coram toto populo tuo faciam miracula. *Quando autem Templo noſtro ſancto & ſpendido igni tradito duabus hiſce prærogativis deſtituti ſumus, ratio flagitat, ut quo tempore Deus voluerit vertere captivitatem Tſionis, duo illa nobis reſtituantur, nimirum* PROPHETIA & MIRACULA. Ubi vero *nonam conditionem* exponit, comparat amplius *liberationem futuram per Meſſiam* cum *Redemptione Populi ex ſervitute Ægyptiaca*, quondam facta per *Moſen*, aſſerens: שתהיה הגאולה העתידה דוגמת יציאת ממצרים *quod futura illa Redemptio futura ſit ἀντίτυπον Exitus ex Ægypto.* Quibus hæc ſubjungit:
והגאלה העתידה תקרא גאולה שנית לפי שתתדמה לגאולת מצרים בכל הצדדים כי הנה יתקבצו שמה השבטים כלם ויצאו להירות מוחלט ונחול בהם הנבואה ושאר הקדושות ויתרבו האותות והמופתים וימלוך עליהם מבית דוד
REDEMPTIO VERO FUTURA *vocatur Redemptio Secunda, quoniam* REDEMPTIONI ÆGYPTIACÆ SIMILIS ERIT OMNI MODO ET RESPECTU: (1.) *Congregabuntur enim omnes tribus* (2.) *& egredientur in abſolutam libertatem* (3.) *requieſcente ſuper ipſis Prophetia, cæteriſque rebus ſanctis ornati,* & (4.) MULTIPLICABUNTUR σημεῖα καὶ τέρατα SIGNA ET PRODIGIA, & (5.) *regnabit ſuper ipſis Rex Meſſias.* Et quod vel maxime ad nos nunc attinet: ſub finem *Conditionis ſextæ* modo memoratæ, recenſet ſpecies τῶν σημείων, quæ patraturus eſſet Meſſias circa homines improbos, qui ipſi negarent obedientiam; quod nimirum ad Meſſiæ nutum vel ignis è cœlo deſcenderet, vel terra diffinderetur, vel feræ paratæ eſſent, ad impios ejuſmodi & immorigeros homines abſumendos & devorandos: cujuſmodi miraculis OEconomiæ Propheticæ *Moſis, Eliæ,* & *Eliſæ* inclaruerunt. Hinc itaque jam intelligere datur, *qualia* & *cujus generis* σημεῖα Judæi à Chriſto petierint.

Quæritur, quæ Vett. Doctorum.

V. Quæris, an omnes Judææ Gentis Doctores hac ſint ſententia, *Meſſiam* debuiſſe *inclareſcere miraculis?* Reſpondeo, de priſcis

priſcis dubitandum non eſſe: ſed Doctores aliqui poſteriorum temporum, cum viderent, Chriſtianos maxime gloriari *miraculis*, à Meſſia ſuo patratis, & ſimul deſperarent, unquam ſe habituros Meſſiam, qui hanc gloriam cum Chriſto noſtro poſſet partiri, de *miraculis Meſſiæ* tenuius loqui cœperunt. Sic utique Maimonides, qui hanc ſententiam præ ſe tulit [a]: ואל יעלה על דעתך שהמלך המשיח צריך לעשות אותות ומופתים ומחדש דברים בעולם או מחיה מתים וכיוצא בדברים אלו שהטפשים אומרים אין הדבר כן שהרי רבי עקיבה חכם גדול מחכמי משנה היה והוא היה נושא כליו של בן כוזבא המלך והוא היה אומר עליו שהוא המלך המשיח ודמה הוא וכל חכמי דורו שהוא המלך המשיח עד שנהרג בעונות כיון שנהרג נודע שאינו ולא שאלו ממנו חכמים לא אות ולא מופת *Neque veniat tibi in mentem, Regem Meſſiam neceſſe habere facere* σημεῖα καὶ τέρατα (SIGNA ET PRODIGIA) *aut naturam reformaturum aut mortuos in vitam revocaturum eſſe* (reſpicit dubio procul ad id quod nos Chriſtum feciſſe laudamus:) *aut res ſimiles facturum, ut* STOLIDI (Chriſtiani:) *exiſtimant. Non ſane hæc res ſe ita habet; nam R. Akiba, egregie eruditus Traditionibus Veterum, armiger fuit* Ben Cosbæ (famoſiſſimi illius Pſeudochriſti, ſub Hadriano:) *Regis, & de ipſo dicere conſueverat,* ILLUM ESSE REGEM MESSIAM. *Imo vere putarunt ipſe & Sapientes illius ætatis omnes eum verum Meſſiam eſſe, uſque ad id tempus, quo ipſe in peccatis ſuis interfectus eſt. Inde enim ipſis evaſit manifeſtum, illum verum Meſſiam non fuiſſe. Non tamen unquam poſtularunt ab ipſo Sapientes* SIGNUM *aut prodigium.* En Maimonidem directe oppoſitum Abarbaneli, qui Maimonidem alias ſequi & defendere ſolet, & ſimul damnantem inſtitutum *Phariſæorum* in Evangeliis, *ſignum à Chriſto petentium*, communi judicio Judææ Gentis nixum. Suam vero de criteriis veri Meſſiæ opinionem his verbis declarat: ואם יעמד מלך מבית דוד הוגה בתורה ועוסק במצות כדוד אביו כפי תורה שבכתב ושבעל פה ויכוף כל ישראל לילך בה וילחם מלחמות יי הרי זה בחזקת שהוא משיח אם עשה והצליח ונצח כל האומות שסביביו ובנה מקדש במקומו וקבץ נדחי ישראל הרי זה משיח בודאי ואם לא הצליח עד פה או נהרג בידוע שאינו זה שהבטיחה עליו תורה *Si vero ſurgat Rex aliquis ex familia Davidis eruditus in Lege, eique operam dans, ad exemplum Patris ejus Davidis, tam illi, quæ Scripto, quam quæ Ore tradita eſt; qui ſimul etiam univerſum Iſraëlem inducit ad vitam moreſque ſuos ſecundum hanc*

Eccleſiæ Judææ hic fuerit ſententia?

Maimonides negavit, Miracula eſſe inter neceſſaria Meſſiæ attributa.

Criteria veri Meſſiæ ſecundum ipſum.

a Hilch. Melach. Umilch. Cap. XI. circa med.

hanc Legem componendos, & ſimul gerit bella Domini; ſane hic certiſſime Meſſias eſt, ſi proſpere agat, omneſque populos à quaque parte ſibi vicinos & obvios ſubigat, & Sanctuarium in loco ſuo ædificet, & propulſos Iſraëlis congreget; hic certo erit Meſſias. Si vero huc uſque fortuna illi non faveat, aut occidatur: abſque omni dubitatione hic verus ille non eſt Meſſias, cui Lex nos juſſit confidere.

Cujus tamen ſententia de Bar Coſba fallit.

VI. Sed quid ſi hic fallatur Maimonides? Etiamſi enim forte Sapientes illius temporis *miraculum* non petierint, ſic ſtricte dictum: recte tamen notavit R. Abraham Ben David in ſuis ad hunc Maimonidis contextum *Animadverſionibus*, *Gemariſtas* tradere, omnino Sapientes *ſignum* aliquod à *Barcoſba* petiiſſe, ex quo intelligerent, illum eſſe Meſſiam. Hæc illius verba ſunt; והלא בן כוזיבא היה אומר הנא מלכא משיחא ושלחו חכמים לבדקו אי מורח ודאין או לא וכיון דלא עביד הכי קטלוה *An non igitur Ben Coſba dixit: Ego ſum Rex Meſſias, & an non Sapientes miſerunt ad eum qui explorarent, an ille* ODORARETUR *&* JUDICARET: (hoc eſt, an arcana animi penetrare, & dignoſcere poſſet, quinam vera affecti eſſent reverentia Numinis: ſecundum vaticinium Jeſaiæ[a]:) *Quod quando præſtare non potuit eum occiderunt?* Reſpicit R. Abraham ad id, quod traditur in *Gemara Sanhedrin*[b]. quod Maimonides non neſcivit, ſed verum eſſe non credidit. Eſt tamen locus ille ex Codice Sanhedrin inſignis ad hiſtoriam Evangelicam illuſtrandam. Patet nempe ex eo, Judæos vere illam imbibiſſe opinionem tempore Chriſti, Meſſiæ veri κριτικὸν eſſe, *probos* ab *improbis*, *bonos* à *malis* poſſe diſcernere ad primum aſpectum, & congreſſum in commercio. A *Luca* narratur, *Mulierem* quandam *peccatricem* (meretricem, quę publice ſe proſtituerat:) Chriſti, apud Phariſæum accumbentis, pedes lacrymis ſuis irrigaſſe, atque madidos abſterſiſſe capillis ſuis, Phariſæum vero id videntem dixiſſe apud animum ſuum; Οὗτος εἰ ἦν προφήτης, ἐγίνωσκεν ἂν τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ· ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι. *Hic*, SI PROPHETA ESSET, *noſſet utique, quæ & qualis ea ſit mulier, quæ tangit eum, quod nimirum ſit* PECCATRIX. Neque alio argumento *Nathanaël* ſibi paſſus eſt perſuaderi, *Jeſum eſſe Chriſtum:* (Ῥαββὶ σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ,) quam quia Chriſtus illum dixerat animo purum & integrum eſſe, & ſcire ſe pro-

Attributum Meſſiæ ſecundum Veteres, probos ab improbis poſſe diſcernere, ex Jeſ. XI. 3.

Illuſtratur locus Luc. VII. 38, 39.

a Cap. XI. 3. b Fol. XCIII. Col. 2. c Cap. VII. 38, 39.

ſe prodiderat, quę clam *ſub ficu* egerat [a]. Idem illud inhærebat quoque mulieri Samaritanæ, quę ad populares ſuos [b]: Δεῦτε, ἴδετε ἄνθρωπον ὃς εἶπέ μοι πάντα ὅσα ἐποίησα: Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός. Quin Maimonides ipſe, licet *ſignum* omne, à *Meſia* edendum, reſpuat: ea tamen *Spiritus Sancti* virtute eum præditum fore aſſerit, ut ad aſpectum quemque, *ſitne Iſraëlita nec ne*; ſi vero, qua *tribu oriundus*, judicaturus ſit, ut ex *Capite* ſequente patet.

VII. Quid vero mireris, Maimonidi curæ non eſſe *miracula Meſſiæ*, cum videri velit & aperte præ ſe ferat, de ipſis Moſis miraculis tenuiter ſentire. Extat ſatis prolixa ipſius hoc de argumento diſſertatio in Tractatu de *Fundamentis Legis* [c], ubi inter alia: משה רבינו לא האמינו בו ישראל מפני האותות שעשה שהמאמין על פי האותות יש בלבו דופי שאפשר שיעשה האות בלט וכשוף אלא כל האותות שעשה משה במדבר לפי הצורך עשאם לא להביא ראיה על הנבואה ISRAELITÆ NON CREDIDERUNT MOSI M. N. PROPTER MIRACULA, *quæ patravit*, *quia animo* CREDENTIS PROPTER SIGNA *poteſt ſupereſſe ſuſpicio*, *forte factum eſſe miraculum per incantationem aut præſtigias: ſed omnia miracula*, *quæ in Deſerto Moſis fecit*, *ex neceſſitate fecit*, *non vero*, *ut inde probaret veritatem ſuæ Prophetiæ*. Falſum eſt quod hic dicit Maimonides. Non dubito tamen, quin Doctus ille Judæus, & alii eum ſequuti, inter quos eſt Joſeph Albo, hanc ſententiam amplexi ſint, ut fundamentum fidei, quod Chriſtiani in *miraculis Meſſiæ* ſui habent ſolidiſſimum, luxarent atque ſubruerent. Nec diſpar ratio movit Manaſſen Ben Iſraël [d], ut in has partes tranſiverit. Sed nos quam certi ſumus, *miracula*, ſic proprie & vere dicta, edi non poſſe ab alia potentia & virtute quam Divina: tam certo ſcimus, Potentiam Divinam *malis* & *improbis* ancillari non poſſe ad homines fallendos in re maximi momenti; ſive, quod *cæcus* dicebat [e], Deum οὐκ ἀκούειν ἁμαρτωλῶν: atque adeo fidem & fiduciam noſtram poſſumus reponere in *miraculis*, *à Meſſia editis*, ſi ex hiſtoria demonſtrari poſſit, illa à Meſſia vere edita eſſe. Fuiſſe autem fidem & expectationem Eccleſiæ Judaicæ de *miraculis Meſſiæ* in Prophetarum Oraculis & ratione optime fundatam, facile evinci poſſet, ſi eam rem nunc ageremus.

Maimonides idem tenuiter ſentit de *Miraculis Moſis*.

Cujus ſententia rejicitur, & obiter refellitur.

VIII.

a Joh. I. 50. b Cap. IV. 29. c Cap. VIII. §. I. d Concil. Quæſt. XI. in Deut. §. IV. e Joh. IX. 31.

Phraſis; αἰτεῖν σημεῖον, comparatur cum Hebræa שאל אות, vel בקש אות.

VIII. Hactenus de *re.* addamus pauca de phraſi; *αἰτεῖν σημεῖον.* Convenit illa hebrææ, שאל אות / quæ in Scriptura occurrit [a]; ſive בקש אות / quæ in *Gemara Sanhedrin* non diſſimili in caſu. Verba Gemaræ [b]: שאלו תלמידיו את רבי יוסי בן קסמא אימתי בן דוד בא אמר מתירא אני שמא תבקשו ממני אות אמרו לו אין אנו מבקשים ממך אות אמר להם כשיפול השער הזה ויבנה ויפול ואין מספיקין לבנותו עד שבן דוד בא אמרו רבינו תן לנו אות אמרו להם ולא כן אמרתם לי שאין אתם מבקשים ממני אות *Quæſiverunt à R. Joſe ipſius diſcipuli, quando eſſet venturus Meſſias? Is timere reſpondit, ne* SIGNUM à SE *petant. Negant ſe petituros. Reſpondit ergo, cum corruerit hæc porta ac reædificata iterum corruerit. Neque poterunt eam ædificare, antequam veniat Chriſtus* (בן דוד *υἱὸς Δαβίδ.*) *Tum illi, Magiſter, inquiunt,* DA NOBIS SIGNUM. *At ille, nonne promiſiſtis, vos non expetituros ſignum?* Animadverte non modo *φράσεως* convenientiam, ſed & Judæorum morem ad quodque Doctoris notabile dictum *ſignum expetendi.*

Quid Judæi intelligant per *Decem ſigna* Meſſiæ?

Alias tamen obſervari velim, Magiſtros, ubi loquuntur de עשרה אותות DECEM SIGNIS, Meſſiæ adventum præceſſuris, non hoc præciſe per *ſigna* intelligere, quod nos *miracula* dicimus, ſed res notabiliores, quæ Meſſiæ adventum Regnumque præcederent: idem plane, inquam, quod apud Matthæum Chriſtus appellat *τὰ σημεῖα τῶν καιρῶν* SIGNA TEMPORUM [c]. Ita eſt in Libro *Afkat Rochel* [d]: עתיד הקב״ה לעשות עשרה אותות קודם ביאת הגואל שיבוא הב״ה לפדות את בניו ולגאול אותם מן השעביד בחיינו בקרוב בימינו *Adducet Deus* DECEM SIGNA (*σημεῖα καιροῦ Χριστοῦ*) *ante adventum Goelis, quem ad redimendum Filios ſuos, eoſque liberandum ex ſervitute in diebus noſtris quanto ocyus acceleret!* Imo *veni* Domine Jeſu!

a Jeſ. VII. 11. b Excerptis. Cocceji §. XXXIV. c Cap. XVI. 3. d Lib. 1. Part. 1.

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

CAMPEGII VITRINGA
OBSERVATIONUM
SACRARUM
LIBER
TERTIUS

IN QUO

De Rebus varii argumenti, & utiliſſimæ inveſtigationis, *Critice* ac *Theologice*, diſſeritur; *Sacrorum* imprimis *Librorum* Loca multa obſcuriora nova vel clariore luce perfunduntur.



FRANEQUERÆ,
Ex Officina WIBII BLECK Bibliopolæ,
MDCCXI.

Generoſiſſimo atque Ampliſſimo

V I R O,

SIBRANDO AB OCKINGA,

Quæſtori Generali communis Friſiorum Ærarii; Dudum Splendidiſſimis militiæ honoribus perfuncto,

S. P. D.

CAMPEGIUS VITRINGA.

EAm mihi mentem, Vir Nobiliſſime, Deus dedit, ut quandiu in his terris ſuperſtes ſum, aliis prodeſſe velim; quam dum, ut meæ ſunt vires, exerceo, ſæpe periculum facio, an Divinum Verbum quibuſdam ſuis partibus, quæ dubium ſenſum admittunt, clarius aut rectius interpre-

tari valeam, quam factum ab aliis eſt mei ordinis & officii Viris. Ex his vero conatibus, ſive huic meo conſilio reſpondeant, (quod equidem velim, verum quod tamen probe intelligo, ab aliorum judicio magnam partem pendere:) ſive etiam ſcopum ſuum ſubinde fallant, ceu humana *ſolent*, hunc certum percipio fructum, quem Cicero ſe ex Philoſophia percepiſſe ſcribit, *honeſtiſſimam otii oblectationem.* Cum enim nulla fere in mundo occupatio aut exercitio, ab ingeniis hominum excogitata ad delectandum animum & demulcendum corpus, non poſt ſe relinquat moleſtum ſenſum vanitatis: hæc certe vacatio, quæ meditationi Sacræ Scripturæ impenditur, ut innocua eſt & nihil vitii habet, ſic adfert menti lenimentum aliquod jucundi conſcientiæ ſenſus, quod quibusque voluptatibus mundanis longe anteponendum eſt. Et quam admirandum, obſecro Te, Vir Nobiliſſime, *hoc* eſt ſpecimen Divinæ in nos Clementiæ, quod in his Regionibus orbis terrarum, quas dira ſuperſtitio, Gentilis *primum*, dein Papalis, in craſſiſſima & prorſus inhumana ignorantia permulta ſæcula tenuit, tanta nunc ſit copia lucis, hoc eſt, veritatum Divinarum? tam ampla nunc detur occaſio eas indagandi cognoſcendique? tot homines, imo tot loca, tot tempora illi ſtudio promovendo ſint conſecrata? tot ac tam

varia

varia adminicula omnis eruditionis ſacræ ad manus ſint, ut non modo neceſſitatibus fidei noſtræ abunde proviſum ſit, verum etiam ad omnem luxuriam inſtructi ſimus? Quod ſi nunc etiamnum ſuperſtes in nobis deprehenderet Hieronymus, qui præludium quoddam hujus gratiæ ſuo tempore vidit in doctiſſimis quibuſdam Germanis: quanto majore jure exclamaret, quam olim in ſua ad Suniam ac Fretellam Epiſtola: *Quis hoc crederet, ut Barbara Getarum Lingua hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, imo contendentibus* (imo nunc in alios homines mutatis, &, qui ſuperſunt, ſub gravi jugo ſervitutis gementibus:) *Græcis, ipſa Germania Spiritus S. eloquia ſcrutaretur?* Hujus autem vere Divini beneficii tam Deo quam ptoximo ſuo uſuram reddere: id vero exiſtimo, omni homini, inprimis Theologo, convenire. Hoc animo, Vir Ampliſſime, hac fiducia in vulgus edo *Tertium Librum Sacrarum Obſervationum:* quem cur Nomini Tuo, qua par eſt veneratione, inſcribam, patere, ut nunc non tam Tui, quam aliorum cauſſa, ediſſeram. Præter illuſtres & in Friſia Nobilitate eminentes Natales, quos virtuti Majorum Tuorum debes, & egregiam animi indolem, natalibus illis Tuis reſpondentem, quam Deo acceptam refers: comparaſti Tibi

præclaram omnium quidem aliarum rerum, quæ ad exornandum Tuæ ſortis dignitatisque hominem faciunt, ſed vel maxime, ad quod me nunc par eſt attendere, ſacrarum cognitionem. Eas in editis laudati nominis Scriptis perſcrutari; de iis ſermones ſerere cum doctis atque exercitatis *Viris*, (quod eorum, qui in ampla dignatione vivunt, multi negligunt, alii ut infra ſe poſitum deſpiciunt:) Tu adeo non adverſum eſſe arbitraris ſplendori Nominis & Muneris Tui, ut id & ſæpe agas & ſerio. Fallor, ſi alia præter hanc mihi inveſtiganda ſit cauſſa, cur adeo propenſa ſis in literatos Viros voluntate; cur eos colas, & hos maxime, qui Divinis Literis interpretandis operam dant, pro ſuo merito quemque, favore proſequaris & veneratione. Univerſus ille hominum ordo, in quem ego cooptatus ſum, Tuum hunc generoſum & vere nobilem erga ſe affectum ſentit & celebrat. Sed quid opus eſt, ut extra me quæram, quod in me abſque ulla moleſtia invenerim? Certe enim à quo tempore *in luce* hominum verſari cœpi, & ſpectatorum Virorum commercio non indignus habitus ſum, Tu me ſingulari prorſus benevolentia & favore complexus es, & Tui in me propenſionem animi quam plurimis ac evidentiſſimis documentis teſtatam feciſti. Quam lubenter me ad colloquia Tua, & familiario-

rem,

rem, eumque mihi valde honorificum, uſum conſuetudinis Tuæ admiſiſti, atque etiamnum omni commoda occaſione admittere ſoles? quam frequenter eo invitas? quam comiter, quam benigne habes tractaſque? Quam facilis es & humanus in audiendis excipiendisque dictis aut ſententiis meis, quas, ut fit, in liberiore converſatione, quam Tu ſeriam amas & ἀκροάμασι (Veterum more:) intertextam, propono & tueor? Accedit, quod ſuffragratione, primum quidem Patris Tui HERONIS, Graviſſimi, dum viveret, & Prudentiſſimi hujus Academiæ Curatoris, ad Linguam Hebræam in ea profitendum, dein Fratris Tui JARICHI, Nobiliſſimi pariter & quam Splendidiſſimi Viri, qui eandem dignitatem eadem gravitate & magnificentia nunc ſuſtinet, ad docendam Theologiam nominatus, atque Eorundem benigna ac efficaci commendatione vocatus ſim. Imo quid dicam, quod Domus noſtra Veſtræ illi, admodum in Friſiis claræ & ſplendidæ, multis beneficiis dudum obſtricta ſit, atque etiamnum variis caſibus obſtringatur; adeo ſane ut Veſtras imagines in primis à nobis coli & honorari par ſit. Quæ ſi valeant, Vir Nobiliſſime, (& valent certe:) rationes, cur hunc Librum Tibi honoris cauſſa inſcribam: id unum Te rogo, ut hoc meum conſilium, deliberato

captum,

captum, ceu partum quendam honeſti animi, probes laudeſque. Quod dum à Tua generoſitate mihi certiſſime polliceor, precor Deum, ut Te diu inter mortales ſupereſſe & commodo publico valere jubeat. Sic fere ſcripſi Franekeræ. A. D. VI. Cal. Jul. MDCXCI. nec quicquam in hoc Monumento meæ obſervantiæ poſt Fatum Nobiliſſimi *Viri* mutare conſilii fuit.

C. VITRINGA
OBSERVATIONUM
SACRARUM
LIBER TERTIUS.

Caput I.

Copioſe diſquiritur, quid Paulus Apoſtolus intelligat per τὸ μαρτύριον τȣ̃ Χριςȣ̃ Teſtimonium Chriſti, *ejuſque* βεβαίωσιν Confirmationem *in Credentibus, cujus meminit* 1 *Cor.* 1. 6. *Qua occaſione non tantum varia alia Scripturæ S. loca explicantur, quæ de Chriſto, ut* teſte, *agunt, ſed & Hebræorum conſtitutiones de modo* teſtimoniorum, juridice & *ſolenniter* confirmandorum, *adducuntur, diſcuſſa* Cl. Petiti *de hoc argumento ſententia.*

PRæclara *Pauli* verba ſunt in *priore* ad Corinthios *Epiſtola* [a], quibus *teſtimonium Chriſti* in iis *confirmatum* eſſe prædicat. Utique ſi res ipſa, quam Apoſtolus intendit, hic non tam ſit intellectu difficilis: loquendi modus nihilominus eſt ſingularis, & animadverſione dignus. Sic legimus in textu Paulino: Καθὼς τὸ μαρτύριον τȣ̃ Χριςȣ̃ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν. Beza: *Prout* TESTIMONIUM CHRISTI CONFIRMATUM FUIT IN VOBIS. Belgæ: **gelijck het getuygeniſſe Chriſti beveſtight is onder u.**

Verba Pauli de *Confirmatione Teſtimonii* Chriſti in *Credentibus*, (1 Cor. 1. 6) allegantur, & illuſtranda ſumuntur.

II. Μαρτύριον τȣ̃ Χριςȣ̃ accipi poteſt duplici ratione ſecundum loquen-

Phraſis, *teſtimonium Chriſti*, vel

a Cap. 1. 6.

active vel paſſive accipi poteſt.

loquendi modum tam Hebræum, quam Græcum. Vel enim valet ſuo ſignificatu *teſtimonium, quod Chriſtus ipſe dixit*, vel *teſtimonium, quod de Chriſto alii dederunt.* Ita λόγια τοῦ Θεοῦ, & σοφία τοῦ Θεοῦ tam eam *ſapientiam*, ea *verba* ſignificant, quæ a Deo profecta ſunt auctore, quam *quæ de Deo dicuntur, revelanturque.* εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ tam illud *verbum* notat, quod *cœpit* λαλεῖσθαι διὰ τοῦ Κυρίου, quam illud, quod de *Chriſto*, ut טוב *bono* peccatoris,

Exempla *ſignificationis activæ.*

annunciatur ab aliis. Sed ſpeciatim τὸ μαρτύριον & μαρτυρία priori notione aliquando occurrunt. ut apud eundem noſtrum Apoſtolum in *Epiſtola poſteriore*[a]: Ἡ γὰρ καύχησις ἡμῶν αὕτη ἐστὶ, τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν. *Teſtimonium conſcientiæ*, ſive τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως, hic valet *teſtimonium, quod ipſa dat conſcientia*; uti τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ, *quod edit Chriſtus.* Nec minus clara ſunt verba Joannis[b]: Εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστίν. Sane ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ illud *teſtimonium* heic notat, quod *profectum ab ipſo Deo eſt*, (ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ:) ſicuti ἡ τῶν ἀνθρώπων, quod *editur ab hominibus.*

Quæ interpretatio etiam hic admitti poteſt, quia Chriſtus D. *teſtis* fuit, & *dixit teſtimonium.*

III. Etiamſi autem paſſim Interpretes *teſtimonium Chriſti* hic interpretentur de *teſtimonio*, quod alii dederunt de Chriſto, h. e. Apoſtoli & Evangeliſtæ in prædicatione Evangelii[c]: non eſt tamen abſurda ſententia, quę *teſtimonium Chriſti* hic interpretatur de *teſtimonio*, quod ab ipſo Chriſto editum eſt. Conſtat enim ſatis, *teſtem* fuiſſe *Chriſtum*, & dixiſſe *teſtimonium. Teſtem* fuiſſe Chriſtum, Joannes nos docet in Apocalypſi[d], ubi gratiam precatur Eccleſiis ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός. ſubintelligitur ἐστὶν, ſive אשר הוא Hebræorum. & mox: τάδε λέγει ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ. Teſtis tamen non fuit abſque *teſti-*

Summa teſtimonii ejus.

monio. Narratur id apud *Joannem*[e]: *Rurſus igitur Jeſus ipſis locutus eſt, dicens:* Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· *Ego ſum* Lux Mundi, *qui ſequitur me non ambulabit in tenebris, ſed habebit* lucem vitæ. Vocatur hoc dictum Chriſti ipſius *teſtimonium* ℣ſ. 14. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς: Κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία μου. ℣ſ. 18. Ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ. *Teſtis* igitur Chriſtus erat, & *teſtabatur* de ſe ipſe, ſe eſſe τὸ φῶς τῆς ζωῆς *lucem vitæ.* Non eſt difficile intellectu hoc *teſtimonium* Chriſti, quo prædica-

a 2 Cor. I. 12. b 1 Joh. V. 9. c Ap. I. 5. d Cap. III. 14.
e Cap. VIII. 12.

dicatur eſſe *lux mundi*, & *lux vitæ*. Nempe enim per *doctrinam*, *cognitionem*, *&* *illuſtrationem Chriſti* peccator pervenit ad *vitam*. nam Chriſtus eſt ζωὴ & φῶς, & ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων [a]. Quis neget tamen, phraſin φῶς τῆς ζωῆς, LUX VITÆ, eſſe inſolentem in Scriptura? Obſervemus igitur, alluſiſſe Dominum hac dictione ad verba Malachiæ [b]: וזרחה לכם יראי שמי שמש צדקה ומרפא בכנפיה *Et orietur vobis, timentibus nomen meum*, SOL (Lux:) JUSTITIÆ, *&* SANATIO (VITA:) *eſt in alis ejus*. Phraſis שמש צדקה / verti poteſt & debet haud dubie: *Sol verus & juſtus*. **Ende u lieden die den Heere vreeſt ſal opgaen de waerachtige ſonne.**

Phraſis, *Lux vitæ*, quæ occurrit in *Teſtimonio Chriſti* de ſe, deſumpta ex Mal. IV. 1.

Quid ibi שמש צדקה *Sol juſtitiæ*.

צדק enim & צדקה in Scriptura de iis *rebus* prædicantur, quę id vere habent quod aliæ res analogæ tantum in typo & emblemate. Sic זבחי צדק *ſacrificia juſtitiæ*, ſunt *ſacrificia*, quæ vere & in emphaſi *ſacrificia* dici mereantur; ut ſunt Preces, Gratiarum actiones, Pœnitentia, & Eleëmoſynæ puri animi. Pſ. IV. 6. זבחו זבחי צדק / Hoc eſt: *Sacrificate ſacrificia vera*, recta, Deumque decentia. Belgæ: **Offert offerhanden der gerechtigheyt.** Alias. **Offert waerachtige offerhanden.** Pariter Pſ. LI. 21. אז תחפץ זבחי צדק *Tunc delectaberis ſacrificiis* JUSTITIÆ. veris, juſtis, Deo convenientibus. τὸ צדקה etiam ea capitur notatione apud Jeſaiam [c]: יצא מפי צדקה *Egreſſum eſt ore meo* JUSTITIÆ verbum. LXX infeliciter: Ἐξελεύσεται ἐκ τοῦ στόματός μου δικαιοσύνη· quia forte ſententiam non intellexerunt. צדקה hic ſignificat *ſententiam juſtam*, *veram*. *Dictum verum*, *dictum juſtum*, *quod abnegari*, *quod retractari non poteſt*; maxime ſi conjungatur cum דבר / quod vel cum בצדקה vel צדקה conſtrui poteſt. Sequitur enim: דבר לא ישוב *Verbum, quod non revertetur*. Inter Hebræos Interpretes optime hoc intellexit Aben Eſra, qui דבר צדקה per דבר אמת *Verbum verum*, *juſtum*, *permanens*, & *ſtabile* interpretatus eſt. τὸ שמש צדקה igitur eſſet *Sol verus*, *Lux vera*. Reſpondet rurſus phraſis Joannis [d]: Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν Hic *erat* LUX ILLA VERA, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Videt quiſque, φῶς *Lucem* hic idem ſignificare quod ἥλιον *Solem*. τὸ φῶς igitur τὸ ἀληθινὸν eſt ὁ ἥλιος ὁ ἀληθινὸς *Sol ille verus*, id eſt, שמש צדקה SOL ille VERUS, quem Deus promiſit apud Malachiam. Ille vero *Sol juſtitiæ* apud Malachiam eſt cauſſa *vitæ*. מרפא SANATIO eſt בכנפיה *in alis ejus*. כנפים

Eſt *Sol verus*.

Uſus vocis צדקה hoc ſenſu in Scriptura S.

Confertur locus Joh. I. 9. LUX VERA.

Quem *Solem* Malachias docet eſſe auctorem *vitæ*.

a Joh. I. 4. b Cap. IV. 1. c Cap. XLV. 23. d Cap. I. 9.

Ala Solis in hoc loco quid ſibi velint?

Ala Solis hoc in loco ſunt *Radii Solis*. Aben Eſra: האור היוצא מהשמש תפרוש על פני האדמה כמו כנפים *Lux, quæ egreditur ex ſole, expanſa ſuper faciem terræ, eſt inſtar alarum.* מרפא ſignificat *ſanitatem* & *vitam*. Ita junctim reperiuntur מרפא & חיים in Prov. Cap. IV. 22. דברי חיים הם למוצאיהם ולכל בשרו מרפא *Verba mea* VITA *ſunt iis, qui inveniunt illa, & toti carni ipſius* SANATIO. Imo מרפא *vitam* notat integram, perfectam, omnium partium & membrorum. Interpres Optimus ad hunc Malachiæ locum: מרפא בכנפיה *In cujus alis eſt ſanatio: cujus alæ vivificant & ſanant.* Ex quibus patet, τὸ φῶς τῆς ζωῆς *Lucem vitæ*, vel *Solem vitæ*, eſſe שמש *Solem*, ſic dictum *Malachiæ*, אשר מרפא בכנפיה *in cujus radiis* VITA & *ſanitas eſt*. Chriſtus igitur Dominus, quando dixit, ſe eſſe τὸ φῶς τοῦ κόσμου *Lucem mundi*, omnemque ἀκολουθοῦντα αὐτῷ habiturum Lucem vitæ, teſtatus publice eſt coram omnibus Judæis, ſe eſſe illum Solem verum, *in cujus alis eſt* VITA, de quo vaticinatus fuerat Malachias.

Quod idem de Domino dicitur in verbis Apoſtoli.

Amplius evincitur, Chriſtum fuiſſe *teſtem*, ex nomine ejus Amen.

IV. Sed præterea *teſtem* fuiſſe Chriſtum, quam evidentiſſime conſtat ex nomine ἀμὴν Amen, quo Dominus inſignitur in Apocalypſi [a]: *Angelo vero Eccleſiæ Loadicenæ ſcribe; Hæc dicit* ὁ Ἀμὴν Amen ille. Sane τὸ ἀμὴν heic ita eſt exponendum, ut poſſit habere ſignificationem *teſtis*, quia mox ſequitur: ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ὁ ἀληθινὸς, Testis *ille* fidus *& verus*, hoc eſt, עד נאמן teſtis certus, verax, conſtans. *Teſtis* igitur Chriſtus hic dicitur *Amen*, quia *teſtabatur* hominibus, *Deum* ITA eſſe, uti *ſe futurum promiſerat*.

Vera ſignificatio hujus vocis.

Verus & pius Iſraëlita interrogabat Chriſtum, an *non promiſit Deus, ſe futurum Deum Abrahami? Abrahamum habiturum ſemen*, in *quo omnes familiæ terræ ſint benedicendæ & ſanctificandæ?* Chriſtus reſpondebat: Ἀμὴν, Amen. Præſtitit promiſſa illa Deus, & IMPLEVIT. Inſtanti vero Iſraëlitæ, ac implementum illorum excellentium promiſſorum quærenti & circumſpicienti, ac tandem roganti; *Tune igitur es illud Semen Sanctificans*, Abrahamo promiſſum? num promiſſiones Abrahamo & Semini ejus factæ *in Te* implendæ ſunt? Regerebat Chriſtus: καὶ ἀμὴν, *ita* & Amen.

Quo ſenſu Chriſto Domino conveniat?

Inde præ tot aliis Dei miniſtris accepit nomen τοῦ אמן *amen*, quia primus dicere & demonſtrare potuit, *promiſſa* Dei *præſtita*, & quidem *in ſe impleta eſſe*. Amen, ita, *imple-*

a Cap. III. 14.

impleta ſunt *in me*, & ego is ſum, qui oſtendo, Deum eſſe ἀληθινὸν *verum & veracem* in iis, quæ Eccleſiæ pollicitus eſt, ſecundum Pauli verba [a]: ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν. *Amen* igitur eſt, qui *teſtatur* publice, *promiſſiones Dei* ſuum implementum conſecutas eſſe. Quo haud dubie pertinet locus Jeſaiæ [b], in quo Chriſto dudum ante datum eſt nomen אלהי אמן. *Qui ſibi benedicturus eſt in terra, benedicturus eſt* באלהי אמן *in* DEO AMEN, *& qui jurat in terra, juraturus eſt per* DEUM AMEN. Ille eſt אלהי אמן / non tantum, cui nos invitanti & adjuranti, ut ſecum pangamus fœdus in gratia, oportet ὁμολογεῖν *adſtipulari*, & reſpondere, ἀμήν, *Amen*; ſed & qui ipſe aliquando in *carnem veniret*, & *teſtaretur*, omnia nunc facta eſſe ἀμήν, & quidem *in ſe ipſo*.

Nomen Deus Amen, apud Jeſaiam.

V. Quod vero maxime huc pertinet, τὸ ἀμὴν non tantum notat *teſtem*, qui *teſtatur rem aliquam ita ſe habere*, ſed & *juratum teſtem*, qui ipſe *Amen* reſponderat alicui ipſum ſolenniter adjuranti, ut verum teſtaretur. Moris enim erat apud Hebræos, ut *teſtes adjurarentur à Judicibus*, eamque ad adjurationem tenerentur dicere; אמן ἀμήν. Sic habet traditio antiqua [c]: שבועת העדים כיצד אמר לשנים משביע אני עליכם ואמרו אמן הרי אלו חייבין *Juramentum teſtium quomodo? Dixeris* quis *duobus*; ADJURO *vos, & dixerint*, AMEN: *tenentur*. Maimonides in Tractatu ejuſdem tituli [d]: דיינין אמרו לו משביעין אנו אותך בה' אלהי ישראל או במי ששמו חנון והוא עונה אמן *Judices dicunt illi*: (Teſti) *Nos te adjuramus per Jehovam Deum Iſraëlis, aut per illum, cujus nomen eſt Miſericors: Ille vero* (Teſtis) *reſpondet*, AMEN. Teſtis igitur *adjurabatur*, & qui dicebat, ἀμήν, *jurabat* ſolenniter, ſe a Judicibus rogatum verum loquuturum eſſe. quod τὸ πρέπον contra eos obſervandum, qui ἀμὴν juramenti ſpeciem eſſe negant. Sed & manifeſta illius *adjurationis* exempla ſunt in Sanctis Scripturis. Lex de muliere adulterii ſuſpecta eſt apud Moſen in hunc modum [e]: והשביע אותה הכהן: *Et* ADJURABIT ILLAM *Sacerdos, & dicet mulieri illi: Si non concubuit tecum alius aliquis, & non declinaſti immunditie loco mariti tui, inſons eris ab aqua hac amaritudinis, quæ maledictionem infert: ſin autem tu declinaſti à marito tuo, & immunda facta es; ſi proje-*

Amen non teſtem tantum ſignificat, ſed & teſtem juratum.

Teſtium adjuratorum erat apud Hebræos dicere, Amen.

Locus Num. v. 19.

 cerit

a 2 Cor. I. 20. b Cap. LXV. 16. c Cod. *Schevuoth* Cap. IV. §. III. d Cap. XI. e Lib. IV. Cap. V. 19.

cerit in te aliquis ſemen concubitus ſui præter maritum tuum! Et ADJURABIT *illam Sacerdos adjuratione execrationis, & dicet Sacerdos mulieri illi: Ponat te Jehova execrationem & juramentum in medio populi tui;* ואמרה האשה אמן אמן *Et dicet mulier illa;* AMEN, AMEN. *Adjurata* reſpondebat *Amen.* Eadem omnino ratione *adjurarunt* Levitæ populum Iſraëliticum ex monte Hebal [a]: *Maledictus, qui non præſtiterit verba hujus legis, faciendo illa; & dicet totus populus:* AMEN. Populus igitur *amen* reſpondendo, quę eorum erat ὁμολογία, concedebat in fœdus cum Deo, vel, uti Scripturæ φράσιν retineam, באלה ובשבעה *in execrationem & juramentum.* Hæc egregie ad Chriſtum Dominum applicantur. Chriſtus Jeſus, inter Judæos verſatus, magnifica atque excellentia prædicabat & *teſtabatur.* Dicebat, ſe eſſe *Lucem Mundi, Vitam hominum, Panem è cœlis deſcendentem, Filium Dei* ἴδιον *Proprium.* Stupebant Judæi, & hæſitabant, an Chriſtus in re tanti momenti *verum teſtaretur.* Adjurabant itaque illum in conſcientiis ſuis; & Chriſtus, de re tanti momenti *teſtimonium dicturus,* ſenſit ſe ab Iſraëlitis *adjurari,* ut verum loqueretur. Reſpondet Jeſus, ab iis quaſi *adjuratus;* AMEN. verum loquor, & ut *teſtis verax* vos neutiquam fallo.

Quo modo id conveniat Chriſto, iſque *adjuratus* fuerit à conſcientiis Judæorum?

Chriſtus vero D. ut *teſtis* à Judæis debuit *examinari* & explorari.

VI. Chriſtus vero *teſtis* & *juratus teſtis,* quando ſibi perhibebat teſtimonium in gente Judaica, ſe eſſe ἀμὴν & ναὶ omnium promiſſionum, Patribus factarum, debebat *examinari* & *explorari* à gente Judaica, quę hic conſiderabatur ut בית דין *domus Judicii,* cui Deus *examen teſtium* commiſerat [b]. Reſpicio hic rurſus ad mores Hebræę gentis, apud quam in Proceſſu Judiciali obtinuit דרישה *inquiſitio,* & חקירה *ſcrutatio,* ἐξέτασις & ἀνάκρισις, vel בדיקה *probatio,* ἐξερεύνησις, teſtium. *Examinabant* nimirum *teſtes* ipſos, num eſſent כשרים *idonei,* digni, quorum *teſtimonium* reciperetur, num פסולים *inepti* reddendo teſtimonio. Præterea eorum *ſcrutinio* ſubjiciebantur הברים המורים אל הענין בדין (loquor cum Maimonide:) *res, quæ ad naturam cauſæ in judicio ventilatæ pertinebant:* poſtea etiam *circumſtantiæ,* quæ ad ipſam cauſſam, in Judicio ventilandam, proprie non ſpectabant [c]. Ita quiſque Iſraëlita efficiebat בית דין *Domum Judicii,* neque Chriſto *teſtanti* tene-

Quiſque Iſraëlita ſecum habebat *Domum Judi-*

a Lib. v. Cap. XXVII. 16. b Deut. XIII. 1, 2, 3. XVIII. 22. c Vide Cod. Sanh. Cap. IV. & V.

tenebatur *credere*, antequam illum ut *teſtem* probe examinaſſet. queę ratio eſt, cur Chriſtus teſtimonium inter Judæos perhibiturus inſtructus fuerit ejuſmodi argumentis, quę bene explorata Iſraëlitas poterant convincere de veritate teſtimonii ipſius. Chriſtus ipſe illa argumenta diſtincte recenſet apud *Joannem*[a]. Ὑμεῖς ἀπεστάλκατε, ait, πρὸς Ἰωάννην καὶ μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ. Primo *Joannes*, qui ut *Propheta* a gente Judaica ſuſpiciebatur, *teſtimonium* dederat Chriſto, quod ſane erat דבר *res*, *quæ maxime faciebat ad ſubſtantiam* (לענין) *cauſſæ* בדין *in judicio*. Cum enim Joannes veri Meſſiæ Præcurſor (ſaltem Vir ſanctus & Propheta:) eſſet: illius maxime erat ſcire, quinam eſſet demum verus ille *Meſſias*, quem Judæi præſtolabantur. Sed pergit Chriſtus[b]: *Ego autem habeo teſtimonium, majus teſtimonio Joannis.* OPERA *enim illa, quæ mihi Pater dedit perficienda:* IPSA *illa* OPERA, *quæ facio, teſtantur de me, quod Pater me miſerit.* Si igitur, ait Chriſtus, teſtimonio Joannis, ut hominis, fidem non habetis: en *opera mea examinate*, quæ teſtimonium perhibitura ſunt, *verum* me eſſe *teſtem*. Addit[c]: Καὶ ὁ πέμψας με Πατὴρ αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ, οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. Quin ipſe *Pater meus*, cujus *vocem* nunquam ante *audiveratis*, de me dedit *teſtimonium* in *baptiſmo*. Et ſi pars veſtrum eſt, quæ nec illam *audivit vocem*, en *Patris mei* voces & *ſermones* extant in Sanctis Scripturis, quas Prophetæ vobis reliquerunt. Si igitur *Patrem meum loquentem*, mihique *perhibentem teſtimonium*, audire cupitis: *Scripturas* conſulite, quod & facere vos prædicatis, nam illæ *teſtantur de me*[d]. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. Erat igitur hoc *teſtimonium Patris* עדות בכתב *teſtimonium ſcriptum*, בשטר *in tabula*, de quo in *Ritualibus ſuis* Judæi[e].

eii, & examinare poterat teſtimonium Chriſti.

Cujus erat, producere argumenta veritatis ſui teſtimonii.

Quæ argumenta varia recenſentur in oratione ejus apud Joannem Cap. v. 33. ſeq.

VII. At Chriſtus, qui *teſtis* eſt, idemque *verus teſtis*, & *juratus teſtis*, & *exploratus teſtis*, non *teſtatur* tantum, ſed & διαμαρτυρεῖ, *conteſtatur* homines, eoſque monet ſui officii, quod eſt ὁμολογεῖν, & *fidem habere* ipſi *juranti*. Egit id Chriſtus tam hoc in loco, quam in omnibus ſuis concionibus: ſicuti id egerat quondam ut Legatus Patris ſui in monte Sinai. quę cauſſa eſſe vide-

Chriſtus Dei non teſtatur tantum, ſed & conteſtatur homines, eoſque ſui monet officii.

a Cap. v. 33. b Verſ. 36. c Verſ. 37. d Verſ. 39. e Choſchen Hammiſchpath, Hilchoth Eduth. N. XXVIII.

Lex olim dicta עדות יי.

videtur, cur *Lex* dicta ſit *Conteſtatio Jehovæ*, ſive עדות יי / ut in Pſ. xix. 8. *Lex* (תורה) *Jehovæ eſt perfecta, convertens animam; Teſtimonium* (CONTESTATIO:) *Jehovæ* (עדות יהוה) *eſt fidele, ſapientem reddens ſimplicem; Statuta* (פקודים) *Jehovæ ſunt perfecta, lætificantia cor; Præceptum* (מצוה) *Jehovæ purum eſt, illuminans oculos.* Præcipue *Decalogus*, ut eſt in his verbis[a]: *Et pones in Arca* את העדות CONTESTATIONEM. Sic שני לוחות הברית *Duæ tabulæ fæderis* vocantur שני לוחות העדות *duæ tabulæ Conteſtationis*[b]. Interpretes paſſim עדות in his locis vertunt per *Teſtimonium.* Lxx μαρτύριον habent & *μαρτύρια notione plurali.* Belgæ: **Het getuygeniſſe.** Sed etſi vox עדות eam quoque ferat interpretationem: planiore tamen & longe commodiore ſenſu hic vertitur per διαμαρτυρίαν *conteſtationem.* Deus enim ad montem Sinai *promiſſa* repetendo, & *præcepta* præſcribendo, *conteſtatus* eſt Iſraëlem, ut ſecum iniret fœdus. In Decalogo proprie eſt *conteſtatio* Dei de officio hominis ab ipſo invitati ad ſuam communionem. Melius igitur phraſin עדות יהוה vertimus per *Conteſtationem Jehovæ:* **De betuyginge van** Jehova; & לוחות עדות per *Tabulas Conteſtationis:* **De tafelen der betuyginge** / quam per *Teſtimonium Jehovæ*, & *Tabulas Teſtimonii.* Idem vero, quod Chriſtus olim egit ad montem Sinai, præſtitit, quando inter homines carne indutus humana & fragili verſatus eſt, cujus σύμβολον illa fuit *manifeſtatio Angeli in Horeb.*

Quæ phraſis vertenda eſt: *Conteſtatio Jehovæ.*

VIII. Sed, quod in initio hujus diſſertationis jam monuimus: τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ non tantum id ſignificare poteſt *teſtimonium*, quod Chriſtus dixit, ſed & quod de *Chriſto* dixerunt alii. Nimirum, non ipſe tantum Chriſtus *de ſe* teſtatus eſt, ſe eſſe τὸ φῶς τοῦ κόσμου, & τὸ φῶς τῆς ζωῆς, ſed idem de *Chriſto* dixit *teſtimonium Joannes*, poſt *Joannem* Chriſti *Diſcipuli* & *Apoſtoli*, & ante hos omnes *Moſes* & *Prophetæ.* Illi ſunt οἱ ἔχοντες τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ[c]. hoc eſt: בעלי עדות / & עדים *teſtes*, qui *teſtimonium* habent, quod de *Chriſto* dicant. Quid vero dixerunt de Chriſto? Idem ſane quod dixit Chriſtus. Signate hoc & eleganter de *Joanne* prædicatur ab Apoſtolo Evangeliſta[d]: *Hic venit ad teſtimonium, ut teſtaretur de illa Luce, ut omnes per ipſum crederent.*

Altera interpretatio phraſios: *Teſtimonium Chriſti*, eſt qua ſumitur de *Teſtimonia*, quod de Chriſto alii dixerunt.

Qui & quid de Chriſto teſtati ſint?

a Exod. xxv. 16. b Exod. xxxi. 18. c Ap. xix. 10. d Joh. i. 6, 7.

rent. Chriſti teſtimonium ante fuiſſe intelleximus, ſe eſſe τὸ φῶς τοῦ κόσμου: nec aliud eſt *teſtimonium* Joannis de Chriſto [a]. *Diſcipuli* quoque & *Apoſtoli* Chriſti ab ipſo conſtituti ſunt ut μάρτυρες *teſtes*, quod Lucas in Actis [b]; & ante illos *Moſes*, & omnes *Propheta*. Τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσι· unde ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ dicitur πνεῦμα τῆς προφητείας. quod *Teſtimonium* Moſis, Prophetarum, & Apoſtolorum, de Chriſto, nullum fuit aliud, quam *Chriſti* de ſe.

Quo ſenſu illud Teſtimonium Chriſti dici poſſit eſſe confirmatum in vel inter Corinthios? Belgarum aliorumque expoſitio, qua voculam ἐν vertunt per inter.

IX. Cæterum hoc μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ, ſive, quod Chriſtus de ſe dixit, ſive, quod Chriſto alii dederunt, ſecundum Paulum, ἐβεβαιώθη CONFIRMATUM FUIT *in Corinthiis*, κλητοῖς ἁγίοις σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου. Belgæ Interpretes τὸ ἐν ὑμῖν verterunt: *Inter vos*; **Onder u**/ non inconcinne ſecundum ipſorum hypotheſin. Intelligunt enim hic *Confirmationem Evangelii*, *per miracula*, & *dona* Sancti Spiritus extraordinaria, (διὰ τῶν σημείων καὶ τῶν χαρισμάτων, ὧν ἠξιώθητε, ut Theophylactus:) quibus Corinthii inter alios illius temporis Chriſtianos à Deo inſtructi erant. Bene habet. non ſpernimus illam interpretationem. Forte tamen hic retineri etiam poſſet prima & communis ſignificatio voculæ ἐν, & verba Apoſtoli ſimpliciter verti; *Teſtimonium Chriſti eſſe confirmatum* IN *ipſis*. Belg. **In u**. Nempe animum Corinthiorum, doctrinæ Evangelii percipiendæ capacem, Paulus conſiderat inſtar *tabulæ*, cui *Veritas Evangelii*, (*Teſtimonium*, quod Chriſtus ſibi, & alii Chriſto perhibuerunt:) inſcripta fuerit. Cujuſmodi *Tabula*, teſtibus ſignata, ut ſunt *Tabulæ* & Inſtrumenta publica *Contractuum*, *Obligationum*, *Cautionum*, *Teſtamentariæ diſpoſitionis*, Judæis שטר/ vel גט/ dici ſolet. Illa autem *veritas* dici poteſt fuiſſe *confirmata* IN *Corinthiis*, duplice ſenſu; ſive, quod ipſi Corinthii, in Chriſtum Jeſum *credentes*, poſtquam hoc *Teſtimonium Veritatis Evangelicæ* rite *exploraſſent*, huic Teſtimonio *per fidem* ſubſcripſiſſent, & id ſua illa ἐπιγραφῇ τῆς πίστεως quaſi *ſignaſſent*; ſive, quod *Spiritus Sanctus* Doctrinam Evangelii, teſtibus ſuis ſignatam, & à Corinthiis fide receptam, in ipſorum *animis* quaſi *ſignaſſet donis illis gratiæ*, quę extra ordinem in eos ubertim contulerat. quę dona gratiæ erant inſtar *ſignaculi*, quo Doctrina Evangelii, recepta & credita, in ipſis credentibus ſigna-

Sed recte etiam hic vertitur per in.

Quo ſenſu?

Doctrina Chriſti erat obſignata à Sp. S. in animis Corinthiorum.

a Cap. I. 8. b Cap. x. 39. Joh. v. 46. Act. x. 43. Ap. XIX. 10.

gnabatur veluti & obſignabatur. Uterque ſenſus eſt egregius, & verbis Apoſtoli omnino ſatisfacit. Poſterior tamen magis videtur facere ad ſcopum Pauli. Dixerat enim Apoſtolus in oratione præcedenti [a], *gratias ſe agere Deo pro Corinthiis, ob gratiam, cum illis communicatam, quod in omnibus in ipſo* DITATI ESSENT, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει *in* OMNI SERMONE & SCIENTIA: ornati dono tam *ſcientiæ* quam *inſtitutionis* & aptitudinis illam veritatem exponendi. Sequitur nunc: *Quemadmodum* TESTIMONIUM *Chriſti* CONFIRMATUM *eſt* IN VOBIS. Qua autem re? Donis Spiritus Sancti. Id enim ſequentia abunde declarant [b]: *Adeo ut non deſiciatis* ἐν μηδενὶ χαρίσματι *in ullo* GRATIÆ DONO.

Ad illuſtrandam metaphoram obſervatur, animum hominis ſimilem eſſe *tabulæ*.

X. Eſt autem metaphora illa, quam nos verbis Apoſtoli ſubſtratam credimus, Scriptoribus Sacris familiaris, ut vere ſcita eſt & elegans. Sic Salomo in Apophtegmatis [c]: *Fili mi*, DOCTRINÆ MEÆ *ne obliviſcaris*, & PRÆCEPTA MEA *cuſtodiat animus tuus. alliga ea faucibus tuis*, כתבם על לוח לבך SCRIBE EA IN TABULA CORDIS TUI. Animus, recipiendæ doctrinæ ſalutaris capax & facultatibus eam in rem neceſſariis inſtructus, eſt inſtar *tabulæ*, ad ſcripturam vel ſculpturam recipiendam paratæ: quam doctrinam ubi admittit & credit, eam ſibi veluti inſcribi & in ſe ſignari patitur. Uſu quoque venit hæc locutio in noto illo Jeremiæ loco [d], quo Deus pollicetur, *ſe Legem ſuam* SCRIPTURUM eſſe על לב SUPER CORDE, in animo, *eorum*, qui novo Gratiæ fœdere ipſi unirentur. Ad quę verba Paulus alludens hanc eandem comparationem eleganter adhibet in *poſteriore* ad Corinthios *Epiſtola* [e]. *Dum manifeſtum factum eſt*, ait his ipſis Corinthiis, *vos eſſe* EPISTOLAM CHRISTI (שטר / Epiſtolam publice inſtructam, & ſolenniter confirmatam:) *ſubminiſtratam à nobis*, INSCRIPTAM *non atramento ſed* SPIRITU DEI VIVI, *non in tabulis lapideis*, *ſed* IN CARNEIS TABULIS CORDIS. Paulus ad exemplum Moſis in poſterioribus Decalogi Tabulis parandis fecerat quæ ab ipſo tanquam Miniſtro Dei & Chriſti expectari poterant in Corinthiis ad fidem in Chriſtum diſponendis & parandis: ſed ipſam illam veritatem illis inſcribere & inſculpere non potuit. Majoris id virtutis opus erat. *Exhibuit* igitur hanc Epiſtolam *ſuo*

Loca Sc. S. huc facientia producuntur.

mini-

a Verſ. 5. b Verſ. 7. c Cap. III. 1, 2, 3. d Cap. XXXI. 33. e Cap. III. 7.

miniſterio quodammodo paratam & diſpoſitam *Spiritui Sancto*, ut veritatem Evangelicam illi inſcriberet, & charactere indelebili ſignaret.

XI. Sed nova inſuper lux accedit tam illi loco quem tractamus, quam aliis illius generis ex *Ritibus Judæorum*. Nimirum more apud Judæos receptum erat, ut *Inſtrumenta Publica Literarum cujuſcunque generis*, *teſtibus ſignata*, ſive ſecuritatis cauſſa, ſive ubi de iis controverſia movebatur, à *Judicibus Triumviris* examinata, ratihaberentur & *manuum ſubſcriptione* ſolenniter CONFIRMARENTUR. qui Actus Judicum dicebatur CONFIRMATIO TESTIMONII, βεβαίωσις τοῦ μαρτυρίου. Primus occaſionem nobis hac de re cogitandi dedit Samuel Petitus, in *Variis ſuis Lectionibus* copioſe diſſerens ex Tractatu Maimonidis, qui *Eduth*, ſive de *Teſtimoniis*, inſcribitur, de *modo confirmandorum teſtimoniorum Juridico* & ſolenni, qui in Judæorum Conſiſtoriis obtinebat. Summa eorum, quæ Vir Cl. ibi diſputat, eſt, fieri ſolitam eſſe ſolennem ejuſmodi *Confirmationem Teſtimoniorum in Judicio* ritu *Obſignationis*, quæ facta ſit *Sigillo Judicis*, eamque *Obſignationem* à Maimonide [a] vocari חתימה/ quam vocem Ille per *Obſignationem*, ſive *Appoſitionem* τῶν σφραγίδων vertit. Sic itaque verba Maimonidis; אין הכתיבה עקר אלא החתימה vertit [b]: *Tabulæ autem non fiunt rata ſola eorum, de quibus contractus fit, ſcriptura, ſed* τῶν σφραγίδων *appoſitione.* Et poſtea: *Atque id proculdubio Judices cum ipſis teſtibus obſignabant Nam* החקים השטר אין הכתיבה עיקר אלא החתימה *Quare Judices hac obſignatione ſua palam faciebant, ſe teſtimonium admittere teſtium tanquam veracium, & teſtes hoc teſtimonium dixiſſe.* cujus generis alia paſſim occurrunt plura. Imo certe verum eſt, quod Petitus bene monuit; receptam Judæis fuiſſe ſolennem aliquam βεβαίωσιν τῶν μαρτυριῶν, *Confirmationem Tabularum*, ſive *Inſtrumentorum*, civili uſu receptorum, *Teſtimoniis ſignatorum*, *in Judicio*. Nec tamen omnia, quæ ex Maimonide hanc in rem adduxit, recte aſſequutus eſt, neque etiam *modum confirmandorum Teſtimoniorum*, ut apud Judæos in uſu fuit, bene videtur percepiſſe. Modeſte id demonſtremus, abſque ullo animo quicquam detrahendi eruditi illius Viri meritis.

Lux adſperſa huic interpretationi ex Ritibus Forenſibus Hebræorum, apud quos obtinebat ſolennis *Confirmatio teſtimoniorum*.

Qui ritus deſcribitur.

Sam. Petiti ſententia hac de re, & ejus verſiones locorum Maimonides notatæ.

XII. Obſervari itaque *primo* velim, Virum Cl. abuti vocabulo

Vox חתימה in Ritualibus

a Maimon. Eduth, Cap. III. VI. VII. b Var. Lect. Lib. I. Cap. X.

Hebræorum non ſignificat *Obſignationem*, ſed *ſubſcriptionem*.

bulo חתימה/ cujus eſt familiaris uſus in hoc *Tractatu* Maimonidis, per totum hoc *Caput*, quando illud convertit per *Obſignationem*, quæ fit *ſigillo* Judicis, ſive τῶν σφραγίδων *appoſitione*, ex qua hypotheſi illuſtrat locum 2 Tim. II. 19. pluraque cum eo alia in fine *Capitis*. Non ignota res eſt iis, qui Hebræos Scriptores tractare conſueverunt, τὸ חתימה & חתם in cauſſis forenſibus, quę ad *Contractus*, *Obligationes*, *Cautiones*, aliaque illius generis Inſtrumenta ſpectant, quam maxime ſignificare *ſubſignationem* (non *obſignationem*) *ſubſcriptionemque teſtium*, vel *partium contrahentium*, & ſi de Judiee reperitur, *ſubſignationem* Judicis; non inquam, *obſignationem*, quæ fit *ſigillo*, quantum mihi conſtat.

Quod evincitur ex phraſibus in hoc ritu receptis.

Ita עדים חתומים *teſtes ſcripti*, ſubſignati. עדים חתמו *Teſtes ſubſcribunt.* חתום שטרות *ſubſcriptio Tabularum.* חתימת עדים *ſubſcriptio teſtium.* Belg. **Een onderteykeninge der getuygen**/ in Codicibus *Bava Metzia* [a], & *Batra*, Maimonide, aliiſque Rituum Auctoribus, ubi de *Contractibus Emptionis*, *Venditionis*, &c. & *Tabulis Obligationum*, & *Cautionum* agunt. Nihil familiarius. Certe τὸ חתימה in illis locis, quę Cl. Petitus ex Maimonide in hanc rem produxit, abſque dubitatione ſignificat *ſubſcriptionem* & *ſubſignationem* ſive *teſtium* aut *partium contrahentium*, ſive etiam *Judicum*: non vero, ut ille, *obſignationem* Judicum.

Locus Maimonidis hic productus.

Sic intelligendus eſt locus ſecundus, quem initio Capitis allegat ex Maimonide [b]: מותר לכתוב הקיום בשטר קודם שיתקיים השטר שאין הכתיבה עיקר אלא החתימה Cl. Petitus: *Licet adſcribere tabulis contractus, de quo convenerit, antequam tabulæ ratæ fiant. Tabulæ autem non fiunt ratæ ſola eorum, de quibus contractus fit, ſcriptura, ſed* τῶν σφραγίδων *appoſitione.* Forte tamen poſſet קיום hic ſignificare ipſam formulam βεβαιώσεως contractus; etſi non nego, recte accipi etiam poſſe de tota *ſubſtantia* & ſcriptura contractus; ut ſenſus ſit: Scriba Publicus poteſt parare integrum Inſtrumentum à Judicibus ſignandum & confirmandum, & ipſam etiam Confirmationis Formulam, apponere, antequam Judices Inſtrumentum illud confirment. Totum enim momentum rei ſitum eſt in *ſubſignatione*. quę ſi abſit, nihili valebit quod in Inſtrumento exaratum eſt. Sic pergit Maimonides: ואין הדיינים צריכין לקרות השטר שמקיימין אלא מקיימין אותו מעדיו אף על פי שלא ידעו מה כתוב בו *Neque neceſſe habent Judi-*

a Bava Metzia Cap. x. §. VIII. b Maimon. Edoth, Cap. VI. §. ult.

Judices legere tabulam contractus, quam confirmaturi ſunt, ſed confirmant eam ex teſtibus ejus, etſi nequidem cognoverint, quid in ea ſcriptum contineatur. Nec percepit quoque Vir Cl. mentem Maimonidis in alio loco, quem ex cap. III. ejuſdem *Tractatus* deſcripſit. Verba Petiti hæc ſunt cum iis, quę notavit ex Maimonide: *Qui autem teſtes audiebant, ubi teſtimonium eorum admittebant, referebant in tabulas manu ipſorum teſtium deſcriptum, ſaltem in cauſis pecuniariis.* Maimonides [a]: דין תורה שאין מקבלים עדות לא בדיני ממונות ולא בדיני נפשות אלא מפי העדים ולא מכתב ידן אבל מדברי סופרים שחותכין דיני ממונות בעדות שבשטר Hactenus Petitus, qui Maimonidis hanc ſententiam non tranſpoſuit. At recte ſane Conſtantinus L' Empereur, verſatiſſimus in his literis, ad marginem Codicis, quo uſus aliquando fui ex inſtructiſſima theca Collegæ admodum Venerandi, Waeyeni, notaverat: *Hoc plane aliud.* Nam ſi quicquam hoc ſane aliud eſt, & menti Maimonidis adverſum. Senſus Maimonidis in his verbis eſt clarus & facilis: *Ratio legis eſt, quod non recipiant teſtimonium,* (φράσις eſt apud *Joannem* [b], ὁ λαβὼν τὴν μαρτυρίαν:) *neque in cauſis pecuniariis, neque in cauſis capitalibus, niſi ex ore teſtium: non vero ex ſcripto manuum ipſorum. Exiſtimant tamen Sapientes, decidi poſſe cauſſas pecuniarias per teſtimonium, quod in tabula* ſcriptum eſt. Sic pariter in *Choſchen Hammiſchpath* [c]: העדים ששלחו עדותן בכתב לבית דין אינ עדות *Quando Teſtes mittunt teſtimonium ſuum ſcripto ad domum Judicii, non habetur hoc pro teſtimonio.* audienda *enim ſunt* מפיהם *ex ore eorum teſtimonia.* חותכין דיני ממונות בעדות שבשטר [d] *Definiunt tamen cauſſas pecuniarias per teſtimonium, quod in tabula eſt,* & quæ ſequuntur. Simpliciſſimum hoc & facillimum totum negotium eſt; nam poterat in *ſcriptura* fraus latere, quæ in teſtibus præſentibus coram Judicio detegi poſſet.

Alius locus Maimonidis à Viro D. non recte acceptus.

XIII. *Secundo*, quod Petitus paſſim in hac diſſertatione ſuppoſuit de *Modo*, quo Tabulæ illæ *confirmatæ* fuerint, quem putat fuiſſe *obſignationem ſolennem* factam *ſigillo Judicum:* quantum nobis liquere potuit, ea etiam in re, quæ tamen magni non eſt momenti, à vero deflexit. Facta eſt enim illa βεβαίωσις ſimplici *ſubſignatione*, ſive *ſubſcriptione Judicum*, non *obſignatione*, quæ facta

Requirebatur autem hic *ſubſcriptio Judicum*; non neceſſario *Obſignatio*.

a Cap. III. b Joh. III. 33. c Hilchoth עדות Cap. XXVIII. §. XI. XII. d §. XII.

facta ſit *ſigillo*. Fateor leve id eſſe, & parum hæc à ſe invicem diſtare. *Signatio* enim ſive ſimplex *ſubſcriptio* eundem omnino hic debebat habere uſum, quem *obſignatio* quæ ſigillo appoſito peragitur. Ad hanc βεβαίωσιν τῆς μαρτυρίας *Confirmationem teſtimonii* aut Inſtrumenti publici, à Judicibus *ſubſcriptione* factam, pertinet locus, qui à Petito prolatus eſt *primus* ex *Cap.* VI. illius, quem jam notavimus, Tractatus Maimonidis: מתקיים השטר בבית דין יחתמו העדים בפניהם יבאו העדים החתומים בפניהם ויאמרו כל אחד ואחד זה כתב ידי ואני עד בדבר הזה *Confirmatur* (βεβαιοῦται) *Tabula contractus in domo Judicii. Subſignant teſtes illis præſentibus, veniuntque teſtes ſubſignati in conſpectum illorum, & dicit eorum unuſquiſque: Hæc eſt ſcriptura manus meæ, & Ego ſum teſtis in hac cauſſa.* Quando *teſtes*, vel præſentibus Judicibus ſignabant contractum, vel ſubſignati fatebantur, illud teſtimonium ipſorum eſſe: tum Judices *ratam habebant illam contractus tabulam*, eamque *confirmabant.* Eodem etiam hæc pertinent, quæ ex eodem loco Vir Eruditus protulit: מתקיים השטר בבית דין שהיו דיינין מכירין כתב ידי העדים שזו עדות פלוני וזו עדות פלוני *Ratificatur tabula contractus in Judicio, quando Judices agnoſcunt manus teſtium ſubſcriptas, hoc eſſe teſtimonium hujus, & hoc eſſe teſtimonium illius.* Atque hæc omnia ſunt loca, quæ Vir Doctus in hanc rem ex Maimonide enotavit. Poterit tamen de re tota certius & clarius judicium formari, ſi adſcripſerimus integrum Maimonides textum, ut ſonat: באחד מחמשה דרכים מתקיים השטר בבית דין הדרך האחת שיהיו הדיינים מכירים כתב ידי העדים שזו עדות פלוני וזו עדות פלוני הדרך השנייה שיחתמו העדים בפניהם הדרך השלישית שיבאו העדים החתומים בפניהם ויאמר כל אחד ואחד זה כתב ידי ואני עד בדבר הזה הדרך הד' שאם מתו עדי השטר או שהיו במדינה אחרת ויבאו עדים ויעידו על כתב ידם שהוא זה החמישי שיהיה כתב ידן יוצא משטרות אחרות ועורכין בית דין זה הכתב לאותו הכתב שבשטרות אחרות ויהיה דומה זה לזה ויראה להם ביחד שכתב ידי אלו הוא כתב ידי אלו *Uno ex his modis quinque* CONFIRMATUR TABULA CONTRACTUS IN JUDICIO. *Primus modus eſt, quando Judices agnoſcunt Scripturam manuum teſtium, quod hoc ſit teſtimonium* τοῦ *N. & hoc teſtimonium* τοῦ *N. Modus ſecundus, quando teſtes præſentibus Judicibus ſubſcribunt contractui. Tertius eſt, quando teſtes ſubſcripti coram ipſis comparent, & quiſque dicit, hanc ſuæ eſſe ſcripturam manus. Quartus, ut, ſi mortui ſint teſtes contractus, aut*

in

Locus alius ex Maimonide hac de re.

Integra Conſtitutio Forenſis de hoc negotio ex Maimonide excerpitur.

in Provinciam deſceſſerint aliam, veniant teſtes & teſtentur, hanc eſſe manuum ipſorum ſcripturam. Ultimus vero modus eſt, quando ſcriptura manus illorum ex aliis producitur tabulis, & Domus Judicii comparat hanc ſcripturam cum illa, qua in aliis tabulis extat, & eas deprehendit ſimiles, atque illis (Judicii Aſſeſſoribus) *pariter videtur ſcriptura manuum cum aliis comparata, eadem eſſe.* En aliam hujus rei ſpeciem ex *Bava Bathra* [a]: מי שנמחק שטר חובו מעמיד עליו עדים ובא לפני בית דין ועושין לו קיום איש פלוני נמחק שטרו ביום פלוני ופלוני ופלוני עדיו *Ille, cujus Chirographum debiti deletum eſt, conſtituit ſibi teſtes, & accedit coram Senatu Forenſi, & inſtruunt Inſtrumentum in hunc modum: τοῦ N. deleta eſt tabula contractus die N. & N. & N. ipſi fuerunt teſtes.* Rem paulo latius deduxit R. Samuel ben Mejer [b]: מי שנמחק שטר חובו מעצמו שנטשטש או נפלו עליו מים מעמיד עליו עדים היודעים מאמתי נכתב ומה כתוב בו והם עושין לו קיום בפני בית דין וכותבין לו מה שהיה כתוב באותו שטר הזמן והמעות נמחק שטרו שהיה כתוב ביום פלוני ופלוני היו עדים שהיו חתומים בו כלה כותבין עליו המקיימים ואחר כך חותמין את שמותם בסוף *Cujus tabula Contractus Debiti obliterata eſt, ſive quod maculata ſit, ſive quod aqua in eam inciderint: conſtituit ſibi teſtes, qui norint, quando conſcripta fuerit, & quid in ea ſcriptum fuerit: hi vero faciunt illi ὑπόστασιν,* (*ſubſtantiam*, ſc. ſcripturæ Inſtrumenti; ſive *argumentum*,) *coram Domo Judicii, & ſcribunt in ea id omne, quod in priori illa ſcriptum fuerat, tempus & qualitatem. Ex. Gr. Obliterata fuit contractus tabula, qua ſcripta fuit die N. Teſtes autem ſubſignati fuerunt N. & N. &c. Omne illud ſcribunt illi βεβαιοῦντες* (Judices) *& poſtea ſubſcribunt etiam ſua nomina in fine.* Notabile hoc teſtimonium eſt, quod ad βεβαίωσιν tabularum contractus totum attinet. Communis autem formula τῆς βεβαιώσεως hujus fuit: שט״א רנן נפק קדמנא ואסהידו פלוני ופלוני על חתימת ידיהו ואשניהו וקיימנוהו *Contractus hic prodiit in conſpectum noſtrum, teſtantibus* N. & N. *de ſubſignatione manuum ſuarum, unde ratum habemus, & βεβαιοῦμεν αὐτὸν* CONFIRMAMUS *illum.* A qua prima voce נפק *prodiit*, quæ in *Confirmandis hujuſmodi Tabulis Teſtimonialibus* adhibita eſt, illa *Confirmatio*, ſive βεβαίωσις, in Scriptis Talmudicis paſſim appellatur נפק & הנפק / *Tabula contractus confirmata*, in qua ſcriptum eſt נפק. ut in *Gemara* Codicis *Bava Metzia* frequentiſſime [c]: שטר דכתיב ביה הנפק *Tabula, cui inſcripta fuit Confirmatio*, ſeu, *Prodiit.* Fuit autem

Alius locus in hanc rem ex Bava Bathra.

Formula τῆς βεβαιώσεως in Foris Judaicis recepta.

Dicta ipſis ſolenniter נפק.

a Cap. x. §. vi. b In Not. Marg. c Fol. vii. col. ii.

autem hujuſmodi *Contractuum* peculiaris quædam ſpecies, in Codice Talmudico פרוזבול / ſive פרוסבול (forte προσβολὴ *adjectio*, ſive peculiaris *cautio:*) dicta, qua Debitores ſe obligabant ad mutuum *ſeptimo* etiam anno *ſolvendum*, cujus Auctor fertur fuiſſe Hillel Senior; ex cujus deſcriptione quę hactenus de Ritu βεβαιώσεως *Teſtimonialium Tabularum* diximus, facile etiam patent. Sic de ea habet Vetus Traditio [a]: עמד והתקין פרוסבול וזה הוא גופו של פרוסבול : מוסרני לכם פלוני דייני שבמקום פלוני שכל חוב שיש לי אצל פלוני שאגבנו כל זמן שארצה והדיינין חותמין למטה או העדים *Extitit itaque* (Hillel) *& ordinavit Prosbol cujus hoc eſt argumentum: Trado, ſive teſtificor vobis N. N. Judicibus, in loco N, quod omne debitum, quod mihi eſt apud N, exigere velim quocunque tempore placuerit.* Judices *deinde* subscribunt, *aut* testes. Omnia nunc, ut videtur, clara in hoc negotio & facilia. Tantum, etſi id ex Legibus Hebræorum per ſe facile pateat: addamus, hujuſmodi βεβαιώσεις editas eſſe à Senatu Forenſi Trium-Virali. Ex multis locis, quæ hac de re ſunt apud Maimonidem, hunc unum excerpamus [b]: בית דין שכתבו במושב שלשה היינו ונתקיים שטר זה בפנינו הרי זה מקוים אף על פי שלא פרשו באי זה דרך החמשה דרכים נתקיים שאין חוששין לבית דין שמא יטעו *Si Domus Judicii Tabulam Teſtimonialem confirmatura, in hunc modum ſcripſerit: In Conſeſſu Trium-Virali fuimus, & confirmata eſt hæc Tabula Contractus coram nobis; illa Tabula Contractus omnino rite & legitime confirmata habetur, etiamſi forte Judices ſignate non adſcripſerint, quo modo ex quinque illis modis recenſitis confirmata ſit. Non ſubſunt enim Judices hujuſmodi in cauſſis ſuſpicioni erroris.*

Illuſtratur Ritus ex illa *Contractuum* ſpecie quæ dicta eſt פרוזבול.

Fiebat *confirmatio* à בית דין *Senatu Judiciali.*

XIV. Applicanda hæc nunc ſunt ad locum Apoſtoli, quem tractamus. quod abſque magna opera fieri poteſt. *Animus hominis* eſt inſtar *Tabulæ*, in qua certa quædam veritas, *teſtimoniis firmata* vel *firmanda*, conſcripta eſt. Veritas illa eſt Doctrina Evangelii. *Teſtes* qui eam ſignarunt, ſunt Chriſtus ipſe, Chriſti Pater, Opera & Miracula Chriſti, ejuſque Caſus notabiliores Mortis, Reſurrectionis, & Adſcenſus in Cœlum, à Prophetis prænunciati; tum deinde Apoſtoli, Evangeliſtæ, & totus chorus Doctorum Novi Fœderis. Sic ſcripta, ſic *ſignata* eſt

Applicantur dicta ad locum Apoſtoli.

Animus hominis eſt inſtar Tabulæ, in qua veritas Evangelii, teſtimoniis ſignata, à Sp. S. confirmatur, vel à

a Cod. Gittin. apud Buxtorf. in h. v. b Hilchoth Eduth, Cap. vi. §. iii.

ta eſt hæc tabula, ſed nondum *confirmata*. Illa autem *Confirmatio* in Credente duplici modo concipi poteſt fieri, vel ab ipſo ut *Judice Divini Teſtimonii* per *conſcientiam*, (quod reverenter à nobis dictum ſit:) vel à *Spiritu Sancto*, per chariſmata & dona gratiæ in homine teſtimonium edente de *veritate* Doctrinæ illius, tot teſtibus confirmatæ.

Conſcientia; argumento petito ex donis Sp. S.

Prius hac ratione peragitur. Audit homo & percipit hoc dictum: *Chriſtum eſſe Soſpitatorem mundi*. Id animo ipſius impreſſum eſt, ut tabulæ. Audit tot teſtes, illud *confirmantes*. Illi ſimul in animo ipſius illi μαρτυρίᾳ ſunt ſubſcripti. Quid igitur? Multos novit eſſe ψευδομάρτυρας *falſos teſtes*. Erigit igitur בית דין *Domum Judicii*, vel tribunal in conſcientia ſua, & cupit de *teſtium veritate* plene eſſe perſuaſus. Citat igitur teſtes ad comparendum. quod reverenter dictum eſto, & recte accipiendum eſt. nam Deus hominem facit in Scriptura *judicem ſui teſtimonii*. Examinat homo legem & Prophetas.

Quo modo homo credens in hoc actu procedat?

Inſtituit בריקה & חקירה *inquiſitionem* & *perſcrutationem teſtium*. Confert *teſtimonium* Moſis cum teſtimonio *Prophetarum*; *Teſtimonium Patris* & *Filii* cum *teſtimonio Moſis* & *Prophetarum*; *Opera Chriſti* confert cum *teſtimonio* Chriſti & Patris ejus; & cum his omnibus comparat *teſtimonia* Diſcipulorum Chriſti. Accedit jam *Spiritus S.* qui illum interna *animi illuminatione* facit הכיר *agnoſcere* illa *teſtimonia*. quando comperit, omnia inter ſe conſentire. Hinc ſequitur judicium, quod hujuſmodi eſt: נפק *Prodiit* illud μαρτύριον *de Chriſto coram me, & omnibus probe examinatis teſtibus comperi amice eos conſentire*, unde *confirmo & ſtabilio illud*. Atque hæc eſt ἡ βεβαίωσις τοῦ μαρτυρίου *confirmatio teſtimonii* in ipſis Credentibus, qua *ſubſcribunt* ipſi τῷ μαρτυρίῳ τοῦ Χριστοῦ, & novi evadunt illius teſtimonii *Teſtes Judiciales*.

Locus Joannis illuſtratus 1 Ep. v. 10.

Quo haud dubie pertinent inſignia verba Joannis in priore ejus Epiſtola [a]: *Qui credit in Filium Dei*, ἔχει μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ, HABET TESTIMONIUM IN SE IPSO. *Qui non credit, mendacem fecit eum, quoniam non credidit teſtimonio quod teſtatus eſt Deus de Filio ſuo.* Qui *credit*, inquit ſanctus Apoſtolus, illius animus ſimilis eſt tabulæ, cui inſcripta eſt veritas de Chriſto, quam Pater ipſe ſubſignavit, & ipſe etiam ſubſignat. At vero, qui fidem non habet illi veritati, is quaſi tribunal ſuo in animo erexit, in quo Patrem ut teſtem fallacem condemnat.

 Factum

a Cap. v. 10.

Et Evang. Cap. III. 33.

Factum impium. Pariter in *Evangelio* [a]: Ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστι· *Qui* RECIPIT *ejus teſtimonium, is* OBSIGNAVIT, *Deum veracem eſſe.* Conſcientia eſt inſtar בית דין; judicat de teſtimonio *Joannis Baptiſtæ*, quod ille de Chriſto dedit. Qui id *teſtimonium recipit* (מקבל;) *agnoſcit* (מכיר;) qui *judicat*, τὰ דברים *verba Joannis* aliorumque teſtium de Chriſto מכוונים *conſentire*, & *inter ſe congruere*, is חותם ἐσφράγισε; ipſe illi *teſtimonio* quaſi *ſubſcripſit*, ſuaque *ſubſignatione* confirmavit, *Patrem* eſſe *veracem*, quia *teſtimonium Joannis* eſt *teſtimonium Patris.*

Quomodo veritas illa obſignetur in Credentibus à Sp. S.?

Sed præter hæc, eſt quoque aliqua βεβαίωσις *Confirmatio Doctrinæ Evangelicæ*, ut conſignata eſt in animo Credentium, quæ fit à *Spiritu Sancto* tanquam *Judice*, ſuo *teſtimonio* illam quaſi obſignante & confirmante, de qua Joannes [b]: *Et Spiritus eſt*, τὸ μαρτυροῦν QUI TESTATUR, *Spiritum eſſe veritatem.* Veritas enim Evangelii, teſtibus ſuis ſignata, peculiarem quandam σχέσιν habet ad Spiritum Sanctum: cujus eſt illam veritatem ſuis χαρίσμασι & *operationibus gratiæ* obſignare & *confirmare.* Si enim verum eſt, quod in Evangelio prædicatur, *Jeſum eſſe Chriſtum*; ſi teſtes, qui id aſſerunt, verum teſtificentur: oportet, illa Evangelii prædicatio comitem habeat Spiritum Sanctum cum variis *operationibus gratiæ* in animo peccatoris, qui Spiritus ſuis illis donis & operationibus gratiæ quaſi *diſcernit* & *dijudicat Legem* ab *Evangelio*, & Evangelium *verum* à *falſo*, ut Paulus ad Galatas [c]. *Spiritus* igitur *Sanctus*, & in Spiritu ac per Spiritum, *Pater* & *Filius*, (בית דין של שלשה:) quaſi ſunt *Judices*, teſtimonium de Chriſto in animo Credentium ſuis donis & operationibus gratiæ quaſi judicialiter *confirmantes*, ut adeo Credentes de illo *Teſtimonio* amplius non dubitent. quo pertinet eximius locus ille Jeſaiæ, in quo *Lex* dicitur *conſignanda in animis diſcipulorum Chriſti* [d]; egregie à Petito expoſitus & declaratus.

a Cap. III. 33. b 1 Cap. V. 6. c Gal. III. 2. d Jeſ. VIII. 16.

C A-

Caput II.

Comprobatur teſtimoniis atque exemplis variis, Operationes Spiritus Sancti tempore OEconomiæ Legalis ut plurimum relatas fuiſſe ad certas quaſdam Perſonas, quæ ſe commendabant Dignitatibus, Officiis, & Prærogativis externis: *Inter quas quæ habita ſit peculiaris ratio* Divitiarum, *diſquiritur ad locum Paulinum*, 1 *Cor.* 1. 26, 27.

Εἰσαγωγὴ in diſſertationem de differentia Operationis Sp. S. ſub V. & N. F.

NIhil magis eſt utile & neceſſarium ad intellectum Verbi Dei, quam ut recte percipiatur quantum interſit inter *vetus* & *novum*. quid *olim* Deus egerit, quid *nunc* agat. Etiamſi enim inter OEconomiam Veterem & Novam manifeſta ſit χίσις & cognatio; eſt tamen inter utramque non exiguum quoque diſcrimen & divortium. cujus rei inter alia argumentum habemus omni exceptione majus in *Operationibus Spiritus Sancti* antiqui temporis: quæ *Operationes Sancti Spiritus* tum fuerunt accommodatæ ad *OEconomiam* illius Eccleſiæ *exteriorem*; tum etiam aptatæ quaſi & adſtrictæ fuerunt ad *Prærogativas* quaſdam *externas* & *carnales*, quarum nulla omnino, imo contraria ratio habetur in OEconomia Fœderis Novi. quod exiſtimem Paulum docere voluiſſe *Corinthios* in *priore* quam ad eos dedit Epiſtola, his quidem verbis, quę commodam nobis uberioris meditationis materiam ſubminiſtrabunt [a]: Βλέπετε γὰρ τὴν κλῆσιν ὑμῶν ἀδελφοὶ, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς· *Videtis enim vocationem veſtram, fratres, quod non multi* SAPIENTES SECUNDUM CARNEM, *non multi* POTENTES, *non multi* NOBILES ſitis: *verum* STULTA *mundi elegit Deus, ut Sapientes pudefaciat, &* INFIRMA *mundi elegit Deus, ut pudefaciat potentia, &* IGNOBILIA *mundi, & pro nihilo habita elegit Deus, quæque* NON SUNT, *ut ea, quæ ſunt, enervet.*

Verba Ap. 1 Cor. 1. 26.

Animadverſio ad Verſionem Syriacam h. l.

II. In Verſione Latina, quę ſubjecta eſt Syriacæ Verſioni N. T. per Troſtium accuratæ, deſunt hæc verba: *Neque multi inter vos potentes*, quę tamen in Syriaco textu habentur: ולא חילתנא

a Cap. 1. 6.

Differentia inter poteſtatem vocum ἰσχυρὸς & δυνατός.

חילתנא כגיאין בכון. etſi τὸ חילתנא magis reſpondeat voci Græcæ ἰσχυρὸς, quam voci δυνατός. ἰσχυρὸς reſpicit ad *robur corporis*, ſed δυνατὸς egregie & eleganter refertur ad dignitatem & eminentiam perſonæ, & vertendum non per *robuſtos*, ſed *Potentes*, *Proceres*, *Primores*: qua ſignificatione occurrit apud purioris dialecti Scriptorem Thucydidem, notante Stephano, & familiare eſt Joſepho. Sic nimirum exponit rationem tumultus, qui à Floro Cæſareæ in Judæos concitatus eſt [a]: ὡς δὲ τούτους εἶργε τῆς βίας Φλῶρος, ἀμηχανοῦντες οἱ δυνατοὶ τῶν Ἰουδαίων, σὺν οἷς ὁ τελώνης Ἰωάννης, πείθουσι τὸν Φλῶρον ἀργυρίου ταλάντοις ὀκτὼ, διακωλῦσαι τὸ ἔργον· *Cum vero Florus hos à prohibendo cohiberet, non habentes* Judæorum Potentes, (Ruffinus: Nobiles:) *quid agerent, inter quos erat etiam Joannes Publicanus, inflectunt Florum oblatione octo talentorum, ut ædificationem vetaret.* Deinceps iterum: Οἱ δὲ περὶ τὸν Ἰωάννην δυνατοὶ δώδεκα πρὸς Φλῶρον ἐλθόντες εἰς Σεβαστήν· Primates *autem eorum duodecim cum Joanne Sebaſten ad Florum venerunt.* Eadem utitur λέξει, ubi de *Hieroſolymitano Magiſtratu* loquitur hoc eodem Capite: καὶ προσελθόντες οἵ τε ἀρχιερεῖς καὶ δυνατοὶ, τό τε γνωριμώτατον τῆς πόλεως πᾶν, παρέστησαν τῷ βήματι· *Accedentes autem Pontifices &* Primores *& Civitatis univerſa nobilitas, adſtiterunt Tribunali.* Mox rurſus in ſequenti [b]: Πρὸς ὃ δείσαντες οἱ δυνατοὶ σὺν τοῖς ἀρχιερεῦσι. quod paulo poſt: ἀρχιερεῖς σὺν τοῖς γνωρίμοις. Sunt itaque Joſepho paris poteſtatis vocabula δυνατοὶ, ἄρχοντες, γνώριμοι, ſignificantia *ſummum Judæorum Magiſtratum*, Rectores Civitatis, & quoſcunque alios dignitate aut opibus eminentes. Plutarchus ſimiliter, in hiſtoria Alcibiadis, patria pulſi [c]: Ἔπεμπε κρυφᾷ πρὸς τοὺς ἐν Σάμῳ δυνατοὺς τῶν Ἀθηναίων. Mox iterum. Ζητοῦντα δὲ πάντως κατελθεῖν ἐκ διαβολῆς τοῦ δήμου, προθυμεῖσθαι καὶ ὑποδέχεσθαι τοὺς δυνατοὺς, ἀνθίστατο.

Vox δυνατὸς ſumitur de hominibus, in dignitate poſitis.

Nobiles qui Syro, & quomodo dicti Hebræis?

III. Τὸ εὐγενεῖς reddidit Syrus per בני טוהמא רבא *Filios magni* (clari) *generis*, Nobiles & ſtemmate claros. Sic apud Lucam [d]: εὐγενὴς בן טוהמא רבא Hebræi *nobilem* deſignant voce מיוחס/ quaſi tu *proſapiatum* dicas. Antiqua hujus Gentis Lingua dicuntur חורין & בני חורין *Nobiles*, quod R. Jona apud Kimchium [e] refert ad חור *albeſcere*. Sed neſcio, an non potius referendum ſit ad חרר/ quod Chaldæis eſt *liberum* & *ingenuum reddere*. quomodo בן חרין in Ju-

a Lib. II. de Bel. Jud. Cap. XIV. b Cap. XV. c In Alcibiad. p.m. 294. d Luc. XIX. 12. e In Lex.

in Judæorum Scriptis vulgo pro *libero & ingenuo* capitur. Utique in Paraphraſibus Chaldaicis בן חורין / חפשי *liber* eſt *ut* חירות Chaldæus *libertas.* Ad *nobilitatem* autem duo pertinent, ſtirpis *vetuſtas* & *claritas.* Sed quandiu ספרי היחש *Libri Genealogici Tribuum* ſervati fuerunt in Curia publica aut Exedris Sacris Hieroſolymis; tamdiu ea nobilitatis ſpecies, quę conſiſtit in recenſione generis, ab avis & proavis per longam annorum ſeriem tracti, apud Judæos, ad quos Apoſtolus hic potiſſimum reſpicit, non æque hac in re ſpectari potuit. quippe vetuſtas ſtirpis, quam omnes Judæi à Patre ſuo Abrahamo petebant, omnibus fuit communis. *Claritas* itaque *Natalium*, orta ex *dignitate*, qua Majores in Republica fulſerant, apud Judæos alium alio *nobiliorem* fecit. in quibus Dignitatibus eximia fuit *Regia* aut *Sacerdotalis.* Sic de ea Joſephus [a]: Ἐμοὶ δὲ γένος ἐστὶν οὐκ ἄσημον ἀλλ᾽ ἐξ ἱερέων ἄνωθεν καταβεβηκός. ὥσπερ δὴ παρ᾽ ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτω παρ᾽ ἡμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος. ἐμοὶ δὲ οὐ μόνον ἐξ ἱερέων ἐστὶ τὸ γένος ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος τῶν εἰκοσιτεσσάρων. πολλὴ δὲ κἀν τούτῳ διαφορά. ὑπάρχω δὲ καὶ τοῦ βασιλικοῦ γένους ἀπὸ τῆς μητρός· *Mihi igitur genus eſt non* OBSCURUM, *ſed longa ſerie ductum à Sacerdotibus. Et ſane quemadmodum apud alios aliæ nobilitatis rationes cenſentur*, *ita* APUD NOSTROS JUS SACRORUM HABERE, *argumentum eſt* ILLUSTRIS ORIGINIS. *Ego autem non ſolum ex Sacerdotum oriundus ſum genere*, *verum etiam ex Ordine primo inter illos viginti quatuor*, (à Davide inſtitutos:) *inter quos non mediocre diſcrimen eſt. Quin & ad* REGIUM GENUS *per matrem pertineo.* Ex hoc teſtimonio facile pateſcunt *gradus nobilitatis* apud Judæos. Summus eſt, ut exiſtimo, ex regio Davidis ſtemmate eſſe prognatum. Secundus, ortum eſſe ex familia Aſſamonæorum, quia illi Sacerdotium ſummum cum Regno occuparunt. Dein ex Sacerdotali genere natales ducere ſecundum varias illius præfecturas, claſſes, & prærogativas, & ita porro.

Hebræis quid proprie בן חורין? Unde *nobilitas* apud Judæos æſtimaretur? Ex claritate & dignitate majorum.

IV. Exiſtimo autem, Paulum his verbis, quæ deſcripſi, potiſſimum voluiſſe docere Corinthios, *modum*, quo Spiritus Sanctus χαρίσματα ſua diſtribuit ſub OEconomia Nova, non parum differre ab eo, quem Deus obſervaverat ſub OEconomia Vetere, ſive ſecundum rei veritatem, ſive etiam ſecundum vul-

Scopus Pauli in his verbis.

a In *Vita ſua*, in *initio.*

Deus olim in diſtribuendis donis ſuæ gratiæ, ſecundum Judæos, reſpexit prærogativas exteriores.

vulgatam Judæorum opinionem. Sunt enim vere ea ſententia Doctores Hebræorum, *Deum in donis gratiæ ſuæ diſtribuendis* omnino reſpicere, & olim reſpexiſſe, ad *prærogativas* quaſdam *externas*, *nobilitatis generis*, *dignitatis officii*, & *divitiarum*, quę Scripturæ Sanctæ ſtylo σὰρξ CARO dicuntur. Eſt mihi in promptu id adſtruere ex præfatione, quam Abarbanel præfixit Commentariis ſuis in *Jeſaiam*, probaturus, illum in recenſione Prophetarum *Jeremiæ* præponendum eſſe, cui in Codicibus antiquis ſubjiciebatur. Scilicet Abarbanel, Hiſpanus, qui ex familia Davidis ortus credi volebat, (fingunt enim olim duas familias Davidicas *Davudorum* & *Abarbanelum* in Hiſpaniam migraſſe:) hoc eo fortius aſſeruit, quo ſibi ipſe majorem dignitatem, ſuiſque ſcriptis majorem conciliaret auctoritatem & fidem. Poſtquam igitur ille cum ex *Codice Megilla*, ubi Veterum Traditio de hoc argumento extabat, tum ex ingenio & ſtylo Jeſaiæ ſublimore probaſſet, *eum ſanguinibus Regiis & Davidica Stirpe cretum eſſe*: fuſius incipit ediſſerere, *nobilitatem Generis* multis omnino gaudere prærogativis, & ſæpe factum ut *ob eam ſolam alter alteri prælatus ſit* in adminiſtratione Eccleſiæ Veteris. Quod cum ex privilegiis *Tribus* Judæ eviciſſet, quę nobilem magnique animi Parentem habuerat, aliiſque quibuſdam minoris ponderis rationibus: in eo tandem deſinit oratio, Populum Judaicum non *Rectoribus* modo, ſed & DOCTORIBUS ex ſtirpe Davidica excellentioribus omni tempore potuiſſe gloriari atque *etiamnum* poſſe. Allegata enim promiſſione, *Judæ facta*, de *Sceptro* & *Legiſlatore à Juda non receſſuris*, ait, Veteres in illa verba in hunc modum eſſe commentatos[a]: לא יסור שבט מיהודה אלו ראשי גליות שבבבל שרודים את העם במקל ומחוקק מבין רגליו אלו בני בניו של הלל שמלמדים תורה ברבים רוצה לומר שגם בגלותם יהיה תמיד נגיד ומצוה לאמים מזאת המשפחה היקרה וגם בבית שני בהיות החשמונים ובית הורדוס מולכים תמיד היה בירושלים נשיא מבית דוד כמו שכתב יוסף בן גוריון ומזאת המדרגה היה הלל הזקן ורבן שמעון בנו ורבן גמליאל בן רבן שמעון ורבן שמעון השני ורבן גמליאל הזקן ורבן גמליאל השני בנו ורבן שמעון בנו ורבינו הקדוש בנו כלם נשיאים ראשי בני ישראל NON RECEDET SCEPTRUM A JUDA: *Illi ſunt Aichmalotarchæ Babylonici, qui populum baculo regunt.* ET LEGISLATOR E PEDIBUS EJUS. *Illi ſunt ne-*

Abarbanelis verba in hanc rem producta ex Præf. in Jeſ.

potes

a Gen. XLIX. 20.

potes Hillelis, qui populum publice docent Legem; id eſt, quod ex inſigni hac familia jugiter, etiam in Captivitate, eſſet Dux & Præceptor populorum. Quin etiam tempore ſecundi Templi, cum Aſſamonæi & familia Herodis rerum potirentur, ſemper nihilominus Hieroſolymis fuit Princeps (Synedrii) *ex familia Davidis, ſicuti tradit Joſeph Gorionides. Hujus ordinis fuit Hillel, Senior. Rabban Simeon Filius ejus. Rabban* (titulus eſt, quo Principes Synedrii ex Davidis familia honorantur:) *Gamaliel, Filius Rabban Simeonis. Rabban Simeon ſecundus. Rabban Gamaliel, Senior. Rabban Gamaliel ſecundus, Filius ejus. Rabban Simeon, Filius ejus. Et Doctor noſter* ὁ ὅσιος, *Filius ipſius. Omnes* ἄρχοντες, *& Capita Iſraëlitarum.* Quod argumentum proſequendo, exemplum producit, ex quo conſtet, quam ſolicite Veteres ad hanc *familiæ Nobilitatem* attenderint. כאשר הורידו לרבן גמליאל מן הנשיאות והיו מבקשים בניהם למנות אחר תחתיו אמרו נמני לרבי עקיבא והשיבו לית ליה זכות אבות רוצה לומר שלא ממשפחה יקרה כי היה בן גרים ולכן לא היה ראוי שיהיה נשיא עד שאמרו נמנו לר' אלעזר בן עזריה דהוא עשירי לעזרא ואותו מנו לנשיא מפני כבוד משפחתו מחובר לשלימות חכמתו *Quando removerant Synedri Rabban Gamalielem à Principatu & inter ſe diſpiciebant de alio illi ſubſtituendo, dixerunt; Conſtituamus R. Akivam. Sed mox objectum illis eſt, Nullum ei eſſe* MERITUM PARENTUM. *Hoc eſt, non ex ſatis honeſta ortum eſſe familia. ortus enim fuit ex Proſelytis. quapropter decori ratio non permittebat, ut ipſe eſſet Princeps. Dixerunt itaque: Conſtituamus R. Eleazarum, Azariæ Filium, qui ab Ezra decimus eſt. quem itaque ad Principatum promoverunt propter familiæ decus junctum cum* τῇ πλειότητι τῆς σοφίας. Poſt quæ deinceps ſubjungit; ועל כן אז"ל אין הקב"ה משרה שכינתו אלא על המשפחות המיוחסות שבישראל *Propterea dixerunt* οἱ ἀρχαῖοι B. M. NON FACIT DEUS S. B. HABITARE SPIRITUM SUUM SANCTUM, NISI SUPER FAMILIAS NOBILES, QUÆ IN ISRAELE SUNT. Imo *nobilitatis generis* in omnibus Synedris habita eſt ratio. Maimonides [a]: אין מעמידין בסנהדרין אלא כוהנים לוים וישראלים המיוחסים הראוים להשא לכהונה שנאמר והתיצבו שם עמך ברומין לך בחכמה ביראה וביחס *Non allegebant in Synedria alios præter Sacerdotes, Levitas,* & ISRAELITAS NOBILES, *quorum filiæ legitime matrimonio jungi poßunt Sacerdotibus, juxta id, quod ſcriptum eſt* [b]: Et ſiſtent ſe ibi tecum; ſcilicet; SAPIEN-

Præcipue monet Judæus Doctor, reſpectum eſſe ad Nobilitatem Familiæ.

Cujus etiam habita eſt ratio in eligendis Synedris.

a Tractatu de *Synedrio* Cap. 11. §. 1. b Num. XI. 16.

PIENTIA, *timore* (Dei,) & GENERE *tibi ſimiles*. In *Miſna Sanhedrin* [a], unde hæc ſua verba Maimonides tranſcripſit, tantum habetur: המשיאין לכהונה *Qui Filiam ſuam Sacerdoti collocare poſſunt.* Sed Gloſſatores id exponunt per המיוחסין *nobiles.* Satis enim conſtat, Sacerdotes, ſi quando ex ſuo genere *Sacerdotali* vel *Levitico* uxores petere nollent, cæterorum Iſraelitarum nullas niſi ſpectatæ familiæ filias duxiſſe.

Diverbium in Judæa Gente, Sp. S. non habitare niſi apud nobiles, potentes, divites.

V. Quod vero Abarbanel ait diverbio in gente ſua fuiſſe vulgatum, *Deum non habitare, niſi apud* NOBILES; hoc alibi referunt ad *fortem, divitem,* & *ſapientem* [b]: אין הק׳בה משרה שכינתו אלא על גבור ועשיר וחכם ועניו *Deus non habitare facit Spiritum ſuum Sanctum, niſi ſuper* FORTEM, DIVITEM, SAPIENTEM, *& manſuetum.* ubi ſi Judæi per גבור *δυνατὸν* intelligant hominem magis externo robore & viribus corporis, quam animi magnitudine & nobilitate excellentem: diverſa erit ſignificatio τοῦ גבור ab ea, quam voci *δυνατὸς* modo adſtruebamus. Quod vero *nobilis* in hoc dicto nulla fiat mentio, ſed *divitis*; verbo exponendum eſt. Nimirum Judæi ea ſunt opinione, ex diuturna *familiæ* alicujus proſperitate & *divitiis* colligi poſſe ejuſdem *familiæ nobilitatem.* Operæ pretium erit Abarbanelis ſententiam rurſus de hac re adſcribere [c]:

Divites apud Judæos cum *Nobilibus* confunduntur.

ואם ראית בגולה משפחות מיוחסות שהתמידה בהם זמן רב העושר והכבוד ידוע תדע שהם חוטר מגזע ישי *Quod ſi in Exilio obſervaveris familias præſtantes, in quibus longo tempore conſtanter remanſerint* DIVITIÆ *& honores, certò poteris ſcire, eſſe illas ſurculum ex trunco Iſai.* Cenſent itaque non abſque omni ratione, *divitias* æque ac *natales* conferre ad animi quandam generoſitatem, quam in *Propheta* quolibet requiſiverunt. Inde petenda ratio eſt, quod Hebræorum Interpretes adeo ſint ſoliciti de *Amoſo.* Cum enim *ille,* quantum ex ipſius vaticinio conſtat, *armenta paverit,* antequam ad digniſſimum hoc Prophetæ munus à Deo evocatus fuit: non videtur ille vel *opibus* vel *natalibus* admodum fuiſſe inſignis. Kimchi nihilominus ex eo, quod cap. I. I. dicatur, fuiſſe eum non ניקד/ *armentarium,* ſed בניקרים *inter eos, qui rei pecuariæ operam dant:* colligit, *primarium* illum fuiſſe inter eos, *qui rei pecuariæ operam navabant,* comparatque hunc locum cum eo, qui eſt

Obſervatio ad ſtatum Amoſi Prophetæ, & Judæorum de eo ſententia.

a Cap. IV. §. II. b Gem. Nedar. ad Cap. IV. c Comment. in Danielem Fol. XXII. col. 2.

eſt 2 Reg. III. 4. ubi *Rex Moabitarum Meſchi* ipſe dicitur fuiſſe נוקד *ovium Paſtor.* Ad cap. VII. 14. vero exerte ait, *Amoſum* fuiſſe עשיר *divitem.* Rationem tibi ipſe Kimchius alio loco dabit[a]: כי לפי שהם עשירים ואינם מעסקים במלאכה יש להם פנאי ללמוד תורה והכמה וברוב הם בעלי מוסר ודעת ולמדו תורה ומשפט אלהיהם *Quoniam, quia opibus pollent, neque neceſſe habent ſe ſervili opere occupatos tenere: ſuppetit ipſis occaſio diſcendi Legem & ſapientiam, atque hinc plurimam partem eruditionis & ſapientiæ compotes ſunt, inſtruunturque cognitione Legis &* δικαιώματος *Dei ſui.* כי ברוב דלת העם אין להם בינה והכמה *Vulgus vero* (ὁ ὄχλος) *ut plurimum ſapientia atque intelligentia caret, hoc eſt,* μὴ γινώσκει τὸν νόμον[b]. quod alibi quoque de *Vulgo* & tenuioris conditionis hominibus ipſe Maimonides[c]. Subeſt his veri aliquid. Studia tractari debent liberaliter & per otium, procul cura & ſolicitudine: ad quod multum conferunt *divitiæ.* Paupertas extinguit ingenia, eaque deprimit & ſuffocat. Quid quod Judæi in Pontifice ſuo eaſdem quoque has *qualitates* requiſiverint, quas Paulus hic recenſet? Maimonides[d]: העקר אצלינו כי כהן גדול צריך שלא יהיה באנשי דורו מן הכהנים יותר שלם ממנו בחכמה ובאמונה ביופי בעושר בכות *Apud nos pro fundamento ponitur, neceſſarium eſſe, ut Sacerdos maximus nulli temporis ſui Sacerdoti in* SAPIENTIA, *fide,* FORMA, DIVITIIS, *aut* VIRIBUS (attende ad vocem δυνατοὺς, ſi ea in textu *Pauli* pro *robuſto* accipienda ſit:) *concedat.* Quis credat, id obſervatum eſſe aut etiam obſervari potuiſſe ſecundum legem?

Idem requiſitum in Pontifice.

VI. Utcunque vero hæc ſe habeant: vix putem in dubium vocari poſſe, quin Deus ſub OEconomia Vetere multo majorem delectum adhibuerit in diſtribuendis donis Spiritus Sancti, quam ſub N. T. & quod ad rem noſtram propius ſpectat, *magis etiam in illis diſtribuendis reſpexerit* πρὸς τὰ τῆς σαρκὸς *ad* EA QUÆ CARNIS ERANT, *dignitatem* puta *muneris generiſque*, vel excellentiorem quoque ſpeciem *corporis*, aut *generoſiorem animi indolem*, quam in adminiſtratione Novi Fœderis. Utile erit ſingulorum exempla ad præſentem locum illuſtrandum producere.

Utique verum eſt, Deum in OEconomia Vet. ſubinde reſpexiſſe qualitates externas.

VII. SAPIENTES, in dignitate poſitos, à Deo electos præ cæteris, & prærogativa *Spiritus S.* gaviſos eſſe, liquet ex LXX Senio-

Sapientia olim habitam eſſe rationem

a Com. in Jer. V. 6. b Confer. Joh. VII. 49. c Hilch. Jeſod. Thora, Cap. VII. 2. d Com. ad Miſnam Jomæ Cap. 1.

In electione hominum ad Munia ſacra, probatur.

Senioribus à Moſe in Synedrium lectis [a]. Hiſtoria ejus rei ita fere habet. Moſes conqueſtus de onere imperii, quod in negotiis graviſſimis ſolus ſuſtinebat, juſſus fuit à Deo, ex Senioribus Iſraëlitarum *Septuaginta* eligere, eoſque adducere ad Deum ante *Tabernaculum Conventus*, promittente Deo, ſe *ſeparaturum de Spiritu Moſis*, *& ſuper ipſos poſiturum*, *ut una cum Moſe onus populi ferrent.* Juſſum exequitur Moſes, evocatque ex cœtu Iſraëlitarum Septuaginta Seniores, eoſque ſiſtit ad Tabernaculum Conventus; quo facto dicitur: *Et deſcendit Dominus in nubem*, *& loquutus eſt ad eum*, ויאצל מן הרוח אשר עליו ויתן על שבעים איש הזקנים ויהי כנוח עליהם הרוח ויתנבאו ולא יספו *&* SEPARAVIT DE SPIRITU ILLO, *qui ſuper eum* (Moſen) *erat*, *eumqua* POSUIT *ſuper* SEPTUAGINTA SENIORES: *quo factum fuit*, *ut Spiritu Dei ſuper ipſos quieſcente*, *vaticinati fuerint*, *neque deſierint*, vel, *addiderint.* Patet ſatis ex hiſtoria hac, inſtitui à Deo & inſtitutum inaugurari *Concilium aliquod illuſtre*, quod una cum *Moſe* illius נשיא *Præſide* & *Præfecto* res quaſque graviſſimas, quæ tam ad Politicam quam ad Eccleſiaſticam rem pertinebant, tractaret. cui *dignitati* Deus tantum tribuit, ut Spiritus ſui [illegible] cum his *Senatoribus* communicaverit. Dubium modo, an eo tantum momento *Spiritus Sanctus* in iis, qui ad hanc *dignitatem* primo vocati ſunt, operatus fuerit; an etiam hi Senatores poſtea eodem dono Spiritus S. gaviſi ſint, & inter Judæos verſati ut נבאים *Prophetæ*. Dubitandi anſam dant verba contextus ultima; ולא יספו / quæ contrario plane ſenſu ab Interpretibus accipiuntur. Plurimi ea reddiderunt; *Non addiderunt* prophetare. Hoc eſt: *Non* perrexerunt prophetare, ſed eo tantum momento, quo vocati ſunt à Deo ad Tabernaculum, in ſignum illius, quod Deus illos arduo huic muneri ſolenniter initiatos vellet, ſunt vaticinati; deinceps vero extraordinaria Spiritus S. gratia privati ſunt. quomodo Belgæ Interpretes hæc verba acceperunt, & alii inter Doctos bene multi, quorum nomina exhibet Seldenus [b]. Neque velim diffiteri, φράσιν hebræam primo intuitu videri hanc [illegible] debere admittere, collato *Deut.* v. 22. Nec tamen video, quomodo intentioni Dei & hujus electionis ſcopo ſatisfiat, ſi hæc ſententia admittatur. Dixerat Deus, ſe velle

Locus Num. XI. 16, 17.

Quid in hoc loco ſibi velit phraſis; ולא יספו.

Moſis

a Num. XI. 16, 17. b De Syned. Lib. II. Cap. IV. §. II.

Moſis onus levare, eamque ob cauſſam *Spiritum Moſis* cum *Septuaginta Senibus communicare*, נתן *dare*, שום *imponere*, eum in finem, ut *Moſi* in tanti re momenti auxilio eſſent. Quæ non aliter licet accipere, quam *Spiritum S.* æque ſuper hos *Seniores Septuaginta* debuiſſe *requieſcere* & manere, hoc eſt, conſtanter iis adeſſe, quam ſuper Moſen, quia cæteroquin neque imperio pares fuiſſent, neque onus Moſis potuiſſent levare. Si igitur illi Moſi eſſent pares, & negotia hactenus à Moſe curata iis debuerint demandari: dubio procul *perpetuo* inſtructi eſſe debuerunt eodem *Spiritu*, quo actus fuit Moſes in ſalutem populi. His accedit, quod *Spiritus S.* dicatur נוח עליהם *quieviſſe ſuper ipſos*, hoc eſt, conſtanter illis adhæſiſſe. Neſcio etiam alias, quid hoc ſit, quod *Spiritus à Moſe ſeparetur*, & ſuper hos LXX *ponatur*, ſi non eum in finem, ut conſtanter iis adhæreret. Quæ me movent, ut cum *Paraphraſta* & *Vulgata* τὸ ולא יספו transferam: *Et non* CESSARUNT PROPHETARE. / ולא פסקו / accipiens τὸ יסף pro / ספה / vel סוף. Senſus eſt, non eo tantum, quo à Deo electi ſunt, ſed & omni tempore, quo in hac ſua dignitate permanſerunt, illos gratia hac Spiritus S. extra ordinem fuiſſe inſtructos. En itaque Deum eligentem τοὺς δυνατοὺς PRIMORES, *Magiſtratus*, qui ſumma in Synedriis ſubſellia occupant, & σοφοὺς SAPIENTES. quod Apoſtolus negat paſſim fieri hac ætate.

Vox יסף hic adſciſcit ſignificationem ſ ספה.

VIII. NOBILES olim Deus elegit in Sacerdotibus. Aaronis familiæ, ut ſatis notum eſt, non ex *Iſraëlitis* modò ſed & *Levitis* conceſſum, *cum Deo eſſe*, & illi appropinquare; & *Primogenitus*, ſive Princeps illius familiæ hac donatus fuit prærogativâ, ut *vaticinia* edere potuerit per *Urim* & *Thummim*. Omnis igitur *Pontifex* erat *Propheta*, & ſæpe impiis etiam Pontificibus, *muneris* ſui reſpectu, hanc gratiam Deus non negavit. ut exemplum habemus in Cajapha [a]. ob quod familiæ ſuæ decus omnes Sacerdotes cenſebantur εὐγενεῖς *nobiles*. Aſſerunt itaque Hebræi Auctores, *Spiritum Sanctum ſuper familiam Aaronis quieviſſe*, & quidem, quæ ſingularis fuit illius familiæ prærogativa, quieviſſe etiam *tempore luctus* & *triſtitiæ*. Probat id Vorſtius ex Abraha Seba [b]. Maimonides vero diſerte adſtruit, omnem Pontificem, qui ante primum Templum deſtructum vixit,

Et Nobilitatis quoque.

Exemplum in Pontifice, qui Prophetavit.

Ex Judæorum ſententia, omnes Pontifices erant Prophetæ.

a Joh. XI: 51. b Not. ad Tract. Maim. de Fund. Leg. Cap. VII. §. V.

vixit, *loquutum fuiſſe* ברוח הקודש per *Spiritum Sanctum*, & τὴν השכינה *habitationem Divinam ſuper eum quieviſſe*. h. e. Deum illi extra ordinem operatione gratiæ ſuæ fuiſſe præſentem. Sic legere eſt in Hilchoth Kele Hammikdaſch [a]. Deus ipſe illos magnis ornat elogiis apud *Malachiam* [b]: בריתי את לוי *Fœdus meum cum Levi*. Reſpicit promiſſiones præſtantiſſimas huic tribui, & in tribu familiæ Aaronis factas. unde mox additur: שפתי כהן *Labia Sacerdotis ſervabunt ſcientiam*. Quibus Propheta ſignificat, ſe de tribu *Levi* loquentem maxime reſpicere ad Familiam *Aaronis* in ea tribu. החיים והשלום *Vitæ & pacis* fœdus. Confer Num. XXV: 12. Hoc eſt, promiſi iis *diuturnam*, eamque *pacatam* earum prærogativarum poſſeſſionem. Neque enim מחוקק *Legis Doctor* debebat *recedere* ante adventum Meſſiæ, qui novæ vitæ & pacis auctor eſſet. Additur poſtea; כי מלאך יהוה צבאות הוא *Quia Angelus Jehovæ Exercituum eſt*. Sacerdotes erant ἀπόστολοι τῆς ὁμολογίας Credentium Veteris Teſtamenti. Leges & promiſſiones fœderis, tabulæ fœderis, ipſis commiſſæ erant. Illorum officium erat eas docere populum, & ab eo nomine Dei poſtulare τὴν ὁμολογίαν, & pro *populo* apud *Deum* rurſus intercedere per *ſacrificia* & *preces*. Erant itaque μέσοι inter *Deum* & *populum*, & *populum* rurſus & Deum. unde recte omnes כהנים *Sacerdotes* dicuntur מלאכים ἀπόστολοι. Paulus ea inſigni modo copulat in Epiſtola ad *Hebræos* [c], quando Chriſtum vocat ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. ubi ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας idem eſt quod מלאך הברית apud hunc noſtrum *Malachiam* [d]. *Nobiles* itaque & ſtemmate clari potiſſimum docebant Populum ſub Oeconomia Vetere, & Deus cum iis potius quam cum aliis *Gratiæ* & *Spiritus* ſui dona communicabat.

Et Eruditionis quoque.

IX. Circa illam vero ætatem, qua Paulus Apoſtolus vixit, Doctores *Publici*, & ipſi quoque *Sacerdotes*, qui cooptandi eſſent in Synedria, ad eam dignitatem non admittebantur, niſi verſati eſſent in omni genere eruditionis profanæ, & forte etiam illicitas tractaſſent artes. Sic de eo Maimonides [e]: אין מעמידין בסנהדרין בין בגדולה בין בקטנה אלא אנשים חכמים ונבונים מופלגים בחכמת התורה בעלי דיעה מרובה יודעים קצת משאר חכמות כגון רפואות וחשבון ותקופות ומזלות

Adſtruitur ex Maimonide.

a Cap. x. §. x. b Cap. II. 5. c Cap. III. 1. d Cap. III. 1. e Hilch. Sanh. Cap. II. §. I. apud Seld. Lib. II. Cap. IX.

ומזלות ואיצטגנינות ודרכי המעוננים והמכשפים והבלי עבודת כוכבים ומזלות *Neque in Magnum neque in Minus aliquod Synedrium* (Vigintitriumvirale) *cooptantur quipiam præter* VIROS SAPIENTES, *mente præſtabiles in diſciplina Legis, ſcientia Medicina, Arithmetica, Motuum ſiderum cœleſtium, & Aſtrologia, Præſtigiarum peritia, item Divinationis ac Magia etiam & affaniarum, qua habentur in cultu ſiderum & ſignorum.* Hi verò ſunt illi δυνατοὶ, εὐγενεῖς, & σοφοί, de quibus Apoſtolus hoc in loco: quos deinceps vocat τοὺς ἄρχοντας τοῦ αἰῶνος τούτου [a]. Quis miretur, hujus conditionis homines non fuiſſe formatos aptatosque ad recipiendum Evangelium? Certe harum artium exiguus eſt uſus in Regno Chriſti ſpirituali. Bene Chriſtus ad *Nicodemum*, opus eſſe *regeneratione*. Hanc gratiam præſtitit Deus ex hoc ordine hominum *paucis*, præſtitit tamen aliquibus. Non habuit tamen eorum rationem majorem, imo ne tantam quidem, quantam aliorum; ut vis gratiæ & laus gloriæ ipſius tanto efferrentur altius. Doctrina Evangelii pugnat & pugnabit ſemper cum τῇ δυνατοσοφίᾳ τῶν ἀνθρώπων.

Cujus dictum applicatur ad præſentem locum Pauli.

[a] 1 Cor. 11. 6.

Caput III.

Diſputatur modeſte, quod in Pſ. LXVIII. 28. *per* Benjaminem Parvum Paulus Apoſtolus *intelligi poſſit, quæ* Hieronymi, Theodoreti, *aliorumque Interpretum celebrium ſententia fuit. Quod ut feliciter procedat,* primo *difficiliora textus verba,* רדם & רגמתם *exponuntur;* dein ἐπίθετα Benjaminis & צעיר Parvi; tandem *etiam titulus* רודה Præceptoris *aut* Imperatoris, *Paulo variis modis applicantur. In quibus uſu venit, de ſignificatione vocum* קטן & μικρὸς, *de* Samuele Parvo, *ejuſque denominationis ratione; nec non de nomine* Paulus, & *cur id* Saulo *datum ſit Apoſtolo, quantum è re eſt præſenti, diſquirere.*

Cl. Altingius laudatus, qui quæſivit Paulum Ap. in *Benjamine parvo*, Pſ. LXVIII. 27, 28.

UBi aliquando eram in pervolvendis eruditis Obſervationibus, quibus Jacobus Altingius, celebris noſtri temporis Eccleſiæ Doctor, illuſtravit locum *Gen.* XLIX. 10. in Libro, cui nomen dedit *Schilo:* memini inter alia ſumma cum voluptate animadvertere, illum ad calcem Lib. V. cap. XX. ex Pſ. LXVIII. 27. 28. producere nobile Vaticinium de *Apoſtolis*, ſuo tempore à Chriſto eligendis. Ignorabam enim tum quidem, antiquos Scripturæ Interpretes illi hanc viam præmuniiſſe. Quandoquidem vero occaſio aliqua ferebat, ut paulo diligentius inquirendum fuerit, quo fundamento *Paulus* in his verbis per *Benjaminum Parvum* deſignatus tradatur: viſum fuit hunc locum poſt operam Doctiſſimi Viri repetere, &, quantum noſtra facultas feret, illuſtrare. Sic habent verba Davidis: במקהלות ברכו אלהים אדני ממקור ישראל: שם בנימן צעיר רדם שרי יהודה רגמתם שרי זבלון שרי נפתלי. *In Congregationibus benedicite Deo; Domino ex fonte Iſraël! Ibi* Benjamin Parvus, *regens ipſos; Principes Judæ: Purpura eorum: Principes Zebulun & Principes Naphtali.*

Hypotheſis diſſertationi

II. In confeſſo eſt apud eos, quibuscum hic diſputamus, Pſal-

præmiſſa de argumento Pſalmi LXVIII.

Pſalmum hunc *ſexageſimum octavum* à Davide compoſitum eſſe ad depingendum τὸν δοξασμὸν *glorificationem* Meſſiæ, & illius illuſtria *conſequentia*, ſive *effecta*, quæ ſunt collectio & conſervatio Eccleſiæ, & deſtructio hoſtium, ipſi ac Eccleſiæ ipſius in hoc mundo adverſantium. Non tantum id *Paulus* ſignificavit claris & diſertis verbis in Epiſtola ad *Epheſios* [a], ſed ipſe etiam Chriſtus Dominus in ſuo ſermone ad *Nicodemum* [b]. Exequitur autem David hoc ſuum propoſitum eleganter atque magnifice, phraſibus plerumque deſumptis ab expeditione Iſraëlitarum ad occupandam Canaanæam, præcedente Arca, adeo ut hoc Canticum merito cum illuſtriſſimis comparetur. Quemadmodum vero qui nobilia decantaturi ſunt facta & majores atque illuſtriores rerum eventus, in more habent poſitum, ut non modo dicendi genere utantur ſublimi variiſque tropis & figuris intertexto; ſed orationi quoque ſuæ immiſceant acclamationes, exhortationes ſive παραινέσεις, deteſtationes, vota, & hujus generis plura, quæ faciunt ad ciendos affectus: ſic placuit quoque Spiritui Sancto ut in plurimis aliis ſic in hoc Pſalmo nihil eorum omittere, quæ ad ᾠδὴν ſpiritualem exornandam facere poſſunt.

Elegantia ſtructura hujus Odæ.

Eſt autem in his pericopa excellens ℣ſ. 27, 28. qua Vates Sacer Eccleſiam credentium in Chriſtum, *reductorum ex Baſane*, excitat ad laudes dicendas Domino, & ſe jungendam *cœtibus* Sanctorum, quos hoc commendat argumento; *Ibi*, (ſc. במקהלות in *Congregationibus* memoratis, ubi vult, ut *Dominus de fonte Iſraël* (Chriſtus) *glorificetur*,) inquit, *eſt* Benjamin Parvus, *Principes Juda*, *Principes Zebulun*, & *Principes Naphtali*.

Inſignis in ea pericopa, verſ. 27, 28. ubi mentio *Benjaminis Parvi*, & *Principum Zebulonis* & *Naphtali* in Cœtibus credentium.

III. Verum etſi non adeo videtur eſſe moleſtum penetrare in communem ſcopum, quem Spiritus S. in his verbis intendit: non occurrit tamen illico, quid hoc ſibi velit, quod David *Primarios ex Cœtu Credentium* primæ Eccleſiæ deſignet nomine *Benjaminis Parvi*, *Principum Juda*, *Naphtali*, & *Zebulun*. Cum enim שארית ישראל *reliquiæ illæ Iſraëlis*, quas Deus ex toto populo rebelli & infideli deſtinaverat per Filium ſuum ſervandas, quæque Eccleſiam primi temporis conſtituerunt *Hieroſolymæ*, *Samariæ*, & per totam Judæam, dubio procul collectæ

Difficultas in reddenda ratione horum nominum.

a Cap. IV. 8. b Joh. III. 13.

> Quare hæ tribus, cum ſalus Chriſti omnibus communis eſſet, excipiantur?

lectæ fuerint ex omnibus tribubus: quæ ratio eſt, quod quædam tribus, *Benjamin* ſc. *Juda*, *Naphtali*, & *Zebulun*, tantum hic loci notentur, cæteris neglectis? Cur potius Spiritui Sancto non placuit, vel communi aliquo nomine uti, quo omnes tribus poſſent indicari, vel etiam omnium ſingulatim facere mentionem? Sane, ubi ingenia præſtantium Interpretum circa hanc difficultatem ſerio fuerunt occupata, fere viſi ſibi ſunt eam ſuperaſſe. Nimirum obſervarunt, *Apoſtolos* Domini noſtri Chriſti ex his potiſſimum tribubus, quantum recognoſcere nobis datur, fuiſſe lectos, & judicarunt optime convenire contextui Prophetico & ſcopo Davidis, ut *Apoſtolorum* cœtus heic dicatur à Davide in hoc Cantico mere Prophetico eſſe prænotatus. quando illi per Benjaminem Parvum intellexerunt *Paulum Apoſtolum*. Quod ut liquido conſtet: operæ pretium erit Præſtantium quorundam Interpretum S. Scripturæ verba prius proferre in medium, quam ad rationes hujus ſententiæ indagandas, earumque pondus examinandum, nos accingamus.

> Sunt inter Intt. qui hic exiſtimarunt alludi ad *Apoſtolos* Chriſti.

> Hieronymi ſententia.

IV. Ex Hieronymo, Latinorum Patrum abſque dubitatione doctiſſimo, hæc habe ſequentia[a]: In Eccleſiis benedicite Dominum: *Manifeſtius eſt loquutus, quas ſupra dixerat tympaniſtrias.* Dominum de fontibus Iſrael: *Quia ſalus ex Judæis eſt, & inde prima Eccleſia. Ex adumbratione enim Legis Eccleſiæ doctrina proceſſit, in qua nunc* Dominus, qui ex Iſraeliticæ ſtirpis propagine carnem ſuſcepit, *benedicitur.* Ibi Benjamin: ¶ *Paulus Apoſtolus, qui ex tribu Benjamin deſcendit.* Ibi; *in Eccleſia.* Adoleſcentulus. *Noviſſimus omnium Apoſtolorum.* In mentis exceſſu. (Sic Veteres verterunt רדם quod in ſequentibus exponetur latius:) *Quem pertulit in Damaſcum cum irei.* Principes Juda, duces eorum. *Apoſtoli ſunt Prin-*

cipes

a Com. in h. l. ¶ Nou eſt quod mirer, Hieronymo in mentem veniſſe, ut per *Benjamiuem* hic intellexerit *Paulum*, cum obſervaverim, Tertullianum jam, qui Hieronymum per duo ſæcula anteceſſit, *Benjaminem* in loco celebri *Gen.* XLIX. 17. *Benjamin eſt lupus rapax*, &c. interpretari de Paulo Apoſtolo, adverſus *Marcionem* Lib. v. in initio. Nec eſt quod dubitem, quin tam Hieronymus quam Tertullianus hoc acumen debeant Græcis, qui in Scriptura dextre exponenda Latinos ſuperarunt.

cipes Judæ, hoc eſt, Domini, quemadmodum dicit Jacob: Juda te laudabunt fratres tui. Principes Zabulon et Principes Nephtalim: *Zabulon interpretatur fluxus noctis. Nephtalim latitudo. Quando liberati fuerimus de paſſione libidinis, hoc eſt, illius fluxus, tum incipimus latitudines virtutum.* (Hoc paulo frigidius:) *Vel aliter.* Principes Zabulon et Principes Nephtalim. *Petrum & Andream Apoſtolorum Principes monſtrat, qui in craſſitudine tenebrarum illarum lucem magnam annunciantes Doctores ſunt Evangelii conſtituti, juxta illud* [a]; *Terra Zabulon & terra Nephtalim; via maris, trans Jordanem, Galilææ gentium. Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Hieronymo jungamus Theodoretum, diligentiſſimum utique Scripturarum Interpretem, cujus commentarius non minus perſpicuus eſt, quam ille Hieronymi [b]. Ἐκεῖ Βενιαμὶν νεώτερος ἐν ἐκστάσει. Ὁ δὲ Ἀκύλας, ἐκεῖ Βενιαμὶν βραχὺς, ἐπικρατῶν αὐτῶν, κατὰ δὲ τὸν Θεοδοτίωνα, παιδευτὴς αὐτῶν. Βενιαμὶν δὲ νεώτερος, ὁ μακάριος Παῦλος, ὁ ἐκ τῆς Βενιαμίτιδος βλαστήσας φυλῆς. νεώτερος, ὡς μετὰ πάντας κληθεὶς, καὶ προσαγορευόμενος· ἄλλως τε καὶ νεανίαν αὐτὸν ἡ τῶν πράξεων ἱστορία καλεῖ· οὗτος ἐπικρατεῖ τῆς ἐκκλησίας, καὶ παιδεύει τὰ θεῖα, καὶ ποδηγεῖ πρὸς σωτηρίαν τοὺς βουλομένους· ἐγένετο δὲ καὶ ἐν ἐκστάσει, μαθὼν ἐν οὐρανοῖς εἶναι τὸν ὑπ' αὐτοῦ διωκόμενον, καὶ νεκρὸν νομιζόμενον· ἐπειδὴ δὲ οὐ μόνον ὁ μακάριος Παῦλος, ἀλλὰ καὶ ὁ λοιπὸς τῶν ἀποστόλων χορὸς, τὰ θεῖα τοὺς πιστεύοντας ἐκπαιδεύει, εἰκότως καὶ τούτων ὁ προφητικὸς ἐμνημόνευσε λόγος· Ibi Benjamin adolescentior in mentis excessu. *Aquila autem; Ibi Benjamin parvus, imperans ipſis. Theodotio vero; Præceptor illorum. Porro* Benjamin adolescentior, *eſt beatus* Paulus, *qui ex tribu Benjamin ortus eſt,* adolescentior, *tanquam poſt omnes vocatus, & appellatus. Præſertim cum adoleſcentem ipſum Actuum hiſtoria vocet. Hic Eccleſiæ imperat, eamque inſtruit in rebus divinis, & volentes ducit ad ſalutem. Fuit autem in exceſſu mentis, ut diſceret in cœlis eſſe illum, quem ipſe perſequebatur, quemque mortuum exiſtimabat. Quoniam autem non modo beatus Paulus, verum etiam reliquus Apoſtolorum chorus res divinas credentes docet, merito de his etiam Propheticus ſermo mentionem fecit.* [ἄρχοντες Ἰούδα ἡγεμόνες αὐτῶν, ἄρχοντες Ζαβουλὼν, ἄρχοντες Νεφθαλείμ.] ἐκ γὰρ τούτων τῶν φυλῶν τὸ γένος οἱ λοιποὶ κατῆγον ἀπόστολοι· καὶ οἱ μὲν καλούμενοι ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, τὴν Ἰούδα φυλὴν πάντως εἶχον πηγήν. Πέ-

Et Theodoreti.

a Jeſ. ix. 1. b Com. in h. l. ad verſ. 2.

ρος δὲ, καὶ Ἀνδρέας, καὶ Ἰάκωβος, καὶ Φίλιππος, ἀπὸ Βηθσαϊδᾶ τῆς κώμης ἐτύγχανον ὄντες· Ματθαῖος δὲ καὶ Ἰάκωβος, ἐν τῇ Καπερναοὺμ διάγειν ἱστόρηνται· Σιμὼν ὁ ζηλωτὴς, Κανανίτης ὀνόμασται· ταῦτα δὲ πάντα χωρία τῆς Γαλιλαίας ἐστί· Ζαβουλὼν δὲ καὶ Νεφθαλεὶμ ἐκεῖνον εἶχον τὸν κλῆρον· καὶ τούτου μάρτυρες δύο· ὁ μὲν προφήτης, ὁ δὲ εὐαγγελιστής· ὁ μὲν προλέγων, ὁ δὲ τὴν μαρτυρίαν προφέρων· φασὶ δὲ οὕτως. γῆ Ζαβυλὼν, καὶ γῆ Νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ τὴν παραλίαν κατοικοῦντες, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν· ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα. [PRINCIPES JUDA, DUCES EORUM; PRINCIPES ZABULON, ET PRINCIPES NEPHTALIM.] *Ex his namque tribubus cæteri Apoſtoli originem duxerunt. Et illi quidem, qui vocabantur fratres Domini, ex tribu Judæ plane genus traxerunt. Petrus autem, & Andreas, & Jacobus, Joannes, & Philippus ex vico Bethſaida fuerunt. Matthæus & Jacobus dicti ſunt habitaſſe Capharnaum. Simon zelotes Cananæus nominatus eſt. Omnia autem hæc loca Galilææ ſunt. Zabulon autem & Nephtalim ibi ſuam habuerunt ſortem. Et hujus rei duo ſunt teſtes; unus quidem Propheta, alter vero Evangeliſta; ille prædicens* [a], *hic vero teſtimonium proferens* [b]. *Dicunt autem ſic; Terra Zabulon, & terra Nephtalim, & cæteri maritimam regionem incolentes, trans Jordanem Galilæa gentium, populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Liranus illos ſequutus eſt in hæc verba: IN ECCLESIIS BENEDICITE DEO. *Hoc dicit, quia Apoſtoli & diſcipuli Chriſti fuerunt de populo Iſraël.* IBI BENJAMIN. *Id eſt* PAULUS, *qui fuit de tribu Benjamin. Qui converſus junxit ſe cum aliis fidelibus.* ADOLESCENTULUS: *Quia ſecundum ætatem adhuc erat adoleſcens, quando fuit converſus, unde dicitur* [c]. *Et teſtes depoſuerunt &c. vel quia inter Apoſtolos ultimo loco fuit vocatus.* IN MENTIS EXCESSU. *Quia fuit raptus uſque ad tertium cœlum* PRINCIPES JUDA DUCES EORUM. *Dominus enim noſter Jeſus fuit de tribu Juda ſecundum carnem* [d], *& per conſequens, Jacobus, Joannes, Simon, & Jacobus minor, ejus cognati germani fuerunt de eadem tribu, & iſti fuerunt cum aliis Apoſtolis Duces Chriſtianorum. In tranſlatione Hieronymi habetur: Principes Juda in purpura ſua. Quia propter Chriſtum ſuſtinuerunt martyrium, ſuo ſanguine purpurati: &c.* Quibus ex Doctis & Piis Viris, qui Eccleſiæ ſuperiore ſæculo in melius inſtaurandæ operam dederunt, addam Pellicanum, qui ad eadem

Et Lirani quoque, illos ſequuti.

Additur illis Pellicanus.

a Jeſ. IX. 1. b Matth. IV. 15, 16. c Act. VII. 58. d Rom. I. 3.

dem hæc verba in hunc modum commentatur: *In tanta carminis obſcuritate cum nihil certius dici & aptius videamus, Primum in laudibus Dei & in buccinis Evangelicu præcentorem in gentibus, placet* PAULUM *intelligere, præ admiratione magnalium Dei raptum vel proſtratum. Sed & de reliquis tribubus Duces regni Chriſti Apoſtoli multi fuerunt & Apoſtolici Viri, de tribu Juda. ſicut & de Galilæa non pauci erant, veriſimiliter de tribubus Zabulon & Nephtalim. omnes eximii anteſignani Eccleſiæ, & Eccleſiarum Apoſtolicarum Patriarchæ & plantatores, quamlibet multa pro nomine Dei paſſi à Gentibus & Judæis. Ad quod referri poſſit, ſi quis* רגמתם *applicare velit, quod æque congregationem & cœtum ſignificat.*

V. Tantum eſt, quod è re præſenti eſſe duxi ex præſtantium Virorum Commentariis hic exhibere, ut Interpretationem, in ſequentibus adſtruendam & illuminandam, à novitatis invidia vindicarem, & non meum tantum ſed & lectorum meorum judicia his præſidiis quaſi munirem. Etiamſi enim auctoritati humanæ non facile plus tribuam quam oportet: gratius tamen ſemper accidit viæ me duces & comites habere quàm primum & ſolum ignotum iter ingredi, & veſtigia non invenire, ſed facere. Nec tamen hic ſubſiſtere velim. Oſtendendum enim nobis incumbit, hanc explicationem fultam eſſe ratiociniis, non contemnendis. Quod ut fiat ordine, *primo* ad interpretationem pericopæ hujus literalem brevibus diſſeremus, ubi difficultas aliqua lectorem morari forte poſſit: *dein* explicationem ipſam cum aliis comparabimus, eamque tandem dabimus illuſtratam. Scopus in his variorum Scriptorum Teſtimoniis, in medium productis.

VI. *Primo* in his verbis dubium, quo referri debeat τὸ ממקור ישראל *ex fonte Iſraëlis.* Sunt, qui ita: *Benedicite Deo in conventibus, Domino* PROPTER FONTEM *Iſraël.* hoc eſt, *propter ſaluberrimam bonorum omnium, qua fruitur Iſraël, affluentiam.* Sic Gejerus. Sed noſtro judicio magis impropriè. Fons enim in Scriptura non tam ſolet ſignificare ipſa bona collata, quam quidem auctorem, cauſſam, & principium perenne iſtorum bonorum. Alii: *Vos, qui eſtis* EX FONTE *Iſraël.* quaſi ſcriptum eſſet: אשר אתם ממקור ישראל. Sic Belgæ. **Gy die zijt uyt den ſprinckader Iſraëls.** Sed neſcio, an negari poſſit, convenientiſſimam textui In verbis Vatis primo quæritur, quid ſibi illud velut epitheton *Domino* ſubjectum, *Ex fonte Iſraëlis.* Variæ Interpretum ſententiæ.

 hanc

Genuina interpretatio producta & ad Chriſtum applicata.

hanc eſſe expoſitionem, qua verba, ממקור ישראל *ex fonte Iſraëlis*, referuntur ad præcedens אדני/ ſic concepta ſententia: *Benedicite* Domino, ex fonte *Iſraël*. Hoc eſt, *Domino, manifeſtato in carne*, & *ſecundum carnem Iſraëlis* Filio. Tentaſſe id videtur Hieronymus, ſed explanavit Cl. Coccejus. Certe, χοϊκὸς, ἄνθρωπος ἐκ γῆς & Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, quę apud Paulum ſunt in priore ejus Epiſtola ad *Corinthios* [a], quoad conſtructionem conſentiunt.

Deinde quid ſibi velit vox רדם epitheton *Benjaminis Parvi*.

VII. Difficilius dictu eſt, quid ſit illud רדם/ quod ἐπίθετον *Benjaminis parvi* eſt, & רגמתם/ quod *Ducibus Judæ* datur inſigne in commate *vigeſimo octavo*. De *Benjamine parvo* ita habent verba Cantici: שם בנימן צעיר רדם. Οἱ ό. Ἐκεῖ Βενιαμὶν νεώτερος ἐν ἐκστάσει. Latini: *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*. Clarum eſt, retuliſſe hos Interpretes τὸ רדם ad thema harum literarum, quod in Niphal (נרדם) *ſoporari* & *ſenſibus privari* notat. De hac verſione ita Cl. Coccejus: *Fuerunt hi Interpretes, ut apparet*, נרדמים & ἐκστατικοί. Non rejicit tamen Cl. Altingius, ſed in explicatione hujus loci eam *Paulo* optime applicavit. Chaldæus verba cum cæteris ex gente ſua Doctoribus non intelligens, convertit in fabulam, hac occaſione fictam, ut alias agunt frequenter: תמן בנימן צעיר בשבטיא דמן שרויא נחת לימא מטול היכנא קבל מלכותא מן שרויא *Ibi Benjamin parvus inter tribus, qui primus deſcendit in mare*, (rubrum intellige:) *atque idcirco primus recepit regnum*. Fabula eſt, cum Judæi, Pharaone eos perſequente, ad maris Arabici extremas perveniſſent oras, noluiſſe unam tribum præ altera in illud deſcendere; tandem tamen finita altercatione deſcendiſſe *Benjaminem*, eamque ſequutam fuiſſe tribum Judæ [b]. Patet eos accepiſſe τὸ רדם/ quaſi compoſitum eſſet ex רדה & ים/ etſi ſignificatum τοῦ רדה/ ubi capitur pro *dominari*, noluerint videri negligere, cum paulo poſt de *imperio Benjaminis* diſſerunt. Ejuſmodi ſubtilitas vergit in dementiam. Elegantiores Interpretes jecerunt, τὸ יָרק pro יוֹרק accipiendum eſſe. Coccejus ſimile exemplum attulit ex Jeſ. LXIII. 11. ubi eſt הַמַּעֲלֵם *educens ipſos*. רדה vero *dominari, regere*, & *imperare* notat, unde רדם vertas; *Princeps, Imperator eorum*. Belgæ Interpretes: Die over hen heerſchte. Neque diſſentit Kimchi in *Lexico*, notans רודם eſſe pro רודה בם/ quia רדה frequentiſſime con-

Intt. judicia varia.

Chaldæi interpretatio, & fabula illi ſubjecta.

Cl. Cocceji ſententia.

Belgarum.

a 1 Cor. xv. 47. b Vide Wagenſ. ad Cap. vii. *Sotæ*, p. 790. 792.

conſtruitur cum ב / ubi *dominandi* ſignificatione fruitur. obſervat etiam, vocem משר / quę itidem *imperare*, *dominari*, ſignificat, eodem modo aliquando cum, aliquando ſine ב conſtrui, licet infrequentius. Neque eſt hæc notatio τοῦ רדה / ubi capitur pro *dominari* & *regere*, multum diverſa ab ea τοῦ ירד / ubi ſumitur pro *deſcendere*. Illi enim, qui *imperant* aliis, cum aliis videantur eſſe ſuperiores, quovis imperio & mandato ſuo in eos videntur deſcendere & influere, & ſe cum ſubditis ſuis ex alto communicare. Utique τὸ ירד / quod *deſcendendi* verbum eſſe diximus, pari ratione cum ב conſtruitur ac רדה. Aquila. ὁ ἐπικρατῶν αὐτῶν. In Edit. Rom. κρατῶν αὐτῶν.

VIII. Diffitendum vero non eſt, poſteriorem hanc verſionem longe eſſe præferendam priori Interpretum Græci & Latini, qui τὸ רדם verterunt, ἐν ἐκστάσει, quaſi eſſet à תרדמה. Etenim τὸ רדם nunquam in Scriptura in forma *Kal* reperitur, ſed tantum in *Niphal*. Præterea, ἐν ἐκστάσει vel ἐκστατικῆ γενέσθαι *paſſivum* quid eſt, cum contra τὸ רודם / ſit ſignificationis *activæ*. Dein, *Judæ*, *Zebulun*, & *Nephtalim* tribubus datur ἡγῆται שרים *Principum*. unde veriſimile fit, non diſparem notatione titulum *Benjamini parvo* tribui. Tandem negari non poteſt, valde peregrinam eſſe φράσιν, *Benjamin parvus*, ἐκστατικός; & interpretationem, in *Paulo* quæſitam, longiuſcule eſſe petitam. Teneamus itaque, τὸ רדם eſſe à רדה / quod apud Hebræos *regere* & *imperare* ſignificat, unde רדם *Imperator eorum*, Dux eorum. Sed quid hoc, quod ex Theodoreto notamus, (obſervavit idem Druſius in *Fragmentis Interpretum Veterum*:) Theodotionem τὸ רדם vertiſſe per παιδευτὴς αὐτῶν, Præceptor ipsorum? Utique id valde ad rem facit. ὁ παιδευτὴς apud Græcos notat tam eum, qui præceptis aliquem inſtruit, quam qui aliorum mores format per diſciplinam & caſtigationes. Eſt ſane ejuſdem ſignificationis cum hebræo יסר / & παιδεύειν cum יסר. Sed unde hoc habuit Theodotio? Videor mihi illius aſſecutus rationem hanc, quod רדה apud *Chaldæos*, *Syros*, & *Arabes* (hi רדא exprimunt:) omnino capiatur pro *præeſſe*, *docere*, *erudire*, *caſtigare*, & uno verbo παιδεύειν. De Moſe dicitur Act. VII. 22. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων *Et eruditus fuit Moſes omni ſapientia Ægyptiorum*. Ubi Syrus: ואתרדי quod Hebræi Pſ. XVI. 7. *Erudiunt me renes mei*. יסרוני כליותי /

In epicriſi harum ſententiarum ea rejicitur, quæ vocem רודם exponit per ἐκστατικόν.

Theodotionis verſio animadvertitur, qui vocem vertit per *Præceptor eorum*.

Unde nata illi ſit hæc interpretatio?

Chaldæus effert. ורדאן לי כליתי. Hinc מרדות παιδεία, *diſciplina*, caſtigatio. unde מכת מרדות / *plaga caſtigationis*, qua rebelles & inobedientes apud Judæos plectebantur. Non male igitur Theodotio, inter Græcos Interpretes procul dubio laudatiſſimus, τὸ רדוי vertit per παιδευτής, & occaſionem habebimus in ſequentibus oſtendendi, hanc παράφρασιν egregie noſtro reſpondere inſtituto. Reſtat videamus, quid ſibi velit τὸ רגמתם.

Quæ non rejicitur.

Tertia vox difficilior expoſitu, רגמתם:

IX. Lxx Interpretes habent: ἡγεμόνες αὐτῶν, *Duces eorum*. Sic item Interpretatio *Vulgata*. Sed quo fundamento? Certe τὸ רגם nunquam tali ſignificatione venit. Ludovicus de Dieu, vertens τὸ רגמתם *lapis eorum*, videtur ſibi perſuaſiſſe, Interpretes Græcos hanc vocem metaphorice accepiſſe, ſed hac ſua interpretatione voluiſſe explicare metaphoram. Etenim *lapides* ſolent eſſe emblemata *Principum* & *Ducum*. Prætermittendum tamen non eſt, quod Aben-Eſra eodem plane modo τὸ רגמתם exponat per שרים *Principes*. Sic ille. ורגמתם כמו שרים וככה רגם מלך τὸ רגמתם *idem eſt*, *quod* PRINCIPES: *Atque ita accipiendum Regem Melech*. Tranſlationis hujus Aben-Eſræ mentionem facit in *Lexico* ſuo David Kimchi: וי"מ שרים ויונתן לא תרגם ורגם מלך *Sunt*, *qui exponunt* (τὸ רגמתם / de quo diſquirimus:) *per* PRINDIPES. *Jonathan vero non vertit* τὸ רגם מלך. Kimchius ipſe רגמה interpretatur per קהל *cœtum* [a]. רגמתם / inquit, eſt קהלם *cœtus eorum*. Sequuti ſunt Belgæ. Met hare vergaderinge. Etiam Diodati: *Avec leurs troupes*. Ratio hujus interpretationis inde petitur, quod רגם ſignificet, *aliquem lapidibus obruere*. Hinc מרגמה *cumulus lapidum*. Placuit item hæc verſio maxime Cl. Gejero. Coccejus tamen aliter inſtituit. רגם / ait, *eſt lapidibus obruit. Sed nihil hoc ad rem. Et* רגמה *nuſpiam* lapidatio. רקמה *eſt affine. Hoc habet verſio Judaica Germanica.* יהודה מיט אירן גיריקאמערטן קליידרן / Juda mit ihren gerecamerten cleideren. *Sed aliud vocabulum eſt* רקמה / *aliud* רגמה. ארגמן *eſt* purpura. *Hinc deductum puto. Purpura regum color.* Alios etiam ejus opinionis auctores fuiſſe, intelligo ex Gejero. Sed neque hæc etiam omni carent dubio; maxime ſi Doctiſſimi cujuſdam Viri ſententia obtineat, qui τὸ ארגמן deducit ex ארם & גון / quaſi dicas: *color Syrius*. Mihi quidem facilius longe videtur, τὸ רגמה derivare à רקמה / quam ab ארגמן / cujus obſcu-

Variorum Intt. ſententiæ, & in his A. Eſræ, qui verſit per *Principes*.

Alii per *Cœtum*.

Coccejii ſententia qui retulit ad *purpuram*.

a In Lex. ad h. v.

ſcuriſſima eſt origo. Eſt enim literarum ג & ק permutatio ſatis frequens, ob *ſoni* convenientiam. רקם notat *acupingere*. Belg. Borduyren. Sic ſignificaretur, *Principes Judæ* inter cæteros Principes *excellere*, ut qui præ cæteris ornati ſint. Sane τὸ רקמתם hac notatione extat *Ezech.* XXVI. 16. junctum voci בגדים/ ad quem locum Judæi Germani omnino reſpexerunt. Sed quidni hic cogitemus de etymo ריגמה/ ut רגמתם dictum ſit pro ריגמתם? רגם apud Chaldæos ſignificatum habet *tollendi* ac *elevandi*. Unde רגמה *Elevationem*, ſive *Excellentiam*, deſignaret, atque hæc naſceretur verſio: *Principes Judæ*, EXCELLENTIA *eorum*, hoc eſt, digniſſimi & præſtantiſſimi inter ipſos. Si huc reſpexerint οἱ LXX. tum patet nobis illorum interpretationis ratio, de qua ante fuimus ſoliciti. Eſſe autem familiarem maxime literarum ג & ע permutationem apud Hebræos, quis ignorat? Bochartus [a]: *Nota porro*, ait, *literam* ע *ab initio vocis* עאבר *vel poſſe plane negligi vel etiam exprimi per G. Sic enim eadem vox* צער *modo* Zoara *ſcribitur*, *modo* Sogor & Segor: *ut* פעור Pheor & Phegor. עיבל Ebal & Gebal. עריון גבר Arion Gaber & Garion Gaber. עזה Aza & Gaza. *Stephanus*: Γάζα πόλις Φοινίκης, νῦν δὲ παλαιστίνης πρὸ τῆς Αἰγύπτου, ἐκλήθη καὶ Ἄζα. Sic עאבר Mirrhæ *epithetón poteſt ſcribi* Abir *vel* Gabir. Adde עמרה γόμοῤῥα. Quidni eadem ratione רגמה expreſſum poſſet eſſe pro רעמה/ quod *Principibus*, ut obſervatum eſt, adſcribitur? Certe vel hæc ſtare debet verſio, vel illa hujus vocis tranſpoſitio, qua רגמה ſumitur pro ornamento *acupicturæ*, quam etiam inter alias recenſuit R. Salomo: ד״א רגמתם רקמתם לבושי בגדי רקמתם לשון ארגמן כך חברו מנחם *Alia interpretatio*: τὸ רגמתם *idem eſt*, *quod* רקמתם/ *quaſi dicas*; *Induti veſtibus ſuis acupictis*, *ſignificatu* τοῦ ארגמן *purpuræ*. *Sic auctor eſt Menachem*. Ita tandem duplex hæc interpretatio in eandem conſpirabit ſententiam. Sic igitur vertamus verba, de quorum ſenſu diſquirimus: *Principes Judæ*, EXCELLENTES *inter ipſos*, ſive ACUPICTI *eorum*. De Vorſten van Juda/ hare geborduerde/ vel, hare gepurperde/ ſive hare voortreffelijcke/ hoc eſt, eorum ornatiſſimi.

Vox רגמה rectius videtur deduci à voce רקם *acupingere*.

Vel à רגם ſignificatu *extollendi*, *elevandi*.

Literæ ג & ע inter ſe facile permutantur.

Jarchii obſervatio.

Vera verborum ſententia.

X. Hactenus diſceptatum eſt de verbis, nunc ad rem; quam viſum eſt conficere quibuſdam theſibus, ut rationes, quibus hæc

Tranſitur ad contemplationem rei, hic deſcriptæ.

a Phalegh Lib. II. Cap. XXII.

hæc explicatio nititur, claræ luci exponantur, & omnis in diſputando vitetur confuſio. Liceat itaque ſequentia in hanc rem anticipare προλήμματα:

Supponitur autem hic primo, Vatem Sacrum hic loqui de *cœtibus Chriſtianis*, ritus Apoſtolici. Quod conficitur ex argumento Pſalmi.

1. *Vatem ſacrum in his verbis agere de illuſtribus quibuſdam & purioribus Chriſtianorum cœtibus, ſive ipſius temporis Apoſtolici, ſive ad diſciplinam Apoſtolici temporis conformatis.* Ita eſt: vocula שם IBI cum ſit *relativa*, non poteſt alio commode referri quam ad vocem מקהלות *Cœtus*, Ecclesiæ, ℣ſ. 27. ubi dixerat; במקהלות ברכו אלהים *In Cœtibus* (Ecclesiis) *benedicite Deo.* *Cœtus* autem *Chriſtianos* intelligi, ex totius Pſalmi argumento patet, qui decantat *Regnum Chriſti Jeſu*, erecti ad dextram Patris cum glorioſis illius *ſignis* atque *effectis*, quę quidem ſunt *victoriæ*, à Chriſto Jeſu de omnibus hoſtibus ſuis reportandæ per totum tempus OEconomiæ Novæ; argumento petito ex expeditione Iſraelitarum, Duce *Joſua*, occupantium Hæreditatem Canaanæę. quę *victoriæ* & *triumphi* Chriſti Jeſu omnes referuntur ad veram & unicam earum cauſſam, h. e. *adſcenſum ejus in cœlos*, poſt Satanam, morte & obedientia ſua victum, ℣ſ. 19. Si jam porro quæras, de quibus & cujus temporis *Cœtibus* Chriſtianorum in ℣ſ. 27. loquatur Vates, an de *Cœtibus Eccleſiæ primævæ* temporis Apoſtolici, an de aliquibus *Eccleſiis*, *ad diſciplinam Apoſtolicam conformatis*, *& reformatis temporum ſequentium*: poſſet eſſe dubium, & à nobis etiam in noſtra hac exercitatione, ſalva demonſtratione vi, ut dubium relinqui. Equidem cum aliquot ab hinc annis ad hæc verba primo commentarer: non nego, me cum pleriſque Interpretibus hic intellexiſſe *Cœtus Apoſtolici temporis*, & exiſtimaſſe etiam, id aliquid facere ad intendendam vim meæ ἀποδείξεως: ſed vidi poſtea, cum rem altius meditarer, id hic plane neceſſarium non eſſe. *Eccleſiæ* enim *Sanctorum* omnes ad typum doctrinæ & diſciplinæ Apoſtolicæ formatæ, unum aliquod faciunt corpus, & licet diverſorum ſint temporum; eadem tamen admittunt attributa. quare ſi qui alii hic, aut ipſemet quoque ego à me nunc diſſentirem; nolim id ita accipi, ac ſi infringeret robur probationis. Equidem, affectus ſtudio veri, in cujus accuratiore intelligentia adſiduo labore proficere nitor, nolo nunc diſſimulare, me cum poſt curas primi temporis præcellentem hanc Oden diligentius relegerem, & integram

Dubium tamen, an loquatur de Cœtibus Eccleſiæ formatæ, num reformatæ.

Utrumque conſiſtere poteſt cum præſente demonſtratione.

gram mihi exponendam ſumerem; maxime probabilem habuiſ-ſe ſententiam, quę ſcenam hujus prophetiæ notabilis figit in tempore *ruentis Paganiſmi*, ex ℣ſ. 13. & 15. & decurrere narrationem Prophetæ de victoriis, à Domino reportandis de *Judæis rebellibus*, & *Rectoribus* Romani Imperii, uſque ad ℣ſ. 20. Inde vero Vatem ſacrum loqui de *victoriis* & *triumphis* temporis *futuri*, cum in præcedentibus loquutus eſſet verbis terminationis *præteriti*, aut *præſentis*. ſecundam quam hypotheſin *commata* 20--26. omnino accipienda ſunt de vindiciis, quas Chriſtus Rex ſumeret de *homine peccati* & *filio perditionis*, qui ſe in Eccleſia imperioſe ac ſuperbe efferret, & in pios veritatis confeſſores immaniter ſæviret, & *Eccleſiæ*, reducendæ & vindicandæ ex *Baſane*, (Communione magni alicujus & florentis Populi,) atque inſtaurandæ in integrum juxta formam Doctrinæ & Diſciplinæ Apoſtolicæ; qui proinde *cœtus*, ad doctrinam & diſciplinam Apoſtolicam *reformati*, & vindicati à tyrannide, in quibus Eccleſia Apoſtolica veluti reviviſceret & reſuſcitaretur, excitantur ad Deum, & *Dominum ex fonte Iſraëlis*, (Chriſtum Jeſum,) ejuſque Gratiam, & beneficia in ſe collata, celebranda; quorumque character & qualitas deſcribitur illo ipſo *commate*, quod nunc commentor. Supererat *Imperium Barbarum*, (*fera Arundineti*,) adverſum Regno Chriſti, (Turcicum, inquam:) quod ut tandem ſua potentia evertat, Eccleſia *Regem* & *Dominum ſuum* ſupplice prece orat; de quo ℣ſ. 29, 30, 31. quando Regna & Imperia Mundi, Filio Dei ſubjecta, ejus Majeſtatem comiter venerarentur, à ℣ſ. 32. uſque ad finem. Sed longum eſt hæc ſingula perſequi ac demonſtrare, nec præſentis inſtituti. Quod enim ad eam rem attinet, in qua nunc verſor: ſufficit omnino mihi, intelligi hic *Cœtus* Chriſtianos Ritus Apoſtolici.

Poſterius autem non eſſe improbabile, evincitur ex Pſalmi Analyſi.

2. *In deſcribendis cœtibus Apoſtolicis, aut ad Apoſtolicarum typum reformatis, memorari à Vate Viros* QUOSDAM IN ILLIS COETIBUS EMINENTES. Hanc theſin quis neget, qui priorem conceſſit? Expreſſe enim Vates: Ibi (in *cœtibus*) Benjamin parvus: *Principes Judæ, Principes Zebulun & Naphtali.* Hi ſcilicet ſunt, qui in cœtibus illis excellunt, eoſque honeſtant.

Secundo, deſcribi hic *Viros*, in illis Cœtibus eminentes.

3. *In veris puriſque Chriſtianorum* (מקהלות) *cœtibus* EMINERE Apo-

Tertio, in illis Cœtibus

[illegible] Apoſtolos. APOSTOLOS. De veritate hujus ſententiæ nullus Chriſtianus homo dubitat. Apoſtoli ſunt [illegible]. Sunt illi non minus honori Templo Dei ſpirituali, quam olim *Jachin* & *Boaz* Templo Salomonico. Eminent in Eccleſia, & ornant eam.

Conſequentia ejus. 4. *Ac proin conſonum eſſe rationi*, UT HIC HIS VERBIS INTELLIGANTUR APOSTOLI, *ſi epitheta adjuncta iis commode poſſint applicari.* Conſecutio hæc evidentiſſima eſt. Deſcribuntur heic cœtus primorum Chriſtianorum. Notantur nobiliſſimi quidam Viri in illis cœtibus. Hos conſtat fuiſſe Apoſtolos. Hinc colligo per rationem, conveniens eſſe, ut hic intelligantur Apoſtoli, modo tituli, quibus hi homines, qui in Chriſtianorum Cœtibus dicuntur eminuiſſe, inſigniuntur, commode ad eos per [illegible] poſſint referri.

Et denique, delineationem hanc Apoſtolis inſignitis convenire, atque per Benjaminem parvum hic nobis intelligi Paulum. 5. [illegible] *hanc Principum Eccleſiæ Apoſtolis*, & *maxime* PAULO, *eſſe convenientiſſimam* [illegible]. Id nunc præcipue agendum erat, & ad rem noſtram pertinet. Nimirum præ nobis ferimus, non tantum nihil repugnare, quo minus Apoſtoli heic intelligantur; ſed, quod plus eſt, eos tam ſignate hic eſſe circumſcriptos & depictos, ut in ſermone Prophetico nihil amplius & preſſius potuerit requiri. Propoſitum eſt, hac occaſione ſolummodo id demonſtrare de *Paulo*, qui hoc notatur inſigni: בנימן צעיר רדם BENJAMIN PARVUS, DUX, vel PRÆCEPTOR EORUM. Excutiamus illud per partes & *Paulo* Apoſtolo applicemus, orſi à voce BENJAMIN.

Quod ut demonſtretur, obſervamus in anteceſſum, Perſonas, de quibus in prophetiis agitur, paſſim non proprio ſed myſtico aliquo nomine deſignari, aut nomine illis- pis. XI. Prophetis ſacris, *rem* aut *perſonam ſingularem* prænunciaturis, rariſſimè in uſu fuit, eam deſignare illo *nomine proprio*, quo deinceps innoteſcerent. Id adeo verum eſt, ut ne quidem ipſius Meſſiæ nomen proprium in Prophetiis [illegible] extet. Certe Prophetiæ à Deo datæ ſunt eum in finem, ut ſancti Deoque dilecti homines eas diligenter & humiliter perſcrutando intelligerent; cæteri vero, quibus cara non eſt veritas, quibuſque vias Dei perſcrutari volupe non eſt, ad eas obſtupeſcerent. plane uti ſe res habuit cum Doctrina Chriſti parabolica. Hinc placuit Deo ita Prophetas ſuos inſtruere, ut res futuras non propoſuerint *aperte* & *plane*, abſque ullis verborum ambagibus aut involucris: ſed *tecte*, ſub emblematibus, typis,

tro-

tropiſque variis & nominibus figuratis, ut *pii* & exercitati Viri in viis Dei habeant, quod perpendant, meditentur, comparent, intelligant, & admirentur, quando συγκρίσει πνευματικῇ instituta *eventum* prædictionibus reſpondentem ſcrutantur: *impii* vero, quod negligant, contemnant, ſtupeant, & aliquando etiam rideant, donec ſuo tandem malo judicia Dei experiantur, in vaticiniis illis præcantata. Si quam itaque perſonam ſingularem in Prophetiis notatam volumus: nullus quidem æquus arbiter rerum requiret, ut is homo proprio nomine ſuo in iis deſignetur. hoc enim à Prophetarum more alienum. ſed ut iis coloribus depingatur, & ſub talibus emblematibus proponatur, quibus in more eſt poſitum Prophetis res aut Perſonas circumſcribere futuro tempore extituras. Solent vero Prophetæ homines in poſterum futuros paſſim proponere ſub nomine ſuorum Parentum illuſtrium, aut *auctorum ſtirpis illius*, unde illi ducent originem. Id ſane quod recte atque ordine fit, & rationi conſentaneum eſt. Illi enim, qui nondum exiſtunt in mundo, quo nomine commodius ſignificentur, quam eorum, à quibus exiſtendi habituri ſunt principium, & in quorum lumbis jam concipiuntur eſſe? Non aliunde eſt, quod in Scriptis Sacris nomina *Japheth*, *Sem*, *Edom*, *Moab*, *Ammon*, *Aßur*, *Iſrael*, *Juda*, *Ephraim*, *Menaſſe*, *Levi*, ſumantur pro poſteritate illuſtrium horum Virorum. Neque aliter inſtituit *Jacobus* in illa Prophetia Patriarchali, qua fata Filiorum ſuorum in longa tempora deſcripſit. Etenim, quæ facinora ab illuſtribus & ſingularibus Viris in quaque tribu patrarentur, ea adſcripſit toti tribui, nomine nullo alio notato, vel ſuperaddito. Conſtat Meſſiam, qui futurus erat *Iſraëlis*, *Davidis*, & *Salomonis* Filius, his tamen ipſis nominibus directe abſque ullis ambagibus notari in Pſalmis & Prophetis. Quare ſi Paulum, ſingularem hominem, velimus inveſtigare in Prophetiis V. T. notatum; non errabimus utique, ſi illum quæramus ſub communi nomine *ſuæ gentis*, ſuæque *tribus*, vel potius *Parentis* ſuæ tribus primi, qui fuit Benjamin, Filiorum Jacobi natu minimus. Sic ille de ſe in Epiſtola ad Philippenſes [a]: Ἐκ γένους Ἰσραήλ, φυλῆς Βενιαμίν.

Cujus rei ratio exponitur, idque ex exemplis evincitur.

Unde colligitur, Paulum recte appellari *Benjaminem*.

XII. Sed cum multi fuerint *Benjaminitæ*, qui in Prophetia potuerint inſigniri titulo *Benjaminis*: præcipue hic reſpiciendum

Favent jam epitheta, quibus *Benjamin* hic inſignitur.

a Cap. III. 5.

dum erit ad ἐπίθετα, quibus hic certus homo, qui ex Benjaminis poſteris eſſet, circumſcribitur, quę ſunt צעיר PARVUS & רדם Dux, vel PRÆCEPTOR *eorum*. Sunt autem illius generis, ut de perſona Pauli aptiſſime prædicentur: & prorſus nobis ita videtur, non potuiſſe hunc Apoſtolum, prophetice deſcribendum, clarioribus & facilioribus characteribus ſignari. Primum ἐπίθετον eſt צעיר / de quo ita Cl. Altingius: *Diciturque* PARVUS (Græcis νεώτερος noviſſimus:) *quia ſicut Benjamin poſtremus Filiorum natus fuit Jacobo Patriarchæ, ſic ipſe poſtremus omnium ad Apoſtolatum vocatus eſt, unde ſe minimum & abortivum dicit.* 1 Cor. xv. 8, 9, 10. Gal. 1. 1. 17, 18. Operæ pretium fuerit, hæc paulo latius explicare & illuſtrare.

Quorum prius eſt צעיר PARVUS. Cl. Altingii meditatio.

XIII. De ſignificatione vocabuli צעיר / docte alibi & copioſe commentatus eſt Cl. Pococke[a]. Propoſitum ipſi eſt evincere, vocem צעיר quę in celebri loco *Michæ* v. 1. reperitur, & à *Mattheo* per οὐδαμῶς ἐλαχίστη reddita eſſe videri queat, verti poſſe non per *parvus*, ut vulgo fit, ſed per *illuſtris*. Adfert vero rationes pro illa ſententia, conſideratione digniſſimas, & non negligit hac occaſione in medium adducere exempla plurium aliarum vocum cum Hebræarum tum Arabicarum, quę *oppoſitis* ſive *contrariis* gaudent ſignificationibus. Fateor tamen, nunquam me admodum propendiſſe ad credendum, tot eſſe numero vocabula in Linguis Orientalibus, quę contraria ſignificent. Potius ita exiſtimem, plerumque illas ſignificationes oppoſitas ſive etiam diverſas unius vocis inter ſe convenire in uno *tertio* & *communi ſignificatu*, quem ſubinde à nobis ignorari non diffiteor. Exempla tamen non quærenda eſſent è longinquo, ſi ea res nunc ageretur. Utique noſtra ſic eſt ſententia, ſi vox צעיר unquam capiatur in Scriptura pro *illuſtri*, & *potente*, quod nunc nec affirmamus, nec negamus: probabile non eſſe, eo ſignificatu hoc capiendam eſſe in loco, quia contrarius vocis ſignificatus uſitatiſſimus eſt, & in iis verbis, quę tractamus, nulla extat ratio, quę nos moveat heic loci ab eo recedere.

Genuina ſignificatio vocis.

Obſervatio ad eam Pocockii, & ad eam ἐπίκρισις.

XIV. Cæterum τὸ צעיר / uſurpatum ſignificatione communi, in Scripturis vel refertur ad *Natales*, ſive in Natura ſive in Gratia, quando צעיר eſt *minor natu*; vel ad *ſtatum* & *conditionem* vitæ,

Parvus quis dici poteſt vel *natalinus*, vel *ſtatus* reſpectu, vel *ætatis*.

a Porta Moſis, Cap. 11.

vitæ, ut notet *humilem* & *abjectum*. Exemplum utriuſque notationis unum tantum adducamus. *Prioris* eſt Gen. XLIII. 32. ubi *Jacobi Filii* dicuntur cum Joſepho accubuiſſe הצעיר כצערתו PARVUS *juxta* MINORITATEM SUAM, hoc eſt, ætatem, qua minor erat priore. Pro *poſteriore* facit Pſ. CXIX. 141. ubi David de ſe: צעיר אנכי ונבזה PARVULUS *ego eram & contemptus*. Natales autem Pauli duplici modo ſpectari poſſunt, ut jam anticipavi, vel *in Natura* vel in *Gratia*. Quocunque vero horum modorum τὸ צעיר heic loci capias: habebis in *Paulo* demonſtrationem hujus ſignificationis certam & minime obſcuram.

XV. Si ad *Pauli* ætatem reſpicias, ut homo natus: tum quidem צעיר PARVUS & *Minor* dici potuit, quia converſus eſt à Chriſto in primo *ætatis* flore, νεανίας ADOLESCENS dictus[a]. Nec obſtat, Apoſtolo noſtro jam tum à Synedrio gravem & conſpicuam mandatam eſſe provinciam, quia, cum ingenio, judicio, ſcientia τῶν πατρικῶν παραδόσεων, & zelo, πολλὺς συνηλικιώτας αὐτῷ *multos coætaneos ſuos* (ſic ipſe de ſe:) ſuperaret, in prima etiam juventute graviſſimis negotiis gerendis tuto poterat adhiberi. Non dubitamus itaque, quin, *Juvenis* à Chriſto vocatus ab Apoſtolatum, omnibus Apoſtolis *junior fuerit ætate*. Sed quod ad *Natales* ipſius *in Gratia*: צעיר *minor ætate* potuit appellari, quia ultimus omnium & quidem aliquandiu poſt cæteros Apoſtolos *natus eſt in Eccleſia*[c], unde ipſe cæteros τὺς πρὸ αὐτῷ Ἀποςόλυς *Apoſtolos, qui ante ipſum fuerant*, ſe ipſum vero ἔκτρωμα *fœtum abortivum* vocat[d]. ἐκτρωματικὸς *abortivus* eſt partus imperfectus, qui vel virium vel ætatis defectu tempore à natura ad id non deſtinato, naſcitur. Apoſtolus itaque ſe ipſum ἀπλεςφέρητον ἐμβρυον dicit, quia ea ætate, qua *nulla* erat *expectatio*, plures vocandos eſſe Apoſtolos, admodum *ſubito* converſus & electus eſt à Chriſto ad Apoſtolatum, ad quod munus ipſe omnium minime videbatur eſſe paratus. Optime igitur צעיר ὕςερος, quia πάντων τῶν Ἀποςόλων ἔχατος fuit. Sed & hoc minime prætermittendum, *Paulum* noſtrum hac parte ſimilem fuiſſe Parenti ſuo *Benjamini*, quippe cui eadem plane ratione ἐπίθετον hoc צעיר *parvi* tribui poterat. Natus enim fuit poſt omnes alios fratres, fere ſpectandus ut *abortivus*, tanquam qui nec opinato in lucem eſt editus, inter

Paulo convenit *primo* reſpectu *ætatis*, qua à Domino vocatus eſt.

Secundo, ratione *Natalium in Gratia*.

Poſt omnes alios Apoſtolos Chriſti vocatus.

a Act. VII. 58. b Gal. I. 17. c Gal. I. 17. d I Cor. XV. 8.

Tertia ad *ſtatum* & conditionem vitæ ejus.

inter vehementiores partus labores. Sed ſi τὸ צעיר ad *ſtatum* & conditionem vitæ referas, quando notat *humilem* & tenuioris animi aut fortunæ Virum: id ipſum quoque ad Paulum optime referri poteſt. Ipſe nimirum de ſe[a]: Ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν Ἀποστόλων· *Ego* enim *ſum* MINIMUS APOSTOLORUM, *qui dignus non ſum, qui vocer Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Et ad Epheſios[b]: Ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων τῶν ἁγίων ἐδόθη ἡ χάρις αὕτη· *Mihi* MINIMO OMNIUM *ſanctorum facta eſt gratia hæc.* Quid hic eſt

Mos Chriſtianorum primi temporis, ſe hoc titulo appellandi, & Judæorum.

ἐλάχιστος, quam quod Hebræis צעיר? Maxime ſi animum advertamus, conſueviſſe Judæos (imo & Chriſtianos Veteres, ut conſtat ex Epiſtola Polycratis[c]:) hunc titulum צעיר in *Epiſtolis* & Libris, quos in vulgus emittunt, frequenter nominibus ſuis præfigere, ad *humilitatem* animi ſui ſive potius *modeſtiam* ſuam ſignificandam. ut liquet ex *Inſtitutionibus Epiſtolaribus* Buxtorfii[d]. *Humilitatis* vero ſive *modeſtiæ Pauli*, de qua nunc agimus, teſtimonia ſunt per omnes Epiſtolas ejus alia admodum luculenta. Ipſe de ſe alibi, quod κατὰ πρόσωπον *coram* ſit ταπεινὸς *humilis*[e]. In loquendo & diſſerendo alta nunquam ſpiravit, ſed fuit ἰδιώτης τῷ λόγῳ *idiota ſermone*[f]. ſummi licet ingenii & magnæ eruditionis Vir non affectavit *eloquentiam verbalem* Græcorum, li-

Paulus vero affectus fuit humilitatis ſenſu.

cet cæteroquin oratione utatur nervoſa & acuta. Quicquid autem potuit, ſive dicendo, ſive ſcribendo, ſive laborando, ad Divinam retulit gratiam. *Gratia Dei ſum*, ait[g], *id, quod ſum, & gratia ejus, quæ in me eſt, non fuit inanis, ſed amplius, quam illi omnes, laboravi. Non ego tamen ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.* Hæc demum vera humilitas eſt! Scilicet humilitas vera non opponitur ingentibus auſis & cœptis; vel etiam fortitudini, conſtantiæ, aſſiduitati in laborando: ſed opponitur præfidentiæ & *fiduciæ* inani de ſe ipſo, ſuiſque viribus. à qua Paulus noſter lon-

Quod & patet ex Doctrina ejus.

giſſime abfuit. Tota etiam *Pauli* Doctrina in Epiſtolis ejus hanc ſpirat *humilitatem*. Quæ de *Prædeſtinatione hominum* & *Juſtificatione peccatoris* poſuit doctrinæ fundamenta per omnia ſcripta ſua, huc tendunt, ut homo ſciret, ſe μὴ εἶναί τι *non eſſe aliquid*: ut quę boni poſſidet, eorum nihil ad ſe, omnia in ſolidum ad Deum referat. Hoc ſcilicet illud κριτήριον eſt τῆς ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν!

Hæc

a 1 Cor xv. 9. b Ephef. III. 8. c Euſeb. H. E. Lib. v. Cap. XXIV. d Cap. v. §. 11. e 2 Cor. x. 1. f 2 Cor. XI. 6. g 1 Cor. xv. 10.

Hac doctrina ſe commendavit Deo, & conſcientiis omnium hominum, quotquot ex ſuperbia & arrogantia ſe non patiebantur vana virium ſuarum ſpecie deludi.

Vox קטן eodem ſenſu in uſu apud Hebræos.

XVI. Imo certe apud Judæos receptum fuit uſu, ut Doctores non modo ſe *modeſtia* cauſſa vocaverint *parvos* & *exiguos*, quod modo obſervabamus: ſed adſciverint quoque hoc ipſo ſenſu ſibi cognomen קטן *Parvi*, quod poteſtate ſignificationis tantum valet quantum צעיר. Sic nimirum celeberrimus apud ipſos fuit ſub Excidium Reipublicæ שמואל הקטן SAMUEL PARVUS. Sic de eo in *Schalſcheleth Hakkabbala* [a]: ברור הזה היה שמואל הקטן שתקן ברכת המינים לפני ר״ג הזקן ונקרא הקטן בערך שמואל הנביא ומת קודם החרבן וגם לפי שאפילו שהיה חכם גדול עם כל זה היה קטן בעיניו *Hac ætate extitit Samuel* PARVUS, *qui ordinavit precationem contra hæreticos coram R. Gamaliele Sene. Vocatur vero* PARVUS *cum reſpectu ad Samuelem Prophetam, & mortuus fuit ante vaſtationem Templi. Accedit ratio, quod, licet ſapientia admodum excelluerit, tamen* PARVUS FUIT IN OCULIS suis, hoc eſt, animo humilis & modeſtus. Occaſionem mihi præbuit hujus loci producendi Cl. Wagenſeilius in eruditis Annotationibus ad *Miſnam Sotæ*, ubi hæc leguntur [b]: משמת רבי יוסי קטנותא פסקו חסידים *A quo tempore mortuus eſt R. Joſe* PARVUS, *defecerunt pii.* Additur mox: ולמה נקרא שמו קטנתא שהיה קטנותן של חסידים *Quare vero cognominatur* PARVUS? *Quia erat minutal religioſorum.* Non hoc vult textus, ſi Maimonidi fides, quod hic minimus eſſet priſcorum hominum, veræ religioni devotorum: quemadmodum R. Salomo verba accepit, notante Wagenſeilio: ſed quod *radix*, & *quinta*, ut ajunt, *eſſentia* eſſet hominum piorum. Principia enim cujuſque rei tenuia ſunt. Producitur quoque ibi exemplum *R. Sera*, qui vulgo vocatus eſt קטינא חריך שקי PARVUS *aduſtus cruribus. ſtatura* corporis minus inſignis. Sic de ipſo Auctor *Halichoth Olam* doctiſſimus [c]: קטינא חריך שקי הוא ר׳ זירא ונקרא כן לפי שהיה בודק את עצמו בכבשן של אש אי שלטא ביה אור של גיהנם יומא חד יהוב ביה רבנן עינייהו ואיחריכו שקיה ומהאי מקמא אסיקו ליה האי שמא וקטינא לפי שרב זירא איש קצר היה Conſt. L'Empereur: PARVUS *aduſtus crure is eſt* R. Zera: *indeque nomen habet, quod in accenſa fornace ſui experimentum faceret, num in ſe quidpiam poſſit ignis gehennæ. Certo quodam die Doctores torve*

Samuelis parvi mentio in hiſtoria Judaica.

Cl. Wagenſeilius laudatus.

Quid ſibi velit epitheton, *parvus*, ipſi tributum.

Exemplum aliud R. Zeræ.

a Fol. 26. col. 2. b Cap. IX. §. XV. c Cap. III.

torve ipſum intuiti ſunt, unde crura ejus aduſta fuere; atque hac de cauſſa hoc illi nomen impoſuere. Parvus *autem dicebatur, quia* R. Zera *brevi erat ſtatura.* Fuit itaque hic non ἄνθρωπος certe ſed ἀνθρωπίσκος, σεσιμωμένον γερόντιον, qualem Eccleſiæ Chriſtianæ Doctorem deridendum proponit Lucianus vel quiſquis alius fuerit Auctor *Dialogi*, qui *Philopatris* inſcribitur: forte, ut inter Eruditos aliqui exiſtimant, ipſum *Paulum* noſtrum ibi per ſarcaſmum depingens & deridens. Magis autem hæc ſingula ſcopum ferirent, ſi certis & ſolidis fundamentis ſubnixa eſſet Cl. Altingii conjectatio, Talmudiſtas & Hiſtoricos Hebræos per Samuelem Parvum vere in Scriptis ſuis deſignare Paulum Apoſtolum. Specioſa hæc erat opinio, quę plurium eruditorum plauſum meruit: ſed quę tamen ab Docto hoc & in Hebræorum Literis verſatiſſimo Viro forte propoſita non fuiſſet, ſiverum ſenſum loci Talmudici de *Samuele Parvo* aſſequutus eſſet, alibi [a] à nobis in lucem protractum.

Comparatur deſcriptio Doctoris Chriſtiani, forte Pauli, apud Lucianum.

Ἐπίκρισις ad ſententiam Cl. Altingii de Samuele parvo.

XVII. Paulus igitur vere fuit *parvus* omni modo & reſpectu. *Minor* fuit *natu* reliquis Apoſtolis. Poſt eos omnes *vocatus.* *Animo humilis* & modeſtus. *Corporis ſtatura* forte non adeo conſpicuus. Et hæc quidem vere ita habent. Sequor tamen lubens hic judicium Cl. Altingii, hoc ἐπίθετον præcipue referentis ad *ætatem*, & cum eo poſt Veteres comparantis quod in *Actis Apoſtolorum* dicatur νεανίας Juvenis. Ipſe quidem ætate non admodum provectus, quando à Domino ad graviſſimum munus Apoſtolatus delectus eſt; &, reſpectu habito ad ætatem & vocationem reliquorum Apoſtolorum, cæteris ætate minor, ſive Junior. fere ut in Evangelio *Marci* [b], *Jacobo*, fratri Domini, datur titulus μικροῦ parvi. *Jacobus* hic frater fuit Domini, hoc eſt, cognatus ipſius, ex ſorore Mariæ ſuſceptus, qui apud antiquos Scriptores dicitur *Hieroſolymorum* conſtitutus fuiſſe Epiſcopus, & luculento apud Joſephum ornatus teſtimonio eſt. Cur hic *parvus?* Nullam ſane video rationem aliam, quam quod ætate *minor* fuerit *Jacobo*, Filio Zebedæi, Fratre Joannis, atque hinc commodum viſum fuerit hoc titulo illum ab eo diſtinguere. Sic præivit Grotius. Recte. Utique Græci paſſim hac voce utuntur, ut *minorem natu* ex duobus ejuſdem nominis, aut *poſteriorem*

Collectio ſuperiorum, epitheton parvi, omni modo Paulo convenire.

Præcipue tamen referendum ad ætatem.

Quod exemplis aliis illuſtratur.

a De Synag. Vet. Lib. III. Part. II. Cap. XIV. b Cap. XV. 40.

riorem tempore, vocent νεώτερον. ut apud Joſephum [a], ὁ νεώτερος Ἄνανος. Sic Plutarchus Lycurgum reſpectu fratris natu majoris vocat νεώτερον [b]. Pariter in recenſendis filiis P. Æmilii τὸν νεώτερον opponit τῷ πρεσβυτέρῳ [c]. & Catonem *Juniorem* reſpectu ad M. Porcium appellat νεώτερον [d]. Sic itaque Paulus quoque noſter הצעיר tam reſpectu ætatis quam vocationis vere ὁ νεώτερος.

Comparatur cum eo Latinum Nomen *Paulus*.

XVIII. Sed quid omittimus verba facere de Latino nomine Paulus, quo Apoſtolus noſter inſignitus fuit apud Gentes? Convenit id adeo bene cum epitheto צעיר *parvus*, quod contendimus ipſi tribui in prophetia præſenti, ut nihil magis. Deducit illud Cl. Perizonius à *pauxillus* [e]. Subjecit quoque hæſitanti, *Romanos conſueviſſe ab habitu corporis appellativa vocabula in propriorum uſum convertere*, ut ex *Rufi*, *Craſſi*, *Longique* nominibus &c. liquet. Mea quidem nunc non admodum intereſt ſcire, unde *Paulus*, qui in gente ſua *Saul* dictus eſt, hoc nomen aſſumpſerit. Cum enim Doctorum Virorum variæ heic ſint opiniones, ut in rebus dubiis contingit: mihi ſemper viſum fuit ſimpliciſſimum eſſe, ſic ſtatuere, quod cum *Sauli* nomen Gentibus eſſet ignotum plane & inuſitatum, *Paulus* paſſus ſit à Gentibus ſe denominari ejuſmodi nomine, quod cum gratum acceptumque erat gentibus, tum vero quoad ſonum omnium maxime cum nomine *Sauli* conveniebat. Atque hoc nomen eſt *Pauli*. vere ejuſdem poteſtatis cum τῷ צעיר quod eſt in verbis, quę explicamus.

Quare illud commutaverit cum Nomine *Saul*?

Nomen רודם ad Paulum transfertur.

Cl. Altingii expoſitio.

XIX. Sequitur tandem τὸ רדם inſigne *Pauli* ultimum, quod ante monuimus vertendum eſſe per *Imperator eorum*, vel, quod commodius, *Præceptor*, Doctor, *eorum*. Cl. Altingius ita explicuit: *Qui* dominatur ipſis, *congregationibus videlicet*, *imperio tamen non herili politicoque*, *ſed paterno aut Doctoris*; *quale Pauli fuit in congregationes ab ipſo collectas*. 1 Cor. IV. 15. Gal. IV. 19. *Prærogativa item non dominationis*, *ſed laboris*, *quam habuit ſupra reliquos Apoſtolos*. Epheſ. III. 8. 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. IX. 5. Sic eſt. Id quod Apoſtolum facit, non potuit ſignificari nuda voce *Præceptoris* aut *Doctoris*, quia plus erat in Apoſtolis: ſed debuit exprimi tali ſigno, quod Apoſtolos à cæteris Doctoribus diſtingue-

Nomen illud optime convenit *Apoſtolis*.

a Ant. Lib. XX. Cap. VIII. b In Lycurgo, p. m. 40. c In P. Æmilio, p. 257. d In ejus *Vita*. e Not. ad Sanctii Minervam p. 49.

gueret. Fuerunt enim Apoſtoli Doctores, ab ipſo Chriſto immediate vocati, & ab ipſo inſtructi *facultate*, *ſuo nomine* Judæos & Gentes invitandi ad reſipiſcentiam & fidem; & præterea *poteſtate*, ubi opus erat, inobedientes reprimendi, caſtigandi, & ſevere puniendi. Id vero utrumque dici non poteſt quam egregie exhibeatur voce ירה / quippe quę notat in aliquem *influere*, ſe cum alio communicare ſive præceptis ſive diſciplina, atque hinc *docere* cum ſingulari *poteſtate* & *auctoritate*. *Præceptorem* ſive *Doctorem* ſe vocat Paulus in Priore ad Timotheum [a]: *Ad quod conſtitutus ſum Ego* κήρυξ καὶ Ἀπόστολος, διδάσκαλος ἐθνῶν ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ· *Præco & Apoſtolus*, PRÆCEPTOR GENTIUM *in fide & veritate*. Quid hic διδάσκαλος ἐθνῶν aliud eſt, quam הורה המקהלות in noſtra pericopa? Eadem repetit verba in *Epiſtola poſteriore* [b]. Sed, quod non minus ad rem facit, alibi ait ſe πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκειν· *ſe ubique in omnibus* ECCLESIIS DOCERE [c]. Quod vero in *docendo* inſtructus ſit à Chriſto ſingulari *poteſtate*, ita ut *nomine Chriſti* doceret, & tanquam *legatus* Chriſti recipiendus eſſet, ac proinde cum demonſtratione virtutis ſingularis loqueretur; id etiam ex Epiſtolis ejus liquet. Sic ipſe 2 Cor. v. 20. *Itaque* NOMINE CHRISTI *legatione fungimur*, *& velut Deo precante per nos rogamus* CHRISTI NOMINE, *reconciliamini Deo* De *Galatis* ait, quod ipſum recepiſſent, ut ἄγγελον Θεοῦ, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν *Angelum Dei*, *ut Chriſtum Jeſum* [d]. De *Theſſalonicenſibus*, quod τὸν λόγον ἀκοῆς παρ᾽ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ *ſermonem de Deo*, *quem ex ipſo audierant*, *acceperint* οὐ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθώς ἐστιν ἀληθῶς) λόγον Θεοῦ· *non ut ſermonem hominum*, *ſed ut vere erat*, DEI SERMONEM [e]. Sed, quod omnino pertinet ad vim *vocis* הורה: Apoſtolus palam quoque fecit, ſe munitum à Chriſto eſſe auctoritate *inobedientes caſtigandi*, & refractarios plectendi, quod *imperii* erat. Hinc ipſi adſcribitur ῥάβδος (שבט) *virga* [f]. *Quid vultis?* VIRGA *ad vos veniam*, *an cum charitate?* Agnoſcamus deſcriptionem hujus *imperii* ex 2 Cor. XIII. 10. *Propterea hæc abſens ſcribo*, *ne præſens* ἀποτόμως χρήσωμαι SEVERITATE *utar* κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκέ μοι ὁ Κύριος εἰς οἰκοδομὴν καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν· SECUNDUM POTESTATEM, *quam dedit mihi Dominus ad ædificationem & non ad deſtru-*

Illuſtratur ex epithetis, Paulo in Scriptura N. T. tributis.

Ejus in *docendo* & *præcipiendo* magna fuit auctoritas.

Et poteſtas *caſtigandi inobedienter* S.

a 1 Tim. II. 7. b Cap. I. 11. c 1 Cor. IV. 17. d Cap. IV. 14. e 1 Theſ. II. 13. f 1 Cor. IV. 21.

ſtructionem. Sic quoque 2 Cor. x. 6. ait ſe ἐν ἑτοίμῳ ἔχειν *in promptu habere* ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοὴν VINDICARE *omnem inobedientiam.* Utique ita *erudire*, ut ſimul *virgam* habeas, qua caſtiges; hoc demum eſt רדה παιδεύειν, quod *Paulo* heic loci adſcribi contendimus.

XX. Sed cur *Paulo* (*Benjamini parvo*) primus hic datur locus in *Cœtibus Chriſtianorum*? Certe poſſet illius rei ratio inde repeti, quod *Apoſtolus noſter plus, quam omnes alii Apoſtoli, laborarit* [a]. Quis neget, eam ob cauſſam primum illi competere locum? Si tamen hic ſimul reſpiciatur ad cærimoniam Arcæ ſolenniter à Davide tranſlatæ Hieroſolymam: (quod dictu non eſt abſurdum:) non eſt ſpernenda plane ratio Diodati, *Benjaminem* primum memorari in hoc illuſtri cœtu, quo præſente arca inferebatur in Tſionem, quia *Benjaminitæ* Davidis *imperio* ad ultimum uſque reſtiterant, adhærentes *Sauli.* Hiſtoria nota eſt ex Poſteriore Libro *Samuelis* [b]. Digniſſima itaque memoratu res erat, *Benjaminitas*, Davidis adverſarios, qui ejus imperio non niſi ægre ſe ſubjecerant, jam cum fratribus cæteris pacifice arcam comitari & cœtibus ſacris intereſſe. Nos hæc non inepte transferemus ad *Paulum.* *Paulum* reperiri, ex Benjamine prognatum, in regno Chriſti: hæc res digna erat admiratione. *Diffidebant* ipſi omnes diſcipuli [c]. OBSTUPESCEBANT (Ἐξίσταντο) *omnes, qui eum audiebant, & dicebant* [d]: *Nonne* HIC *eſt, qui perdidit Hieroſolymis eos, qui invocabant nomen illud* [e]? Quam eleganter! *Paulus* adverſabatur regno Chriſti, cui tamen regnum à Deo decretum erat, *eodem furore*, quo contribules ipſius olim *Davidis* regno ſe oppoſuerant. Hic tamen *victus*, ut illi olim, tandem ſe Chriſto tradidit. Hæc Eccleſiæ, hæc Chriſti maxima erat victoria. Id itaque monſtrat Spiritus, id Eccleſiam introducit mirantem, his verbis: IBI *Benjamin parvus!* quaſi digito eum intenderet, & monſtraret. Majoris certe momenti & majore admiratione dignum erat, *Paulum* ibi reperiri, quam ullos alios.

Cur Paulo primus detur locus in Cœtibus Credentium.

Sententia de eo Cl. Diodati.

Paulum reperiri in cœtibus Credentium, res digna erat admiratione.

XXI. Hæc ſibi hactenus optime conſtant. ad quæ confirmanda addam tandem, 6. *Eos, qui aliam quamcunque horum verborum*

Confirmatur hypotheſis, quod qui aliam eligunt methodum,

Zzz 2 *borum*

a 1 Cor. xv. 10. b Cap. III, IV, V. c Act. IX. 26. d Verſ. 31. e Gal. I. 23.

nullam dare poſſe rationem, quare hæ tantum tribus in hoc loco memorentur, non aliæ.

borum interpretationem amplectuntur, non poſſe commodam rationem reddere, cur hæ tantum tribus hic memorentur, non aliæ. Ratio dari poteſt, ſi alii explicationi inſiſtas, cur *Benjamin* & *Juda* tribus hic memorentur, aliqua; ſed nulla probabilis, cur *Zebulun* & *Naphtali.* Quid enim hæ præ cæteris unquam habuerunt ſingulare? Cur non *Ephraim*, *Manaſſe*, *Levi*, tribus magni nominis? Vix aliud adfertur à præſtantibus Viris, quam quod *Zebulun* & *Naphtali* fuerint admodum remotæ à Tabernaculo, & quod per harum tribuum præſentiam ſignificetur conſenſus & concordia cæterarum tribuum. Sed hanc rationem non facile admittimus, quia *Dan* (pars ſaltem ejus:) *Aſer*, &, quæ trans *Jordanem* locatæ erant *tribus*, longius à *Tabernaculo* abfuerunt, quam *Zebulun* & *Naphtali.* Contra notatu digniſſimum eſt, Apoſtolos, quantum reſciſcimus, non eſſe lectos niſi ex *his tribubus quatuor*, quę hic memorantur. quod oſtenſum à Cl. Altingio, &, meo judicio, ſeriam meretur animadverſionem.

Occurritur objectioni, ſi quæ forte producatur ex Analyſi prophetiæ.

Quid ſi tamen, ais, hic forte non intelligantur Cœtus Chriſtiani *temporis Apoſtolici?* Reſpondeo, me non intercedere, quo minus intelligantur, ſi quis analyſin hujus prophetiæ cum hac hypotheſi comparare velit. quod quacunque tandem ſpecie fiat, facile fieri patior; cum mihi hic propoſitum non ſit, id prolixe diſcutere, quod abſque majore opere fieri nequit. Sed quid ſi verior eſſet ſententia, quę hunc locum accipit de *Cœtibus Chriſtiani Nominis*, vindicatis è ſervitute Eccleſiæ magni Imperii & Tyrannidis Eccleſiaſticæ Romanæ, ad *doctrinam* & *diſciplinam* Apoſtolicam *reformatis*: an minus de his vere prædicari poteſt, quod in hac legitur prophetia? An *minor* apud nos eſt *Pauli*, & *Apoſtolorum*, auctoritas quam in Eccleſia primæva? An non *vivunt* inter nos, myſtice *reſuſcitati?* (Ap. xx. 4) an non *docent*, *præcipiunt*, *caſtigant*, & in *Cœtibus noſtris* eximii & omnium *excellentiſſimi* habentur *Apoſtoli*, & *Paulus?* An hodieque non *ſedent* adhuc Apoſtoli cum Chriſto Jeſu *in thronis*, judicantes *duodecim tribus Iſraëlis*, (Matth. xix. 28.) eximii in toto Regno Chriſti? *Doctrina* Eccleſiarum, quæ renunciarunt Communioni Romanæ, *reductarum ex Baſane*, & eluctatarum graviſſimas afflictiones & perſequutiones, ſtylo Vatis, *reductarum ex profundis maris*, ſævientis & ipſos obruentis, & *Diſciplina*, corrupta

rupta plane & collapſa, inſtauratæ ſunt ſecundum Canonem *Doctrinæ* & *Diſciplinæ Apoſtolicæ.* Comparuerunt illi de novo in illis Cœtibus. Ornarunt eos. Loquuti ſunt. docuerunt. rexerunt eos, tanta cum auctoritate quanta Eccleſias ſui temporis. Ad illos provocatur in Concionibus, & Diſputationibus. Illorum verba prælegunter, exponuntur, diſcutiuntur, & ſumma cum reverentia & obſequio fidei excipiuntur. *Paulus* imprimis hic inſignis, qui præ cæteris Eccleſiam ſuis ſcriptis ditavit & inſtruxit. Ex ejus primo ſcriptis, & quidem Epiſtola ad *Romanos*, præclari Viri qui à Spiritu animati operam dederunt Eccleſiæ inſtaurandæ in melius, perceperunt veram Doctrinam de *Juſtificatione peccatoris coram Deo*, totius Doctrinæ Chriſtianæ Baſin, (unde initium *Reformationis*;) eamque purgarunt à craſſis, quibus obſita erat, erroribus. Primus igitur digito monſtrabatur Paulus. ad illum provocabatur. ejus urgebatur auctoritas, ejus doctrina protrahebatur in lucem; & per Divinam Gratiam, eadem forma, eadem facies eſt Eccleſiarum noſtrarum. Sunt inter nos Apoſtoli Chriſti, & inter illos eximius Paulus.

Caput IV.

Præclarum votum Pauli *Apoſtoli, quod in priore Epiſtola ipſius ad* Theſſalonicenſes *extat, cap.* v. 22. *illuſtrandum ſumitur, eo præcipue conſilio, ut vera diſtinctio, quæ eſt inter vocabula* ψυχὴ anima *&* πνεῦμα ſpiritus, *probe percipiatur. Quem in finem* Kabbaliſtarum *dogmata de triplici animæ parte,* נשמה mente, רוח ſpiritu, *&* נפש anima *prolixe explicantur, & cum ſcitis* Platonicorum, *&* Peripateticorum Philoſophorum, *eo tempore à Judæa Gente receptis, conferuntur; quæ tandem omnia ad hoc dictum Pauli applicantur.*

Cum in Philoſophia noſtri temporis hodie nihil ſit vulgatius, quam hominem ex duabus concretum eſſe partibus, *Mente* & *Corpore*: fieri poſſet ut Veteris Philoſophiæ imperi-

Locus Pauli de *Mente* & *Anima* explicandus ſumitur.

peritior hæreret in verbis Pauli, quę extant in *priore* ejus Epiſtola ad Theſſalonicenſes, quibus homini tres dat partes, Spiritum, Animam, & Corpus. quæ igitur operæ pretium fuerit paulo latius explicare. Sic habet votum Apoſtoli [a]: Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ Πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη· *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos : & integer veſter* Spiritus, *&* Anima, *&* Corpus *inculpate in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur.*

Verba Apoſtoli.

II. Paulum videmus in homine hic notare tres partes, *Spiritum*, *Animam*, & *Corpus*. Per *Corpus*, inſtrumentum & ſedem Partis hominis nobilioris & præſtantioris, quam *Mentem* vocare ſolemus, quid Paulus hic intelligat, nemo facile dubitet. Sed obſcurius videtur, quid Apoſtolus per *Animam* intelligat, diſtinctam à *Spiritu*? quod tamen dubium ex Philoſophia, ut apud Judæos & Gentiles tractabatur ætate Pauli, non adeo difficulter expeditur. Philoſophi nimirum Veteres tam Judæi, quos Kabbaliſtas vocamus, quam Gentiles, ſive Platonici ſive Ariſtotelici, etiamſi *unam* in homine agnoſcerent *Mentem*, ut nos quoque facimus : eam tamen *unam mentem*, pro vario & quam maxime diſtincto genere operationis, aut quarundam ejus *Proprietatum*, modo in *duas*, modo in *tres* veluti *partes* diſcreverunt, ut *duplex* illud, vel *triplex* genus operationis *mentis*, facilius & clarius repræſentarent. Kabbaliſtarum ſic tuliſſe philoſophandi methodum, ut in homine eſſe docuerint, *animam*, *ſpiritum*, & *flatum*, qui *Neſchama* ipſis dicatur, ex Aben Eſra jam obſervavit Druſius [b]. Nihil eo certius. Kabbaliſtæ omnino diſtinxerunt inter נפש *animam*, רוח *Spiritum*, & נשמה *Animam rationalem*. Frequentiſſima hæc diſtinctio eſt in Libro *Sohar*; frequens etiam in libro *Reſchith Chochma* contracto, cujus plurimæ ſententiæ inde ſunt deſumptæ. Sic mox initio illius libri de פגם *corruptione* hominis dicitur [c], שמגיע בכל המעלות העליונות אם בגופו אם בנפשו ורוחו ונשמתו *quod pertingat ad omnes gradus ſuperiores, ſive in corpore ipſius, ſive in* anima, *ſive in* Spiritu, *ſive in* intellectu. Sic paſſim alias [d]. En verba ex Cap. IV. מפני שאם כפ חקוים

In quibus obſcurius videtur, quid per *animam* intelligat, à *mente* diſtinctam.

Ubi obſervatur, Apoſtolum reſpexiſſe Philoſophiam ſui temporis, in qua *Mens* pro varia operatione in plures partes diſtinguebatur.

Kabbaliſtis idem in more.

a Cap. v. 22. b Præter. Lib. vii. ad h. l. c Fol. 2. Col. 1. d Fol. 27. Col. 2. F. 28. C. 1.

הקודם שקדושת שבת נכללת בג׳ דברים שהם מחשבה דבור ומעשה ראינו לסמוך אליו פ׳ זה לבאר מה שנמצא ברמז ענין זה בדברי הרשב״י ע״ה שג׳ קדושות אלו הנז׳ הם כנגד נשמה רוח ונפש מחשבה כנגד הנשמה דבור כנגד רוח מעשה כנגד נפש כמ״ש בתקו׳ תקון כ״ב *Quandoquidem Capite præcedenti dictum eſt, ſanctitatem* (ſanctificationem) *Sabbathi tribus comprehendi rebus, cogitatione, ſermone, & opere: proximum eſt, ut hoc capite exponamus, quid eo indicetur, ex R. Simeone Ben Jochai,* ſc. *tres has ſanctitates memoratas reſpicere* MENTEM, SPIRITUM, & ANIMAM. *Cogitatio reſpicit* MENTEM, *ſermo* SPIRITUM, *opus vero* ANIMAM, *quemadmodum traditur in* Tikune Tikun. XII. &c. Sic eſt in *Synopſi* Libri *Sohar* [a], nuper à Nobiliſſimo quodam Viro in lucem emiſſa. *Qua ratione* Anima, Spiritus, & Mens *præmia ſua accipiant in tribus diverſis locis: ſicut homo primo etiam accipit* animam, *deinde* ſpiritum, *deinde* mentem. Ita inquam, habet Synopſis rerum, in Libro Sohar latius explicatarum. Pariter in *Introductione libri Sohar*, è ſcripto *R. Naphtali Hirtz*, ibidem verſo [b], occurrunt *Nepheſch*, *Ruach*, *Neſchama*, *Chaia*, *Jechida*. & alias ubique.

III. Sequuti hac in re *Kabbaliſtæ* ſunt Platonicos, ut paſſim alias, quorum ſententiam nobis ſub nomine Quincti fratris [c], Platonis dictum aliquod referentis, dabit Cicero, eleganti loco, quem ex ipſo excerpam: ubi *Quinctus* Frater ejus inſigne *Platonis dictum* referens; *Vide*, ait, *quid Socrates in Platonis Politia loquatur: dicit enim, cum dormientibus* EA PARS ANIMI, QUÆ MENTIS ET RATIONIS PARTICEPS *ſit, ſopita langueat;* ILLA AUTEM, IN QUA FERITAS QUÆDAM SIT, *atque agreſtis immanitas, cum ſit immoderato obſtupefacta potu atque paſtu, exultare eam in ſomno, immoderateque jactari. Itaque huic omnia viſa objiciuntur à mente ac ratione vacua: ut aut cum matre corpus miſcere videamur, aut cum quovis alio vel homine vel Deo, ſæpe bellua, atque etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaque facere impure atque tetre cum temeritate atque imprudentia. At qui ſalubri & moderato cultu atque victu quieti ſe tradiderit,* EA PARTE ANIMI, QUÆ MENTIS ATQUE CONSILII EST, *agitata, erecta, ſaturataque bonarum cogitationum epulis;* EAQUE PARTE ANIMI, QUÆ VOLUPTATE ALITUR, *nec inopia enecta,*

Sententia deſumpta à Platonicis, quorum hypotheſis verbis Ciceronis proponitur.

a Tom. II. *Kabbalæ Denudatæ*. p. 113. b Pap. 332. c De Divin. Lib. I.

enecta, nec ſatietate affluenti, quorum utrumque præſtringere aciem mentis ſolet, ſive deeſt naturæ quippiam, ſive abundat atque affluit; ILLA ETIAM TERTIA ANIMI PARTE, IN QUA IRARUM EXISTIT ARDOR, *ſedata atque reſtincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & ſe vegetam ad ſomniandum acremque præbeat: tum ei viſa quietis occurrent tanquilla atque veracia. Hæc verba ipſa Platonis expreſſi,* inquit Cicero. In hac ſententia Platonis obſervandum eſt, primo *duas* animæ partes notari; *primam*, quę mentis & *rationis eſt particeps*; *alteram* in qua *feritas quædam* atque *immanitas eſt*: deinceps *tres* diſtingui, *rationem*, *appetitum*, & *iram*. Duæ illæ *poſteriores* tantundem valent, ac illa *altera*, prius notata, in qua *feritatem* eſſe dixerat. Veteres enim, qui *cor* ſtatuebant *affectuum ſedem*, non tam accurate inter animam *vegetativam*, & *ſenſitivam* diſtinguebant, quin ſæpe illas duas confunderent. de quo mox latius. Agnoſcit igitur Plato tantum *animam ratiocinantem*, & *affectam*. Sic etiam deinceps legimus apud Ciceronem[a]. HUMANI *autem* ANIMI EAM PARTEM, QUÆ SENSUM, *quæ motum, quæ appetitum habeat, non eſſe ab actione corporis ſejugatam:* QUÆ *autem* PARS ANIMI RATIONIS *atque intelligentiæ ſit particeps, eam tum maxime vigere, cum plurimum abſit à corpore.* Nominarunt itaque veteres modo *duas*, modo *tres partes* animæ pro ſuo arbitrio. Imitatus eſt Philo, ut ſolet, optimo loco, quem dabo ex ejus Libro de *Confuſione Linguarum*[b]: Τριμεροῦς ἡμῶν τῆς ψυχῆς ὑπαρχούσης, τὸ μὲν νοῦς καὶ λόγος, τὸ δὲ θυμός, τὸ δὲ ἐπιθυμία κεκληρῶσθαι λέγεται. κηραίνει δὲ καθ' αὑτὸ ἕκαστον ἰδίᾳ καὶ πρὸς ἄλληλα πάντα κοινῇ. *Cum anima noſtra tripartita ſit; pars ejus* MENS & RATIO, *pars* IRA, *pars* CONCUPISCENTIA *eſſe dicitur: ſingula ſuis morbis laborant, atque etiam inter ſe communibus univerſa.* Plura ſequuntur: ſed diſcurſus nimis eſt prolixus, quam ut totus deſcribi debeat.

Verba ejus declarata.

Alius ex Cicerone locus.

Ex Philone.

IV. Ariſtotelis qui in Philoſophia ſectam ſequebantur, eodem modo inſtituiſſe, nemini fere ignotum eſt. Plures ille & varias in *anima*, quę in homine ineſt, agnoſcit δυνάμεις *facultates*, ſive μέρη *partes*, inter quas præcipuæ ſunt, *vegetativa*, *ſenſitiva*, & *rationalis*. quibus alibi addit *locomotivam*, *imaginativam*, aliaſque plures. Sic ipſe, quando in his eſt[c]: Νῦν δ' ἐπὶ

Ariſtotelis ſententia ab hac non multum diſtat.

τοσῦτον

a l. c. b p. m. 253. c Lib. II. de Anima, p. m. 388.

τοσοῦτον εἰρήσθω μόνον, ὅτι ἡ ψυχὴ τούτων ἐστὶν ἀρχὴ τῶν εἰρημένων, καὶ τούτοις ὥρισται, θρεπτικῷ, αἰσθητικῷ, διανοητικῷ, κινήσει· *Nunc autem eo uſque tantum dicatur, animam principium eſſe eorum quæ dicta ſunt, & his eſſe definitam,* VEGETATIVO, SENSITIVO, INTELLECTIVO, etiam *motu. Vegetativa*, quę corpus incrementi partium ſuarum per nutritionem ex interno veluti principio capax reddit, quę ſola eſt in *plantis. Senſitiva*, quę præter illam δύναμιν θρεπτικὴν confert animanti facultatem *ſentiendi*, h. e. appetitus & iræ, & cum his ſe *loco movendi. Intellectiva*, quæ præter has facultates in animante eſt principium rationis. Fatetur tamen, ut dixi, his alias animæ veluti *partes* adjici poſſe plures, pro variis ejus facultatibus. Sic ipſe [a]: Ἔχει δὲ ἀπορίαν εὐθύς, πῶς τε δεῖ μόρια ψυχῆς λέγειν καὶ πόσα. τρόπον γάρ τινα ἄπειρα φαίνεται, καὶ οὐ μόνον, ἅ τινες λέγουσι διορίζοντες, λογιστικὸν, ἐπιθυμητικὸν, καὶ θυμικόν· *Atque hic exiſtit continuo dubitatio, quomodo partes animæ & quot oporteat dicere; nam infinitæ quodammodo & non tantum eæ eſſe videntur, quas quidam eas dividentes notarunt* (Platonici nempe:) *Rationalem, Concupiſcentem, & Iraſcentem.* Id quidem Ariſtoteles recte. alias enim ſane ſententia ipſius vix diſtat ab ea Platonis. Quam enim animæ partem Ariſtoteles vocat θρεπτικὴν *nutrientem*, ſive *Vegetativam*, Plato vocavit τὸ ἐπιθυμητικὸν *Animæ partem Concupiſcentem*, cujus in ventre eſt ſedes & uſus in procreanda ſobole, ut ex Philone patet variis locis, & inprimis ex Libris de *Allegoria Legis* [b]. quam partem Ariſtoteles *ſenſitivam* vocavit, ea fere ipſa eſt *iraſcibilis* Platonis, h. e. anima affectibus obnoxia, cujus ſedes eſt in *corde*, ut Philo Judæus obſervat: λογικὴ autem, ſive *rationalis*, utrique eſt *communis*, cujus ſedem ſtatuebant in *capite*.

Quæ exponitur.

Quæ comparatur cum ſententia Platonis.

V. Quid autem ſibi voluerint Philoſophi Veteres hac veluti diviſione animæ in varias partes, aliquatenus jam à nobis dictum eſt, & facile paucis explicari poteſt. Fuerunt illi ea opinione, animam, per totum corpus diffuſam, totum corpus perficere, omniſque in eo motus eſſe cauſſam interni. adeo etiam, ut calor corporis & nutriendi vis proficiſcantur ab anima; ſaltem illa principium ſit motus ſpirituum & ſanguinis nutrientis. De *anima* itaque *vegetativa* quando loquuti ſunt, vix videntur per eam aliud quid intellexiſſe, quam ipſam rationa-

Veterum hypotheſis, *animam* quæ dicitur totum corpus perficere.

a Cap. IX. p. 404. b Lib. II. p. m. 62, 63.

lem animam, corpus perficientem, generationi & nutritioni præſidentem. Ea hinc Ariſtoteli dicta eſt ἐντελέχεια, quæ vox in Libro *Coſri* redditur שלמות *perfectio prima*, (perficiens primum:) *quæ eſt cauſſa operationum* [a]. *Animam* vero, in quantum *ſentit*, atque hinc ſpiritus ad *appetendum* vel *fugiendum* inducit, vocarunt *ſenſitivam*. eandem *animam*, in quantum *ratiocinandi* prædita eſt facultate, *rationalem*. Facultates itaque mentis variæ, prouti illas Philoſophi Veteres interpretabantur, fecerunt ut mentem, quæ vere una eſt & quam ipſi quoque illi ut *unam* conceperunt, in tres quaſi aut plures diviſerint partes. de qua re videri poſſunt præter Ariſtotelem ipſum [b], Philoſophi inter Judæos Doctiſſimi, & in Peripatetica Philoſophia egregie verſati, Maimonides [c] & Auctor *Coſri* [d].

Facultates mentis variæ occaſionem præbuerunt ejus diſtinctioni.

Paſſim tamen *animam* bipertiti ſunt, eam diſtinguentes in *ratiocinantem* & *affectam*.

VI. Aliquando tamen accidit, ut iidem Philoſophi in *anima* tantum *duas* agnoverint *partes*, *ſuperiorem* & *inferiorem*; *ratiocinantem*, & *affectam*: ſive, quod animæ illud officium, quo generationi præſidet, minore loco habuerint, ſive quod *ſenſitivam* & *vegetativam* tanquam cognatas in reliquis animantibus præter hominem parti animæ præſtantiori, ſive διανοητικῇ, commode opponi poſſe exiſtimaverint. Obſervabamus id modo ex loco Ciceronis, à nobis deſcripto. ſed idem etiam aliunde facile probamus. Sic Ariſtoteles manifeſte ait [e], quoſdam in *anima* *duas* modo agnoſcere partes, τὸ λόγον ἔχον καὶ τὸ ἄλογον, *Partem rationis compotem*, & *quæ abſque ratione conſiſtit*. Id ipſum eſt quod Veteres Partem hanc hominis meliorem diſtinxerint in *Animum* & *Animam*. per *Animum* intelligentes id quod alias νοῦν *Mentem* vocarunt, quo intelligendi & rationes ferendi facultatem habet; Per *Animam*, eandem illam Mentem, qua ſentit atque incrementi & variarum ſanguinis mutationum ac motuum capax eſt. Demonſtremus id eleganti loco Lucretii [f], puritatis ſermonis, ut ſatis conſtat, ſtudioſiſſimi:

Ariſtotelis ſententia.

Animus & *anima*.

Lucretii locus.

Nunc ANIMUM *atque* ANIMAM *dico conjuncta teneri*
Inter ſe, atque unam naturam conficere ex ſe:
Sed caput eſſe quaſi, & dominari in Corpore toto

Con-

a Part. v. p. 439. b Lib. II. de *Anima*, Cap. III. c Præfat. ad Comm. in Pirke Avoth. d Part. v. p. 439. e Lib. II. de *Anima*, Cap. IX. f Lib. III. verſ. 137.

Conſilium, quod nos ANIMUM MENTEMQUE *vocamus:*
Idque ſitum media regione in pectoris hæret.
Hic exſultat enim pavor ac metus. hæc loca circum
Lætitiæ mulcent. hic ergo Mens Animuſque 'ſt.
Cætera pars ANIMÆ *per totum diſſita corpus*
Paret.

Idem obſervatur à Macrobio, ubi de ſignificatione Vocis *Animus*, & de *Natura Mentis* diſſerit [a], ex quibus pauca huc transferre liceat. *Deus*, ait, *qui prima cauſſa eſt & vocatur, unus omnium quæque ſunt quæque videntur eſſe, princeps & origo eſt. hic ſuperabundanti majeſtatis fœcunditate de ſe* MENTEM *creavit. Hæc mens, quæ νοῦς vocatur, qua Patrem inſpicit, plenam ſimilitudinem ſervat auctoris:* ANIMAM *vero de ſe creat, poſteriora reſpiciens. Rurſus* ANIMA *partem, quam intuetur, induitur, ac paulatim regrediente reſpectu in fabricam corporum, in corporea ipſa degenerat. habet ergo & puriſſimam ex mente, de qua nata eſt, rationem, quod λογικὸν vocatur, & ex ſua natura accipit præbendi ſenſus præbendique incrementi ſeminarium. quorum unum αἰσθητικὸν, alterum φυτικὸν nuncupatur.* — Et Macrobii.

VII. Ex his nunc facile nobis fuerit intelligere atque exponere tres illas Animæ partes, quas Kabbaliſtæ in ea agnoſcunt ſub nominibus נשמה *Mentis*, רוח *Spiritus*, & נפש *Animæ*. Sunt nimirum illæ eædem illæ animæ facultates tres, quas Platonici vocarunt, λογικὸν, θυμικὸν, & ἐπιθυμητικόν. quod clariſſime jam docuit Nobiliſſimus Auctor *Kabbalæ Denudatæ* in Obſervationibus ad librum *Iſaaci Lorienſis* de *Revolutionibus Animarum* [b]. *Diſtinctio*, ait, *horum graduum animæ ſic intelligenda eſt, ut* Pſyche, *qui ipſis* Nepheſch *dicitur, ſit ſpiritus vitalis, non quatenus plane corporeus, ſed inſitus ille atque primitivus & ſeminalis, quem recentiores Archeum vocant, cum quo correſpondet Philoſophorum* anima vegetativa, *ſeu* plaſtica, *& Platonicorum τὸ ἐπιθυμητικὸν ſeu* concupiſcibile. Spiritus, *quem Ruach vocant, eſt gradus quidam ſublimior, correſpondens animæ ſenſitivæ & Platonicorum τῷ θυμικῷ ſeu iraſcibili. Gradus tertius ab ipſis* Neſchama *vocatur, cui reſpondet rationalis, ſeu potius intellectualis, & Platonicorum τὸ λογικὸν, item νοῦς ſive* mens. Nihil diſertius ſcribi potuit in hanc rem, quam — Kabbaliſtarum cum his collata doctrina de נשמה׳ רוח׳ נפש. — Loca in hanc rem producta ex *Kabbala Denudata*.

a In Somn. Scipion. Lib. 1. Cap. XIV. b Pag. 247.

quod extat apud *Abrahamum Cohen Iriram*, in Libro, qui *Porta Cælorum* vocatur, *in quo dogmata Kabbaliſtica cum Philoſophia Platonica conferuntur.* Habetur ille converſus in Linguam Latinam, in *Parte tertia* Apparatus in Librum Sohar [a]. Auctor ibi propoſita *Platonicorum* ſententia, eaque comparata cum ſententia Kabbaliſtarum, ſic tandem diſſerit: *Id ergo, quod in homine vocatur* Nepheſch, *eſt vita corporis dependens ab anima rationali, quæ per ſe ſubſiſtit & extenditur in corpus, eoque utitur tanquam inſtrumento, vocaturque* Ruach, *ſpiritus: ſed* Neſchama *eſt intellectus animæ eſſentialis effuſus in illam ab intellectu ſuperno, divino, & generali.* Eadem vero hæc multis patent locis in Tractatu *R. Moſe Korduero* de *Anima*, qui ab eodem Erudito Auctore *Kabbalæ Denudatæ* in Latinam Linguam tranſlatus, inſertus eſt illius tituli libri *Parti primæ.*

Quorum Syſtema doctrinæ de *anima* explicatur.

VIII. Kabbaliſtarum itaque Philoſophia ſic habuit, prorſus ut ea Philoſophorum Veterum. Quicquid in corpore humano *vitæ* eſt, hoc rationali animæ, ipſius formæ, ut cauſſæ & principio, attribuerunt. *Vitæ* vero cum pars ſit omnium ignobiliſſima, qua hominis corpus *nutritur*, atque iis inſtructum eſt partibus facultatibuſque, ut poſſit creſcere, ſuique propagare ſimile, idque agere *appetat*, ſuæ ſtudens conſervationi: placuit Philoſophis eam omnium *primam* & *infimam* appellare. qui enim hac parte animæ caret, is *anima* & *vita* omni carere concipitur. Atque hoc proprie eſt τὸ ἐπιθυμητικὸν Platonis, quod apud Kabbaliſtas dicitur נפש *Anima.* Huic jam immediate conjunxerunt רוח *ſpiritum*, quem ſtatuerunt à נפש maturiore ætate non potuiſſe ſeparari in homine [b]. qer quem *Spiritum* intellexerunt eam facultatem mentis, qua ſpecies rerum, ſibi à ſenſibus oblatas, *dijudicat* diſcernitque, quaſdam ex iis *appetendo*, quaſdam *fugiendo*. Maxime tamen ad hanc partem *animæ* retulerunt τὸ θυμικὸν, eos affectus, in quibus ſanguinis & *ſpirituum* vehementior eſt agitatio. Neque dubito, quin hinc ſit profectum, quod hanc partem animæ רוח *Spiritum* vocarint. Notat θυμὸς illam animi perturbationem, per quam fit ut ſanguis circa cor ebulliat. quod in *ira*, *metu*, aliiſque *affectibus* animi locum habet. Mens igitur quatenus *afficitur* à *corpore*, & pro vario illo

Et primo quidem quid ſit נפש *Anima*?

Quid רוח *Spiritus*?

Significatio genuina vocum רוח & θυμὸς.

affe-

a Diſſert. VI. Cap. XII. b Vide Synopſ. Lib. Sohar Tit. XIII.

affectu, ſequuta motum & ductum animalium ſpirituum, cum commotione ſui quædam *appetit*, alia *fugit*; id ipſum eſt quod Kabbaliſtæ רוח vocarunt. Sortiuntur equidem hæ voces alias ſubinde ſignificationes, & pro ipſa *anima intellectuali* capiuntur cum in Scriptis ſacris tum alibi, ſed haud æque apud hos Scriptores, qui Veteres Philoſophos voluerunt imitari. Valeat Maimonidis admonitio [a]: ופעמים רבות תקרא זאת הצורה נפש ורוח ולפיכך צריך ליזהר בשמותן שלא יטעה אדם בהן וכל שם ושם ילמוד מענינו *Sæpiſſime vero hæc forma* (forma animæ intellectualis, de qua diſſerit:) *vocatur* Nepheſch *&* Ruach. *idcirco etiam de illis vocabulis admonendus eſt quis, ne erret in iſtis. Quodlibet vero nomen diſcet ex materia ſua*, h. e. rebus ipſi attributis. *Partem* vero animæ, qua pure ratiocinatur, & non *affecta* à ſpiritibus, nec occupata ſenſibus, indulget contemplationi rerum ſpiritualium, veritatumque aliarum certitudinem & nexum ex *conſcientia* & *ideis* veſtigat atque demonſtrat, vocarunt נשמה. quam *Divinum ignem*, λόγον, *rationem*, *mentem animi*, νοῦν Veteres dixere. Hebræi Philoſophi שכל / כח הדברי / כח המחשבי quemadmodum eſt apud R. Jehuda Hallevi in Libro *Coſri* & Maimonidem. Maimonides hoc ipſum vocat צורת הנפש *formam animæ*, היודעת ומשגת הדעות שאין להם גולם *cognoſcentem & apprehendentem intelligentias, quibus nulla eſt materia*, donec iis tandem evadat ſimilis. Id ipſum eſt, de quo alibi Reuchlinus [b] in hunc modum; ubi diſſeruerat de naturali deſiderio, quo omnes feruntur mortales ad intelligendas res Divinas atque Cœleſtes. *De quo*, ait, *Rabbi Joſeph Caſtilienſis in Horto Nucis, inter cætera his verbis ait:* תדע לך כי נפש השכלית הנאצלת באדם ומציירת בו צורת עליונה היא נקראת אש *Scias, quod anima intellectiva infuſa in hominem & repræſentans in ea formam ſupremam, ipſa vocatur ignis. Cui applicant Salomonis illud: Lucerna Dei Spiritus hominis. Ut plane tamen fatear, id, quod verum eſſe tum ratio probat, tum exercitationis confirmat experimentum, non paucis oportet artibus, non valde minutis humanorum ſtudiorum ſcientiis, non levi doctrina eum prius inſtructum eſſe, cujus induſtria, promptitudo & ingenium ad formarum ſeparatarum & ſimplicium ſuperioris & intelligibilis ſubſtantiarum contemplationem ita manſueſcat, ut in ipſa ferme Dei penetralia irrepat.* Id ita eſt,

Subinde vox רוח etiam latius ſumitur.

Quid נשמה *Mens?*

Varie ex Veteribus deſcripta.

Reuchlini de ea ſententia.

a Tract. de Fund. Leg. Cap. IV. §. XIV. b Kabb. Lib. I. p. 619.

rum ſedes eſt cerebrum, unde ad nervos & muſculos tranſmittuntur, ſi membra corporis movenda ſint. Horum beneficio animal ſentit, (externos ac internos ſenſus intelligo:) appetit quæ ſibi commoda, & fugit quæ noxia ſunt. Ineſt enim cuique animanti appetitus illius, quod commodum, fuga illius, quod noxam adfert, ſive inclinatio ad ſtudendum ſuæ conſervationi. *Spiritus* autem animales, objecta ad mentem ſecundum naturæ Leges & Ordinem deferentes, *afficiunt* mentem, & in cauſſa ſunt ut mens cum *commotione* ſe ad objecta appetenda aut fugienda determinet, aut qualicunque alia ratione circa ea verſetur. quod dicitur *paſſio mentis*. Quandoquidem vero uſus omnium *paſſionum mentis* in eo conſiſtit, ut *diſponant animam ad res eas expetendas, quas natura nobis dictat eſſe utiles, & perſiſtendum in ea voluntate:* licebit utique eas in genere concipiamus per ἐπιθυμίαν; quod ſive *cupiditatem* ſive *concupiſcentiam* interpretere, res mihi erit perinde, modo notiones illas, quibus nunc utor, non exigas ad aliorum placita. Anima mihi dicitur ἐπιθυμεῖν *concupiſcere*, quando mens obtemperat iis motibus, qui à ſpiritibus excitantur ad conſervationem ſui ſecundum ἔγκλισιν & ductum naturæ: quales in animantibus reperiri omnibus, ſupra diximus. Atque hi *motus animales*, in omni animante per *ſpiritus* excitati ad animantis conſervationem, in homine rationis compote vocati *deſideria*, *concupiſcentia*, *cupiditas*, in Scriptura exprimi ſolent per vocem נפש. Vin' preſſius dicam? נפש *in homine* notat *animam rationalem conſentientem* (ſubjectam) *motibus ſpirituum*, *tendentium ad τὸ εὖ εἶναι hominis*. Vocem autem ψυχὴ eadem ſignificatione accipi Scriptoribus Græcis, h. e. *pro anima concupiſcente*, vel *adfecta*, alibi monuit & probavit Henricus Stephanus [a].

Quid vox πνεῦμα apud Paulum, & an reſpondeat voci רוח, an נשמה?

XI. Alteram mentis partem illam, qua intelligit & ratiocinatur, Paulus hoc in loco πνεῦμα *ſpiritum* vocat, quæ notio hic idem valet quod Kabbaliſtis נשמה. Non nego, Hebræam vocem רוח quoque reſpondere Græcæ πνεῦμα: ſed נשמה non minus commode eandem ſuſtinere poteſt interpretationem. Utique enim τὸ נשמה / ſi Latine exprimendum ſit, vix aliter poteſt, quam per πνεῦμα. LXX vertunt per πνοή. Coccejus. נשמה. *Halitus*, vel *Spiritus reciprocatus*, qui πνεῦμα *dicitur*. Allegat locum ex

a Ad Luc. XII. 29.

ex Jac. II. 26. ubi τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρὸν dicitur. Ibi vero τὸ πνεῦμα commodiſſime refertur ad נשמה. Quid miramur itaque, Apoſtolum illam partem animæ, quam Judæi ſua Lingua נשמה vocabant, per πνεῦμα expreſſiſſe? Imo certum eſt, Paulum alioſque N. T. Scriptores in multis locis adhibere vocem πνεῦμα, ubi Hebræi uterentur voce נשמה. Sic in Epiſtola ad Hebræos[a], ipſi ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ *ſermo Dei* dicitur *pertingere* ἄχρι μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος *uſque ad diviſionem animæ ac* SPIRITUS, hoc eſt, uſque ad intimos *affectuum* atque *ratiocinationis* cogitationiſque noſtræ receſſus. Et ad *Philemonem*. ℣ſ. 25. Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ Πνεύματος ὑμῶν· *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum* SPIRITU VESTRO. Quid hic πνεῦμα aliud quam נשמה? Intelligunt enim Judæi per נשמה illam partem animæ, qua unitur Deo; qua, inquam, Deo proxima eſt. In *Apocalypſi* de *duobus teſtibus*[b]: *Sed poſt tres dies & dimidium* πνεῦμα ζωῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ εἰσῆλθεν ἐπ' αὐτοὺς, SPIRITUS VITÆ *à Deo* (prodiens) *ingreſſus eſt in ipſos.* Πνεῦμα ζωῆς hic omnino videtur idem eſſe, quod נשמה חיים. Sed quid clarius aliis quibuſdam Apoſtoli verbis[c]: Ὁ δὲ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ, ἓν Πνεῦμά ἐστι· *Qui agglutinatur Domino*, UNUS SPIRITUS *eſt.* Quid heic loci τὸ ἓν πνεῦμα *unus ſpiritus*? An non quod Kabbaliſtis: נשמה יחידה *mens una*? Per quam intellexerunt illum ſtatum mentis, quo in contemplatione & communione Dei perpetuo hærens, ita Deo agglutinatur, ut quaſi *una* cum Dei mente ſit. Accipe de hoc ſtatu animæ, hærentis ἐν τῇ θεωρίᾳ τοῦ Θεοῦ, Maximi Tyrii verba[d], de *Dei natura* eum in modum diſſerentis, ut legens merito vim rationis ſtupeat: Τὸ δὲ θεῖον αὐτὸ, ἀόρατον ὀφθαλμοῖς, ἄῤῥητον φωνῇ, ἀναφὲς σαρκὶ, ἀπαθὲς ἀκοῇ, μόνῳ δὲ τῷ τῆς ψυχῆς καλλίστῳ καὶ καθαρωτάτῳ, καὶ νοερωτάτῳ καὶ κουφοτάτῳ καὶ πρεσβυτάτῳ, ὁρατὸν δι' ὁμοιότητα, καὶ ἀκουστὸν διὰ συγγένειαν, ὅλον ἀθρόον ἀθρόᾳ συνιόντι παραγινόμενον· *At Divina* (Natura) *nec videri oculis, nec offerri voce, nec tangi corpore, nec auditu poteſt percipi: quippe quæ ſola illa parte animi, quæ pulcherrima, quæ puriſſima,* (hæc genuina eſt περίφρασις τῆς נשמה:) *quæ perſpicaciſſima atque præſtantiſſima eſt pro ea, quæ inter utrumque ſimilitudine intercedit & cognatione, cum audiri poſſit ac videri, tota atque in ſe ipſam contracta, tota perſpicitur.*

Poſterius hic admittitur.

Qui uſus vocis adſtruitur ex Scriptis N. T.

Locus Pauli 1 Cor. VI. 17. illuſtratur.

Locus Max. Tyrii.

a Cap. IV. 12. b Cap. XI. 11. c 1 Cor. VI. 17. d Diſſert. I. Cap. VII.

Alibi tamen נשמה à Paulo vocatur νοῦς.

Alibi tamen Apoſtolus *ſuperiorem* hanc *mentis facultatem* deſcripturus aliis utitur vocibus, ut ſunt νοῦς & διάνοια. Sic in *Epiſtola* ad Romanos [a]: *Video aliam legem, quæ eſt in membris meis, belligerantem adverſus legem* τοῦ νοός μου MENTIS MEÆ. Mens hic eſt pars hominis rationalis, qua talis. Et in ſequentibus [b]: *Et ne vos conformate ſæculo iſti, ſed transformate vos* τῇ ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς ὑμῶν *renovatione* MENTIS VESTRÆ. Hæc ἀνακαίνωσις τοῦ νοὸς nihil aliud eſt, quam התחדשות הנשמה/ de qua Kabbaliſtæ. Sic ad Timotheum [c]: *Quemadmodum autem Jannes & Jambres obſtiterunt Moſi, ita & hi obſiſtunt veritati* ἄνθρωποι κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν *homines*, MENTE *corrupti*. Corruptio hæc eſt extrema, & deſperata, ſi corrupta ſit נשמה/ ea pars animæ, qua homo ſapit. Et ad Titum [d]: Μεμίανται αὐτῶν καὶ ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις· *Polluta eſt eorum* MENS & CONSCIENTIA. Partes animæ nobiliſſimæ. Διανοίας vocem adhibet hoc ſenſu Joannes, ubi ait [e], *Filium Dei nobis dediſſe* τὴν διάνοιαν MENTEM, *ut cognoſceremus* τὸν ἀληθινόν. Habitus hic eſt mentis in facultate ejus ſuperiore ſupremus. Paulus pariter Epheſ. I. 18. *Illuminatis oculis* τῆς διανοίας ὑμῶν MENTIS *veſtræ*. IV. 18. Ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ· *Obſcurati intellectu*. Hic διάνοια eſt נשמה.

a Cap. VII. 23. b Cap. VII. 2. c 2 Tim. III. 8. d Tit. I. 15. e 1 Joh. V. 20.

Ca-

Caput V.

Obſervatur, Scriptores Sacros, & præcipue quidem Paulum *Apoſtolum*, vitioſitatem, *cum qua homo poſt peccatum naſcitur, vocare ſolere* ἐπιθυμίαν Concupiscentiam. Cujus *nominis quæ* ratio, & genuina ſignificatio *ſit, indicatur. Verum, ut res tota, quæ digniſſima conſideratione eſt, è primis principiis ſuis quam clariſſime intelligatur:* primo *quidem explicatur indoles* Concupiscentiæ Bonæ, *ſive* Appetitus Recti.

Nemo eorum, qui Divinas Literas cum attentione aliqua legerunt, ignorat, *Vitioſitatem indolis*, quę omnibus Adami poſteris congenita eſt, in iis venire nomine ἐπιθυμίας Concupiscentiæ. Sic *Paulus* ad Romanos[a]: Peccatum *non cognovi, niſi per legem:* Τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν, οὐκ ἐπιθυμήσεις· CONCUPISCENTIAM *enim non cognovi, niſi lex diceret, non Concupiſces.* & ad Galatas[b]: *Dico autem, Spiritu ambulate,* καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε & CONCUPISCENTIAM *carnis ne perficiatis.* Jacobus quoque[c]: Εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν· *Poſtea* CONCUPISCENTIA, *poſtquam concepit, parit peccatum.* Alia mittimus.

Diſſertationi de *Concupiſcentia* ſubſternitur hypotheſis, vocem illam in Scriptura S. uſu receptam eſſe pro *cupiditate corrupta.*

II. Quod *Concupiſcentia* in his locis non tantum proponatur ut *peccatum*, ſed etiam ut *fons* & *origo omnis peccati*, cuique ea conſideranti clarum eſt. Meretur tamen tum ratio hujus nominis, tum res tota, illi ſubnixa, diligentius è fundo erui. ἐπιθυμεῖν, ſimpliciter acceptum, notat *Actum* mentis, quo qualemcunque rem, quam ſibi commodo fore arbitratur, *appetit*, qui ad eam in Mente facultatem referri ſolet, quam nos *Voluntatem* vocare ſolemus. cui proprium eſt, *appetere* aut *repudiare* objecta ſibi commoda aut noxia. Illa vero facultas *appetendi*, & *exercitium*, illi conveniens, in ſe nihil habere poteſt vitii, quia utrumque homini eſt naturale, ac proin alium habere auctorem ne-

Concupiſcere, proprie ſumptum, quid ſit?

a Cap. VII. 7. b Cap. V. 16. c Cap. I. 15.

Fundamentum ejus eſt ſtudium ſui ipſius conſervandi, omnibus impreſſum.

nequit quam Deum. Deus ipſe auctor mentis illam menti impreſſit propenſionem, eumque indidit inſtinctum, ut ſe ipſa quo eſt ſtatu conſervare, & quantum pote *perficere* ſtudeat. quo ſtudio nullum eſt intenſius atque ardentius. Quandoquidem vero *bona*, homini congrua, & quę ad eum *perficiendum* cum maxime faciunt, homo ſibi ipſe conferre nequit, ſed ab aliis cauſſis *extra hominem* pendent: docuit eum natura, ſive potius Deus naturæ auctor, circumſpicere & diligenter conſiderare, quænam illa extra ſe ſint *bona*, quæ ipſi tanquam media, vel cauſſæ, & auctores potiundæ felicitatis ſubſervire poſſint: quæ contra *mala* felicitatem & commoda ejus turbent, & ſaluti ejus obſint. quorum priora ſecundum ductum & leges naturæ *appetit*; poſteriora averſatur, repudiat, & *fugit*. Hæc hominis, hæc mentis, & in mente *voluntatis*, eſt natura & indoles, cujus conſcientiam omnes habent mortales.

Concupiſcentia hominis, ſi recta & bona futura ſit, debet conformari ad *Legem*, quæ eſt Divinum Placitum.

III. Sed cum homo à ſuperiore pendens cauſſa, ſui non ſit juris & arbitrii: dubium non eſt, quin *facultatem appetendi* & *concupiſcendi*, quam natura habet, conformare debeat ad *Legem*, ipſi à ſuperiore & potentiore cauſſa, exiſtentiæ ejus auctore, præſcriptam. quæ lex in actibus *Naturalibus* alia eſſe nequit quam *Divinum placitum*, quatenus id ipſi innoteſcit per *Rationem*, aut Rationi ſuperadditam *Revelationem*. quo ſuo placito, 1. Deus circumſcribit & definit *objecta*, quæ homini *appetere* ſive *concupiſcere* licitum ſit, quæ contra appeti Deus aut concupiſci nolit: ſive Ratio aut Placitum Dei illorum objectorum uſu ipſi penitus interdicat, ſive tantum eorum uſum ad certum *gradum* aut *modum* reſtringat. quo modo in Paradiſo homini interdixit uſu arboris vetitæ, & ſub OEconomia Vetere animantium, quæ *impura* dicebantur: & Ratio alterius Conjugem violare, Bona rapere, & quæ hujus generis alia vetat. adverſus quam Concupiſcentiæ Legem in Mundo graviſſime peccatur. ut ſane patet in peccatis *furti*, *adulterii*, *tyrannidis*, *ſuperbiæ* intolerabilis, & quæ his ſunt ſimilia. Quod quis enim *bona* alterius invito eorum domino *vi* ad ſe rapiat; quod alterius conjugem in ſuas delicias pertrahat; quod honorem & divitias per ſuperbiam & injuſtam tyrannidem quærat, hoc utique voluntatis eſt, *fortiter*, ſed *inordinate*, ſummo gradu, rem, ipſi non conceſſam, ſub

Quod primo definit *Objecta* appetitus.

aliqua

aliqua tamen ſpecie boni obverſantem, appetentis. 2. Deus circumſcribit docetque *ordinem*, ſecundum quem appetitus & concupiſcentia hominis componi debet. ut nimirum majoris pretii & nobiliora bona fortius, & quę minoris pretii & rationis ſunt, remiſſius appetantur. Dei proinde, ſummi felicitatis humanæ auctoris, Communio intenſiſſimo ſtudio & deſiderio quæratur; reliquarum autem rerum omnium appetitus ſuo quarumque ordine & gradu amori Dei tanquam ſummi boni ſubordinetur. quod idem in malis, ab homine vitands, quæ ſuo quæque momento rite libranda ſunt, obtinere debet. quorum alterum ubi negligitur, *vitium* ineſt in *Appetitu* & *Concupiſcentia*. quo vitio in humanis nullum familiarius.

Deinde *ordinem*, rationem, & modum.

IV. *Vitioſus* autem ejusmodi *Appetitus*, vel ſpectari poteſt in *Actu*, vel in *Habitu*. In Actu, quando ſignificat omnes illos varios *Concupiſcentiæ* Actus vitioſos & damnabiles, quibus *Appetitus rerum inordinatus* ſe exerit. quomodo ab Apoſtolo *Actualia* Concupiſcentiæ *Delicta* dicuntur ἐπιθυμίαι Concupiscentiæ [a]. In Habitu, quando eam notat damnabilem Voluntatis affectionem, qua ad res *inordinate* appetendas fertur & propendet. quo ſenſu *Concupiſcentiæ* notio in iis ſumitur locis, quæ modo adducta ſunt. cujus *Concupiſcentiæ* cum indicia & ſigna ſint *Affectus inordinati*, qui in hominibus irregenitis regnum obtinent: ipſi quoque illi *Affectus* inordinati nomen ferunt *Concupiſcentiæ*. ut quando Judas [b] ſui temporis homines quoſdam depingit tanquam qui vitam inſtituerent ſuam κατὰ τὰς ἐπιθυμίας αὐτῶν *ſecundum cupiditates ſuas*, h.e. affectus. quibus pravis affectibus ſubſtrata eſt illa *Habitualis Concupiſcentia*, ſive *Male affecta Voluntas*, quam diximus plerorumque Peccatorum fomitem eſſe & fontem.

Appetitus Vitioſus vel ſpectari poteſt in *Actu*.

Vel in *Habitu*.

Quæ poſterior ſpecies deſcribitur.

V. Noſtri vero nunc eſt propoſiti atque inſtituti, *Concupiſcentiam* contemplari ut eſt in *habitu*: quo nomine per eam intelligimus vitioſam illam Voluntatis *Affectionem*, qua fertur ad appetendum quę illicite uſurpantur, aut quę licite uſurpantur appetit ἀτάκτως inordinate. Eam *Concupiſcentiam* docet Scriptura in homine eſſe per modum *habitus*, aut *habitudinis*, ex qua omne procedit vitium, quod nomine *concupiſcentiæ* ante indicavimus.

Præſentis inſtituti eſt, *Concupiſcentiam* ſpectare in *Habitu*.

Doctrina S. Scripturæ de *Concupiſcentia habituali*.

a Rom. vi. 12. b Verſ. 16.

Hanc ſpectari vult ut fontem & originem *affectuum inordinatorum*; hanc cauſſam omnis inordinati appetitus, qui ſe in turpiſſimis ſæpe vitiis, in furto, adulterio, ſcortatione, & tyrannide, atque Imperio gravi & violento, prodit. Neque hoc duntaxat, ſed & hanc ſpectari vult ut principium omnis *cogitationis*, moliminis, operis, quod à peccatore eſt, nondum ſanctificato, quodcunque tandem id fuerit, & quamcunque etiam boni habeat ſpeciem externam.

Quam facit fontem & principium omnis peccati & aberrationis.

Propone, ſis, tibi Philoſophum, differentem in Schola publica de Deo, ejusque virtutibus; de æquitate, continentia, moderatione animi, juſtitia, pietate in parentes; neque differentem modò, ſed vitam quoque ſuam ad hæc præcepta componentem; ſeparatum à vulgo veſte & moribus; ejuſmodi, ſis, tibi propone hominem, inquam, non modo non adulterum, homicidam, furti, ſcelerumque aliorum reum, ſed ne iracundum quidem, crudelem, ſævum, neque odii atque invidiæ morbo, ut externè apparet, laborantem: hunc tamen ipſum *concupiſcentiæ* ſervire, Deus nos in verbo ſuo docuit; hunc eſſe ψυχικὸν *concupiſcentem*, *carnalem*, & à vitioſis ſuis affectibus regi, *Paulum* paſſim docere, contendo.

Scopus hujus argumenti uberius pertractandi.

Digniſſimum argumentum eſt, quod explicemus, quia ſe diffundit per totam Scripturam. quo non recte percepto fieri nequit quin ſæpe de gentilium quorundam moratiorum ſtatu cogitantes, miſere cæſpitemus. Præterea utiliſſimum eſt, ut homo in lucem protrahatur, & detegatur, qualis ſit. *Verbum* Dei hoc ſenſu appellatur *gladius acutus* & penetrantiſſimus; *ignis* & *malleus*; cum *pinnis* quoque *ferreis*, & cum *fulgore* & *ſagittis* comparatur, quia occultam hominis malitiam in profundo animi ſitam, accuratiſſimè detegit & conſcientiæ revelat.

Ejuſque inſtituti utilitas.

Chriſtus Dominus hujus rei gratia in mundum venit φῶς *lux*, ut *opera omnia tenebrarum* ἐλέγξῃ *examinaret* & argueret, & in clara luce poneret omnem nequitiam, omnemque evinceret animum hominis eſſe plenum doli & [illegible]. Nihil vere magis facere poteſt ad pudefaciendum peccatorem *irregenitum*, ut ſciat quis & qualis ſit, qui non homines tantum ſed & Deum & ſe ipſe ſua hypocriſi ſtudet fallere. hoc enim agere nituntur plerique peccatores, ſæpe etiam graviſſimi.

Eſtque meditatio hominibus per

Nec poteſt hæc meditatio homini *regenito* eſſe inutilis aut injucunda, quippe ex qua intelliget, quantum debeat

Deo

Divinæ gratiæ, per quam ex ſtatu moleſtæ ſervitutis concupiſcentiæ liberatus eſt, & ſimul diſcet cupiditatem ſuam ſecundum Legem Dei rite moderari. Poſitis igitur nunc fundamentis eorum, quæ probanda & explicanda erant ex conſilio noſtro: σὺν Θεῷ hunc nobis præſtituemus in noſtra hac tractatione ordinem, ut I. Declaremus naturam *voluntatis rectæ* & *appetitus ordinati*. II. Explicemus huic oppoſitam *voluntatem pravam* & *appetitum inordinatum*, qui *Concupiſcentia* dicitur. III. Rationes illius *denominationis* ſtudeamus dare. IV. Illius *Concupiſcentiæ* effecta exponamus. V. Ipſaſque Gentilium *virtutes*, eorumque doctrinam, profeſſionem, & ſtudia ſecundum leges, à nobis expoſitas, examinemus.

Gratiam Dei regenitis proficua.

VI. *Primo* itaque ad *Concupiſcentiam rectam* & *Appetitum ordinatum*, pertinet, ut non verſetur circa alia objecta, quam *quæ* & *quatenus* Divinum Placitum ea homini *fruenda*, ac proinde etiam *appetenda*, conceſſit. Homo, ſuorum ſibi conſcius defectuum, & à natura doctus, ſe ipſum perficere & quantam poteſt maximam ſibi conciliare felicitatem & voluptatem, deprehendit naturam ab ejus auctore liberali manu inſtructam, varias habere *res*, aptas & paratas in hunc uſum, ut voluptatem ſibi conferrent, & ſe, quo eſt ſtatu conſervarent, aut etiam perficerent. Cœlum, Terra, & Mare, varia ipſi ſubminiſtrant, quę ad ipſum alendum, ſuſtentandum, & exhilarandum, facere poſſunt. Homo inſuper homini, mas fœminæ, poteſt eſſe inſtrumentum voluptatis: homo ex homine commodum, utilitatem, & honorem, percipere poteſt. Mens inſuper in ampliſſimum hoc Mundi theatrum ducta ſe per ſenſus varie poteſt oblectare contemplatione & meditatione ſtupendi operis, quod Optimus & Potentiſſimus Naturæ Opifex mirabili quadam & vere Divina ſapientia produxit. Oculi adſpectibus, aures ſonis, nares odoribus, poſſunt demulceri. Et quod præcipuum eſt: Animus in ſua deſcendens penetralia, deprehendit ſe inſtructum eſſe ſeminibus veri & principiis puræ rationis, ex quibus ſe ipſa, ſimul cauſſam atque auctorem ſuum, & omnium rerum, Deum, & quę Deo atque hominibus officia debeat; nec non, quis Dei finis in ipſo producendo, quis ſuus finis, ad quem adſpirare & anhelare debeat; perſpicit atque intelli-

Incipit tractatus à deſcriptione Appetitus recti, cujus primus character eſt verſari circa Legitima objecta.

Objecta appetitus, generatim ſpectata.

telligit. Hac aliiſque illius generis exercitationibus homo otium ſuum fallere, & ſe occupatum tenere poteſt, ut ſe ipſe perficiat. Quæ omnia, hactenus recenſita, cum multis & infinitis aliis ejuſdem ſpeciei, homini obverſantur ut *bona*. Sunt enim ejus naturæ congrua & ad ipſum perficiendum apta. Licet itaque ipſi eorum uſum *appetere* & concupiſcere, niſi forte Lex Divina, Ratio, aut Imperium Legitimum *eorum uſum* in quibuſdam caſibus reſtrinxerint aut prohibuerint. ut varie factum. Cum enim natura rerum in hujus Mundi ortu tota Adamo ejuſque liberis pateret: brevi factum, ut tam ipſi quam eorum poſteri quædam à ſe occupata in privos ſibi vindicaverint uſus, & invecta in orbem terrarum ſint privarum poſſeſſionum dominia. quæ bona proin promiſcui uſus eſſe deſierunt, &, reliquorum communitate veluti exempta, *licite* deinceps ab aliis uſurpari non potuerunt, niſi novum ſibi in ea jus titulumque qualicunque honeſta ratione acquirerent. & cum *licite uſurpari* amplius non potuerint, deſierunt pariter eſſe objectum honeſti *appetitus* ſive *Concupiſcentiæ*. Eadem ratio obtinet in Conjugiis liberorum hominum, maris & fœminæ, quæ ſolenni fœdere ineuntur. Eximuntur, qui ſe ejuſmodi fœderibus obſtrinxerunt, aliorum uſibus, nec proinde ab aliis in illos uſus *concupiſci* debent. Eadem in iis obtinet ratio, quorum fruitione Deus, cujus voluntas ſumma Lex eſt humanæ concupiſcentiæ, hominibus ſolenniter interdicit, ut factum in *Arbore ſcientiæ Boni & Mali.* aut quorum uſum Deus, aut qualecunque aliud Legitimum Imperium in Eccleſia aut Civitate Legibus aut Interdictis reſtringunt. ut multis omnino in caſibus accidit. quæ *eatenus concupiſcere* vetitum, &, ſi id fiat, vitium eſt. Non licet igitur homini *omne bonum concupiſcere:* ſed ea ſolummodo bona, quæ licite uſurpantur, & per Rationem aut Placitum Dei vel Poteſtatis ſuperioris communi uſu exempta non ſunt. Cum enim homo, quod ad *Naturam*, ſui non ſit juris, ſed à Deo pendeat; & quod ad *Societatem Civilem*, ſuperiori Auctoritati ſubjectus ſit: ſumma ratio & fas exigunt, ut eorum in *concupiſcentia* & appetitu rationem habeat. quod Deus haud dubie Interdicto *Arboris Vetitæ* Parentes noſtros docere voluit.

Et quidem quatenus homini obverſantur ut bona.

Sed quia omnia honeſte appetere non licet, quod uſus illorum Lege aut Ratione ſit reſtrictus.

Exempla varia hujus reſtricti uſus bonorum appetibilium.

Alterum Concupiſcen-

VII. Sed cum multa & varia ſint, quorum uſus homini negatus

gatus aut prohibitus non eſt: *ſecundo* obſervandum erat, ad *Concupiſcentiam rectam* & laudabilem pertinere, ut res, naturæ hominum conſentaneæ, quę *licite* ab ipſis *uſurpari* poſſunt, *eo* expetantur *ordine*, quem Lex, Ratio, & rerum illarum *Natura*, jubent atque præſcribunt. Cujus *ordinis* eſt, 1. Ut proportio ſit inter *Appetitum* & *Objecta Appetitus*, ſive *Bona expetenda*. quo facit, ut *ſummum Bonum* intenſiſſime & tanquam tale; *minora*, qua talia, pro ſuo quodque pretio & merito, *cum χέσει ad ſummum Bonum* expetantur. 2. Ut ad *Bona*, quibus frui cupimus, per talia tendamus *media*, quę Lex & Ratio nos ad ea comparanda commodiſſime adhiberi docent. de quibus nunc diſtinctius diſſerendum erit.

tiæ Rectæ [illegible] eſt, *Res appetenda ordine.*

VIII. 1. Cum varia ſint Bona, quorum uſum & fruitionem homo expetere poſſit: nullum eſt, quod prius aut potius habere debeat Deo, quem ſolum conſiderat ſuæ felicitatis & ſalutis ſummum poſſe eſſe auctorem. In *cauſſis* igitur ſuæ felicitatis nullam Deo priorem & potiorem habere; ac proin æſtimare, amare, appetere, & celebrare, poſſe ac debere, clara ratio docet ſuadetque. Eſt enim Deus *bonus*, eſt homini *bonus*, & quibus *bonum* hominis *ſummum*. quæ dubium non eſt Chriſtum Dominum docere nos voluiſſe paucis verbis apud Matthæum[a]: Οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός· Nemo Bonus, nisi Deus. Sic *Jehova* pariter à Davide vocatur טוב bonus[b]. Cæterum per hanc *Bonitatem* Dei. α. Intelligimus ipſius *Perfectionem naturæ*, qua Deus talis eſt, qualem ipſi convenit eſſe, omneſque poſſidet proprietates, quæ ad ens tam magnificum conſtituendum, quam Deus eſt, ex conſcientiæ noſtræ teſtimonio requiruntur. Hanc *bonitatem* nemo habet, niſi Deus, qui ſolus per ſe & à ſe *eſt*. β. Nomine *Bonitatis Dei* vel maxime intelligimus *Boninitatem* ejus *moralem*, hoc eſt, naturalem illam Divinæ voluntatis affectionem, qua jus, æquum, & virtutem omnem, quę in juris & æqui rationibus fundata eſt, conſtanter amat, & omnem iniquitatem, nequitiam, malitiam, & injuſtitiam, averſatur & odit. quæ virtus Dei, ſi ulla alia, facit, ut tanquam *bonus* à nobis prædicari & celebrari poſſit. Sic ipſe *ἁπλῶς abſolute*, in ſe ſpectatus, tam *phyſice* quam *moraliter* bonus & perfectus

Qui exigit ut *ſummi boni* maxima habeatur ratio.

Quo ſenſu Deus *bonus* dicatur?

Et quidem *abſolute.*

a Cap. xix. 16. b Pſ. xxv. 8.

Bonitas Dei relativa.

fectus eſt. Sed eſt quoque *σχετικῶς relative Bonus* cum reſpectu ad hominem. unde γ. Deum *bonum* vocamus in σχέσει ad hominem, quatenus Divina Perfectio cum homine communicari poteſt ad ejus felicitatem & beatitatem. Quod ſi enim judicio mentis Deus à nobis perciperetur ut *rectus*, neque tamen nobiſcum communicabilis, (quę tamen fateor ſeparari vix poſſe:) tum noſtri ratione Deus non abſolveret vim nominis *boni*. Neque enim amari poſſet ab homine, etſi poſſet laudari & celebrari. Qui vero *amari* non poteſt, is proprie *bonus* non eſt, quia omne bonum eſt amabile. Verum δ. ad *bonitatem Dei* pertinet quam maxime, ut homo, in quocunque ſtatu poſitus, ſciat, Deum tantum, quantus Deus eſt, non poſſe duntaxat, ſed & *velle* ſibi *bene*: velle, inquam, id, quod eſt, eſſe bono & commodo hominis ipſius communionem ſedulo quærentis. Quid enim juvat, *poſſe* Deum mihi velle bene, ſi ſimul intelligam, illum mihi *nolle* benefacere? Talem ſe Deus eſſe docuit per conſcientias omnium hominum. Non poteſt hominem ipſum quærentem & favorem ejus ambientem deſtituere. Non poteſt enim negare, gratum ſibi eſſe, quod ab homine quæratur, colatur, & celebretur. ſi gratum ſit, oportet id teſtimonio & argumento gratum ſibi eſſe demonſtret, ac proin ſtudium creaturæ remunerari. Sane non docuiſſet Deus hominem per naturam ſe colere & quærere, nec præſcripſiſſet modum & rationem ſui Cultus, ſi colentem & quærentem non vellet remunerari. Quid enim penſi aut curæ habet Cultum, qui Cultum remunerari non vult? *Æquitas* igitur, quæ ſumma in Deo eſt, hanc Dei *bonitatem* neceſſario involvit. Ad quæ nunc tandem, ε. accedit *libera* illa Dei *bonitas*, ſive *benignitas*, quam exercet erga miſerum peccatorem in Chriſto Jeſu: de qua David haud dubie in loco modo notato, quando ait, Deum *peccatores docturum eſſe viam* ſalutis, quia *bonus eſt*.

Pertinet illuc, Deum non poſſe tantum ſed & velle ſe colentes beare.

Hac parte Deus eſt objectum *amoris*, ſive *concupiſcentiæ rectæ*.

IX. Hoc ipſum vero quod poſtremo loco expoſuimus, id proprie eſt, quod *Deum* facit *amabilem*. Quandoquidem enim voluntas mea non fertur, niſi in id, quod mihi *bonum* eſt: non apparet mihi, Deum eſſe poſſe objectum *amoris*, niſi voluntati proponatur ut *amabilis*, hoc eſt, talis, quem homo percipit eſſe poſſe & velle ad ſui bonum. Eſſe poſſe, inquam, & eſſe velle.

velle. Quamdiu enim percipimus, Deum nobis poſſe eſ- Quæ hypotheſis declaratur.
ſe bonum, abſque quo perſuaſi ſimus, Deum talem velle eſſe, tamdiu *amor* non poteſt eſſe perfectus. Supereſt enim in ejuſmodi *amante* metus, ſolicitudo, cura, & anxia vexatio mentis, an ille, quem ut *objectum poſſibile ſui amoris* reſpicit, unquam ſua deſideria ſit expleturus. quę cum *charitate* conſiſtere nequeunt. ὁ δὲ φοβούμενος οὐ τετελείωται ἐν τῇ ἀγάπῃ· *Qui enim metuit*, ſecundum Joannem [a], *non* EST CONSUMMATUS IN CHARITATE. Amor ergo, ſi futurus eſt conſummatus, ſecum ferre debet *ſecuritatem*, in eo fundatam, quod certo ſciamus, Deum nobis bene non tantum *poſſe*, ſed & *velle*, & nos amaſſe, antequam nos ipſum amaverimus. Hoc diſcimus ex eodem *Joanne*, quo ſane nemo melius naturam amoris intellexit, ubi in *commate ſequente* ait: Ἡμεῖς ἀγαπῶμεν αὐτὸν, ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς· *Nos diligimus illum, quia ille prior dilexit nos.* Subſternit amori noſtro erga Deum *Joannes* fundamentum hoc, quod Deus nos amaverit prius. Eſt igitur Deus voluntatis atque appetitus noſtri objectum, quia *bonus* eſt, hoc eſt, qui non tantum poteſt ſed & vult eſſe id quod eſt ad noſtri bonum.

X. Verum non tantum Deus eſt amabilis & appetibilis, quia Deus non
bonus eſt, ſed & certo ac ſano ſenſu unice *amabilis* & *appetibilis* *amabilis* tantum, ſed ſano
à creatura intelligente, quia *ſolus bonus* eſt. Chriſti hæc eſt pars ſenſu ſolus
orationis [b]: οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός· NEMO *eſt bonus niſi Deus.* amabilis. Exponitur
Vult Chriſtus. 1. Nemini præter Deum hoc eſſe proprium, ut dictum Domini Matth.
non tantum *ſit*, ſed etiam *ita* ſit, ut *ipſius eſſe* habeat *bonitatem*, xix. 16.
id eſt, decentiam omnium perfectionum, quę ad perfectum & conſummatum *eſſe* tam *phyſicum* quam *morale* requiruntur. Hoc ſoli Deo proprium. Omne, quod ἀναλογικῶς *eſſe* dicitur, præter Deum, propendet ad nihilum, ac proinde eſt imperfectum. Dei *eſſe* eſt *eſſe* perfectum. quod ad Voluntatem eſt *rectus*; quod ad Potentiam, *beatus*. 2. *Nemo* noſtri reſpectu eſt *bonus* præter Deum, quia nemo præter Deum ſummam illam felicitatem, ad quam adſpiramus, nobis poteſt conciliare. Utique α. liquet cuique attendenti, nihil eſſe quod *deſideria* noſtra Quæ poſitio
ſatiare & *appetitui* noſtro ſatisfacere poſſit, niſi quod *infinitum*, fuſius exponitur, & boni-
eſt, à nobis poſſidendum in infinitum, hoc eſt, nunquam du- tas atque amabilitas Dei

Cccc 2 ratu-

a 1 Epiſt. iv. 18. b Matth. xix. 16.

ſumma, deſcribitur.

raturum tempus modo ejuſmodi, qui vacuus erit omni *ſpe*. In rebus omnibus, quę ab hominibus expetuntur præter Deum, eſt הבל *vanitas* & *vexatio* mentis, quia quanto plus earum poſſidemus tanto plus concupiſcimus. quod animum *vexat* & turbat. Voluntas noſtra ſic facta & formata eſt à Deo, ut *infinita* appetere, & non niſi in eo quod *infinitum* eſt conquieſcere poſſit. *Solus* igitur Deus proprie eſt *objectum*, noſtris conveniens deſideriis & appetitui. quicquid eo minus eſt, animum non poteſt ſaturare. Cætera itaque omnia, quæ honeſte concupiſcuntur, abſque Deo ſi ſint, non ſatiant ſed turbant mentem.

Eſt enim & eſſe poteſt ſolus cauſſa noſtræ felicitatis.

β Deus non tantum eſt objectum, appetitui noſtro reſpondens, ſed etiam, quod modo monebamus, Deus ſolus nobis poteſt eſſe auctor & cauſſa *felicitatis*. *Beatum eſſe* eſt omnibus gaudere bonis, quæ naturæ noſtræ conveniunt. qui ſtatus tam involvit *conſcientiam* illius noſtræ perfectionis, quam *ſummam lætitiam*, inde ortam. Ad illam vero ſtatus perfectionem nemo nos evehere poteſt præter Deum. *Bona* enim, quæ nos perficiunt, ejus ſubſunt poteſtati: à *Malis*, quæ nos miſeros reddunt, ipſe ſolus ſua potentia nos liberare poteſt. ut vere beatitudo hominis ad ſolum Deum ſit referenda tanquam illius auctorem. Sic intelligendum, quod dicitur Pſ. xvi. 11. שבע שמחות את פניך Satietas gaudiorum *eſt cum facie tua*, ſive *apud te*. Repetit ſuam ſpem Vates Pſ. xvii. 15. *Ego* בצדק *in juſtitia videbo faciem tuam:* אשבעה satiabor, *quando expergiſcar*, (reſurgam:) *imaginem tua*. Quæ *ſatietas* paſſim in Scriptura nobis ob oculos ponitur, quando res cœleſtes earumque fruitio per *cibum*, *potum*, *carnes*, *panem*, *vinum*, *aquam*, *pinguia*, depinguntur. Notant enim hæ φράσεις expletionem omnis noſtri appetitus longe jucundiſſimam. cujus magnitudinem boni, credentibus promiſſi, hoc ſtatu rerum difficile eſt intellectu noſtro comprehendere. Satis ſit ſcire, unum Deum hoc poſſe, ut *concupiſcentiam* noſtram impleat; ut nos ſatiet; ut omnium noſtrorum votorum nos compotes faciat, imo ut nos ab omni etiam *ſpe* liberet[a], quo nihil poteſt cogitari majus. Ubi enim nihil amplius *ſperatur*, ibi poſſidentur omnia. Solus itaque *Deus* bonus eſt, quia *ſolus* Deus nobis *bonus* poteſt eſſe. Atque inde γ. cum nemo in nos conferre queat beatitu-

a 1 Cor. xiii. 13.

titatem, niſi Deus: patet, neminem hoc *velle* poſſe, ut ſimus beati: adeoque, ſi conſtet, Deum hoc *velle*; rurſus claret, *ſolum* Deum eſſe *bonum*. Atqui vero conſtat, Deum, qui poteſt, eundem *velle*. Quia autem præter ipſum alius id nemo poteſt *velle*: *ſolus* utique *Deus eſt bonus*. Si *ſolus* bonus, *ſolus* etiam ſano ſenſu, *amabilis*.

XI. Imo ſane. nec tamen propterea vetitum homini *alia bona* extra Deum amare & expetere. Stultum eſſet ita ſentire. Licet enim nobis expetere omne *bonum*, quod noſtræ congruum eſt naturæ, & licite à nobis uſurpari poteſt. Hoc ipſo enim quod Naturæ auctor Deus illas res ad noſtram naturam perficiendam ordinaverit, voluit quoque ut iis frueremur, ac proinde earum uſum & fructum expeteremus. Natura nobis imperat, omne bonum amare. Præter quod obſervandum, Deum ſe ut plurimum cum hominibus communicare non *immediate* per *ſe ipſum*, ſed *mediate* per creaturas. In operationibus quibuſdam Gratiæ Deus ſe quandoque immediate cum electis & ſanctis communicat: ſed paſſim & ut plurimum id agit per alias creaturas tanquam per *media*, naturæ hominis perficiendæ commoda, in quibus & per quæ ſe fruendum homini exhibet ad hominis lætitiam & τελείωσιν; ut adeo ipſo in creaturis frui poſſimus Deo. Ordinis ſolummodo ratio poſtulat, & ipſarum rerum natura exigit, ut *res* quaſcunque alias extra Deum minore habeamus loco & pretio, quam *communionem Dei*, ac proinde earum uſum moderatius & remiſſius expetamus, & quidem σχέσιν ad Deum, & *quatenus* earum uſus & fruitio cum Gloria Dei ejuſque erga nos favore conſiſtere poteſt. Summum bonum, à quo omnis noſtra felicitas pendet, ut ſummum: reliqua omnia tanquam ſummo bono minora & illi ſubjecta, appetenda ſunt. Summum bonum propter ſe, reliqua alia propter illud amanda ſunt. Sic prorſus ut Apoſtolus monet, *omnia*, cujuſcunque illa ſint generis, *facienda* εἰς δόξαν Θεοῦ *ad Gloriam Dei* [a]. Non amandæ igitur creaturæ illæ propter ſe, ſed propter Deum. Non amandæ etiam creaturæ ſunt, quæcunque tandem fuerint; ſed amandus in iis Deus. Non deſiderandæ, vel appetendæ, vel poſſidendæ creaturæ ſunt, ſed deſiderandus, appetendus, poſſiden-

Nec tamen alia bona, naturæ noſtræ congruentia, deſinunt eſſe objecta *appetitus* noſtri.

Solummodo docetur, hic ſervandum eſſe *ordinem*.

Et nihil appetendum, niſi σχέσιν ad ſummum bonum.

[a] 1 Cor. x. 31.

dendus in iis & per eas Deus. Deus, inquam, qui in iis eſt, qui eas conſervat, qui ſuas perfectiones per eas nobis præbet cognoſcendas, qui bonitatis ſuæ in iis ſubminiſtrandis noſtroque commodo ordinandis luculenta prorſus dat ſpecimina. Imo vero omnia ſunt abneganda, ſi ſalvo Dei favore & honore illis frui non poſſimus, & quidem cariſſima. Sic Paulus nos docet [a], oportere ut οἱ ἔχοντες γυναῖκας *qui habent uxores*, *ſint* ὡς μὴ ἔχοντες *ut non habentes*, οἱ κλαίοντες ὡς μὴ κλαίοντες *flentes ut non flentes*, *gaudentes, ut non gaudentes*, καὶ οἱ ἀγοράζοντες *& qui emunt*, ὡς μὴ κατέχοντες, *ut nihil poſſidentes. Qui utuntur mundo hoc, ut qui non abutantur.* Addit ℣ſ. 32. Θέλω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι· *Volo autem, ut omni ſolicitudine ſitis liberi.* Omnis enim ſolicitudo & cura rerum terreſtrium, quæ conjuncta eſt cum anxietate & labore, non tantum turbat exercitium amoris Dei, ſed & docet quoque, animum aliud quid amare præter Deum. Sed quanto adhuc durior Chriſti ſermo eſt iis, qui his myſteriis non ſunt initiati! *Si quis accedat ad me*, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα *& non* ODIO HABEAT *Patrem, & Matrem ſuam, & uxorem, & liberos, & fratres, & ſorores, quin & inſuper ipſam animam*, (ſis, intellige *vitam*:) *non poteſt is meus eſſe diſcipulus. Odio habere Patrem*, matrem &c. heic loci eſt ita ſe gerere erga Patrem, Matrem, liberos, & uxorem, ut alii ſe gerunt erga rem, quam odio habent. Sic agere oportet ſanctos circa id, quod in vita humana ipſis cariſſimum eſt, ſi interſit gloriæ Chriſti. Hæc eſt illa famoſa & vera ſui ipſius *abnegatio*, quam inter ſumma præcepta ſua Chriſtus recenſet [c]. Et nititur vere hæc ſententia noſtra ſumma ratione. Oportet enim nos res alias præter Deum uſurpare ad talem finem, ad quem Deus eas ordinavit. Atqui vero Deus eas ordinavit ad gloriam ſuam. Non convenit igitur nobis iis vel aliter vel ad alios uti fines, quam ad hunc ſummum, qui à Deo nobis præſcriptus eſt. Neque enim nos rerum domini ſumus, ſed Deus. Præterea convenit, ut noſter *amor* & *appetitus* imitetur *amorem Dei*. At vero Deus ſe ipſum amat, & ſe ſolum amat, & quas res extra ſe voluit eſſe, eas non amat, niſi quatenus ab ipſo, per ipſum, & *ad* ipſum ſunt. Hæc eſt Dei ſanctitas, quæ eſt ipſius amor ſui ipſius ut perfecte boni. Quandoqui-

Cum cujus communione & ex cujus voluntate, ſi frui iis non licet, abneganda ſint.

Abnegatio ſui ipſius qua in re conſiſtat?

a 1 Cor. VII. 29. b Luc. XIV. 26. c Matth. XVI. 24.

doquidem vero *ſanctitas hominis* ad exemplar *ſanctitatis Divinæ* compoſita eſſe debet: fieri nequit; ut hominis ſanctitas in alia aliqua re conſiſtat, quam ut homo *Deum* amet, & nullas res expetat præter Deum, niſi quatenus à Deo & per Deum ſunt, & *ad Deum* eſſe poſſunt. Teneamus igitur, ad Appetitum rectum pertinere, ut in caussis & mediis *noſtræ felicitatis* Deum primo & ſummo loco habeamus, expetamus, honoremus, celebremus, ejuſque communionem & gloriam ſummæ nobis curæ eſſe, ipſo actu demonſtremus.

Bona, quæ præter Deum ſunt objecta noſtri appetitus, alia aliis ſunt præſtantiora, & ad nos variam habent σχέσιν, unde eorum ordo dependet.

XII. Sed cum bona, quæ extra Deum honeſte appetere poſſumus, varii ſint generis: *ordo* quoque in iis non erit negligendus. Inter creaturas vero, ſive res præter Deum exiſtentes, ordo eſt rerum varius, tam in ſe ſpectatarum, quam σχέσιν, quam habent ad Deum. Mens utique præſtantior eſt corpore. Illius bona ſunt nobiliora corporis. Homo præſtantior eſt animante bruta. Inter homines hic mihi propior eſt altero, quia huic, vel per beneficia, vel per fœdus, vel etiam ex Divina conſtitutione, magis ſum obſtrictus quam alii. Ubi homines in ſocietatem coiverunt, ſocietas tota plus valet, quam ſingulare quodcunque illius ſocietatis membrum. Inter res inanimatas, ſive motum *vitæ* habeant ſive non, hæc mihi magis prodeſt, quam alia. Hæc juvat valetudinem, hæc illi nocet. Hæc recreat ſpiritum eumque excitat ad Dei gloriam, alia eundem ſuffocat. Homo vero tale à Deo factus eſt animal, ut utroque rerum genere uti fruique poſſit, ac proin utrumque illud genus rerum appetere & concupiſcere. Quis hic ſervandus *ordo*? Neque enim omnia confuſe, mixte, turbulentur, appetenda ſunt; ſed ſuo quæque ordine, ut *rationalem* creaturam decet. Appetendus igitur & *amandus* eſt prius Deus, quam craeturæ. de quo nunc abunde eſt dictum. Mentis bona prius ſunt quærenda quam corporis. Hominis commoda prius ſunt curanda, quam animantis brutæ, aut cæterarum rerum inanimatarum. Inter homines illi magis amandi ſunt, quibus nos vinculis quibusdam beneficiorum aut confœderationis ſumus obſtricti, quam alii, quibuſcum nobis peculiaris cognatio non intercedit. Quæ ſatis nunc poſſunt intelligi ab eo, qui attendit. Neque enim neceſſe eſt, verba fundere incaſſum. In genere itaque dicamus, nulli

Lex appetitus Generalis, quæ ubique

obtinere debet.

nulli appetitioni ant concupiſcentiæ locum eſſe dandum, niſi quæ nixa ſit judicio & ratione ſancta, per quam ſtatuitur, quid magis aut minus in hoc vel illo ſtatu quærendum, amandum, appetendumque ſit. Fieri enim poteſt, ut, licet bona mentis ſint præſtantiora bonis corporis, aliquando tamen magis bonum ſit, corpori proſpicere quam mentem excolere. quod diſcernere & dijudicare, rationis & judicii eſt. Canon vero & norma, quam judicium hic ſequi oportet, eſt unica, *Gloria Dei*. Quandoquidem enim mens recta hoc ſibi maxime propoſitum habet, ut Deum appetat, tanquam ſibi bonum, à ſe poſſidendum: ipſius eſt diſcernere, quid hoc aut illo tempore, in hoc aut illo ſtatu, maxime omnium facere poſſit ad id, ut finem hunc ſuum aſſequatur. Hæc eſt illa διάκρισις πνευματική, quæ in Scriptura בינה φρόνησις appellatur. Hoc judicium oportet intercedere mentis in quibuslibet actibus & caſibus hominis, iis maxime, qui notabiliores ſunt, ut ſecundum ordinem varium rerum, ſtatuum, & temporis, prudenter ſtudeat ad propoſitum hunc ſibi pervenire ſcopum.

Quæ honeſte appetuntur, non ſunt appetenda niſi viis mediiſque legitimis.

XIII. Præter hæc 2. ad *ordinem* rerum concupiſcendarum pertinere dixi, ut quæ honeſte appetuntur, non expetantur à nobis niſi iis *viis mediiſque* nobis acquirenda, quæ Lex & Ratio præſcribunt. Res clara hic eſt & facilis, atque abſque ulla circuitione à nobis poterit indicari. Cibus & potus inſtrumenta ſunt, à Deo homini conceſſa ad vitam ejus alendam, quibus itaque ut mediis uti poterit ad laudem Dei. *Appeti* igitur eatenus poſſunt. Sed tamen appeti non debent, niſi per *conceſſa media*. Si enim hoc nomine alterius bona ad me rapere vellem: non eſt dubium, quin hæc eadem concupiſcentia in magnis *vitiis* cenſenda ſit. quod & in talibus obtinet negotiis, quæ ordinata ſunt ad Deum colendum celebrandumque, & non licita tantum, ſed & præcepta ſunt. In Templis habere preces, conciones, cæteriſque exercitiis ſacris operam dare, res eſt utilis, à Deo inſtituta, eamque ob cauſſam appetibilis. Sed nulli, niſi ad id parato; nemini niſi per *media* conceſſa. Qui aliter agit, peccat. Quod in exemplo non omnino diſſimili Korachi, Dathanis, & Abirami videre eſt [a]. Pariter ſe res habet in Politia. ut per ſe facile intelligitur.

[a] Num. XVI. 1, 2, 3.

XIV.

XIV. Hujuſmodi jam *Appetitus*, qualem hactenus deſcripſi, ſive in *habitu*, ſive in *actu* ſpectetur, in Scriptura venit nomine ἀγάπης CHARITATIS, ut in oratione Moſis ſatis frequenter [a]: אהבת DILIGES JEHOVAM *Deum tuum toto corde tuo, tota anima tua, & toto valde tuo.* Paulus ſimiliter [b]: Τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη· *Finis vero præcepti eſt* CHARITAS *ex puro corde, & conſcientia bona, & fide minime ſimulata.* Et *Joannes* in priore ſua *Epiſtola* paſſim [c]. Nec *amoris* modo, ſed & *tenerrimi amoris* nomine venit *appetitus rectus* in Pſ. XVIII. 3. ubi Chriſtus, quem David loquentem introducit: ארחמך יהוה חזקי *Ego* TENERRIME DILIGAM TE, *Jehova robur meum.* רחם notat ejuſmodi actum *amoris*, qualis exercetur in *miſericordia*, qui conjunctus eſt cum inſigni motu ſanguinis & ſpirituum. Eſt equidem *amor*, quo Deum proſequimur, *ſpiritualis*. *Tenerrimus* tamen eſt, qualis ille eſt miſericordiæ, & ſæpe conjunctus cum גיל ἀγαλλιάσει non animi tantum ſed & corporis. Poteſt enim ab anima corpus affici, quemadmodum anima à corpore. Exemplum luculentum præter varia, quæ in Scriptura extant, habemus in *Davide* [d], atque in *Elizabetha*, ejuſque fœtu [e]. Sic diffundit ſe amor in *lætitiam*, perpetuam pene illius comitem: talem etiam, quæ per corpus ejusque motus foveri poteſt. Hic vero *appetitus rectus* appellatur ἀγάπη *charitas*, oppoſite ad ἐπιθυμίαν *concupiſcentiam inordinatam*, de qua mox agendi occaſio erit. *Concupiſcentiæ* enim hoc eſt vitium, quod homo omnia ad ſe, nihil ad *Deum* & *proximum* referat; ſed *charitatis* & *amoris* eſt, ut homo omnia *ad Deum*, tanquam Bonum Summum & Principem ſalutis ſuæ cauſſam atque auctorem, referat; & tantum ad proximum referat quantum ad ſe. Faciunt huc inſignia *Pauli* verba ad Philippenſes [f]: *Explete meum gaudium, ut eodem ſitis affectu,* τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες *eundem* AMOREM *habentes, unanimes, & idem ſentientes. Non ſecundum contentionem aut inanem gloriam, ſed ex animi ſubmiſſione alii alios ſibi exiſtimantes præcellere.* Μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν ἑτέρων· *ne ſua quiſque ſpectate, ſed ea etiam, quæ aliorum ſunt.* Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν, ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· *Itaque is ſit*

Appetitus, ſive Cupiditas recta, ſtylo S. Scripturæ dicitur *charitas.*

Et *tenera dilectio,* expreſſa voce רחם.

Vis illius vocis.

Subinde conjuncta cum ἀγαλλιάσει.

Natura veri *amoris* Dei, contradiſtincti *concupiſcentiæ.*

a Deut. VI. 5. Cap. X. 12. XI. 1. 13. 22. XIX. 9. XXX. 6. b 1 Tim. I. 5. c 1 Cap. II. 5, 15. III. 17. IV. 12. 1 Tim. I. 5. d 2 Sam. VI. 16. e Luc. I. 41. f Phil. II. 2, 3, 4, 5.

Affectus hominis Deum vere diligentis.

ſit affectus in vobis, qui fuit & in Chriſto Jeſu. Homo ſcilicet *recte* adminiſtrans ſuam *cupiditatem*, quæ omnes alios regit & temperat affectus, eſt plenus amore Dei, Gloriæ ejus, quem ut unicum bonum ſuum reſpicit, promovendæ ſtudioſiſſimus; nihil quærit, nihil deſiderat, quam Deo ſatiari, & in ejus communione beari. Inde vero is in anima ſurgit affectus, ut quicquid videt præter ſe, quod putat ad Deum eſſe poſſe, ad Deum ducere ſtudeat ſincero, innocuo, conſtanti, & ardentiſſimo propoſito. Hoc ſi ſuccedat, lætatur; ſi fallat, dolet. *Deum* vult anima, ideoque non poteſt in ea eſſe lætitia, niſi quæ ex Dei poſſeſſione; triſtitia, niſi quę ex Dei carentia oritur. Totus igitur homo *amor* eſt, quia omnes facultates mentis, omnes motus corporis, eum validiſſime exprimunt. quod omnino Moſes dicere voluit iis verbis, quę modo notabamus, quibus Deum *amandum* dixit, ut Jehovam, TOTO (לב) CORDE, TOTA (נפש) ANIMA, & TOTO (מאד) VALDE. h. e. ut alibi ὁ πάνυ Coccejus[a]; *perfecto animi judicio, omni affectu & cupiditate, & ſummo ſtudio ac contentione omnium facultatum.* Haud dubie is eſt verus loci ſenſus, quo Divinus Vir Moſes nos docere voluit ordinem modumque *Appetitus recti*. In *Appetitu recto* oportet exacta obſervetur proportio inter *rem amatam* & *amorem*. quæ exigit ut ſummum bonum *intenſiſſime*, minora remiſſius appetantur & amentur. ſummum propter ſe, reliqua propter ſummum. quod ſi fiat, omnis aliorum bonorum amor in amorem ſummi boni refundetur atque reſolvetur, & Dei amor omnem aliam cupiditatem abſorbebit.

Deſcribitur ex Deut. VI. 5.

Caput VI.

Concupiscentia Prava *deſcribitur*, *ejuſque* Objecta, Species, & Effecta *notantur* & *explicantur*.

Concupiſcentia prava & vitioſa deſcribitur.

PEr *Concupiſcentiam pravam* intelligimus *omnem amorem noſtri ipſius, rerumque aliarum extra nos, inordinatum*, omnemque voluntatem, quę ex hoc fonte oritur & per *affectus inordinatos* fovetur. quomodo eam deſcripſimus Diſſertatione ſuperio-

a De Fœd. Cap. II. §. 20.

periore. *Concupiſcere*, ut jam ſupra monitum eſt, nihil eſt, quam *appetere*. *Appetere*, quę *voluntatis* eſt actio, non modo licitum eſt, ſed & neceſſarium homini, quandiu homo eſt, hoc eſt, mentem habet. *Appetitus* igitur ille tantum poteſt eſſe vitioſus & damnabilis, qui non verſatur circa *Objectum* appetitus quod *licite* ab homine uſurpari poteſt; vel, qui ad id non fertur *debito modo* & *ordine*. Atque id etiam in præcedenti oratione jam eſt inculcatum. quod tamen nunc uberius eſt enarrandum.

Cujus primum attributum eſt *concupiſcere illicita*, & Lege *vetita*.

II. Inter *Objecta*, quę homini licet *concupiſcere* tanquam ipſi *bona* & utilia, ut per eorum fruitionem ipſe ad voluptatem ſuam perficiatur: quædam ſunt communis & promiſcui uſus, quædam communi uſu exempta ſunt. Illa ipſi appetere & concupiſcere licet, honeſtis & legitimis mediis ſecundum Leges Divinas & humanas in uſum & commodum ipſius obtinenda: hæc appetere & concupiſcere vetitum. In poſteriore ordine rerum ſunt, quas ſummus Legum Lator & Auctor Deus recenſuit in perfectiſſimo Legum omnium exemplari Decalogo [a]; Conjunx, Bona, Utilitates, & Commoda aliorum, quę ab iis tanquam bona, ipſis priva & propria, poſſidentur, & quę ipſi cum aliis communia habere nolunt. Illis itaque cum ſecundum Leges contra voluntatem Domini frui non liceat: non licet quoque eas *concupiſcere*. à quo tamen vitio prava hominum indoles ſibi vix temperat. Unde enim adulteria, furta, rapinæ, tyrannides, innocentum oppreſſiones & defraudationes, & quę hujus generis alia, niſi ab hoc vitio? *Concupiſcentia prava* & *vitioſa* eſt, quę in his regnat & dominatur. quod cum per ſe clarum ſit, longiore oratione non perſequar. Eſt enim hæc craſſa vitioſæ Concupiſcentiæ ſpecies, quę omnium facile incurrit in oculos.

Quæ cujuſmodi ſint, docetur.

Alterum, Concupiſcibilia non appetere *eo ordine*, quem Ratio & Lex præſcribunt.

III. Subtilior & longe communior illa eſt Concupiſcentiæ Vitioſæ ſpecies, qua Bona, quorum fruitionem honeſte appetere licet, non concupiſcuntur *eo ordine*, quo deberent. In Concupiſcentia recta *Deus* diligitur ut *Bonum ſummum*, h. e. ut ſumma cauſſa & medium noſtræ felicitatis, cum omnium facultatum & virium noſtrarum intenſione. reliqua bona omnia cujuſvis generis appetuntur *ſubordinate* & cum reſpectu ad hoc bonum

[a] Exod. xx. 17.

Quod uberius exponitur, & declaratur.

ſummum. Contrarium ejus obtinet in Concupiſcentia Vitioſa. Prava enim hominum indoles & vitioſa Voluntatis eorum affectio eos ad id ducit, ut, neglecto Deo, *ſummum* ſuum *bonum* conſtituant in *rebus* extra Deum aliis cujuſcunque generis, eaſqne tanquam tales ament, colant, venerentur, & earum poſſeſſionem ac fruitionem tanta perſequantur virium & facultatum ſuarum contentione, quanta Deumque ejuſque Communionem perſequi deberent. *Summum* itaque ſibi *bonum* facere & conſtituere extra Deum ejuſque *Communionem*, ex iis etiam *Bonis*, quę cæteroquin honeſte & licite uſurpantur, & ea ut tale *concupiſcere*, eſt *vitioſe concupiſcere*. Quę Concupiſcentia antequam à nobis pro variis ſuis ſpeciebus explicetur diſtinctius: Cauſſa illius in medium erit proferenda. Eſt autem illa hujuſmodi.

Vitium hic eſt, aliud *Bonum ſummum* Deo ſubſtituere.

Quod Vitium ex originibus ſuis explicatur.

IV. Conſcientia illius, quod quiſque non ſufficiat ſibi ad æternam ſalutem, in cauſſa eſt, quod homo impellatur ad *quærendum* aliquid *extra* ſe, in quo acquieſcat, quo gaudeat, & per quod ſibi compareт felicitatem. Eadem vero ratio docet, ſolum *Deum poſſe eſſe cauſſam beatitatis*. Hinc incitat & ſtimulat *hominem rectum* ad Deum *quærendum amandumque*, ut *ſummum* ſuum *bonum*, ſuæque ſalutis æternæ, quam appetit, *unicam cauſſam*. Atque ita quidem res habet in *homine recto*. Sed *in peccatore* neceſſe eſt contrarium eſſe affectum. *Amor Dei* non poteſt oriri in nobis ex alia perceptione, quam quod *Deus nobis velit eſſe bonus*. Hæc perceptio ſi abſit: neceſſe eſt pereat vis amoris. Conſcientia vero quemque inſtruit peccatorem, Deum ipſi nolle eſſe bonum, quandiu talis eſſe perſeverat, qualis eſt. Repræſentat conſcientia potius claris diſertiſque elocutionibus, hoc eſſe τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ *jus Dei juſtum*, juſtam Dei ſententiam, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, *quod illi, qui talia faciunt, digni ſint morte, neque illi tantum, qui ea faciunt, ſed & qui ſuo conſenſu ſignificant, ſe ex factis capere voluptatem.* Ponit peccatori ob oculos *Sanctitatem* inviolabilem & *zelum gloriæ*, qui apud Deum eſt, quo fit, ut *peccatores non audiat*, & cum iis commercium exercere non poſſit. His tantum abeſt ut peccator impellatur ad amandum Deum, ut potius horreat ad quamque de Deo cogitationem, contremiſcat ad quamque conſcientiæ vocem, aut quæ conſcientiam quieſcentem ſuſcitare poſſunt, dicta, facta, vel exem-

Homines, quales natura ſunt, & in vitiis hærent, Deum non amant.

pla aliorum, quibus vis ſanctitatis Divinæ ſibi innoteſcit. Imo quid diſſimulamus? Peccator ſtimulis conſcientiæ accuſantis preſſus *fugit Deum*; reſpicit Deum, ut inimicum & hoſtem ſuum; *odit Deum*; armat ſe contra Deum ejuſque potentiam, quantum poteſt; vellet illum vel non eſſe vel ſibi ſimilem eſſe; quorum neutrum quia præſtare aut expectare poteſt, hoc molitur, ut, quę in ipſo ſunt veræ Dei cognitionis ſemina, ſuffocet; ut cogitationem de Deo, quam in ſe habet, raro excitet, & hac illa occaſione excitatam ſupprimat; donec tandem judicio Divino penitus ineſcatus tentare incipiat, an non poſſit in dubium vocare exiſtentiam Dei: quod ex nullo alio oriri poteſt principio, quam quod ſibi perſuadeat, tum demum ſe felicem fore, quando id vel ita eſſet, vel aliquo ſaltem fundamento ſibi poſſet perſuadere. Hinc eſt, quod libenter eos audiat, qui iiſdem rationibus inducti idem tentant per quædam ſophiſmata probabile reddere; quod gaudeat, ſi quid inveniat, quo ſuffocandæ luci conſcientiæ videtur poſſe abuti; quod contra turbetur, ſi conſcientia nodos fallaciaſque ratiociniorum carnis retegat. Quid inde? *Homo peccator non vult Deum*, ſed putat tum demum bene ſibi fore, quando is non eſſet, qui ſolus eſſe poteſt unicum ejus bonum. Non vult ut is ſit, per & propter quem ipſe eſt, & qui ſolus vere eſt. Horrenda videntur eſſe & vere ſunt dicta, ſed tamen certiſſima.

Imo *fugiunt Deum*.

Quod vitium ubi invaleſcit, tentant, an notionem Dei non poſſint ſuffocare & eradere.

V. Etſi vero homo, poſtquam peccavit, *Deum* deſinat *velle*, nobiliſſimum illud & unum digniſſimum voluntatis ſuæ objectum; *velle* tamen non deſinit: non ceſſat appetere, concupiſcere, & quantum in ſe eſt ſuæ ſtudere conſervationi, Deo etiam invito, ſi fieri poſſit. Non ceſſat etiam *gaudere* & *lætari*, ubi ipſi dilucidum aliquod intervallum facit conſcientia, quaſi inveniſſet aliquod bonum extra Deum, & extra ejus poſſeſſionem & communionem poſſet beatus eſſe. Cum vero extra Deum nihil ſit, quam *creatura*, quæ Deum auctorem habet, ſatis clarum eſt, objectum voluntatis peccatoris, quod Deus non eſt, eſſe debere *creaturas*. in quibus ipſe etiam ponendus eſt homo, quatenus ſe ipſe *per ſe ipſum*, Deo neglecto, perficere ſtudet. ut deinceps videbimus. Hoc demum *concupiſcentiæ*, de qua loquimur, fundamentum eſt, hæc radix mali.

Manet tamen in homine corrupta *voluntas* & *appetentia*.

Quæ proinde ſe vertit à Deo ad *res creatas*, eaſque facit *ſummum* ſuum *bonum*.

Quæ in ſpecies & claſſes ſuas diſtinguuntur.

VI. Res itaque creatæ, ad quas amandas appetendaſque præter Deum peccator fertur, ſunt vel *ipſe*, aut quid in ipſo, ut ſunt dotes animi aut corporis, honor, & vita: vel *homines cæteri*, qui cognoſcuntur ex actionibus & ſignis, quæ edunt, ejusdem cum ipſo naturæ eſſe; vel *corpora*, eaque varii generis, condita à Creatore in bonum hominis. Cum Angelis enim non exercent homines commercium, niſi perquam raro. Quod homo ſe ipſum, aut quid in ſe amare poſſit, & amet: omnes experimur. Quod mens mentem, quod homo hominem *diligere* poſſit, nemo miratur. Poteſt enim mens menti, poteſt homo homini utilis eſſe & proficuus. Homo hominem poteſt perficere, adjuvare, ſuſtentare, defendere. Placuit etiam Deo homines diverſi ſexus condere, eoſque ad ſe invicem ordinare, ut mutuo ſibi adjumento eſſent, quod mutuum flagitat amorem, *appetitum, & concupiſcentiam*. Sed non modo ad *homines*, verum etiam ad *mera corpora* amanda & *concupiſcenda* ſe extendere poteſt voluntas noſtræ mentis. Placuit enim Deo mentem noſtram corpori mirabili adeo modo unire, ut mens noſtra non tantum per corpus agere, ſed & à corpore pati poſſit, & in corpore noſtro vix abſque ope corporis operetur. Quin mens noſtra non tantum operatur in corpore vel corpora; non tantum afficitur à corpore; ſed amat etiam id corpus, quod poſſidet, ut *ſuum* corpus; curat corpus ſuum; ſtudet id quovis modo & medio conſervare, non minus ac ſe ipſam; dolet illius incommodis, ut ſua. quod fieri non poteſt abſque ſingulari quadam & admiranda concretione, qua corpori juncta & veluti devincta eſt. Ex hoc amore corporis eſt, quod mens cætera etiam amare *poſſit corpora*, quæ corpori ſuo judicat bona & commoda eſſe, quodque eorum corporum fruitione poſſit gaudere, ut re, quam *ſibi bonam* eſſe judicat.

Quo modo tandem homo corruptus ex iis faciat ſummum ſuum bonum, Deo poſtpoſito?

VII. *Quas* vero res præter Deum *amare poteſt homo*, iis etiam poteſt abuti, *eas* etiam poteſt ἀτάκτως *inordinate amare*. quod tum facit, quando in eorum bonorum poſſeſſione & fruitione ſummam conſtituit ſuæ felicitatis, quam deberet conſtituere in communione Dei. quod in ſingulis ſpeciebus demonſtrandum eſt.

Et primo quidem homo aliquid

Et quidem de *Homine* ipſo, quatenus ſe *per ſe ipſum* perficere ſtudet, neglecto Deo, ita habeamus. Si quis dotes animi & corporis,

in ſe tanti facere poteſt, ut eo ſuperbiens, ſummum illud bonum faciat.

poris, quibus excellit; ſi vitam temporalem; ſi honorem, ſi commoda ſua, tanti faciat & æſtimet, ut ex iis faciat ſummum objectum ſui amoris, & ad ea obtinenda & conſervanda tanquam ad *ultimum finem* omnes actus ſuos dirigat, atque adeo ea poſſidens ſummopere lætetur; iis carens, graviter doleat abſque reſpectu ad Deum ejusque gloriam: is *ſe* loco Dei facit ſummum ſuum bonum, ac proinde concupiſcit ἀτάκτως. Videamus exempla.

Veluti ſi acquieſcat & glorietur *dotibus ingenii, eloquii, eruditionis, formæ.*

VIII. *Mens* hominis perficitur per variam variarum rerum cognitionem, per uſus frequentes ratiocinationum, per habitum bene judicandi, per prudentiæ ſapientiæque profeſſionem. De ſanctitate & rectitudine voluntatis, quæ ſumma mentis perfectio eſt, nihil moneo, quia illa in homine concupiſcente locum habere non poteſt. Quando homo hanc ſibi petit perfectionem; quando his dotibus mentem ſuam inſtruere tentat & allaborat hoc fine, ut habeat, non tantum quo glorietur apud alios, ſed & quo ſuperbiat apud ſe ipſum, in quo acquieſcat, quod loco Dei amplectatur; tum abutitur ſua mente, quæ harum rerum nihil debebat concupiſcere, niſi ad gloriam Dei.

Exempla talis Concupiſcentiæ producuntur, & præcipue ex genere Philoſophorum Veterum.

Haud dubium eſt, quin *hæc ſpecies concupiſcentiæ* olim locum habuerit in quam multis Philoſophis Gentium. Fuerunt inter eos, qui ſapientiæ ſtudia excolentes, nihilo minus voluerunt *latere*, hominum conſortia fugientes ac cætera omnia, quæ craſſam concupiſcentiam corporis titillant & fovent. Tune hos prædicare homines ſuſtineas ut veros virtutis cultores, quippe qui contemnere ſibi viſi ſint *gloriam*, *concupiſcentiæ* fructum maxime genuinum? Ego non item. Contra nullus ambigo, quin hi omnes qualeſcunque cultores fucatæ virtutis hoc tantum ſectati ſint, ut eo magis haberent, in quo acquieſcerent apud ſe ipſos, quo tacite ſecum gloriarentur, quo ſuffocarent motus conſcientiæ, quo erigerent propriam juſtitiam, atque ita apud ſe quærerent id, quod quærendum erat apud Deum, né Deo viderentur indigere. Eſt igitur hæc ſpecies *concupiſcentiæ* eo notabilior, quo ſubtilior, & quo magis comparata eſt ad hominem illum ipſum, in quo regnat, fallendum, niſi ſe ipſe probe excutiat.

Locus Pauli 1 Cor. VIII. 2.

De iis verum eſt quod Apoſtolus ad Corinthios[a]: Ἡ γνῶσις φυσιοῖ·

Scientia

a 1 Cor. VIII. 2.

Scientia inflat. Quod vero de *ſcientia*, ut cultu animi, diximus, hoc cæteris etiam applicandum *virtutibus* eſt, quæ in animo ſedem præcipuam habent & homini ornamentum ac decus conciliant. quales, fortitudo, conſtantia, liberalitas, miſericordia, juſtitia, &c. Quicquid eſt in mente, aut in homine cum reſpectu ad mentem, partem hominis præſtantiorem & nobiliorem: ſi id homo tanquam *ſummum* ſuum *bonum* amet & colat, atque in illius poſſeſſione conſtituat ſummam ſuæ felicitatis; id eſt ex vitio *Concupiſcentiæ.*

Communius tamen Vitium eſt, quo ſummum bonum conſtituitur in *Voluptate*, quam homo percipit ex uſu rerum ſenſilium.

IX. Sed cum pauci homines iis inſtructi ſint naturæ dotibus, ut in iis habere poſſint materiam & argumentum *gloriæ*; cum pauciores mentem ſuam præceptis ſcientiarum inſtruant; & cum pauciſſimi virtutibus, ſic dictis, (neque enim nunc veras intelligo:) operam dent laudabilem, aut etiam dare velint: non putandum eſt, vel animi dotes, vel earum cultum, vel exercitium virtutum, eſſe *objectum* Concupiſcentiæ peccatoris commune & vulgare. Potius id verum eſt, multitudinem humani generis *in corporibus ſuis quærere* id, quod in Deo non quærunt vel quærere volunt: ſive, ut clarius loquar, *ſummum bonum ſuum* conſtituere in Voluptate illa, quam percipiunt in Corpore ex uſu rerum creatarum, quas Deus ad corpus conſervandum produxit, & ad *naturalia* ejus *deſideria* explenda ordinavit. ubi itaque *Summi Boni* locum implent tam ipſæ illæ res, quarum uſus voluptatem adfert, quam quæ ex iis capitur Voluptas.

Quæ ſpecies concupiſcentiæ fundatur in *naturali appetitu* rerum extra nos.

Corpus hominis, ut conditum eſt à Sapientiſſimo Deo, eſt ψυχικὸν *animale*; (tale enim corpus Adamum habuiſſe docet Apoſtolus [a]:) quod ſi interpreteris late, notat *corpus*, quod *cibo & potu* ſuſtentatur, eumque *expetit* ad ſui nutritionem & conſervationem, oppoſitum corpori πνευματικῷ *ſpirituali*, quod à Spiritu Dei vivificatur ad immortalitatem. Eſt etiam id corpus ita inſtructum à Deo, ut ſui ſimile poſſit procreare, & ad id naturali deſiderio feratur. Deus ipſe hos excitatos voluit in corpore motus, ut ſpecies humani corporis hac ratione conſervaretur. quod Platonici vocarunt τὸ ἐπιθυμητικὸν *concupiſcibile.* Cæterum cum hic inſtinctus naturæ animali conveniens ſit; omnibus hominibus, in quantum corpus organicum cum animantibus

a 1 Cor. xv. 45.

bus commune habent, proprius, iiſque cum ipſa natura inditus; facile evenit ut homo *eo abutatur*, & hæc ſua deſideria ἀτάκτως *inordinate* explere concupiſcat. quod tum fit, quando cibo & potu utitur, & ſoboli procreandæ operam dat, eum tantum in finem, ut hanc ſuam cupiditatem, cujus in natura ſua ſtimulos ſentit, expleat, eique ſatisfaciat, illius exercitium non moderando ratione, τῷ ἡγεμονικῷ, rectrice omnium hominis recti operum, & abſque reſpectu ad Deum ejuſque gloriam. Qua in re quando ſuam concupiſcentiam exercent homines: curam aliam nullam habent, quam ut *edant*, *bibant*, καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν ποιῶσιν εἰς ἐπιθυμίας & CARNIS CURAM HABEANT AD EXPLENDAS CUPIDITATES [a]. Joannes Apoſtolus, qui Concupiſcentiæ Vitioſæ naturam optume explicuit, hanc illius partem vocat [b] ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς CONCUPISCENTIAM CARNIS. Hæc enim in *carne* ſive *corpore hominis ſedem* ſuam unice habet, & unice per *carnem* poteſt exerceri. De hac Concupiſcentiæ ſpecie ubique in Sacris literis diſſeritur. Apoſtolus in Epiſtola ad *Philippenſes* [c] quorundam meminit, ὧν ὁ Θεὸς κοιλία *quorum* DEUS *eſt* VENTER, hoc eſt, qui in eo omnes ſuas delicias ponunt, & ſummam ſuæ felicitatis collocant, quod ignobiliſſimam partem corporis curent. אכול ושתו מחר נמות *Edendo*, ajunt, edamus & *bibendo* bibamus, *quia craſtino moriendum erit* [d]. Hoc *concupiſcentiæ* genus regnum obtinet in Mundo, & illius exercitium fuit olim frequentiſſimum apud Gentes & Judæos. De Gentibus ubique extant teſtationes Pauli in Epiſtolis ejus, & ſignate ad *Epheſios* [e] & *Romanos* [f]. Gentes vixerunt ἀσώτως, quemadmodum de *prodigo filio* narratur. Sed non minus dominata eſt hæc *Concupiſcentia* inter Judæos, ab omni ævo *ventri* ſuo curando deditiſſimos. Inde eſt, quod in omnibus Prophetarum paginis ipſis *laſcivia*, *intemperantia*, *ebrietas*, *ſcortationes*, *&* *adulteria*, exprobrentur. Chriſtus id docere nos voluit in parabola *Divitis*, animam ſuam in hunc modum compellantis [g]: *Anima*, *habes multa bona*, *repoſita in multos annos: Requieſce*, *ede*, *bibe*, *oblectare.* Affixerat Deus Judaïcum populum glebæ terreſtri, qua qui non inſtructi erant fide

Quo ipſe abutitur, & quem ἀτάκτως adminiſtrat.

Quod vitium ſecundum ſpecies ſuas, ex Scriptura S. & experientia deſcribitur.

Eſt enim illud quod late in Mundo regnat.

Et olim inter Judæos.

Eeee in

a Rom. XIII. 14. b 1 Cap. II. 16. c Cap. III. 19. d Jeſ. XXII. 13. 1 Cor. XV. 32. e Epheſ. II. 2, 3. IV. 17, 18. f Rom. I. 24, 25. Luc. XV. 13. g Luc. XII. 19.

Illius rei rationes.

in Meſſiam, facile poterant abuti. Dederat ipſis Deus *σαρκολατρείας cultum* & *religionem* magnam partem *carnalem*. Quid mirum, Judæos, vitioſæ indolis homines, inde captaſſe occaſionem *carnem ſuam* curandi? Sed, ut hæc *Servitus Gulæ* & *Veneris* communiſſima, ſic etiam ignobiliſſima concupiſcentiæ ſpecies eſt; quippe quæ hominem non diſtinguit à brutis animantibus, quæ his motibus corporis, quæ ſunt ad edendum, bibendum, generandum, obſequuntur, ubicunque & quandocunque occaſio datur hac voluptate fruendi, abſque conſilio & ratione[a]. *Homo qui in honore eſt*, ולא יבין *neque tamen ſapit*, נמשל כבהמות נדמו *ſimilis eſt animantibus, quæ exſcinduntur*. Sic eſt: Homo, etſi in ſumma conſtitutus dignitate, qui hanc ſui partem non excolit ad Dei gloriam, qua diſtinctus eſt ab animantibus brutis, ab illis parum differt. *Petrus* ſimiliter Apoſtolus Chriſtianos primorum temporum, qui relicta Evangelii ſimplicitate ſe tradebant luxui & laſciviæ, comparat[b] cum *ζώοις ἀλόγοις animantibus*, *carentibus ratione*, *quæ ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται in ſua corruptela intereunt*. De iis, inquam, loquitur Petrus, qui *ὀπίσω σαρκὸς ἐν ἐπιθυμίᾳ μιασμοῦ πορεύονται*: *poſt carnem in impura cupiditate incedunt*, hoc eſt, qui ſequuntur, quo eos carnales cupiditatis ſtimuli ducunt. Etſi vero hæc *concupiſcentia* in ignobiliſſima hominis parte ſedem ſuam habeat: radix tamen illius & origo non minus in mente eſt, quam illius, quæ ex ipſa mente oritur, de qua ante loquuti ſumus. Niſi enim ſpiritus hominis aliquid deſideraret extra Deum: fieri non poſſet, ut adeo ignobili & indecoro exercitio cupiditatis animalis ſe paſceret ut ſummo bono ſuo.

Eſt hæc ignobiliſſima *Concupiſcentiæ* ſpecies.

Gulæ dediti parum differunt à brutis animantibus.

Alia Concupiſcentiæ ſpecies eſt *Servitus* Dotium hominis Externarum, aut Internarum.

X. Sed, etſi primum & commune inſtrumentum explendæ *Concupiſcentiæ*, quę φερωνύμως habet nomen *Concupiſcentiæ carnis*, eſt *venter*: ſunt tamen & alia præter hanc ſpeciem, circa quę in corpore verſatur. *Externæ* ſive *internæ* corporis humani *Dotes*, ſatis homini carnali, ad altiora non adſpiranti, videntur æſtimabiles, ut ex iis faciat objecta ſuæ concupiſcentiæ. Ad Externas *forma* pertinet, & gratia oris, & quæ commendant ſpeciem; ad internam *ſanitas*, *robur*, *eloquentia*, (quatenus à corporis pendet conſtitutione:) variæque *artes*, quæ per uſum mem-

a Pſ. XLIX. 21. b 2 Pet. II. 12.

Locus Hab. I. 11. expoſitus.

membrorum humani corporis comparantur. Apud *Habakukum*[a] memoratur זו כחו לאלהו *cujus vis eſt Deus ipſius.* Hujus generis ſunt omnes, qui exiſtimant, ſe ſatis valere ad ſe ipſos ſervandum defendendumque; qui putant ſuæ ſe ſalutis poſſe eſſe pararios; qui viribus ſuis, qui firma & ſolida conſtitutione corporis ſui; qui forma eleganti, qui eloquentia, variiſque aliis artibus, quarum peritia aliis antecellunt, gloriari ſolent, & id agere ſumma cum ſolicitudine, ut horum nihil ſibi pereat, quippe quod cariſſimum habent in humana vita. Ad quam ſpeciem omnia etiam pertinent *opera*, ingenio & arte elaborata, quibus quis tanquam *ſuis* gloriatur & ſuperbit, Deo neglecto & poſthabito, & abſque reſpectu ad ipſius Communionem & Gloriam.

Et ſpecies hæc *Concupiſcentiæ* deſtribitur.

Alia *ſpecies Concupiſcentiæ* quæ verſatur circa *Objecta* extra hominem.

XI. Præter ea autem *bona*, quæ homo in ſe magnifacere & amare poteſt, quorum aliqua recenſuimus: figere quoque poteſt ſuam *Concupiſcentiam*, & vel maxime figere ſolet, in rebus extra eum, ſive intelligentibus & animatis, ſive ratione & vita carentibus, quatenus ex iis percipere poteſt utilitatem aut voluptatem. Primo itaque ad hanc Concupiſcentiam pertinet *amor*, quo hominem proſequi poteſt. Hujus vero *Concupiſcentiæ* quis ordo, quot modi, qui gradus ſunt? Sunt certe quæ huc pertinent fere infinita. Quis enim enumerare poſſit omnes machinationes & ſtudia animi concupiſcentis? Dubium tamen non videtur, quin id genus concupiſeentiæ primum ſibi vindicet locum, quod fundamentum habet in ipſa conſtitutione naturæ noſtræ. *Vir* appetit *mulierem*, *mulier Virum.* Sic Deus ad mulierem[b]: אל אישך תשוקתך *Ad virum tuum appetitus tuus erit.* Eo ordine futuram eſſe mulierem voluit Deus poſt peccatum, ut mulier ſe beatam non putaret abſque Viro. Parentes etiam liberos ſuos amant natura; his rurſus ingenita erga Parentes reverentia eſt. Qui *appetitus*, ſi moderatione ſanctæ rationis careat, quæ in peccatore nulla eſt: facile admodum extra ſuas metas currit. Quemadmodum enim ordo, qui à Deo conſtitutus eſt in natura, flagitat, ut Parentem meum prius & magis diligam, quam cæteros homines, quorum nullus ad me reſpectus eſt ſingularis; ſic dubium non eſt, quin ille amor, quando ad

Ubi primo *exceſſus* amoris hominis in hominem.

Conjugum in ſe mutui.

Parentum in liberos.

 Deum

a Cap. I. 11. b Gen. III. 16.

Deum non dirigitur ejuſque gloriam, & quando in ipſis illis *[illegible]* unice terminatur: *concupiſcentia* dici debeat. Sunt enim caſus, quibus Parentes *odiſſe* oportet ex præcepto Chriſti. Sed magis ſane peccatur eo appetitionis genere, quod verſatur circa *mulierem* vel *virum* pro ratione ſexus ad ſatisfaciendum concupiſcentiæ ſtimulis, qui in carne ſunt. Quod vir ex muliere quærat ſemen Dei, bonum eſt. Sed quod vir muliere abutatur ad ſatisfaciendum concupiſcentiæ carnis: vitium eſt, quoniam omnis actio hominis ratione regi debet, neque hæc minus quam ulla alia. Quod vero hæc peccatoris concupiſcentia ſe extendat etiam ab objecta cujuſcunque ſexus, quorum uſus legibus Divinis & humanis prohibitus eſt: hoc demonſtrat ſummam & incredibilem vim concupiſcentiæ, cui peccator ſubeſt, miſerrimus ſui ipſius ſervus. Hæc prodit ſpecies in ſcortationibus, inceſtis, & adulteriis, cæteriſque impuritatis vitiis, eique fovendæ inventis aptatiſque inſtrumentis turpiſſimis & abominandis, quæ enunciare non licet. Quam ſit communis hæc ſpecies, dicendi occaſionem captavimus in antecedentibus. quæ enim modo diximus de *Concupiſcentia Carnis*, huc proprie pertinent, quatenus *res*, ex quarum uſu homo in Corpore ſuo voluptatem percipit, ſunt quid extra hominem. Plura itaque de eo nunc non addam.

Et concupiſcentia inordinata qua homines diverſi ſexus in ſe mutuo feruntur.

XII. Sed non eos modo homines *concupiſcit* peccator, ad quos Divina Providentia ſingulari modo refertur, ſed omnes etiam homines alios, qui præter ipſum in rerum natura exiſtunt. Per quam Concupiſcentiam non id intelligimus, quod homo natura cæteros homines diligat: (id enim vitii non eſt *ſed virtutis*:) verum quod utilitatem, quam ex iis percipere poteſt, non referat ad *Deum*, ſed *ad ſe*, Deo neglecto, & ejus nulla, vel certe potiſſima non habita ratione. *Amare* non poteſt peccator hominem ullum, qui extra ipſum eſt ſive bonum ſive malum. Qui enim proximum diligeret ſuum, qui Deum non amat? Sunt certe hæc duo indivulſo nexu ſecum conjuncta. Contra nihil certius eſt, quam peccatorem odio habere proximum ſuum, & eam ipſam concupiſcentiam, quam ſæpe ſub ſpecie veri amoris exercet erga proximum ſuum, luculentum eſſe indicium illius, quod proximum ſuum oderit. Sic igitur rem ſe habere concipiæ

Et homo homine utitur ut inſtrumento utilitatis aut voluptatis ſuæ abſque *reſpectu ad Deum*.

cipiamus. Peccator conſcientiam habet accuſantem in ipſo exercitio concupiſcentiæ ſuæ. Hæc in ipſo cauſſa eſt metus. Metuere vero ſibi poteſt maxime à cæteris hominibus, quos mente & corpore ſibi videt ſimiles & viribus æquales. quo ut ſe liberet metu, oritur in ipſo ſtudium cæteros ipſi ſimiles homines ſubjiciendi, iiſque imperitandi. Quandoquidem vero, quanto major ſubjectorum ejuſmodi numerus eſt, tanto etiam major ipſius eſt ſecuritas, & tanto minor metus: hinc ſit, ut terminos dominandi nullos ſibi præfigat peccator. Hæc libido dominandi, quæ primum quidem initium habet à metu, ut quidem nos opinamur, eo etiam promovetur, quod videat homo ſe ſolum non ſufficere concupiſcentiæ ſuæ in aliis rebus explendæ. Ut domi & foris bene ipſi ſit; ut terram colat, corpus curet, ſe contra vim quamcunque aliam muniat: opus ipſi eſt aliorum plurium ſibi ſimilium commercio. Hos igitur vel ſtudiis beneficiiſque ad ſe invitat, vel vi ſibi ſubjicit invitos, vel pactis fœderibuſque ſecum unit, ut occaſio ipſi ſit iis utendi ad ſuæ ſatisfaciendum concupiſcentiæ. Quę concupiſcentia tanta poteſt capere incrementa, ut vereatur etiam peccator, ut hic orbis terrarum ſit expleturus ſuam concupiſcentiam, quod de *Magno Alexandro* referunt Hiſtoriographi. Hujus vero ſui voti ut compos fiat, quantum poteſt, in terram univerſam ut in ſuam graſſatur, atque in cæteros, ſibi ſimiles, ſævit homines abſque ratione & modo. Inde eſt, quod ipſe ſummam de ſe concipiat opinionem, quodque ſe ipſo ſuiſque viribus & præpollentia glorietur, quaſi Deo ſuo. Inde Tyrannis, quę, ut facile eſſet probatu ex hiſtoriis, ut plurimum originem in peccatore habet ex metu, excitato in ipſo à conſcientia accuſante; qui metus & ipſe fructus concupiſcentiæ eſt. & vere in omnibus etiam Imperiis moderatioribus hæc ſpecies Concupiſcentiæ dominatur. Quis enim tam conſtantis animi Imperator aut Princeps eſt, ut imperio, quod in alios habet homines, non glorietur aut ſuperbiat? *Subditi* vero quam & ipſi varie ſuam hic exercent concupiſcentiam? Illis enim quid magis in proclivi, quam Regibus, Principibus, & ſuperioribus quibuſcunque ſuis nimis blandiri, iis confidere, ab iis eorumque favore & benevolentia omnem ſuam ſalutem, omne bonum ſuum ſuſpendere: quod

Amor, quo homines naturales ſe mutuo proſequuntur, oritur ex *metu*.

Unde *libido dominandi*.

Quæ ambitio tanta tandem evadit, quanta maxima eſſe poteſt.

Eadem origo *Tyrannidis*.

Subditorum hic quoque ſua ſunt vitia.

quod eſt *carnem ponere brachium ſuum* [a]. Hæc concupiſcentia eſt ignobilium animorum, quos mundus plurimos habet. Cæterorum vero hominum, qui Civitatem faciunt, quiſque agit, quod ſuis commodis inſervit, cum reſpectu ad ſuam utilitatem, & abſque reſpectu divinæ Gloriæ, aut bonum Proximi. Per pacta, fœdera, & conventiones non expellitur ſed fovetur peccatoris concupiſcentia, quia per ea fit, ut alius ſe obſtringat ad deſideria Concupiſcentiæ alterius explenda. Sed quot alii non reſtant modi, quibus peccator peccatorem concupiſcit? Omne conſortium, omne qualecunque commercium, quod peccator cum peccatore exercet, *concupiſcentiæ* eſt, non *amoris*. Qui ab alio capit præcepta ſcientiarum, vitæ morumque; qui alio utitur ad neceſſaria corporis & vitæ ſuæ curanda; qui alterius conſilium, opem, & rationem expetit: eum facit miniſtrum ſuæ concupiſcentiæ, ſi per Spiritum non eſt ſanctificatus. Hoc enim ab alio quærit, quo ſe paſcat & nutriat. Sed hi modi mille ſunt & mille, quos enumerare non eſt facile.

Commune vitium Concupiſcentiæ hominum, in Societate degentium.

XIII. Eſt tamen hic aliquid, cujus ſpeciatim facienda eſt mentio. Homo ex homine non tantum poteſt percipere utilitatem; homo homini non tantum *favere* poteſt ad voluptatem & commoda, atque inde favor potentiorum & majorum à nobis cenſeri poteſt in ſummis bonis, quæ optamus & expetimus: ſed homo etiam hominem poteſt magnifacere, homo ab homine *gloriam accipere* poteſt & *exiſtimationem*. *Gloria* (Græcis *δόξα*) tam notat omnem qualemcunque demonſtrationem noſtræ perfectionis, virtutis, & excellentiæ, quam aliorum de noſtris virtutibus, meritis, dignitate, poteſtate; & *excellentia opinionem* & exiſtimationem, & quę inde oritur, honorem, *reverentiam*, venerationem, qua alios propter illas ipſorum virtutes, dignitatem, aut qualemcunque *ὑπεροχὴν* proſequimur. *Gloria* autem, ſive honeſta aliorum de nobis opinio, & illi opinioni conformes honoris ſignificationes, haud dubie *bonum hominis* cenſeri debent. Amor enim quo nos ipſos proſequimur, eo nos fert ducitque, ut ab aliis etiam velimus amari, idemque facit, ut quę in nobis alicujus ſunt pretii, ſuo etiam pondere & merito ab aliis æſtimari & haberi cupiamus. Honeſta igitur & rationalis

Speciatim hic memoratur *Servitus Gloriæ*, Ambitio, ac *κενοδοξία*.

Gloriæ quid ſit?

a Jer. xvii. 15.

Inde ut plurimum ortum, quod homo ſe pluris æſtimet, quam debebat.

nalis ambitio eſt ab aliis velle honorari. Sed ſi ullibi, hic certe facillime, peccatur. Vitioſus ille & corruptus amor, quo ſe ipſos proſequuntur qui ex Adamo ſunt homines, nihil ſuadet moderatum. Quæ in homine alicujus pretii ſunt, longe pluris ſuadet facere quam facienda eſſent. Homines paſſim de ſe, ſuisque virtutibus & meritis inique judicant. Longe leviores ſunt illo pondere, quod ſibi ipſis tribuunt. quod vitium eſt *Concupiſcentiæ.* Deinde homo hanc ipſam *gloriam*, ſive quę ipſi ab aliis deferuntur, honorem, & reverentiam, quæ *Divinæ Gloriæ* ab ipſo ſubjicienda erant, evehit in locum *Summi Boni*, acſi in eorum poſſeſſione ſumma ipſius conſiſteret felicitas.

Quo modo gloriam honoremque ſuum faciat ſummum ſuum bonum?

Dei igitur Gloriam & honorem negligit, ut ipſe ſibi gloriam & exiſtimationem paret, vel ſaltem *pluris* ſuam facit *Gloriam*, quam *Dei*, quod Dominus Phariſæis exprobrabat [a]. Quantum hoc vitium, ut ut vulgare ſi quicquam aliud, & quam in eo graviſſime delinquitur adverſus Divinam majeſtatem? Homo qui pulvis eſt & cinis, qui omnia ſua Deo debet, qui ea etiam quę in ſe ſunt longe pluris facit quam deberet; *Gloriam* Dei, in quo omnis perfectio, omne decus & pulcritudo, omnis virtutis fulgor ſplendet; qui proinde omni honore, veneratione, & cultu digniſſimus eſt, *ſuæ Gloriæ* poſtponit; & cum omnes ſuos actus & totum vitæ inſtitutum deberet dirigere ad *Gloriam Dei*, cujus favore indiget ad æternam felicitatem; potius totum vitæ inſtitutum dirigit ad *Gloriam ſuam*, quę inſtar graminis exareſcit.

Joannes hanc ſpeciem Concupiſcentiæ vocat Faſtum vitæ.

XIV. Hoc vero quod nunc proxime expoſitum dedimus *Concupiſcentiæ Objectum*, idem illud eſt quod Joannes vocat τὴν ἀλαζονείαν τοῦ βίου FASTUM VITÆ [b]. Cauſſam denominat ab effectu, & ſub effectu intelligi vult cauſſam. Poteſtas, Imperium, dignitas, divitiæ, & his junctæ Animi aut Corporis dotes excellentiores, conciliant homini honorem, exiſtimationem, & GLORIAM.

Qui deſcribitur.

Inde in ipſo naſcitur *ſuperbia* & inſolentia, carnalium hominum turpiſſima vitia. quam ille, magna de ſe ſuisque meritis inflatus opinione, demonſtrare ſolet in FASTU VITÆ. Inde quæſitus nitor & ornatus veſtium; inſtructæ ad epulares feſtivitates menſæ; operarum & miniſteriorum turbæ; pompæ & apparatus theatrales; Ædium & Palatiorum ſtructuræ augu-

a Joh. XII. 43. b 1 Cap. II. 16.

Illius vitii exceſſus.

auguſtiores; aliæque plures arrogantiæ ſignificationes pervocem & geſtus, quibus homo prodit *quanti* ſe ipſum faciat, & ab aliis fieri velit. Sæpe eſt ſane ut homines eum in modum inflati ſe ipſos amplius non ferant, atque inde per arrogantiam aliis ſe ridiculos præſtent: & ne hac etiam in parte nihil nobis reliquum fieret, unde ſummam indolis humanæ vitioſitatem & *vim concupiſcentiæ* intelligere poſſimus: dedit nobis hiſtoria exempla hominum, qui ſuæ obliti naturæ, cujus imbecillitatem & imperfectionem quotidie experiebantur, in *Deorum* numerum & ordinem vivi transſcribi & *Deorum* inſtar haberi atque coli voluerint. quippe quæ dementia fuit Alexandri, Caji, Domitiani, Heliogabali, & plurium.

Servitus ſive Concupiſcentia rerum extra nos inanimatarum, quæ Oculorum *dicitur.*

XV. Præter hæc habet quoque in Corporibus inanimatis, aut ratione carentibus, quæ inordinate concupiſcit homo, & in quorum poſſeſſione ſummam ponit ſuæ felicitatis, Deo poſtpoſito, vel neglecto. Datur enim quoque quædam Concupiſcentia Oculorum, à *Concupiſcentia Carnis* & *Faſtu Vitæ* diſtincta. etſi vere hæ *concupiſcentiæ vitioſæ* ſpecies ſibi invicem tam ſint implicitæ & involutæ, ut una vix extra aliam conſiſtat. Multa ſunt, quod nemo ignorat, in rerum natura ad hominum uſus & commoda ordinata. Sunt corpora ſc. varii generis, loci, ordinis, & uſus, compoſita, vel ex Divina inſtitutione, vel ex pacto & conſenſu generis humani, ad hominem ejuſque commoda.

Varietas illius ſpeciei.

Inter ea vero ſunt, quæ oculos, aures, linguam demulcent. Sunt quibus vita noſtra ſuſtentatur; ſunt quibus beatior redditur & felicior. Sunt quorum neceſſarius; ſunt, quorum jucundus uſus eſt. De omnibus ſimul *Paulus*[a]: Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη· *Vanitati creatura ſubjecta eſt*. Hoc vult, creaturas illas omnes inſervire *concupiſcentiæ* peccatoris. Concipiendus tamen in iis ordo eſt aliquis, etſi impares ſumus ſingulis illius modis explicandis. Habet enim quodque corpus pro varietate uſus ſui variæ fomentum concupiſcentiæ.

Diſcrimen in ea obſervandum.

Sunt quorum uſus eſt neceſſarius; ſunt quæ nobis inſerviunt ad voluptatem. Inter *neceſſaria* ſunt *eſca*, & *potus*, quæ à Deo ad corpus nutriendum & ſuſtinendum ordinata ſunt. Hæc appetit homo. Quod quando *moderate* facit, neque tamen hoc conſilio, ut vitam ſuam conſervet ad gloriam

Dei,

a Rom. VIII. 20.

Dei, *concupiſcentiæ* adſcribi debet; ſi *immoderate*, ut in eo collocet maximam partem ſuarum deliciarum, ſuæque voluptatis, de quo hominum genere ante diſſeruimus: tum quoque ſuæ concupiſcentiæ ſe ſervum prodit viliſſimum. Quærit enim in corpore, quo deſideria ſua expleat, cujusque tanquam ſummi boni amore & fruitione gaudeat: quod eſt *concupiſcere.*

Occurrunt hic majora quædam corpora hujus Univerſi, unde homo utilitatem percipit.

Ad hanc ſpeciem pertinent *κῶμοι καὶ μέθαι comeſſationes & ebrietates*[a]: de quo pariter egimus. Quæ ad commoditatem pertinent corpora, à Deo homini conceſſa in uſus moderatos ad exhilarandam mentem: non minus ea ſunt objecta *concupiſcentiæ.* Gentes teſtatur Paulus *coluiſſe creaturam prætərito Creatore*[b]. Creaturæ nimirum aliquæ ſunt, quæ homini vel inſignia commoda voluptatemque, quemadmodum Sol, Luna, cæteraque aſtra; vel magna incommoda, quemadmodum Ægyptiis Crocodilus, adferunt. Neutræ ſunt in hominis poteſtate; unde fit, ut feratur ad agnoſcendam in illis vim aliquanto majorem, quam in ſe eſſe experitur. Hæc ratio eſt, quod circa utraſque concupiſcentia ipſius verſetur. Illas quidem amore nimio proſequitur; has metuit. Hæc duo in ipſo fontes ſunt ſuperſtitionis. A quibus commoda accipit, illas, vel Deum, qui in illis eſt, ſecundum ſuam opinionem, veneratur, propterea quod illas ſibi prodeſſe animadvertat. Quarum incommoda veretur, has placare ſtudet, ne ſibi per eas noxa adferatur.

Unde origo *Idololatriæ*, apud Gentes.

Hæc eſt ratio cultus idolorum varii & ſæpe oppoſiti generis, qui apud Gentes olim celebratus fuit. Nimirum ſuperſtitio omnis nihil eſt aliud, quam exercitium concupiſcentiæ. Ita diligere corpora, ut ea pro Deo tuo venereris; ita metuere creaturas, ut eas cultu ſacro placare ſtudeas, eſt *concupiſcere.* Si quis vero ſit homo, qui per lucem conſcientiæ ſuæ prohibetur eo uſque à vero errare: non putandum tamen, eum non concupiſcere. Qui cœlum contuetur; qui ſolem, cæteraque ſidera oculis ſuis ſubjicit; qui eorum uſum ſibi cæteriſque rebus Cœlo ſubjectis convenientiſſimum ad commodum ſuum ſibi vindicat, eoque gaudet & exhilaratur, neque tamen eo exſtimulatur ad Deo gratias agendum, ejuſque θαύματα deprædicandam humili animo, is *concupiſcit.* Qui cæteris etiam creaturis cujuſcunque generis ſint in terra, quę voluptatis & deli-

a Rom. XIII. 13. b Rom. I. 25.

deliciarum aptiſſima ſunt inſtrumenta, abutitur ad carni ſuæ ſatisfaciendum, ut vulgo ſolet evenire: hoc ipſo peccat vitio Concupiſcentiæ.

Præcipue tamen ad hanc Speciem refertur plura habendi Cupiditas, quæ AVARITIA *dicitur.*

XVI. Hujus vero Concupiſcentiæ minime fallax indicium eſt, quod pravæ homo indolis rerum mundanarum tantum ſibi acquirere ſatagat, quantum poteſt. Ubi vacuus incolarum mundus erat, hominibus à Deo in habitationem conceſſus: res erant occupantis. Quisque ſibi pecora & agros comparabat, quot excolendis ſufficiebat cum ſuis. Sed occupata terra, *diviſaque illius hæreditate inter poſteros Adami*[a], nihil pene relictum communi eſt uſui mortalium. Præſtantiſſima terrę pars procedente tempore diſtributa eſt inter occupantes, qui vel per vim vel per fœdera in Civitates coierunt diſtinctas. Inde nata peccatori occaſio *concupiſcentiam* ſuam exercendi.

Cujus natura vitii deſcribitur.

Scilicet ille, qui nihil habet, quod concupiſcat præter Deum, niſi *carnem*, non poteſt appetitum, quem infiniti habet natura ſua, tam arctis cancellis circumſcribere. Naſcitur igitur in ipſo ſtudium ardentiſſimum retinendi, quæ habet, & acquirendi, quæ proximi ſunt per varias artes: quod aliquando eo uſque erumpit, ut homo aperta vi bona proximi ſui rapiat & in dominium ſuum transferat, quod *furtum* dicitur. quod tamen crimen quia in Civitate ſevere coërcetur, ſtudium honoris facit, ut raro id ſcelus ab iis, qui bene nati ſunt, perpetretur. Sic concupiſcentia concupiſcentiam reprimit. Appetitus tamen plura habendi & poſſidendi manet.

Species ejus φιλαργυρία.

Quandoquidem vero ex pacto humani generis tandem factum eſt, ut metallis æris, argenti & auri pretia humanarum rerum æſtimata ſint: hinc fit, ut ad ea maxime feratur hominis animus. quod præcipue genus concupiſcentiæ à *Joanne* vocatur

Quæ Concupiſcentia oculorum.

ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν *Concupiſcentia oculorum*.[b] Hæc enim bona oculos maxime feriunt, indices certiſſimos animi concupiſcentia eorum inflammati. *Oculus hominis non ſatiatur*[c]. Hæc *Concupiſcentia* nomen habet AVARITIÆ *φιλαργυρίας amoris pecuniæ*. quam Apoſtolus vocat *ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν fundamentum & radicem omnium malorum*. Sic omnino ſe res habet. Eſt enim *habendi* cupido ſic radicata in prava humanitatis indole, ut vix ac ne vix qui-

a Deut. XXXII. 8. Act. XVII. 26. b I Joh. II. 16. c Prov. XXVII. 21.

quidem expelli poſſit. Eſt etiam adeo communis, ut paucis exceptis, quibus natura generoſiores inſtinctus dedit, vix ſit quem ea non afficiat.

Communitas hujus vitii.

Digniſſima ſunt lectu, quę Apoſtolus contra eam ſcripſit ad amicum ſuum Timotheum[a], commendans τὴν εὐσέβειαν μετ' αὐταρκείας *pietatem cum animo ſua ſorte contento.* Hoc genere concupiſcentiæ nullum olim apud Judæos familiarius. Omnes Prophetæ hoc vitium in iis taxant & deteſtantur.

Regnavit olim inter Judæos.

Inprimis tamen id pugnat cum ſtatu hominis Chriſtiani ſub OEconomia Nova, ut D. Jeſus non ſemel demonſtravit.

Maxime contrarium ſtatui hominis.

Et certe quid indignius animo, occupato amore Chriſti bonorumque æternorum, quam hærere in contemplatione terreſtrium & periturorum? Avaritiæ enim hic fructus eſt, ut animus peccatoris non magis acquieſcat iis, quę habet, quam ardenter appetit ea, quę non habet. Pauli hoc eſt præclarum dictum[b]: *Iis, qui ſunt in hoc ſæculo divites, denuncia, ne efferantur animo, neque ſpem ponant in divitiis incertis, ſed in illo Deo vivo, qui præbet nobis omnia copioſe ad fruendum.* Gentiles quoque id viderunt. Audiamus Senecam adverſus hoc vitium, cujus tamen ipſe expers non fuit, egregie declamantem[c]:

Senecæ locus, quo hoc vitium deſcribit.

Video diplomata & ſyngraphas & cautiones, vacua habendi ſimulacra; umbras quaſdam avaritiæ laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid enim iſta ſunt? Quid fœnus & Kalendarium & uſura, niſi HUMANÆ CUPIDITATIS *extra naturam quæſita nomina? Poſſum de rerum natura conqueri, quod aurum argentumque non interius abſconderit, quod non illis majus, quam quod detrahi poſſet, pondus injecerit. Quid ſunt iſtæ tabulæ, quid computationes & venale tempus & ſanguinolentæ centeſimæ, voluntaria mala ex conſtitutione noſtra prudentia, in quibus nihil eſt, quod ſubjici oculis, quod teneri manu poſſit, inanis avaritiæ ſomnia. O miſerum! ſi quem delectat ſui patrimonii liber magnus, & vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos, & immenſi greges pecorum per provincias ac regna paſcendi, & familia, bellicoſis nationibus major, & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia! Cum bene iſta, per quæ divitias diſpoſuit ac fudit, circumſpexerit, ſuperbumque ſe fecerit, ſi quicquid habet, ei quod cupit, comparet, pauper eſt.* O miſeram mortalium ſortem! Sed utinam etiam hic ſuæ Concupiſcentiæ modum poneret

a 1 Tim. VI. 6. b 1 Tim. VI. 17. c De Benef. Lib. VII. Cap. X.

neret peccator, & *Deum* ipſum quoque in has partes non pertraheret!

Quæritur porro, an Concupiſcentia peccatoris quoque verſetur circa Deum?

XVII. Nimirum vidimus hactenus, quomodo peccatoris concupiſcentis voluntas ſe extendat ad *objecta* cum in *ipſo* tum extra *ipſum*, præter Deum, amanda. Vitium hujus voluntatis hoc eſſe diximus, quod ea appetat *inordinate*. *Amat* enim peccator vel *ſe* ipſe inordinate, vel *res alias*, quę extra ipſum ſunt, ut cauſſam & fundamentum ſummum acquieſcentiæ & lætitiæ ſuæ, *neglecto Deo*. Merito igitur hic alicui in mentem veniat quærere, an Concupiſcentia non verſetur quoque circa Deum? Ad quod breviter reſpondendum. Scriptores Sacri *ſedem* Concupiſcentiæ ponunt *σάρκα carnem*; *objectum* concupiſcentiæ vocant *κόσμον mundum*, ſive לא אלהים *non Deum*, ceu monitum eſt ante. Negari tamen nequit, eſſe peccatores concupiſcentes, qui de Deo cogitant, ſcribunt, diſſerunt, diſputant, ratiocinantur; imo qui Deum docent, quique videntur hoc agere cum voluptate. In hunc redigo ordinem veteres Philoſophos, antiſtites Eccleſiæ falſæ, & alios etiam omnes, qui in vera Eccleſia vivunt Doctores, per ſalutarem Dei gratiam hactenus non regenitos. His imponitur neceſſitas de Deo cogitandi, loquendi, & ſcribendi: quod fieri nequit abſque varia determinatione voluntatis eorum circa Deum. Quod cum videantur cum voluptate agere: Deum etiam videntur *concupiſcere*. Quare de eo cogitationes noſtras hoc modo componamus: 1. Certum eſt hominem peccatorem, qui adhuc in vitiis ſuis hæret, non poſſe Deum, ut vere eſt, appetere tanquam fundamentum boni & lætitię ſuæ. Docet enim eum conſcientia, ſe impurum eſſe, atque Dei communione indignum, ſive Deum ipſi eſſe valde diſſimilem. 2. Obſervandum eſt, varios mentis actus poſſe exerceri circa Deum, in quibus ineſt affirmatio & negatio eorum, quę in Deo ſunt, qui tamen nihil habent commune cum *concupiſcentia* & *amore Dei*. Poteſt aliquis de veritatibus, quę de Deo vel circa Deum ventilantur, has affirmare, alias negare, abſque voluntate ſe uniendi Deo, ut ſummo ſuo bono. 3. Quod ſi tamen aliqui, qui Deum vere non amant ut ſummum ſuum bonum, circa Deum verſari videantur cum *voluptate*: alterutrum horum hic obtinere debet, vel ut Deum *ament* qua parte

Ad quod ut reſpondeatur, præmittuntur variæ definitiones de exercitatione peccatoris circa Deum.

non

non Deus eſt, vel ut *amorem* Dei, tanquam boni inferioris, amori aliarum rerum, quas maxime expetunt, hoc eſt, utilitatibus, & gloriæ ſuæ ſubjicere ac ſubordinare ſtudeant. Sic plane hæc res comparata eſſe videtur. Conſcientia ſuggerit eſſe Deum. Excitat etiam conſcientia & impellit peccatorem ad id ſentiendum. Hinc oritur metus. Cujus vel hoc eſt conſequens, ut ſupprimat ſuas de Deo cogitationes, de quo ſcripſi initio hujus diſſertationis; vel ut ſibi perſuadeat, Deum talem non eſſe qualis eſt. Cogitat igitur, *Deum forte non curare res humanas:* vel, quia hæc craſſiſſima αἵρεσις eſt, quę valide ex principiis rationis refutari poteſt; *ipſum Deum ſubeſſe fato*; *Deum non vindicare peccata*, vel non vindicaturum peccata ſua; *Deum poſſe placari victimis hominum*, & animantum, & exteriore virtutum quarundam ſimulatarum exercitio; *animam poſt mortem non ſuperfuturam amplius*; operum ſuorum plurima Deo placere; bonitatem & longanimitatem Dei eo uſque ſe extendere, ut poſſit ſervare peccatores, ipſo non meliores nec ſanctiores. Sic Philoſophi plures olim, ſic vulgus hodie amare ſolet Deum. Sed quem & qualem Deum? Ea parte, qua illi Deum concupiſcunt, *non Deum*, ſed *carnem*, ſed *carni ſimilem*, & *idolum*, quod fictum eſt in animo peccatoris. Si enim talis eſſet Deus, qualem illi fingunt, Deus eſſet *caro* & *carni* ſimilis. Non amat igitur peccator *Deum*, ſed *carnem*, ſed figmentum cerebri ſui, quæ *concupiſcentia* eſt. Qui vero ita Deum non appetit peccator, ut Deus non eſt Deus: is quando de Deo cogitat, diſſerit, aut ſcribit, Dei abutitur nomine ad explenda deſideria carnis ſuæ. ut fit ab iis qui Deum profitentur, nec tamen Deum amant.

Qui cum vere de Deo cogitare nequeat abſque metu: cogitans tamen ſibi illudit per præjudicia falſa, quæ ſibi de Deo perſuadet:

Unde ex Deo facit objectum concupiſcentia carnalis, h. e. non Deum, & carnem.

Vitio igitur huic locus datur in ſtudiis literarum. Deus ab omnibus colitur ut nobiliſſimum ſcientiæ objectum. Poteſt igitur quis ex illius cognitione, ſi in ea egregie proficiat, ſibi promittere aliquam exiſtimationem nominis, vel emolumentum, ſibi commodum. Hoc ipſi argumento eſt, ut ſe cum ſtudio & affectu etiam aliquo applicet ad ſibi comparandam Dei & rerum Divinarum ſcientiam, eamque, ubi occaſio ſe commoda offert, exercendam. Loquitur igitur de iis recte, orthodoxe, feliciter. Scribit de iis concinne, & erudite. Illuſtrat veritates Divinas ſummo labore, non abſque demonſtratione ingenii &

A ſtudioſis Divinarum Literarum hic ſæpe graviſſime peccatur.

Concupiſcentia hæc multum differt à vero Dei amore.

acuminis. Quis fructus? Ut glorietur ſe ipſo, & alias ſibi res acquirat, quas Deo cariores habet. Sed & Deus, ſi hac ratione expetatur, eſt *non Deus.* Quicquid enim *carnem* fovet, eſt *caro.* Utitur igitur Deo, ut medio explendæ concupiſcentiæ carnis ſuæ. Et fere eſt ut exiſtimem, id fieri vix poſſe abſque atheiſmo, quem Peccator clam in animo ſuo fovet. quod rurſus eſt *concupiſcere non Deum.* Si enim vere ſibi perſuaderet homo peccator, Deum talem eſſe, qualem docet eſſe Deum, & ſe talem eſſe, qualem docet ſe eſſe: metueret adeo frequenter de Deo cogitare, loqui, & ſcribere. quæ huc tendunt, ut nihil eo ſit certius, quam: *Illum demum vere credere Deum eſſe, qui Deum diligit.*

Caput VII.

Cauſſa, cur vocabulum Concupiscentia *in Scriptis N. T. ſumatur pro* prava voluntate peccatoris, *ſive pro* primis, *iiſque* inordinatis *pravæ voluntatis* propenſionibus, *petitur ex Interdicto* decimo *Decalogi, quippe in quo voces* חמד & אוה / *ex interpretatione* Pauli, *eodem ſumuntur ſenſu. De quo ut liquidius conſtet,* Hebræorum Doctorum commentarii *ad hoc Interdictum, eorumque ſententiæ de* cogitatione mala, & deſideriis primis pravæ voluntatis, *recenſentur, excutiuntur, & quantum à Pauli interpretatione diſtent, indagatur. Sunt vero in his multa, quæ faciunt ad illuſtranda verba Chriſti,* Matth. v. 28. 2 & *Pauli,* Rom. VII. 7.

Quæritur & diſputari incipit, quare vitioſa Voluntas peccatoris, dicatur Concupiſcentia?

SEries orationis præcedentis eo nos duxit, ut inquirendum ſit in rationem *nominis* Concupiscentiæ *pravæ.* Cum enim ἐπιθυμεῖν *concupiſcere* ſit ejuſmodi quid, quod hominis *voluntati* neceſſario ineſt; merito quæritur, cur hoc nomen *Concupiſcentiæ* magis transferatur ad *concupiſcentiam pravam* quam *rectam?*

II. No-

II. Nomen *Concupiſcentiæ* λέξιν *ambiguum* eſſe, ſæpe nunc monitum eſt. Quod vero *Paulus* cæterique Apoſtoli eo deſignent *Vitiatam voluntatem* mentis, ejuſque *prima deſideria*, declinantia *à Deo*: illius rei prima petenda eſt ratio ex *Decalogi præcepto ultimo*, ubi *concupiſcentia* vitioſa vetatur, verbis à legis auctore in hunc modum conceptis [a]: לא תחמד בית רעך *Non* CONCUPISCES *domum proximi tui.* לא תחמד אשת רעך *Non* CONCUPISCES *uxorem proximi tui.* LXX. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου. In *Deuteronomio*, ubi hoc Interdictum repetitur [b], præter vocabulum חמד habetur etiam τὸ אוה: quod enim Moſes prius dixerat, לא תחמד / mox variata phraſi declarat; לא תתאוה / Lxx tamen retinuerunt ſuum ἐπιθυμεῖν. Ad hæc Decalogi verba reſpexit Paulus, reſpexerunt cæteri etiam Apoſtoli, quando malam *vitioſamque voluntatem* vocarunt ἐπιθυμίαν *concupiſcentiam.* quod equidem clare conſtare poteſt ex *Pauli* Epiſtola ad Romanos [c], ubi ipſe: Τήν τε γὰρ ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν· Οὐκ ἐπιθυμήσεις· CONCUPISCENTIAM *enim non noſſem, niſi Lex dixiſſet; Non* CONCUPISCES. Prius dixerat; *Peccatum non cognoſcebam, niſi per legem.* Habemus igitur rationem & cauſam, cur Apoſtoli hoc *concupiſcentiæ* nomen in deteriorem partem pro *concupiſcentia prava* acceperint. Eſt tamen, ubi id in meliorem quoque capiant partem pro *concupiſcentia bona*, ſive *voluntate recta*, quemadmodum à Chriſto fit apud Matthæum [d]: *Amen enim dico vobis, quod multi Prophetæ & juſti* ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε DESIDERARINT *videre, quæ videris. Paulus* quoque ad Galatas [e]: Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ Πνεύματος· *Caro concupiſcit contra Spiritum*, τὸ δὲ Πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός· *Spiritus vero contra carnem*, ſupple ἐπιθυμεῖ CONCUPISCIT. Quin imo ut Scriptores ſacri clare ſignificarent, ſe hac voce non intelligere *omnem concupiſcentiam*, quia & hominis recti concupiſcentia eſt laudabilis & neceſſaria: talibus epithetis hanc *concupiſcentiam* circumſcribunt, quę produnt, ipſos non de omni, ſed de certo quodam genere *concupiſcentiæ*, id eſt, de *concupiſcentia prava* tantum loqui. ut quando ipſis dicitur [f]: Ἐπιθυμίαις τοῦ σώματος *Concupiſcentiæ* CORPORIS [g]. ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς *Concupiſcentia* CARNIS. ἐπιθυμίαις τῆς ἀπάτης *Concupiſcentia* SEDUCTIONIS [h].

Ratio Nominis petitur ex ultimo *Decalogi* Interdicti.

Verba illius Interdicti.

Variatio unius vocis in *Deuteronomio*.

Inde petitam notionem *Concupiſcentiæ*, evincitur ex Rom. VII. 7.

Et ſumitur tamen vox ſubinde etiam in meliorem partem.

Epitheta, quibus Concupiſcentia hæc vitioſa circumſcribitur.

a Exod. XX. 24. b Cap. V. 18. c Cap. VII. 7. d Matth. XIII. 17.
e Gal. V. 17. f Rom. VI. 12. g Gal. V. 16. Epheſ. II. 3.

NIS[a]. ἐπιθυμίαν κακὴν *Concupiſcentia* MALA[b]. ἐπιθυμίας ἀνοήτους καὶ βλαβερὰς *Concupiſcentiæ* AMENTES & DAMNOSÆ[c]. νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι *Concupiſcentiæ* JUVENILES[d]. ἐπιθυμίας ἰδίας *Concupiſcentiæ* PROPRIÆ[e]. κοσμικὰς ἐπιθυμίας MUNDANÆ *cupiditates*[f]. ἐπιθυμίαις σαρκικαῖς *Cupiditates* CARNALES[g]. ἐπιθυμίαις ἀνθρώπων *Concupiſcentiæ* HOMINUM[h]. Intelligunt itaque hoc nomine non omnem *concupiſcentiam*, ſed certum tantum aliquod concupiſcentiæ genus, quod damnabile eſt & damnatum eſt à Deo in *Decem Sententiis Legis*.

Nec quoque hebrææ voces אוה & חמד per ſe reſtringuntur ad *Concupiſcentiam* vitioſam.

III. Quando vero nunc conſtat, ipſi voci ἐπιθυμίας nihil ſubeſſe vitii, ſi proprio ſenſu ſumatur, ſed Apoſtolos illam eſſe mutuatos ex *Decalogo*, ubi ſub vocabulis חמד & אוה prohibetur *concupiſcentia prava*: in mentem forte alicui veniat, an ea ſit poteſtas ſignificationis vocum חמד & אוה/ ut magis notent *concupiſcentiam malam* quam *bonam*. Verum ſic ſatis clarum & certum eſt, vocabula hebræa, quibus *appetendi* facultas deſignatur, eam ſignificationis differentiam non admittere. Ipſa *Dei* & ſanctorum volitio ac appetitus his vocibus denominatur[i].

Sed petenda hæc ſignificatio eſt ex circumſtantiis *Interdicti*, in quo manifeſte prohibetur *vitium*.

Nulla igitur ſupereſt ratio, quare Scriptores Sacri ſub nomine *Concupiſcentiæ* intelligant *pravam* & *vitioſam*, quam quia in *decimo* Decalogi *Interdicto* id flagitant circumſtantiæ, ut voces חמד & אוה denotare debeant *appetitum pravum*. *Prohibet* ibi Deus aliquod *appetere* (חמד): quod hoc ipſo quo prohibetur oportet ſit pravum & vitioſum. *Bonum* enim appetitum non *prohibet* Deus. Dein mentio eſt *appetitus uxoris, domus, ſervorum, ancillarum, omniumque, quæ proximi ſunt noſtri*. Qualis hic *appetitus* eſt, bonusne an vero pravus? *Pravus* dubio procul, quia *domum, bona, uxorem* & τὰ ἴδια *propria proximi ſui* appetere non poteſt homo, ut eſt natura, abſque vitio. Circumſtantiæ igitur ſuadent, *appetitum*, de quo mentio eſt in Præcepto Decalogi *decimo*, eſſe *vitioſum*. ac proinde Paulus Apoſtolus recte ad hunc reſpiciens locum ἐπιθυμίας vocabulum in deteriorem interpretatur partem. Chriſtus Dominus ipſe confirmat id, quod diximus, in Evangelio *Matthæi*, ubi ait[k]: *Quiſquis aſpicit mulierem* πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς *ad* APPETENDUM EAM, *jam commiſit cum ea adulterium*

in cer-

a Epheſ. IV. 22. b Col. III. 5. c 1 Tim. VI. 9. d 2 Tim. II. 22. e 2 Tim. IV. 3. f Jac. I. 4. g Tit. II. 12. h 1 Pet. II. 2. 1 Pet. IV. 2. i Pſ. CXVIII. 17. Jeſ. XXVI. 88. k Cap. V. 28.

in corde ſuo. Dominus reſpicit ad hanc ipſam Legem Decalogi *decimam*, docetque hoc Interdicto prohiberi vitioſas *voluntatis propenſiones*, quę ſe exerunt in *vitiis*, quę Deus in prioribus Interdictis Decalogi proſcripſerat. Sed operæ pretium eſt hic moram aliquam nectere, & in genuinum ſenſum Legis, qui omnibus ubique non patet, diligenter inquirere.

IV. Prohibet Decalogi Sapientiſſimus Auctor hic quandam ſpeciem *Appetitus* & *Concupiſcentiæ*, ſub vocibus hebræis חמד & התאוה: ſive jam hæ voces eandem rem, ſive diverſos unius rei ſive actus ſive *modos* ſignificent. de quo ſuo loco. Jam certum, & ante omnia ad animum revocari debet, *Appetitionem*, ſive *Concupiſcentiam*, varias admittere poſſe ſignificationes. Datur *Concupiſcendi* tam ACTUS quam HABITUS. ACTUS vero Concupiſcendi duplex eſt: vel *Volitio*, quæ dicitur *imperfecta* & Philoſophis venit nomine *Velleitatis*, quæ eſt quædam Voluntatis & deſiderii propenſio, qua homo fertur in rem, ſibi bonam & utilem, ſi quædam circumſtantiæ illius uſum & fructum non negarent; vel *perfecta Volitio*, qua *abſolute* fertur in quamcunque rem, ex qua perſuaſum habet voluptatem aut utilitatem ſe percipere poſſe. cujuſmodi Volitionis effectus & conſequens eſt, ut qui mentem hac cupiditate adfectam habet ſummo labore & ſtudio annitatur, ut rei cupitæ compos evadere, eamque in uſus ſuos convertere poſſit. Supponit itaque hæc *volitio* ſive *Appetitio* Voluntatem poſt judicii actum antecedentem ad id prorſus determinatam, ut *Bono cupito* frui, & ex ejus fructu utilitatem aut voluptatem capere velit. Quarum tamen *volitionum* rurſus duplex eſt genus. aliæ enim *effectum* ſortiuntur juxta vota & placitum Volentis; aliæ non ſortiuntur ob quaſcunque cauſſas, quæ deſideriis volentium interveniunt. Ex hoc *Concupiſcendi* ACTU vel Actibus, iteratis & ſæpius repetitis, naſcitur Concupiſcendi HABITUS, qui eſt prava illa *Voluntatis adfectio* ſive diſpoſitio, qua propendet ad res alias *inordinate* appetendas. ſive jam ille *Concupiſcentiæ Habitus* ſe exerat in *Volitionibus perfectis*, quas modo deſcribebam, ſive etiam in *imperfectis*. Utrumque enim hic obtinet. Quibus præmiſſis, gradum jam promoveamus, & videamus, quid illud ſit, quod Legiſlator *Decimo Præcepto* ſub nomine *Concupiſcentiæ* vetat.

Inquiritur in genuinum ſenſum *Interdicti Decalogici* de *Concupiſcentia*.

Ubi præmittitur doctrina de *vario uſu* hujus vocis in genere *Concupiſcentiæ vitioſæ*.

Interdictum Decalogi directe non agit de *Habitu Concupiſcentiæ.* Sed de *Actu.*

Indirecte tamen ſimul prohibetur.

V. Primo itaque certum videtur, Lege hac *directe* non prohiberi *Concupiſcentiæ Habitum*, ſed potius *Actum Concupiſcentiæ.* Leges enim verſantur circa *Actus*, qui ſupponuntur eſſe in poteſtate hominis, & reſpiciunt tempus futurum, non præteritum. *Habitus*, tanquam qui ex actibus pravis & vitioſis nati ſint, magis damnantur Lege quam prohibentur. *Indirecte* tamen Concupiſcentiæ pravæ habitus hic quoque dici poteſt prohiberi, quatenus Habitus eſt fructus & conſequens Actuum Concupiſcentiæ Vitioſæ, & per Actus Concupiſcentiæ vitioſæ foveri & incrementum capere poteſt. ſic omnino rem recte putavit Rivetus[a]. De *Actibus* igitur *Concupiſcentiæ* ſi proprie Interdictum hoc agat; cujus illos dicemus eſſe generis, an *Volitiones perfectas*, an vero etiam *imperfectas*, quæ plenum voluntatis conſenſum non impetrant? Si vero de *perfectis Volitionibus*: an de iis tantum, quæ effectum certo conſequuntur juxta vota & deſideria Concupiſcentis: an illas quoque *Volitiones* proſcribet hoc Interdicto Legiſlator, quæ licet deliberatæ & meditatæ ob impedimentum interveniens non perducuntur ad finem optatum? Sunt hic ſententiæ diviſæ: quarum quas præ manibus habemus, non inutile fuerit explorare, ut tandem de mente Legiſlatoris in his verbis tanto certius ſtatuamus.

Quales Actus Concupiſcentiæ hac Lege prohibeantur.

Vett. Judæi aliqui intelligunt *Actus* qui ſortiuntur *effectum.*

VI. Inter Judæos antiquiores non pauci fuerunt, qui hoc Interdicto eas tantum prohiberi Appetitiones cenſuerunt, *quæ* & *quatenus* effectum ſortiebantur, & per quas Concupiſcentes rerum cupitarum compotes evadebant. qui tamen ipſi quoque hic rurſus diviſi ſunt. Sunt qui exiſtimant in genere, *cogitatione* & cupiditate ſola non committi peccatum pœna dignum, ſi ea effectum non habeat. Sunt alii bene multi inter *Judæos*, qui, licet omnino arbitrentur, *ſola cogitatione*, & concupiſcentia, quę ſola mente exercetur, peccari poſſe; non tamen facile largiuntur, propoſitum fuiſſe Deo *Concupiſcentiam* hanc vitioſam *animi* in Decima Decalogi Lege prohibere. utique non verbis לא תחמד Non appetes, quę habentur in Decalogo Exodi. Manifeſtus eſt pro priore illa ſententia Joſephus[b], refellens Polybium, qui Antiochum Epiphanem ob meditatum facri-

Joſephus cenſuit, voluntatem malam à Deo non puniri.

a Op. Tom. I. Com. in Dec. ad Exod XX. 15. b Ant. Lib. XII. Cap. XIII.

ſacrilegium Templi Dianæ ſupplicium luiſſe ſcripſerat. *Quapropter*, ait, *demiror Polybium Megalopolitanum, qui vir alioqui probus, ait hunc Antiochum periiſſe, quod conatus ſit Dianæ Templi theſauros ac donaria diripere.* Τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον, οὐκ ἔστι τιμωρίας ἄξιον· VOLUISSE *enim* TANTUM, *non etiam perfeciſſe ſacrilegium*, DIGNUM SUPPLICIO NON ERAT. Admiranda res eſt, plus vidiſſe Polybium per lumen naturæ, quam Joſephum per lumen Legis, in qua totidem literis *Concupiſcentia* damnabatur. Fuiſſe tamen inter Judæos Doctores circa tempora Chriſti bene multos, qui ſtatuerint, non niſi *externo actu* ab homine peccari, patet ſatis ex oratione Domini apud Matthæum [a], & Grotius [b] jam obſervavit ex Kimchio, & Aben-Ezra. Aben-Ezræ verba, à Grotio neglecta, operæ pretium mihi viſum eſt excerpere. Extant illa in Digreſſione, quam Decalogo exponendo præmiſit [c]: וכל המצות על ג׳ דברים האחד מצות הלב והב׳ מצות הלשון והג׳ מצות עשה ומצות הלב על שני דרכים מצות עשה ומצות לא תעשה והנה מצות עשה ואהבת את יהוה אלהיך ולדבקה בו וליראה את השם הנכבד ואהבת לרעך כמוך ומצות לא תעשה ולא תשנא את אחיך לבבך ולא תטור גם מצות הלשון עשה ולא תעשה עשה כמו קרית שמע וברכת המזון וברכת כהנים גם וידוי מעשר ורבים ככה ומצות לא תעשה לא תענה ברעך אלהים לא תקלל חרש ומצות עשה ולא תעשה במעשה הם רבים ואין צורך להזכירם ומצות הלב הם העקרים הנכבדים על כלם ורבים חשבו כי אין עון במחשבת הלב רק בדברי ע״ז ובאמת כי היא עשרה לבדה יותר מכל מחשבות רעות וחלא יראו כתוב וכו׳ *Omnia vero Præcepta commode referri poſſunt ad Præcepta Cordis, Oris, & Operis. Præcepta* CORDIS *ſunt in differentia duplici, Affirmativa ſcilicet & Negativa. Affirmativa, ut; Diliges Jehovam Deum tuum, quæque illi ſunt ſimilia de Deo adhærendo, eumque timendo; & Amabis proximum tuum ſicut te ipſum. Negativa vero: Non habebis fratrem tuum odio in corde tuo, neque illi ſervabis vindictam. Præcepta autem* ORIS *pari ratione in affirmantia & negantia diſpeſcuntur. Affirmantia quidem, quibus Lectio Audi, Benedictio cibi, Benedictio Sacerdotum, Confeſſio Decimarum, ſimiliaque multa præſcribuntur. Negantia vero: Non reſpondebis ut teſtis falſus adverſus proximum tuum. Non maledices Diis. Non maledices ſurdo. Sed & quæ ad* FACTA *pertinent præcepta eadem differentia habentur, ſed neceſſe non eſt*

Aben-Ezræ verba hæc de re.

a Cap. v. 28, 29. b Com. in Dec. c In Pſ. LXVI. 18.

eſt ea recenſere. ſunt enim plurima. Cæterum PRÆCEPTA, *quæ* AD ANIMUM PERTINENT, *ſpectari debent ut cæterorum omnium fundamenta longe nobiliſſima.* SUNT TAMEN MULTI, QUI EXISTIMANT, COGITATIONE SOLA NON PECCARI, *niſi in tranſgreſſione Præcepti de Idololatria; & certe ſolum hoc peccatum gravius eſt omnibus aliis cogitationibus malis. An tamen non attendunt ejuſmodi homines, quid ſcriptum ſit &c.* Enarrare nunc pergit loca Scripturæ, huic opinioni oppoſita.

Sed plures alii & Recentiores ab hac ſententia diſcedunt.

Verba Maimonidis.

VII. Ex his verbis Aben-Ezræ quidem liquet, quod modo ex Joſepho, fuiſſe in Gente Judæa Doctores, qui non dubitarint aſſerere, *cogitatione ſola non peccari.* Bene tamen habet quod Judæi nunc paſſim ab hac ſententia diſceſſerint. Maimonides utique, ubi *Reſipiſcentiam* deſcribit, non minus præcipit puritatem mentis quam corporis, & non minus recte cogitandum quam faciendum ſuadet. Sic ipſe [a]: וזה היא התשובה הוא שיעזוב חוטא חטאו ויסירנו ממחשבתו ויגמור בלבו שלא יעשהו עוד וכו׳ *Quænam vero illa eſt* RESIPISCENTIA? *Quando peccator peccatum ſuum derelinquit, illudque removet è* COGITATIONE SUA, *& in corde ſuo decernit, ſe id non perpetraturum amplius.* Sed quid evidentius eo, quod in ſequentibus occurrit [b]? אל תאמר שאין תשובה אלא מעבירות שיש בהם מעשה כגון זנות וגזל וגניבה אלא כשם שצריך אדם לשוב מאלו כך הוא צריך לחפש ברעות רעות שיש לו ולשוב מן הכעס ומן האיבה ומן הקנאה ומרדיפות הממון והכבוד ומרדיפות המאכלות וכיוצא בהן מן הכל צריך לחזור בתשובה ואלו העונות קשים מאותן שיש בהם מעשה שבזמן שאדם נשקע באלו קשה הוא לפרוש מהן וכן הוא אומר יעזוב רשע וכו׳ *Ne dicas, nullam eſſe reſipiſcentiam niſi ab ejuſmodi peccatis, quæ* OPERE *abſolvuntur, cujuſmodi ſunt, ſcortatio, rapina, furtum. Quemadmodum enim homo neceſſe habet ſe ab iis convertere, ſic item neceſſe habet accurate inquirere in pravas animi ſui affectiones, & reſipiſcere ab ira, ab inimicitia, ab invidia, & à vehementiore ſtudio conſequendi opes, honores, delicias gulæ, quæque his ſunt ſimilia. Omnibus his pariter neceſſe eſt abſtinere, ubi quis vere ſtudet reſipiſcere. Imo hæ ſpecies peccatorum iis etiam graviores ſunt, quæ* OPERE *committuntur, quia quando quis iis ſe totum tradidit, perquam difficile eſt ea penitus excutere: atque eo ſenſu dicitur; Derelinquat improbus &c.* Locus, à Maimonide notatus, eſt apud *Jeſaiam* [c]: יעזוב רשע דרכו ואיש

און

a Hilchoth Theſchuva Cap. II. §. II. b Cap. VII. §. II. c Cap. LV. 7.

און מחשבותיו *Derelinquat improbus viam ſuam, & vir malus* COGITATIONES SUAS. Comparetur etiam ſeria diſſertatio Aben-Ezræ ad Cap. v. Deuter. ℣ſ. 12. ſic finientis: עקר כל המצוה ליישר הלב RECTIFICARE MENTEM *eſt* RADIX OMNIUM PRÆCEPTORUM *Divinæ Legis*. Nihil vero in hanc rem preſſius dici poteſt quam quod occurrit apud Maimonidem in *More Nevochim*, ubi data opera evincit, *Cogitatione*, & *Cogitatione Concupiſcentiæ*, peccari. Liceat inde hæc pauca excerpere[a]. כבר ידעת אמרם הרהרי עבירה קשין מעבירה ולי בפירושו פירוש נפלא מאד והוא שהארם כשימרה אמנם ימרה כצד המקרים הנמשכים אחר החמר שלו כמו שבארתי שהארם לא יעשה מרי רק בבהמיותו אבל המחשבה היא מכוגילת הארם הנמשכים אחר צורתו ובשיחשוב כמרי ובעברה ימרה בנכבר שבשני חלקיו וכו׳ *Noſti inſuper tritum & pervulgatum illud*; Cogitationes transgreſſionis graviores ſunt transgreſſione ipſa. *cujus dicti admirandam habeo expoſitionem: quod videlicet homo cum peccat, peccet tantum ex parte accidentium, materiam conſequentium, ſicut declaravi, quod homo non peccet niſi per ſenſualitatem ſuam* (בבהמיותו: quod alias vertas ex natura vocis: *per brutalitatem ſuam*: hoc eſt, in quantum ſimilis eſt *brutis*, de quo deinceps, ſi Deo placet, latius:) *cogitatio autem proprietas eſt à forma ipſius dependens. Ideoque cum homo de peccato cogitat, peccat contra præſtantiſſimam partem duarum illarum, è quibus conſtat.*

Alias ejuſdem locus ex *More Nevochim.*

VIII. Idem nihilominus ille Maimonides, qui *mente ſola* peccari concedit, Interdictionem hanc de *Non Appetendo* non interpretatur de alia Concupiſcentia; quam quę *effectum ſuum* certo ſortitur. Intellexi hanc illius ſententiam ex Commentario Abarbanelis, cujus hæc ſunt ſequentia[b]: ואחר זה הזהיר שלא יזיק אדם את חבירו במחשבותו וזה הוא לא תחמוד והרא״בע פירש שהרבור הזה אינו כלו במחשבה כי החמדה תאמר גם כן על גזלת הדבר הנחמד כמ״ש וחמדו שדות וגזלו ובזה הזהיר אם כן על הגזל הנמשך בפעל החמדה וגם על החמדה עצמה אשר בנפש והרב הגדול מימוני בתי מסכים לזה בספר נסיקין פ״ק מהלכות גזלה ואבדה שאינו עובר על לאו לא תחמוד עד שיקח החפץ אשר חמד שהוא חמוד שיש בו מעשה אבל התאוה איננה אלא בלב בלבד *Poſthac vero monet, ne quis damnum adferat ſocio ſuo per cogitationem ſuam, atque illud exprimitur præcepto:* Non concupiſces. *Abraham tamen Aben-Ezra commentatur, Interdi-*

Nec tamen ille ſententiam Decalogi de alia accipit Concupiſcentia, quam quæ effectum conſequitur.

a More Nevochim, Part. III. Cap. VIII. circa med. b Com. in h. l.

ctum hoc de ſola cogitatione non agere, quoniam appetitus in Scriptura etiam uſurpatur de ipſo raptu *rei deſiderabilis, quemadmodum dicitur* [a]: Appetunt agros, rapiuntque. *Verum non videtur id ex hoc loco commode adſtrui poſſe. Propheta enim hic tam loquitur de* Rapina, *tanquam effectu & conſequente* Desiderii, *quam de deſiderio ipſo, quod ſedem ſuam habet in mente. Conſentit autem illi* (Aben-Ezræ) *Maimonides in Libro, qui de Damnis eſt, Capite primo Conſtitutionum de Rapto & Perdito, quod nemo tranſgrediatur Præceptum negans:* Non concupiſces, *niſi cum conſequuta fuerit voluntas id, quod deſiderat. Appetitum vult talem Maimonides, qui actu externo ſe prodit. Concupiſcentia tamen* (תאוה) *non pertinet niſi ad mentem ſolam.* Aben-Ezræ ſententia non quidem in Commentario ad hoc *Præceptum*, ſed ad principium *Decalogi* ſimilis habetur. Maimonidis vero in *Jad* eodem loco, quem Abarbanel notavit. Certe etiamſi tam Maimonides quam Aben-Ezra ſentiant, *Cogitatione ſola peccari*; etiamſi quoque illi omnino putent, *Concupiſcentiam Determinatam* in peccatis cenſendam eſſe, & à Deo prohibitam eſſe in *Deuteronomio*, ſub formula: לא תתאוה Non appetes: non putarunt tamen verbis: לא תחמד *Non Concupiſces:* quę ſola reperiuntur in Decalogo Libri Exodi: aliam vetitam eſſe *Concupiſcentiam*, quam quę effectum habet & voti compos evadit. Vox enim חמד ſecundum ipſos notat *appetitum fortem & violentum*, qui ſe exerit בתוקף *cum vi quadam*, & quę rem cupitam in ſuam transfert poteſtatem. Idem nos docere poteſt Hottingerus illuſtrans Catecheſin R. Levi Barzelonitæ [b]: *Volunt autem Rabbini Præceptum hoc reddi irritum ab eo etiam, qui alteri aliquid aufert,* שאיסור לאו דלא תחמוד אינו נגמר עד שיעשה בו מעשה *Quia interdictum negativum hoc non completur, uſque quo fiat opus, etſi forte* ἰσότιμον *dederit pretium.* Grotius jam monuit, ex hac Judæorum ſententia petendam eſſe rationem, cur Chriſtus apud *Marcum* hoc Interdictum expreſſerit per [c]: μὴ ἀποστερήσῃς: *Ne afficito quemquam damno.* Fieri poteſt, ut verum dixerit. Non diſplicet tamen, quod Vir Illuſtris in *Annotationibus* ad h. l. verba: μὴ ἀποστερήσῃς: magis referat ad Hebræa, לא תעשק/ quę Lev. XIX. 12. habentur, quam ad noſtrum לא תחמד.

Quod tamen proprie referendum ad verba: לא תחמד, in Decalogo *Exodi.*

Vox חמד ſignificat ſecundum ipſos *appetitum* cum effectu.

Loci Marci, Cap. X. 19. an huc referendus.

a Mich. II. 2. b Ad Leg. XXXVIII. Juris Heb. Lib. Chinnuch. c Cap. X. 19.

תחמוד. Commentatio ejus hic meretur adſcribi. *Hoc verbo* (ἀποστερεῖν) *omnia illa* ἀδικήματα *complectitur, quæ proprie non veniunt nomine* μοιχείας, φόνου, κλοπῆς, ψευδομαρτυρίας. *Ita* ἀδικεῖν *&* ἀποστερεῖν *junxit Paulus* 1 *Cor.* VI. 8. *& apud Ariſtophanem Pluto poſt interrogationem,* μῶν οὐ κέκλοφας; *ſequitur altera,* ἀλλ' οὐδὲ μὴν γ' ἀπεστέρηκας γ' οὐδένα. *Bene autem Marcus una voce expreſſit, quod in Levitico* XIX, *multis vocibus legitur.* Οὐ συκοφαντήσεις ἕκαστος τὸν πλησίον, οὐκ ἀδικήσεις τὸν πλησίον, καὶ οὐκ ἁρπάσεις, οὐ πορεύσῃ δόλῳ ἐν τῷ ἔθνει σου. *Ita Romani delicta omnia, quæ proprium non habent nomen,* ſtellionatus *aut* doli mali *nomine complectebantur. Æque late patet Hebræum* עשק / *quod Lev.* VI. 2. *& alibi per* ἀποστερεῖν *vertunt Græci, optime illam vocis Hebrææ generalitatem explicante Kimchio Libro Radicum ad locum Lev.* XIX. 13. *Eodem ſenſu* ינה *ponitur Lev.* XXV. 14, 17. *quod* θλίβειν *vertunt Græci.* Putat itaque Grotius, τὸ μὴ ἀποστερήσῃς proprie eſſe referendum ad Hebræa לא תעשק *Non opprimes,* non *fraudabis*, quod alias Græce diceretur; Μὴ συκοφαντήσῃς. Negare tamen omnino nolim, hoc noſtrum לא תחמוד ea phraſi comprehenſum eſſe. Tu vero ſi ſcire cupis accuratius, quid Hebræi Doctores hic intelligant, conſule Hottingerum[a], &, qui de hac voce alibi erudite admodum diſſerit, Conſtantinum L' Empereur[b]. Grotii de ea ſententia.

IX. Sed altera harum ſententiarum abſurda eſt, altera nullum habet, quo nitatur, fundamentum. Abſurda eſt illa ſententiæ hujus pars, quæ ſtatuit, ſola mente & voluntate non peccari. Si enim peccatum ſit omnis actus voluntarius non conformis rationi, quæ eſt Lex Conſcientiæ; poteruntne Peccatorum numero eximi deformes & impuri Actus animi, quibus homo ſæpe ſe ipſum adeo deturpat, ut ipſum ſe ſui ipſius pudeat? Si Deus actus quoſdam & affectus animi in Lege commendet & præcipiat tanquam *virtutes*, ut ſunt illi *Amoris Dei* & *Proximi*: an actus & affectus iis contrarii non erunt cenſendi in *vitiis* & peccatis? Immo ſi actus externi in virtutibus aut vitiis non habeantur niſi cum reſpectu ad principium animi, ex quo profecti fuerint: an omnes Actus boni & mali qua tales non maxime ex principio ſuo dijudicandi erunt. Sic utique nobis præit Do-

Refellitur illa pars ſententiæ quæ ſtatuit, cogitatione & volitione ſola non peccari.

a Ad Leg. Jur. Heb. CCXXXVI. b Obſervat. ad Bava Kama Cap. IX. §. VII. p. 248, 249.

Dominus [a]: *Ex corde egrediuntur cogitationes improbæ: cædes, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, maledicta.* Ταῦτά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον· HÆC SUNT QUÆ POLLUUNT HOMINEM [b]. An dæmones & impii, ſi Deus ipſos impediat actibus externis malitiam ſuam explere, dicendi erunt hoc tempore non peccare, dum vel maxime ardent odio & invidia erga Deum & ſanctos? Ne jam dicam, vitioſos affectus & actus tanquam vitia à Deo proſcribi, damnari, & prohiberi. Bene igitur habet, quod prudentiores inter Judæos poſteriores hanc ſententiam deſeruerint. Nec tamen illi quoque hic penitus extra culpam ſunt.

Nec altera etiam pars ſententiæ de ſignificatione vocis חמד admittenda videtur.

Quo enim fundamento Maimonides, Aben-Ezra, aliique iis antiquiores tradunt, ſub notione חמד *Concupiſcendi* intelligendam *Concupiſcentiam cum effectu?* Si enim *Concupiſcentia cum effectu* hic intelligatur: quid differet hoc interdictum ab Interdictionibus *Septima* & *Octava?* Si *Concupiſcere Proximi Conjugem* hic ſit eam expetere eo cum ſucceſſu, ut noſtra evadat vel in delicias noſtras tranſeat: quid plus habebit Interdictum *Concupiſcentiæ* quam *Adulterii?* Nec ſubeſt illa ſignificationis poteſtas voci חמד. Quare enim ea non æque notet Concupiſcentiam quæ effectu careat quam quæ effectum ſortiatur? Utique refertur ea

Exempla latioris ſignificationis vocis.

vox ad Concupiſcentiam, quæ & quatenus in mente eſt in Diverbiis Salomonis, ubi de cavenda adultera diſcipulum ſuum moniturus ait [c]: אל תחמוד יפין בלבבך *Ne* CONCUPISCAS *formam ejus in corde tuo.* Neſcio itaque, quare Grotius, etiamſi probe teneat, ſola Concupiſcentia, quæ in animo eſt, delinqui, ſcripſerit [d], videri hic *præter propoſitum actus quoque notari, per quos indirecte uxor aut res aliena appetitur: puta, jurgia ſerendo, unde ſequitur divortium, lites intendendo, aut quæ alia ſunt obtecta iniquitatis.* quæ ſane Grotii ſententia proxime mihi videtur accedere

Iſaaci Ben Aramæ ſententia.

ad eam Iſaaci Ben Aramæ, cujus hæc ſunt [e]: ויהיה ענין הדבור הזה לאסור ההשתדלות בכדר צדדים שיבא לידו בית חבירו שדהו או שורו אפילו ברבויי אם לא יהיה לתועלת הבעלים ורצונו *Senſus hujus præcepti erit, prohibere omnes conatus, quo quo inſtituantur modo, quibus domum proximi noſtri, agrum, aut jumentum ipſius in noſtram ſtudemus redigere poteſtatem, etiam ſoluto pretio, ſi id non conveniat commodis aut voluntati;*

a Matth. xv. 19. b Lev. xix. 17. Jeſ. lvi. 11. c Prov. vi. 25. d Com. in h. l. e Akedah. Jiſchack ad h. l.

tati poſſeſſoris. Sed non video, id ſubeſſe voci חמד / quæ proprie notat actum *Concupiſcendi*, qui eſt in *Mente*, ſive *Peccandi voluntatem.*

Minimum in *Decimo* Decalogi *Interdicto* prohibentur *determinatæ* peccandi *volitiones.*

X. Ad minimum igitur hoc Interdicto prohibebuntur *determinatæ Volitiones peccandi.* Sic paſſim omnes qui moderatiore hic utuntur judicio. Voluntatem enim peccandi, & *volitionem* rei *inordinatam*, animo deliberatam & decretam, in Peccatis cenſendam eſſe, Gentiles ex lumine Naturæ probe perſpexerunt. Teſtimonia eorum hac de re Grotius congeſſit luculenta[a]. Quod ut Moſes clarius Iſraëlitis demonſtraret, addidit in *Deuteronomio* voci חמד aliam notionem התאוה / qua ipſi Hebræi Doctores conſentiunt notari *Vitioſa* & *inordinata Deſideria mentis.* Sic ipſe Maimonides[b]: כל המתאוה ביתו או אשתו וכליו של חברו וכן כל כיוצא בהן משאר דברים שאיפשר לו לקנותן ממנו כיון שחשב בלבו היאך יקנה דבר זה ונפתה לבו בדבר עבר בלא תעשה שנ׳ לא תתאוה ואין תאוה אלא בלב בלבד *Qui* CONCUPISCIT *domum ejus*, (proximi ſui) *aut uxorem ejus*, *aut utenſilia ejus*, *aut quævis etiam alia bona proximi ſui*, *quæ fieri poteſt ut ab eo ad ſe transferat: poſtquam cogitavit in animo ſuo*, *quomodo hanc illam rem ſit acquiſiturus*, *animo ipſius per eam jam ſeducto*, *transgreſſus eſt præceptum negativum*, Non concupiſces. *Concupiſcentia enim* (תאוה) *nulla eſt niſi in animo.* Sic pariter in Legibus Juris Hebræorum Rabbi Levi finitur[c]: שלא להעלות גם כן בכחשבותינו תחבולה לקחת לנו מה שהוא וולתינו מאחינו *Ne cogitationibus quidem locum dandum ſtudio accipiendi*, *quod alterius eſt ex fratribus noſtris.* Bene quidem. Sed rectius longe Abarbanel, qui ipſum etiam Concupiſcendi Actum, ut eſt in mente, non tantum voce התאוה / ſed & voce חמד deſignari docet, in cujus partes nos omnino tranſimus.

Ad quas præcipue referenda vox התאוה.

Quæritur, num etiam *volitiones imperfectæ* & *mediæ?*

XI. Sed an hic etiam ſubſiſtendum eſt? An plus etiam hoc Interdicto non prohibet Dominus? Sunt utique præter *Volitiones* Concupiſcentiæ *perfectas*, etiam *imperfectæ*, quas modo deſcribebamus. An illæ etiam cenſendæ ſint in peccatis, & hoc Interdicto à Deo vetentur, ad rem noſtram facit ut collatis rationibus diſputemus. Quod ut recte atque ordine fiat; obſervandum eſt, omnem operationem mentis humanæ circa *peccatum*, quod vere conſtat peccatum eſſe, vel eſſe Intellectus, vel Vo-

a In h. l. b L. c. c Ad Leg. Jur. Heb. XXXVIII.

Quæ quales ſint, fuſius enarratur.

Voluntatis. Intellectus, ſic formatus, ut omnium rerum notiones recipere & contemplari poſſit, capax quoque eſt notionis *peccati*. Poteſt de Peccato, ac graviſſimis quoque & vel maxime horrendis peccatis cogitare, eaque ſibi per ideam repræſentare, & naturæ, attributis, atque effectis eorum contemplandis inhærere. quod quando agit, ſi aliud non agat mens, & ſe per Voluntatem peccato non uniat, non peccat ſane. Deus enim, Angeli, & Sancti quoque cogitant & cogitare debent de Peccato, quatenus illius ideam habent, abſque qua utique peccatum prohibere, damnare, & odiſſe non poſſent. Quare etiamſi in tentatione Sanctis peccatum per ideam objiciatur, idque ipſis per rationes ſuadeatur aut commendetur, ut Diabolus apud ipſum Chriſtum Dominum agere inſtituit: hactenus nihil in ipſis eſt vitii, ſi Peccatum tantum hæreat in intellectu, & voluntas ſe ei non uniat, idque qualicunque ratione probet laudetque.

Homo non peccat, niſi ubi peccatum ab Intellectu tranſit ad voluntatem.

Vitium igitur damnabilis affectus mentis circa peccatum, eſt in Voluntate. cujus hic variæ concipi poſſunt operationes. Primo in mente naſci poteſt volitio prorſus imperfecta, qua ad peccatum cum levi aliqua animi propenſione remiſſius fertur. Obverſatur forte animo hic vel ille actus, qui abſque peccato patrari non poſſet; ut exempli cauſſa, illiciti uſus rei alienæ, vetitæ libidinis, ſumendæ ab hoc vel illo vindictæ, & quæ hujus generis alia. Videt alterius Conjugem, Miniſteria, fundum, honores, opes, eaque cum præſenti ſua conditione comparans, non modo judicat beatiorem ſe fore, ſi his bonis ipſi datum eſſet licite & honeſte frui; (id enim hactenus in peccatis putandum non eſt:) ſed ſimul aliquo affectus ſuæ conditionis tædio, ad hæc bona paulo immoderatius ſe ſentit ferri & propendere.

Ubi primo occurrunt volitiones imperfectæ, duplicis ſpeciei, quæ deſcribuntur.

Verum intercedit mox ratio aut gratia Spiritus Sancti, quę hanc Concupiſcentiam in ortu ſuo ſuffocet & extinguat, & pravam hanc animi affectionem damnet, ſubigat, vincat, atque expellat: ut adeo Voluntas objecto illiciti uſus & appetitus diu non inhæreat, ſed id poſt leviſſimum ejus motum mox per rationem repudiet. quę quidem prima eſt *Volitionis imperfectæ* ſpecies. Sed datur quoque præter hanc alia. Nimirum fieri poteſt, & ſæpiſſime fit, ut, ſi forte animo obverſetur ſpecies Peccati, ad quod prava indoles hominis maxime propenderet, mens, etiamſi

tiam ſi peccatum illud determinate nolit, tamen cum delectatione immoretur illi peccato contemplando, & cum voluptate ac titillatione carnali de eo cogitet, quod tamen tandem per rationem tanquam minime conveniens ſtatui ſuo repudiat. quæ itaque mentis operatio circa peccatum magis prodit, quid *vellet* homo, ſi liceret, quam quid *velit*, dum non licet. Quibus tandem operationibus *Volitionis imperfectæ* ſuccenturiantur actus *Volitionis perfectæ* & *determinatæ*, de quibus in ſuperioribus egimus: tam nempe Actus ille Voluntatis *elicitus*, quo pleno cum conſenſu Voluntatis determinate ad peccatum fertur, quam Actus *imperati*, quibus quis rem cupitam in poteſtatem & uſum ſuum transferre conatur. De poſterioribus his *Actibus* Voluntatis Concupiſcentis vidimus. de prioribus duobus, quibus *Volitionem imperfectam* circumſcripſimus, hic cum maxime quæritur.

XII. Mea vero ſententia eſt, illos quoque hic damnari & prohiberi. contra quam Grotius, & nuper quoque Cl. Clericus[a], ſentiunt. Certe enim non videtur negari poſſe, eſſe peccata, cum vere ſint inordinati actus mentis. inordinati, inquam, quia cum ratione pugnant. Ratio autem cum ſit inſtar Legis, ad quam Creatura intelligens omnes ſuos actus componere debet: non video, qua ſpecie Peccatorum numero excludi poſſint Actus, qui ad hanc Legem ſummam non ſunt conformati. Ad quod accedit, quod hi Actus Volitionum imperfectarum clare demonſtrent pravam *affectionem* animi, atque adeo ſint conſiderandi tanquam *effectus* cujuſdam *habitualis affectus vitioſi*, qui ſit in Voluntate. Debent igitur non tantum in ſe videri, ſed & in *ſua cauſſa*. abſque qua eſſet, non exiſterent in mente. Sancta enim mens, ut non *vult* peccatum, ſic non *vellet* etiam peccatum; neque ad peccandum propendet, multo minus de peccato perpetrando, ſi impune liceret, cum *oblectatione* cogitat. Ex prava itaque voluptatis affectione eſt non tantum quod homo peccare *velit*, ſed etiam, ſi liceret, *vellet*. quæ *prava Voluntatis affectio* cum ſit abominabilis coram Deo: non poſſunt quoque non hi illius fructus & effectus, qui deprehenduntur in *Volitionibus* imperfectis, tam in ſe quam reſpectu cauſſæ ſuæ, in peccatis & vitiis cenſeri coram Deo. Si vero hæ *Voli*-

Tenetur & defenditur ſententia, Volitiones quoque imperfectas Lege Decalogi vetari.

Sunt illæ ſpectandæ in habitibus ſuis.

 litio-

a Com. in h. l.

litiones Concupiſcendi imperfectæ omnino pro Peccatis habendæ ſint: quare dicemus, Deum, abſolutiſſimæ ſanctitatis & puritatis auctorem & ſuaſorem, eas hoc Interdicto non prohibuiſſe, quo abſolute *Concupiſcentiam* damnat & proſcribit? Vox *Concupiſcendi* hanc admittere poteſt interpretationem, quæ generalis eſt notionis: & Deo certe digniſſimum erat, vitia hominum in primis ſuis ſeminibus perſequi & exſcindere.

Locus Matth. v. 28. ex hac hypotheſi expoſitus.

XIII. Quid igitur ſubſit huic Interdicto docuit Dominus Judæos, qui verum illius ſenſum interverterant. *Qui aſpicit mulierem*, ait [a], *ut eam* CONCUPISCAT: *jam commiſit cum ea adulterium in corde ſuo.* Damnat Dominus hic non modo volitionem determinatam, ſed imperfectam quoque, quę cum oblectatione in animo fovetur. Nec dubito adeo quin verba Pauli eundem hunc in modum ſint accipienda ad Romanos [b], ubi aſſerit, ſe CONCUPISCENTIAM *neſciviſſe*, *niſi Lex dixiſſet:* NON CONCUPISCES. Quid? An hoc neſcivit *Paulus*, quod aliena rapere, vel appetitum etiam aliena ad ſe rapiendi & in uſus ſuos transferendi determinatum habere, ſit peccare? Ego equidem id vix crediderim. Cujuſque enim mortalis conſcientia quemque id clariſſime docet. *Cur ignoraſſet Paulus*, merito Jacobus Cappellus hic quærit [c], *quod etiam ethnici ſciebant*, *nempe*, *determinatam facinoris alicujus perpetrandi voluntatem eſſe peccatum*, *puta determinatam voluntatem vitiandi virginem aut conjugem alicujus? Hæc tamen voluntas cupiditas vulgo dicitur. Ignoraſſet avaritiam, quæ cupiditas quoque dicitur, eſſe peccatum?* Hic igitur ſit ſenſus orationis Pauli, ſe non tam clare, exerte, & diſtincte ad peccata, quæ *Concupiſcentia* committuntur, eorumque vim & effecta ſingula attendiſſe, quam poſtquam vidit Deum ſingulari & clara Lege *Concupiſcentiam* prohibuiſſe; (ſic memini legere apud Cl. Coccejum:) vel, eſſe aliquam *Concupiſcentiæ* ſpeciem, quæ *Lege* prohibeatur, ad quam tamen ante accuratiorem Legis conſiderationem non adverterit animum ſuum. Sic vellet Jacobus Cappellus, cujus orationis, ubi ſuperius finita eſt, hoc eſt conſequens. *Quanam igitur Apoſtoli mens eſt? Nempe eſſe cupiditatis ſpeciem aliquam, quam ignoraſſet eſſe peccatum, niſi legem animadvertiſſet ſimpliciter dicentem, Non concupiſces. Quanam autem eſt*

Et ad Rom. VII. 7.

Senſus hujus loci.

Jocobi Cappelli laudata ſententia.

illa

a Matth. Cap. v. 28. b Cap. VII. 7. c In h. l.

illa ſpecies? Indeterminata videlicet cupiditas voluntaſve faciendi quidpiam à Lege prohibitum. Motus iſtos primos, transvolantes appetitus, ut ut vitioſos, tamen quia non ſuut in noſtra poteſtate, multi ſibi perſuaſerunt ne peccata quidem eſſe, & quidem in ſpecie probabiliter, adeoque neque Paulus, neque quiſquam noſtrum agnoviſſet etiam hæc eſſe peccata, niſi penitius introſpexiſſet mentem legis, videlicet determinatam ſcortandi cupiditatem eſſe jam coram Deo ſcortationis ſpeciem, eoque comprehenſam ſub iis, quæ damnantur in ſeptimo Decalogi præcepto: primos vero motus, voluntatem noſtram hoc cupiditatis genere titillantes, eſſe, ſi non ſpeciem ſcortationis, certe gradum ad ſcortationem, & hoc ipſo nomine jam vitioſos, jam in peccati cauſſa habendos, & has eſſe proprie cupiditatis ſpecies, quæ non in primis novem mandatis, ſed in decimo condemnantur. Perinde nobis eſt, utra harum interpretationum eligatur. Sive hoc dicat Paulus, *ſe vim & effecta concupiſcentiæ accurate non cognoviſſe*, antequam animum diligentius applicaſſet ad conſiderandum Præceptum Decimum quod concupiſcentiam prohibet; ſive potius dicat, fuiſſe aliquam ſpeciem concupiſcentiæ ſibi incognitam, ante legem bene expenſam, res pene eodem recidet: modo mihi concedatur, Paulum hic aliquanto plus per *Concupiſcentiam* intelligere quam determinatam peccandi *Volitionem*, & ipſas quoque hic deſignare propenſiones vitiatæ Voluntatis cum reſpectu ad cauſſam ſuam, pravam Voluntatis affectionem.

XIV. Et ſunt vere inter Hebræos Doctores aliqui, qui huc propenderunt, quorum ſententiæ hac de re collectæ ſunt à Ligtfooto[a], & maxime Hottingero[b]; inter quas etiam hæc ſunt. אסור להסתכל אפילו בשערה של אשה האסורה לו ואפילו לשמוע קולה לכונה שיהנה בה אסור ואפילו להסתכל בבגדי צבע של אשה כלומר בגדים נאים שדרכן לעשותן מבגדים צבועים אסור להסתכל בהן כל זמן שמכיר האשה הלובשה אותן לפי שמתוך ראיית המלבוש יבא להרהר בה והרחיקו גם כן שלא לשאול בשלום אשה איש כלל ואפילו ע״י בעלה *Non licet vel pilum aſpicere mulieris prohibitæ aut vocem ejus audire ea intentione, ut quis jucunditatem inde capiat. Nec licet aſpicere veſtes Phrygionicas mulieris, id eſt, vetitum eſt, veſtes formoſas, quales variegatæ & coloratæ illæ eſſe ſolent, aſpicere, quando quis novit uxorem,* Judæorum quorundam Doctorum conſenſus, eorumque verba.

a Hor. Heb. ad Matth. v. 28. b Ad R. Lev. Barzelon. Jur. Heb. Leg. CLXX. XVIII. p. 279.

veſtibus ejuſmodi ſe induentem. Quoniam aſpectus veſtimenti cogitationem ei de illa excitat. Nolunt etiam, nos ulla ratione uxori alterius dicere ſalutem, ne quidem per maritum ejus. quæ fere ſimilia ſunt illis Chriſti apud *Matthæum* [a], modo recenſitis. etſi interea temporis hic duo obſervanda ſint, 1. Judæos poſterioris ævi de Puritate mentis fortius loquutos eſſe quam Sapientes antiquiorum temporum, tanquam qui ejuſmodi admonitionibus ob ſummam ſuam ſanctitatem opus non haberent [b]. *Illi nempe fuerant* מלאכים שלא היה עסקם אפילו שעה קלה כי אם בתורה ובמצות והיתה מפורסמה כונתם לכל העולם כשמש ולא היו מרגישים בשום דבר מרע דבקותם בתורה ובמצות *inſtar angelorum, qui ne horam quidem aliis conſecrarunt ſtudiis, quam Legi & præceptis; fuitque intentio eorum manifeſtata toti orbi, inſtar ſolis meridiani. Neque etiam ulla in re quicquam mali ſenſerunt præ aſſiduo ſtudio, quo Legi & Præceptis adhæſerunt.* 2. Judæos Doctores, etiamſi ſtatuerint, Deum quoque in Lege ſua præcepiſſe *puritatem animi*, id paſſim putare non eſſe factum Præcepto Decalogi *Decimo*, ut noſtra eſt ſententia, ſed *primo*. Sic Aben-Ezra ad verba לא יהיה *Non erit Tibi Deus alius &c.* והנה זאת המצוה שהיא לא יהיה לך היא בלב גם בפה כי אין בתורה מצות לא תעשה בלב כי אם זו אם אדם אומר לפני עדים כי הוא הולך לרצוח או לנאף לא יהרג בעבור דבורו אם לא עשה מעשה והאומר נלכה ונעבדה אלהים אחרים צוה הכתוב כי הרג תהרגנו וכו' *Cæterum Præceptum, quod his comprehenditur verbis:* Non erit Tibi Deus alius: *animi eſt & oris. Nullum enim in Lege præceptum negativum eſt, quod ad animum pertinet, præter hoc. Si quis præſentibus teſtibus dicat, abire ſe ad committendum homicidium aut adulterium, non interficietur propter hoc dictum ſuum, ſi opus non perficiat; at vero, qui dicit, eamus cultum Deos alienos, Divina Lex jubet, illum eſſe puniendum morte.* Locus, ad quem Aben-Ezra reſpicit, exſtat Deut. XIII. 6. Aben-Ezra putat *Primum præceptum* Decalogi eſſe: *Ego ſum Jehova Deus tuus &c.* eoque (אמונת הלב) *fidem mentis* præcipi de *Dei exiſtentia*, ejuſque *unitate*. Illi Præcepto ſubordinat *ſecundum*, quo *idololatria*, ſive MENTE & ORE, his verbis: *Non erunt Tibi Dii alieni:* ſive OPERE, verbis; *Non facies Tibi imagines ſculptas:* prohibeatur. qua de re nunc uberius diſputare non placet. Sufficiat genuinum ſenſum Legis Divinæ in lucem protraxiſſe.

Judæi poſteriores de puritate mentis fortius loquuti ſunt quam priores.

Nec tamen eam putarunt præceptam eſſe Lege Decalogica.

XV. De

a Cap. v. 28. b Vide Hott. l. c.

Additur admonitio de *Habitu Concupiſcentiæ*, quatenus prohibeatur Lege Decalogica.

XV. De *Habitu Concupiſcentiæ* verbum addendum eſt. Negavimus in ſuperioribus, *Habitum Concupiſcentiæ* hic directe prohiberi, & etiamnum in hac ſententia perſiſtimus. Leges enim verſantur circa Actus. *Indirecte* tamen prohibetur quoque hoc Interdicto *Concupiſcentia Habitualis*, quatenus Actus Concupiſcentiæ vel producunt *Habitum Concupiſcentiæ*, ut *effectum*, vel eum ſupponunt tanquam *Cauſſam*. unde prava illa & vitioſa Voluntatis affectio, qua à Deo declinat ad creaturas, *Concupiſcentia* dicitur. ut ſuo loco à nobis notatum & demonſtratum eſt. Dum itaque effectus hic prohibetur, ſimul damnatur cauſſa, quæ omnium peccatorum unica fere eſt *Affectio Voluntatis Deum non amantis & ab eo declinantis ad carnalia.* Immo vero dum Deus actualem prohibet Concupiſcentiam, prohibet ſimul omnes qualescunque Actus, quibus Habitualis Concupiſcentia in nobis foveri poſſit: & ſimul imperat homini, ut habitum Concupiſcentiæ pro omnibus viribus ſuis exuat, & omnia hanc in rem neceſſaria adhibeat media. contra animum ſuum induat habitibus excellentium virtutum, quibus Deo in Chriſto poſſit placere. Id qui diligenter præſtat, dici poteſt Interdicti *Concupiſcentiæ* habere, qualem debeat, rationem. Solere autem ipſos quoque Scriptores Judæos *Concupiſcentiam habitualem* hoc nomine *Concupiſcentiæ* ſignare, mox demonſtrabitur.

C A-

Caput VIII.

Περιφράσεις Concupiscentiæ Pravæ, *quæ in Scriptis Apoſtolorum occurrunt*, *repetuntur*, *atque ex iis proponitur* dubium, *an omnis* Concupiſcentia, *ſive* prava voluntas *peccatoris*, *ſecundum* mentem *Sacrorum Scriptorum ſit arceſſenda ex* Corpore? *Probatur autem idoneis argumentis*, *hanc eſſe genuinam* Veterum *æque ac* Recentiorum Judæorum *ſententiam*; *ſimul etiam* (*quod* dubii *ſolvendi* difficultatem *auget*:) *illos de* vitioſitate humanæ indolis *differentes* iiſdem phraſibus *uti ſolere*, *quibus* Apoſtoli, & Paulus *præſertim* Apoſtolus, *in* Epiſtolis *ſuis*.

Periphraſes *Concupiſcentiæ vitioſæ* exponi incipiunt.

EO uſque nos demiſimus in altum, ut ſalvo honore non liceat retrogradi. Poſtquam itaque ipſum nomen Concupiscentiæ è primis ſuis originibus deducere & explicare conati ſimus: non erit alienum ab inſtituto noſtro, ut animum porro advertamus ad περιφράσεις & cæteras *denominationes* hujus *Concupiſcentiæ Pravæ*, eaſque, ut res noſtra feret, explanare atque illuſtrare.

Primo inveſtigatur ratio nominis *Concupiſcentiæ carnis*, vel *corporis*.

II. Concupiſcentia Vitioſa paſſim in Sacris vocatur ἐπιθυμία σαρκὸς *Concupiſcentia* carnis; ἐπιθυμία σαρκικὴ *Concupiſcentia* carnalis, vel τȣ͂ σώματος corporis. ut ſuperius obſervavimus. quę dictiones forte alicui occaſionem dare poſſent cogitandi, *Concupiſcentiam* animi vitioſam ex *corpore* ortam & in eo ſedem ſuam fixiſſe. Extant autem & alia in Scripturis Divinis, quæ videri poſſent facere pro hac ſententia. Scilicet ipſa *Concupiſcentia prava* appellatur σάρξ caro. ut quando Paulus eos qui libidini carnis obſequuntur, ait *ambulare* κατὰ σάρκα *ſecundum* carnem [a]. Quin hæc ipſa vitioſa affectio, ſive ἐπιθυμία *Concupiſcentia*, aliquando dicitur ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος vetus homo [b], & ὁ ἔξω ἄνθρωπος exterior homo [c]. quæ phraſes haud dubie præcipue reſpi-

a Rom. VIII. 1. b Rom. VI. 6. Epheſ. IV. 22. c 2 Cor. XV. 16.

reſpiciunt *corpus*, quæ pars externa eſt hominis in oculos incurrens. *Corpus* ejus naturæ eſt, ut *aboleatur*, hoc eſt, diſſolvatur. Id vero, quod diſſolvitur & *aboletur*, (τὸ καταργούμενον:) in Scriptura *Vetus* dicitur. *Corpus* facit partem hominis exteriorem, ac proinde *corpus* recte omnino dicitur ὁ ἔξω ἄνθρωπος *exterior homo*. Sed & *totus homo*, peccatis deditus, in Verbis Dei vocatur σάρξ *caro*, tam *Veteris* quam *Novi* Teſtamenti ſtylo[a]. Operæ igitur pretium eſt videre, quid his phraſibus ſubſit.

III. Judæi docuerunt jam à longo tempore, *omnem mentis pravitatem eſſe à corpore: Corporis* vero hanc *diſpoſitionem* exiſtimant, non eveniſſe *per peccatum*, ſed ei eſſe *naturalem*. Hanc Judæorum genuinam ſententiam eſſe, ante me monuerunt alii. Cl. Coccejus, alibi diſputans contra ſententiam Pontificiorum[b], qui pariter *concupiſcentiam* corpori humano *naturalem* faciunt, ſic inter alia: *Hic error à Judæis provenit, qui ſtatuunt, fieri non potuiſſe, ut ex materia crearetur aliquid, quod non concupiſcat & non habeat* יצר רע *appetitum noxium. Vide Manaſſen Ben Iſraël de fragilitate humana[c]: ubi ex R. Iſaac Arama profert titulum diſcurſus Philoſophici*; REFUTAT OPINIONEM EJUS, QUI PUTAT, ATTRIBUI POSSE POTENTIÆ DIVINÆ CREARE HOMINEM, QUI PRORSUS NON PECCAT. Sic pariter Chriſtophorus Helvicus, Vir Doctus, in Diſſertatione de *Proteuangelio*, qua hoc argumentum tractat: *Judæorum vulgus opinatur, figmentum malum ex materiæ conditione homini ineſſe à prima nativitate.* Confirmemus hanc ſententiam iis argumentis, quę nobis ſuppetunt.

Judæorum ſententia, ſedem omnis vitioſitatis eſſe in corpore.

IV. Maimonidis ſententia hac de re extat in *More Nevochim*[d]. Docuerat, omnem *corruptionem* homini accidere à *materia*, non à *forma*, per quam intelligit *animam rationalem*. Pergit tandem: וכל פשעי האדם וחטאיו אכנם הם נמשכים אחרי החמר שלו לא כפני צורתו וכל מעלותיו כלם אינם נמשכות רק אחר צורתו והמשל בו שהשגת האדם את בוראו וציירו כל מושכל והנהיגו תאוותיו וכעסו והסתכלו במה שצריך לבחור בו ובמה שצריך לרחקו כל זה נמשך אחר צורתו אבל מאכליו ומשתיו ומשגליו ורוב תאוותיו בהן וכן כעסו וכל מדה רעה שתמצא לו הכל נמשך אחר החמר שלו *Sic peccata & vitia hominum quoque non ex* FORMA *ſed* MATERIA *oriuntur; virtutes autem tantum ex forma. E.G. Quod*

Maimonidis doctrina hac de re.

Iiii *homo*

a Gen. VI. 3. Joh. III. 6. Jeſ. LXV. 25. b Sum. Theol. Cap. XXIV. §. XXI. c P. 61. d Part. III. Cap. VIII.

homo apprehendit Creatorem ſuum, quod intelligibilia omnia intelligit, quod affectus ſuos regit, quod novit, quid ſibi ſit eligendum, quid rejiciendum; iſtud omne habet beneficio formæ: quod vero edit, bibit, venerem exercet, iraſcitur, aliiſque affectibus & vitiis deditus eſt & indulget, id MATERIÆ ILLIUS *imputandum.* Clara heic eſt Maimonidis ſententia, non minus *peccata*, quam *morbos*, *dolores*, cæteraque hominis incommoda, ex corpore, ſive ex *materia*, originem ſuam habere. Sic deinceps *Capite ſequente*, ubi de *ineptitudine materiæ* ad apprehenſionem rerum ſpiritualium diſſerit. Sic incipit: חמר מחצה גדולה ומסך מונע השגת השכל הנפרד כפי מה שהוא עליו וכו' MATERIA *eſt veluti materia magna & velum impediens veram apprehenſionem intelligentiæ abſtractæ &c.* Quam ob cauſſam in ſequentibus eam vocat החמר החשך MATERIAM TENEBRICOSAM. Imo eadem hæc jam fuit Veterum Eſſenorum opinatio, ut liquet ex Joſepho [a]: Καὶ γὰρ ἔρρωται παρ' αὐτοῖς ἥδε ἡ δόξα, φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα καὶ τὴν ὕλην οὐ μόνιμον αὐτοῖς· τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τοῦ λεπτοτάτου φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς τοῖς σώμασιν ἴυγγι τινὶ φυσικῇ κατασπωμένας· ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷον δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας, τότε χαίρειν μετεώρους φέρεσθαι· *Opinio quippe apud ipſos firmata conſiſtit, corruptibilia quidem eſſe corpora, materiamque eorum non eſſe perpetuam: animas autem immortales ſemper manere, & de æthere ſubtiliſſimo commeantes, quaſi* CARCERIBUS, *ita* CORPORIBUS *implicari, velut quas illecebra naturalis attraxerit. Cum vero fuerint à carnalibus relevata vinculis, quaſi de* SERVITUTE *longiſſima liberatas, ita illico lætari eas ſublimeſque ferri.* Patet utique evidenter ex his verbis Joſephi, *Eſſenos* crediſſe, *animabus nihil adeſſe vitii*, ſed omne vitium & malum animæ, quę præſtantiſſima pars hominis eſt, derivandum eſſe à *corpore.*

Ex ipſo illuſtratur.

Joſephi verba quæ eandem firmant hypotheſin.

Materiam, unde peccatum, paſſim vocant *Figmentum malum.*

V. Hanc vero *materiam*, (חמר) quę menti adeſt, pro *cujus diſpoſitione prava mentem* conceperunt male diſpoſitam, Veteres Judæi appellare ſoliti ſunt יצר רע FIGMENTUM MALUM. Notiſſimum eſt, hanc phraſin reperiri Gen. VI. 5. eaque exprimi *naturæ humanæ vitioſitatem*, contractam per peccatum primi hominis, & ſe continuo exerentem vitioſis Concupiſcentiæ actibus. Solent autem Docti inter Hebræos, qui hominis vitioſitatem fere

ad

a Bel. Jud. Lib. II. Cap. VII.

ad corpus, non vero adeo *ad mentem* reſtrinxerunt, per hoc יצר רע *figmentum malum* intelligere *corpus humanum*, ita diſpoſitum, ut mentem tentet, irritet, & ſeducat ad quævis peccata. Infinita ſunt, quę Hebræi Doctores de hoc יצר רע præcipiunt, maxime in Scriptis Kabbaliſticis. *Figmentum malum* ſpectant ut fontem atque originem omnis *peccati actualis*, haud pene aliter ac nos de Vitioſitate humanæ indolis originali diſſerere ſolemus. Sic Maimonides in *More* [a] expliciturus myſteria libri Jobi, notat, voces: *Satan*, *Angelus mortis*, *& Figmentum malum*: tantundem ex ſententia illuſtriorum Doctorum Gentis ſuæ valere. Adducamus ſententiam Maimonidis, etſi eadem ubique reperiuntur: וכבר ידעת פרסום זה הדעת בתורתנו יצר טוב ורע ואומרם בשני יצריך וכבר אמרו שיצר הרע יתחדש בבן אדם בעת לידתו לפתח חטאת רובץ וכמו שאמר' התור' מנעוריו ושיצר טוב אמנם ימצא לו אחר שלמות שכלו ולזה אמרו יצר רע מלך גדול ונקרא יצר טוב ילד מסכן וחכם ומשל הנשוא לגוף בן אדם והתחלף כחותיו באמרו עיר קטנה אנשים בה מעט וגומר כל אלו הדברים נמצאים כתובים להם ז"ל מפורסמים ואחר שבארו לך שיצר רע הוא השטן הוא מלאך בלא ספק רוצים לומר שהוא גם כן נקרא מלאך מפני שהוא בתוך בני האלהים ויהיה גם כן יצר טוב מלאך באמת אם כן זה הענין מפורסם בדברי חכמי ז"ל שכל אדם נלוו אליו שני מלאכים אחד מימינו ואחד משמאלו הם יצר טוב ויצר רע *Noſti enim, tritam eſſe in lege noſtra ſententivm de* FIGMENTO BONO *&* FIGMENTO MALO, *& quod Sapientes noſtri dicant: Utroque figmento tuo. De* FIGMENTO MALO *dicunt, quod oriatur in homine tempore nativitatis ejus ex eo, quod dicitur: Ad Januam peccatum cubat* [b], *& quod Lex alibi ait: A pueritia ejus* [c]. *De* FIGMENTO BONO *ajunt, quod exiſtere incipiat in homine demum poſt perfectionem intellectus ejus. Ideo dicunt, vocari* Figmentum malum *Regem Magnum* [d]; Figmentum *autem* bonum *puerum pauperem & ſapientem. Sicuti alibi comparatione ſimili utuntur de corpore hominis ejuſque diverſis facultatibus, quando ajunt* [e]; Civitas parva & homines in ea pauci &c. *Hæc omnia paſſim & aperte in eorum ſcriptis inveniuntur. Poſteaquam igitur tibi expoſuerunt, quod* Figmentum malum *ſit* Satan *&* Angelus, *hoc eſt, quod etiam vocetur Angelus, quia eſt in medio Filiorum Dei, ſequitur, quod* Figmentum bonum *quoque in rei veritate ſit Angelus,*

Quid Schola Rabbinica hoc nomine deſignet?

Maimonidis verba ruſus adducta.

a Part. III. Cap. XXII. b Gen. IV. 7. c Gen. VIII. 21. d Eccleſ. IV. 13. e Eccleſ. IX. 14.

gelus, *ac proinde*, *quod dictum illud in ipſorum ſcriptis*, *Cuilibet homini duos adjunctos eſſe Angelos*, *unum à Dextra*, *alterum à Sini-*
Ejus ſententia expoſita. *ſtra*, de Figmento bono *&* malo *ſit intelligendum.* Inculcat heic loci Maimonides, frequentiſſimam eſſe mentionem in Scriptis Sapientum Gentis ſuæ *de Figmento bono* & *malo*. Per *Figmentum bonum* intellige ex ipſorum ſententia *mentem*, ſive potius mentis conſcientiam, hominem deterrentem à peccato & vitiis. Per *Figmentum malum*, ut nunc dixi, corpus ita diſpoſitum & affectum, ut hominem tentet & ſeducat ad peccandum. *Prius* ajunt homini accedere, quando *tredecim* natus eſt *annos*, hoc eſt, quando homo ſapere, & bonam mentem exercere incipit. *Figmentum malum* à nativitate homini cuique adeſſe ſtatuunt, quippe corporis ea diſpoſitio, qua homo ad peccandum ſeducitur, homini adeſt à natalibus, illi connata & veluti naturalis. Unde rurſus evidenter apparet, Hebræos Doctores *omnem pravam affectionem mentis*, ejuſque *cupiditatem*, aſſignare *corpori*, ut cauſſæ, & fomiti malorum. Nec obſtat, quod *Figmentum*
Quo ſenſu Concupiſcentia ab eo dicatur *Satanas*? *malum* allegorice vocent *Satanem* & *Angelum mortis*. Cum enim *Satan* & *Angelus mortis* ſint ex Maimonidis ſententia, qui *declinare* (ille enim τὸ שטן deducit à שטה *declinare*, neque tamen recte:) faciunt hominem à *bono* ad *malum*, à *vita* ad *mortem*: merito ſic appellatur *corpus* & *caro adjacens*, quippe per quam homo tentatur & ſeducitur ad peccata. quod proprie *Satanis* eſt. De eo vero, quod *Concupiſcentia mala*, ſive hoc יצר / *Satanas* dicatur, conferre poteris Doctiſſimum Auctorem *Libri Coſri*[a].

An Judæorum ſententia de Vitioſitate indolis eadem ſit quæ Chriſtianorum. VI. Et ſolent vere Hebræi Doctores de Vitioſitate humanæ indolis, tanquam quę ſedem ſuam habeat in *carne* ſive *corpore*, tam preſſe & emphatice loqui, ut Viri egregie docti, olim quidem Raymundus Martini, & deinceps Chriſtophorus Helvicus, exiſtimaverint, eorum *de Vitioſitate humanæ naturæ* ſententiam plane cum ſententia Chriſtianorum convenire. Raymundi quidem diſſertatio eſt de hoc argumento copioſa, & elegantiſſimis teſtimoniis de יצר הרע *Figmento malo* referta, in *Pugione Fidei*[b]. Chriſtophori vero Helvici in *Explicatione Protevangelii* ad Gen. III. 15. quę inſerta eſt *Bibliis Criticis*. Quod ad Raymundum attinet: præterquam quod lucuienta ex Talmudiſtis & Midraſchoth

loca

a Part. III. §. XIII. b Part. III. Diſtinct. II. Cap. VI.

loca produxerit, quę ſeorſim accepta videri poſſent ſanam & rectam ſententiam continere: notandum eſt, non injuria illum opinionem Judæorum cum ſua vel potius cum ſententia Eccleſiæ ſui temporis comparaſſe, quia ſententia Eccleſiæ ejus temporis non longe diſtabat ab ea Judæorum de cauſſa vitioſitatis humanæ indolis, quę credebatur eſſe *Concupiſcentia* inordinata, ab ipſo Naturæ auctore in corpore primorum noſtrorum Parentum producta, ſed in iis per frænum *Juſtitiæ Originalis* coërcita. Quod vero ad Helvicum attinet, Auguſtanæ Confeſſioni addictum: is fatetur, vulgus Judæorum ſic ſentire, quod omnis *corruptio humanæ indolis* conſiſtat in *materia*; putat tamen, *Kabbaliſtas* plus dicere, ad quod probandum ex R. Bechai aliiſque Doctis Hebræorum non ſpernenda producit argumenta. Verum etiamſi non negem, multa ab ipſo in medium prolata eſſe, quę ſe magna ſpecie lectori commendent: non tamen facile mihi perſuaderi patior, eſſe hic inter Scriptores Sacros & Kabbaliſtas omnimodum conſenſum. quod tamen antequam demonſtremus, perſequamur nunc quod cœpimus, & conſenſum ſi non in re, ſaltem in phraſi, quantum licuerit oſtendamus.

Sententia Raimundi & Helvici, & ad eam ἐπίκρισις.

VII. Primo itaque obſervemus, Habitualem indolis Vitioſitatem ab ipſis quoque venire nomine CONCUPISCENTIÆ. Sic legitur in Libro, cui nomen עיר גבורים *Civitas Fortium.* הנחש אטיל ד' זהמות בחוה כו' רוחות הטומאה רוח שטות רוח זנות רוח תאוה רעה וכו' *Serpens conjecit in Evam quatuor impuritates à quatuor immundis ſpiritibus, ſcilicet Spiritu ſtoliditatis, ſcortationis,* & CONCUPISCENTIÆ MALÆ &c. An *Concupiſcentia mala* (ἡ ἐπιθυμία κακή) heic idem quod יצר רע? Locum alibi oſtendi apud Hackſpanium [a]. Sed apud Raymundum manifeſtum Aben-Ezræ dictum occurrit ad Pſ. LI. 7. *In peccato genitus ſum*, in quo vocabula יצר & תאוה alternantur. Sic incipit commentarius Aben-Ezræ: הן בעבור התאוה הנטועה בלב האדם כאלו בעון חוללתי והטעם כי בשעת הלידה היה יצר נטוע בלבי וכו' *Ecce propter* CONCUPISCENTIAM *plantatam in corde Adam, quaſi cum peccato genitus ſum. Senſus eſt, quod quo die natus ſum* FIGMENTUM MALUM *fuit plantatum in corde meo &c.* Non abſimilis eſt dictio R. Salomonis in Gloſſa in Com. ad Gen. IV. 7.

Schola Judaica Vitioſitatem habitualem quoque vocat *Concupiſcentiam.*

Iiii 3 pari-

a Exerc. de *Kabbala Judaica* §. CXXXVIII. b l. c. §. VI.

Loca varia ex eorum ſcriptis producta.

pariter à Raymundo adducta [a]. Verba Dei ad *Cainum* erant: ואליך תשוקתו *At te* DESIDERIUM *ejus*. Sic R. Salomo : של חטאת זה יה״ר תמיד משתוקק ומתאוה להכשילך *Scilicet peccati*, (concupiſcentiæ:) *quod eſt* FIGMENTUM MALUM *jugiter* CONCUPISCENS *&* *affectans*, *ut ruere faciat te*, *&c.* Hic omnino תשוקה ab ipſis capitur *pro concupiſcentia peccati*. Sic pariter Maimonides [b], ubi egregie exponit naturam *concupiſcentiæ* ejuſque *objectorum*, de quibus nos in antecedentibus, *eas concupiſcentias* vocat תאוות החמר CONCUPISCENTIAS MATERIÆ, quod prope accedit ad phraſin *Pauli*. Sed optime etiam de hoc *appetitu pravo* agit in cap. XII. quando in eo eſt, ut *malorum fontes* detegat. Hæc ibi verba reperiuntur: הצד השני הוא היות הנפש מרגלת בדברים שאינם הכרחיים וישוב לה טבע חזק התשוקה למה שאינו הכרחי לא בהשאר האיש ולא בהשאר המין וזאת התשוקה הוא ענין אין תכלית לו וכו׳ *Alter modus eſt*, *dum anima rebus non neceſſariis aſſueſcit*, *&* *naturale quaſi illi redditur deſiderium illarum rerum*, *quæ neque ad conſervationem individui neque ad conſervationem ſpeciei ſunt neceſſariæ. Et hic* APPETITUS *eſt res*, *quæ nullum finem nullumque modum novit*. Exemplum ejuſmodi appetitus deinceps proponit Maimonides: *Si enim omnia vaſa tua ſint argentea*, *numquid ſtatim cogitas*, *an non pulcriora eſſent ex auro?* Hæc eſt illa *concupiſcentia prava mentis* noſtræ, cujus indolem nos ante inveſtigavimus. Extat equidem hic vocabulum תשוקה / non חמד aut תאוה / ſed in poteſtate Interpretis R. Aben Tybon fuit (Maimonides enim *Arabice* ſcripſit hunc librum:) ejuſmodi vocabulo uti, quod ipſi commodiſſimum videbatur. Utitur tamen in eodem hoc argumento voce תאוה / & paulo poſt memorat תאוות נפש רעה *concupiſcentias animæ malæ*. Ad cujus generis, aut forte alia etiam loca, nobis hactenus non obſervata, alludens Windetus [c], alibi ſcripſit, תאוה גופנית APPETITUM CORPOREUM paſſim Rabbinis ſumi pro *vitioſo*.

Et *Satanam*, ut jam ante obſervatum.

VIII. Porro ex verbis Maimonidis, ante productis ex *More Nevochim* [d], videmus, Veteres Gentis Judææ Doctores τὸ יצר רע *Figmentum malum* vocaſſe שטן SATANAM. Notat hoc vocabulum ex Maimonidis interpretatione ejuſmodi aliquem, qui alium facit *à recto tramite declinare:* ſed, ex genuina ſua ſignifica-

a § VIII. b More Nevoch. Part. III. Cap. VIII. c De Statu Defunctor. Sect. III. p. m. 33. d §. V.

ficatione, talem, qui aliquem accuſat, *tentat*, irritatque ad malum. Comparetur vero cum eo *Jacobi* dictum [a]: Ἕκαστος δὲ πειράζεται· *Sed unuſquiſque* TENTATUR, *dum à propria* CONCUPISCENTIA *abſtrahitur & ineſcatur*. Hoc idem plane eſt quod Judæi dicere volunt per ſuum שטן. Intelleximus inſuper Maimonidem monentem, *Figmentum malum* in Scriptura vocari מלך REGEM. Sic habet *Midraſch Kohelet* [b]; additurque denominationis ratio: שהכל שומעין לו *Quia omnes* OBEDIUNT *illi*. Bechai in *Kad Hakkemach* (oportet fidere excerptis meis, neque enim liber nunc ad manus eſt:) hanc rationem dat nominis, quod המולך בארץ ומושל בכל בעלי חיים שבשפלים REGNET *in terra &* DOMINETUR *omnibus, qui ſunt in inferiore mundo*. Ait etiam, hanc eandem ob cauſſam vocari רוח המושל *Spiritum dominantem*. Quam frequenter adſcribit *Paulus carni* & *concupiſcentiæ* ejus τὸ βασιλεύειν *regnare*? Sic ad Romanos [c]: Μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι· *Ne* REGNET *igitur* PECCATUM *in mortali veſtro corpore* Quid heic *Peccatum*? ἡ ἐνοικοῦσα ἁμαρτία *inhabitans peccatum*, ſive *Concupiſcentia*. Nam & ipſos Hebræos Doctores τὸ יצר הרע *Figmentum malum* vocaſſe PECCATUM, conſtat ex loco Gen. IV. 7. modo allegato, quem *de prava concupiſcentia* interpretantur. Animadverti id jam eſſe obſervatum à Nobiliſſimo Auctore *Kabbalæ Denudatæ* in *Synopſi Libri Sohar* [d]. Sed pergit *Paulus*: εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ, *ad* OBEDIENDUM *ipſi* (peccato:) *in concupiſcentiis ejus*. Eadem elocutio, quę Judæorum. Sic in ℣ſ. 14. adhibet vocabulum κυριεύειν, quod convenit cum τῷ משל. Ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει· *Peccatum enim vobis non* DOMINABITUR. Conferas inſuper, quę de *ſervitute* membrorum, *concupiſcentiæ* & *carni* præſtita, habet ℣ſ. 19. & paſſim alias.

Jacobi dictum, cap. I. 14. ex hoc nomine illuſtratur.

Et *Regem*.

Comparatur phraſis cum Paulina Rom. VI. 12.

IX. Sequentia etiam hæc apud Bechai reperiuntur dicto loco, ſi notatis meis licet fidere. *R. Simeon Ben Lakiſch dicit:* יצרו של אדם מתגבר לכל יום עליו ומבקש להמיתו וכו׳ *Figmentum hominis invaleſcit omni die contra eum, & quærit eum* OCCIDERE. Deinde: כל מי שהוא זהיר בעבודת השם יתברך בלב שלם היה כח בידו להשמר מיצר הרע שהוא כוח המות ולא היה נמכר בידו כלל אלא כוח המות היה נמכר בידו *Qui cautus eſt in cultu Divino corde integro poterit ſibi cavere à Figmento malo, quod eſt* POTENTIA MORTIS, *neque ullo modo traditus eſt* (ven-

Alia quædam ex R. Bechai adducta de attributis Concupiſcentiæ.

a Cap. I. 14. b Cap. IV. 13. c Cap. VI. 12. d P. 117.

Phraſes Paulinæ collatæ.

(venditus:) *in manum ejus, ſed vis mortis* (ἡ δύναμις τοῦ θανάτου) *tradita eſt in manum ejus.* Compara phraſes Pauli: 1 Cor. xv. 56. Τὸ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία. Rom. VI. 23. Τὰ γὰρ ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος. Rom. V. 21. Ἐβασίλευσεν ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θανάτῳ. Rom. VIII. 6. Τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος· *Quod ſapit caro* MORS *eſt.* Ne negligc etiam ῥῆσιν, quę eſt cap. VII. 14. πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Hoccine idem cum eo, נמכר ביד יצר הרע? Cum phraſi כוח המות *potentia mortis* confer τὸ κράτος τοῦ θανάτου. Heb. II. 14. Præterea

Vocatur etiam *Fermentum.*

conſtat, *Figmentum malum* à Kabbaliſtis vocari המירא FERMENTUM MASSÆ. Sis, vide *Librum Sohar* Tit. XII. §. XXI. Quam id belle convenit cum dicto Paulino [a]: Ἐκκαθάρατε οὖν τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα· *Expurgate igitur* VETUS FERMENTUM, *ut ſitis nova* MASSA. Druſius [b] id jam obſervavit ex R. Joſeph Albo, & alibi quoque Ligtfootus [c], adducto loco eodem ex Codice

Phraſes *Tenebræ, Macula, Mors,* ex Libro Reſchith Chochma.

Berachoth. Cæterum in Libro Contracto *Reſchith Chochma* adſcribuntur homini, qui in *peccatis* vivit, *tenebræ, macula,* & *mors,* quod rurſus egregie congruit ſtylo *Pauli:* ואם לעון אחד צריך תשובה חזקה מנתר ובורית מי שכל יומיו היו בחשך כמה מנתר ובורית צריך עד שילבין נשמתו מהחשך והטנף הגדול וכו׳ *Si vero unico peccato neceſſaria eſt pœnitentia, nitro & ſmegmate fortior: quantum præ ſmegmate & nitro neceſſe habet, qui omne tempus vitæ ſuæ* IN TENEBRIS *vixit, ad animam ſuam à tenebris & fœditate illa ingenti purificandam.* Deinceps vero: וע״ז יתמרמר השב לצום לבכות ולהתפלל ולומר לנפשו נפשי איך המיתותיך בידי הבת היקרה איך עקרתיך ממקום החיים והקדושה למקום המות והטומאה איך לא חסתי עליך וראוי שיתמרמר לבכות על מה שעבר ויהיה כל ימיו אבל על שהמית את נפשו וכו׳ *Propterea vero amare ſe ipſum afficiat pœnitens, jejunando, flendo, & precando, dicendoque animæ ſuæ: Anima mea, quo modo* OCCIDI TE *per manus meas? ô filia pretioſa, quomodo avulſi te ex loco vitæ & ſanctitatis in locum* MORTIS & IMPURITATIS? *quomodo non peperci tibi? Sic oportet, ut amare defleat ſuas transgreſſiones, omneſque ſuos dies tranſigat in luctu, propterea*

Collatæ phraſes Scriptorum Sacrorum.

quod OCCIDERIT *animam ſuam.* De TENEBRIS quidem *Paulus,* ubi de *concupiſcentia* diſſerit in Epiſtola ad Epheſios [d]. De MORTE eique oppoſita VIVIFICATIONE eadem Epiſtola: nam & in hoc Libro *Reſchith Cochma* in ſequentibus verſibus habetur vocabu-

a 1 Cor. v. 7. b Præter. ad h. l. c Ad Matth. XVI. 6. d Cap. IV. 18. Cap. II. 1, 2.

cabulum החיות *vivificare.* Nota hæc verba: ישתדל לשוב ולהתפלל ולהשליך מעליו כל פשעו ולהיות זהיר וזריז בעבודת האלהים כדי להחיות את נפשו *Annitatur, ut reſipiſcat, & oret, & à ſe longe removeat omnem transgreſſionem ſuam, & ſit cautus & expeditus in cultu Dei, ut animam* VIVIFICET *ſuam.* De *fœditate* ῥυπαρίᾳ eſt Jac. I. 21. ῥύπου. I Pet. III. 21. Nec negligendum, Kabbaliſtas *materiam* comparare cum VESTE. Sic eſt in eodem Libro [a]: ובהיות האדם לומד התורה על הפנים האלו אז הב״ה משפיע לו נשמה קדושה ואז הוא כמלאך מופשט מן החמר *Si quis vero his modis diſcat legem, ei Deus benedictus infundit animam ſanctam* (quid per נשמה intelligant, ante diſputavimus:) *& tunc eſt inſtar angeli,* EXUTI MATERIA, id eſt, carne. Et deinceps eodem orationis contextu: התורה מפני רוחניותה לא תשרה באדם עד שיקנה בלבו קניינים אלו ויתרחק מטוב אהבת העה״ז ויפשט לבוש החמר עד שידמה למלאך וכו׳ *Lex propter ſpiritualitatem ſuam non habitat in homine, niſi poſtquam illos habitus ſibi acquiſiverit, & procul receſſerit ab amore hujus ſæculi,* ET FERE EXUERIT MATERIAM, *uſque quo ſimilis evaſerit angelis.* חמר hic idem eſt, quod σὰρξ *caro* & ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος *vetus homo.* Atque eo etiam facit, quod homini peccanti adſcribatur קליפה *cortex,* cui tandem totus involvitur. Sic idem Auctor [b]: שהרי בהיות החוטא נכנס מעט מעט בקליפה עד שכל שיעור קומת נשמתו מתלבשת בקליפה ואז נאמר עונותינו רבו למעלה ראש *Is enim, qui peccat, paulatim paulatimque ingreditur* CORTICEM *uſque quo univerſa anima ejus quanta eſt cortice plane circumveſtita ſit. Tunc autem de eo dicitur* [c]: *Peccata noſtra creverunt ſupra caput noſtrum.* In *Synopſi* Libri *Sohar* pariter mentio eſt CORTICIS CONCUPISCENTIÆ PRAVÆ. Atqui vero Apoſtolus meminit *exutionis veteris hominis,* ſimili omnino phraſi: Ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον [d]. Sed an ipſa phraſis *veteris hominis* ab ipſis negligitur? Certe Hebræorum Interpretes Allegorici docent, per מלך זקן REGEM SENEM, cujus mentio *Eccleſ.* IV. 13. intelligendum eſſe *pravum Figmentum.* Ratio autem, cur *Figmentum* appelletur *vetus,* hæc datur: שהוא מזווג לאדם מילדתו ועד זקנתו *quia copulatur homini à nativitate ipſius uſque ad ſenectutem ipſius.* Verba ſunt in *Midraſch Coheleth.* CARNEM (בשר) non inveni ipſos eo ſenſu uſurpare, quo familiaris eſt *Paulo,*

Notio *vivificare* de Reſipiſcentia, illi auctori uſurpata.

Kabbaliſtæ quoque *Materiam* comparant *Veſti.*

Et *Cortici.*

Conſentiunt phraſes ſacræ.

Quare Vitioſitas naturæ cognata appelletur *Figmentum.*

a Fol. 29. b Fol. 16. c Pſ. XXXVIII. 5. Tit. IV. p. 54. d Epheſ. IV. 22. Col. III. 9.

lo, niſi quod apud ipſos idem ſit חומר *materia*, quod apud Paulum σάρξ. Adverte tamen animum, an aliquid eo faciat, quod eſt in *Synopſi Libri Sohar* [a]: *Spiritus hominis originem habet è latere Spiritus Sancti; & mens ejus procedit ab arbore vitæ. Et cum Spiritus S. vires ſuas largitur, mox etiam ſatellitium earum ſuperadditur, quod ſunt oſſa & membra omnia. De latere autem adverſo nihil accedit, quam* CARO. *Et ſatellitium ejus ſunt venæ & nervi. Tandem autem ſingula res ſuas iterum ad ſe recipiunt, & de ſatellitio ſancto reſidua eſt portio una, quæ ſunt oſſa, & de latere Satanæ remanet* CARO. Tempore vero *reſurrectionis* omne hoc *Figmentum* abolendum putant, quę & noſtra fides eſt de *concupiſcentia*. Quid vero, mi Lectòr? An, ubi tanta convenientia *phraſium* eſt, non putares ibi ſummam quoque obtinere convenientiam *ſententiarum*? Neque tamen id verum eſt. Quare cum filum ſermonis noſtri eo nos duxerit, proponamus nobis in ſequentibus hæc *duo* agenda: 1. Proferamus genuinam *ſententiam Judæorum* de *Vitioſitate humanæ indolis*, cujus *effecta* nobiſcum agnoſcunt. 2. Producamus rationem, cur Apoſtoli *corruptionem naturæ* noſtræ ut plurimum expreſſerint phraſibus, deſumptis à *corpore*, cum tamen vitioſitas, etiamſi nunc à corpore foveatur, vere originem habeat à mente.

An à Kabbaliſtis quoque vocetur *caro*?

a Tit. XIII. p. 129.

Caput IX.

In tranſitu fit, ut diſſenſus doctrinæ Judaicæ de vitioſitate indolis humanæ *& ſententiæ Eccleſiæ noſtræ in quibuſdam partibus notetur; quo pertinet, quod Judæi* Concupiſcentiam carnis (יצר רע) corpori, *& quidem* omni corpori *ſtatuant adeſſe* natura, *quodque* humani arbitrii libertatem *eadem fere explicent & propugnent ratione, qua olim* Pelagius. *Refertur autem origo* opinionis Judaicæ *ad eam* Philoſophorum Veterum, *ne* Stoicis *quidem exceptis, quos & ipſos* libertatem humani arbitrii *aſſeruiſſe, licet id ipſorum ſyſtemati adverſum videatur, &* MATERIAM *ſtatuiſſe neceſſariam* MALI CAUSSAM, *obſervatur.*

EX ordine itaque, quem in præcedenti *Capite* nobis præſcripſimus, *primo* demonſtrandum eſt, Judæorum Doctores, etſi ad ſpeciem idem nobiſcum videantur ſentire de *corruptione humanæ indolis*, non parum tamen à nobis diſſentire. Diſſenſus autem his præcipue conſtat. Oſtenditur, Doctrinam Vett. Judæorum de corruptione Naturæ, non obſtante phraſium convenientia, in quibuſdam diverſam eſſe à noſtra.

II. 1. Non convenit inter noſtræ Eccleſiæ Doctores & Judæos in *cauſſa* hujus Vitioſitatis definienda. Nos enim Concupiſcentiam habitualem vitioſam, quę ſe exerit per carnem, ſpectari volumus ut conſequens & effectum peccati, *libere* à primis noſtris Parentibus commiſſi: Docti vero inter Hebræos יצר הרע *Figmentum malum* faciunt *conſequens naturæ*. Illi revera putant, *naturam humanam*, ut prodiit ex manu Creatoris, junctum ſibi habuiſſe *languorem* & *concupiſcentiam*, id eſt, principium concupiſcendi, & inclinationem ad concupiſcendum. Hoc utile erit ex locis evidentiſſimis demonſtrare. R. Moſe Haddarſchan in *Bereſchit Rabba* ad Gen. VIII. 21. ſic commentatur: ר׳ יוסי אמר עלוב סאור שמי בראא אותו מעיד עליו שהוא רע רבנין אומרים עלובה המטעה שמי שנטעה מעיד עליה שהיא רעה *R. Joſe dixit; triſte,* ſive tenebroſum, *eſt fermentum, contra quod perhibet teſti-*

α. Vitioſitatem adnatam faciunt conſequens naturæ.

Quod probatur ex locis Magiſtrorum.

teſtimonium is, qui creavit illud, quod malum ſit. Magiſtri ajunt, triſtis eſt planta, contra quam plantator perhibet teſtimonium, quod mala ſit. Jer. 11.17. Et Deus exercituum plantans te locutus eſt ſuper te malum, &c. Convenit omnino his, quod eſt in *Midraſch Tillim* ſuper Pſ. CIII.14. תני ר׳ חייא אילה לעיסא שהנחתום מעיד עליה שהיא רעה שני כי יצר לב האדם רע *Tradidit R. Chaja, væ maſſæ* vel paſtæ, *cui piſtor ipſius perhibet teſtimonium, quod ſit mala.* Aben-Ezra *Concupiſcentiam* ait [a] נטועה בלב האדם *plantatam in corde Adami.* Imo exerte in *Midraſch Koheleth*[b] *Figmenti mali creationem* probant ex loco Gen. 1.31. *Vidit Deus omne, quod fecerat, & ecce* BONUM VALDE, docentque, *τὸ valde bonum* hic reſpicere *Concupiſcentiam, quia abſque figmento malo fuiſſet, non ædificaſſet homo domum, neque duxiſſet uxorem, &c.* Hæc loca debeo Raymundo [c]. Addamus alium ex Hackſpanio. Sic ille [d]: *Alias de* DUPLICI CONCUPISCENTIA *hominis hæc extat Kabbala in* כ״ה *ad cap.* II. 7. *Geneſ.* וייצר שנים חד מלא וחד חסר וייצר יי׳ אלהים את האדם מלא שיש לו שני יצר טוב ויצר רע *Vox* וייצר *bis extat, ſemel cum Jod plene, iterum autem defective ſcripta ſine Jod. Gen.* II. 7. וייצר/ *& formavit Deus hominem, plene ſcriptum eſt, quia in eum cadit* CONCUPISCENTIA *duplex*, BONA & MALA. Recte admodum Hackſpanius: *Innuit, ut obiter hæc addam, Kabbala hæc, Deum creaſſe* יצר הרע Figmentum malum, *ut alias ipſos ſtatuere oſtendi ad Lipmannum*[e]. Obſervationes quidem has Hackſpanii ad Lipmannum nunquam nobis contigit videre, etſi à variis laudatas percepimus. Sed & hæc ſententia aperte extat in Libro *Sohar*, qui eſt de *Concupiſcentia*[f]. Sic ibi: ut in nupera verſione Excerptorum Latinorum videre eſt. *Dicto illo* Gen. 1.31. Bonum valde, *intelligitur* Concupiſcentia prava. *Et ſi quæratur, in quo conſiſtat bonitas ejus, iſtud explicatur per ſimile de meretrice quadam, quæ virum probum cum tentat, nec tamen ſuperat, præmium ejus inſigniter auget.* Concreavit igitur ſecundum ipſos Deus homini Concupiſcentiam Pravam tanquam materiam virtutis exercendæ. Sic pariter R. Naphtali Hirtz[g]: *Finito opere creationis, cum Sanctus ille*

Raymundus & Hackſpanius laudati.

a Ad Pſ. LI.7. b Ad Eccleſ. III.11. c Pug. Fidei Part. III. Diſtinct. II. Cap. VI. d Diſſert. de *Kabbala Jud.* p. 426. e P. 648. Num. 93. f Tit. XII. p. 117. g Introduct. in librum Sohar, *qui Vallis Regia* dicitur Cap. 1. Tom. II. *Kabbalæ Denudatæ* p. 153.

ille Benedictus creaviſſet bonum atque malum in mundo, juxta id, quod dicitur Jeſ. 45. 7. Qui facit lucem & creat malum; *malum occultum erat admodum; non aliter ac cum lucerna quadam intra oleum ardet, eo quod ellychnium in ipſum vaſculum immiſſum eſt; ita ut flamma non ardeat nec luceat extra, ſed in illo. Atque ſic malum non poterat generando prodire, niſi mediante peccato Adami primi &c.* Concupiſcentia itaque homini eſt adnata vel concreata, etiamſi primo debilior vires per peccatum Adami & Evæ acquiſiverit longe majores. Et hæc quidem eſt vulgata Kabbaliſtarum ſententia: à qua tamen recedit Maimonides, quando in homine, ut prodiit è manu Dei, nullum agnoſcit *habitum virtutis* aut *vitii*, quod eſt ac ſi ſtatueret, conditum illum eſſe in ſtatu *puræ naturæ*. Sic ipſe in Præfatione, Commentario in *Pirke Avoth* præmiſſa [a]. *Homo enim natura ſua à principio neque virtute neque vitio inſtructus eſt, uti Cap.* VIII. *oſtenſuri ſumus.* Id vero Cap. VIII. ſic incipit Maimonides: *Fieri non poteſt ut producatur homo ab ortu ſuo natura vel virtute vel vitio præditus; ut neque poſſibile eſt, ut producatur natura artis alicujus practicæ peritus. Hoc autem fieri poteſt, ut producatur aptus natus ſive ad virtutem aliquam ſive ad vitium, adeo ut actiones ad ea ſpectantes faciliores ipſi ſint, quam quæ ad alia.* Et mox in ſequentibus: *Non eſt exterius aliquod impellens, quod ipſum ad virtutem & vitium inflectat præter unam temperaturæ diſpoſitionem.* Nec longe his diſtant quę Manaſſe Ben-Iſraël ſcripſit in Libro de *Reſurrectione Mortuorum* [b]. Diſputat, *an infantes, qui innocentes ſunt, etiam ſint reſurrecturi*, quod quæſitum ita finit: *Quare veriſimillimum eſt, cum infantes ob innocentiam ſuam &* IMMUNITATEM AB OMNI PECCATO, *ad tam ſublimem beatitudinis gradum in mundo animarum evehantur, eos etiam participes fore reſurrectionis mortuorum in futuro ſæculo.*

Maimonidis ſententia, Adamum creatum in ſtatu puræ naturæ.

Et Manaſſis, Ben Iſraël.

III. Negari interea nequit, quoſdam Doctorum Judæorum, ubi de ſtatu *Adami* loquuntur, ut prodiit è Manu Conditoris ſui, grandia fari. Extat de primo illius ſtatu inſignis digreſſio in libro *Coſri* & ad eam doctiſſimæ annotationes Buxtorfii [c]. Adſcribit ipſi Auctor puriſſimum *corpus, in quo nihil fuit impedimenti*, quo minus anima ſuas recte obiret functiones. Aſſi-

Alii tamen inter Doctores Judæos magnifice loquuntur de ſtatu Adami.

 gnat

a Cap. IV. apud *Pocockium* p. 147. b Cap. XII. Lib. II. c Part. I. §. XCV.

Appellatur ab ipſis *Filius Dei*, ut Luc. III. 38.

gnat ipſi præterea vividiſſimam mentem, *quæ veram rerum notitiam habuit cogitatione ſola*, atque hinc repetit rationem, cur Adamus apud ipſos appelletur *Filius Dei:* וכבר נקרא אצלנו בן אלקים *Unde vocatur à nobis* FILIUS DEI. prorſus ut *Lucas* in Evangelio[a] Adamum vocat τοῦ Θεοῦ *Dei Filium.* ſic enim exponendam phraſin eſſe docet contextus. Similem ex Nachmanide[b] locum producit Buxtorfius[c]. *Mihi videtur*, ait, *Adamum & uxorem ejus vocari* בני האלהים *Filios Dei*, *quia immediate fuerunt opus manuum ejus*, *& Deum ſolum nec alium Patrem agnoverunt*, &c. Id quidem ὡς ἐν διεξόδῳ.

Buxtorfius laudatus, & ex eo excerpta.

Idem Buxtorfius ex *Sepher Haemunoth*[d] R. Schem Tob profert locum, in quo hoc modo diſſeritur de conſtitutione corporis ipſius: *Quando creatus fuit Adamus*, *non creatus fuit ſecundum formam & diſpoſitionem ordinariam* (corporum humanorum,) *ſed* בריאה רכה עד מאד וזכה קרוב לגביה רוחניית *Creatura ſubtiliſſima & puriſſima*, *proxime accedens ad* CORPUS SPIRITUALE. Locus hic vere eſt notabilis ob analogiam hujus phraſis cum Paulina ad Corinthios[e].

Auctor Coſri omnem vitioſitatem derivat ex corporis tempe-ramento.

Bene habet: ſed quod ad vitioſitatem humanæ indolis Auctor Coſri eadem eſt ſententia, qua inter Judæos Maimonides, & inter Chriſtianos qui Pelagium ſequuntur; Adami poſteros ita naſci ut nulla affecti ſint vitioſitate habituali, niſi quę ſit ex *temperamento*, ut vocant, ſive ex indole aut propenſionibus cujuſque naturalibus. Sic itaque Auctor ille omne diſcrimen, quod inter noſtra corpora atque illud Adami intercedit, oriri ait ממזג שכבת זרע *à temperamento ſeminis Paterni*, aut מדם האם *à ſanguine materno*, vel מהמזונות והתזונה *à ciborum & nutrimenti qualitate*, vel *à diæta & regimine in annis educationis & pueritiæ*, vel בשני הגדול והינקות מהתחלפות האויר והמים והארץ *à mutationibus aëris*, *maris*, *& terræ*. *Peccati* habitualis nulla mentio eſt. Unde ſequitur, eos omnem conſequentem corruptionem humanæ indolis debuiſſe adſcribere naturæ, non peccato.

Vera doctrina, huic oppoſita.

Nos contra cogitationes noſtras ſic digerimus ex verbo Dei; Primos noſtros Parentes à Deo conditos eſſe *rectos*, hoc eſt, inſtructos habituali propenſione ad Deum amandum & omnis generis colendam virtutem, eoque in ſtatu placuiſſe Deo, & quantumcunque tempus innocua animi ſimplicitate in ejus vixiſſe

a Cap. III. 38. b Ad Gen. VI. 2. c Annot. ad h. l. d Fol. LXVIII. Col. I, 2. e I Cor. XV. 44.

vixiſſe communione: ſed ſe ex hoc ſtatu libera & voluntaria tranſgreſſione dejeciſſe. admiſiſſe enim ſemen *inordinatæ concupiſcentiæ*, in animum ipſorum conjectum a Diabolo. eo turbatam eſſe pulcram illam, ſive potius ſanctam & rectam, diſpoſitionem facultatum animi & corporis, quam in iis amaverat Deus & admirati fuerant Angeli ſancti. Quid enim pulcrius mente ſana & recta in corpore ſano & nullis vitiis domito? Ex eo itaque tempore per juſtam Dei Judicis ſententiam *Concupiſcentiam* in voluntate impleviſſe locum *amoris Dei*, eamque ſibi in ſervitutem mancipaſſe corpus cum omnibus ſanguinis & animalium ſpirituum motibus, qui in corpore hominis recti nulli fuerunt niſi optime compoſiti. Hanc *Concupiſcentiam* habitualem à primis Parentibus noſtris transfuſam eſſe ad ipſorum poſteros ſecundum Leges naturæ, quas Deus in propagandis animantium ſpeciebus prudenter fixerat. inde itaque voluntatem in Adami poſteris vitioſe eſſe affectam, & cujuſlibet generis vitia profundere.

IV. 2. In eo *Magiſtri* (Maimonides ſaltem:) à nobis diſcrepant, quod *vitioſitatem*, quam naturæ humanæ ineſſe docent, non ſtatuant ex æquo adeſſe *omnibus*. Maimonides in *More* [a]: ואכנם אמרו אשת חיל מי ימצא המשל ההוא כלו הוא מבואר כי כשיזדמן לאיש חמר טוב נאות בלתי גובר עליו ולא מפסיד כרורו היא מתנה אלהית סוף דבר החמר הנאות יקל להנהיגו וכו׳ *Quod autem inquit Salomo*; Mulierem ſtrenuam quis inveniet? *perſpicua & clara eſt parabola*; *quod videlicet cum homini contingit* MATERIA BONA & CONVENIENS, *quæ ei non prævalet*, *nec diſpoſitionem ejus corrumpit*, *aut deſtruit*, *pro ſingulari dono Dei ſit agnoſcendum & habendum. Summa rei eſt: Materia bona & conveniens facile regi poteſt.* Clara eſt horum verborum ſententia. Materiam concipiunt hi Doctores unicum eſſe omnis corruptionis fontem & fomitem. Deſcribunt illam ut hoſtem, qui mentem impugnat. neque tamen *omnibus* (licet longe maximæ hominum parti:) adeſſe hanc vitioſitatem. Volunt, eam non tantum hunc impugnare magis, alium minus, ſed & aliquando evenire, ut homini parum noceat. etſi forte hæc ſententia potius ſit referenda in rationes Maimonidis, quam Kabbaliſtarum, & antiqui temporis Doctorum. Nos vero,

β. Magiſtri Vitioſitatem humanæ indolis non faciunt univerſalem.

a Part. III. Cap. VIII.

Doctrina Eccleſiæ noſtræ, illi oppoſita.

ro, etiamſi vitioſitatis gradus agnoſcamus notabiles ex pejore vel meliore corporis affectione ortos: communem tamen facimus vitioſitatem indolis omnibus Adæ poſteris, qua à Deo averſi propendeant ad vitia, quantumlibet tecta & in aliorum oculos minime incurrentia. *Omnis homo caro. Omnis caro gramen.*

γ. Doctores Judæi putant Vitioſitatem eſſe ſuperabilem abſque auxilio Divinæ Gratiæ.

V. 3. Judæi Doctores, licet vitioſitatem humanæ indolis agnoſcant, minime tamen concedunt, hominem per eam eſſe ἀϱϑενῆ *ineptum ad* veram virtutem abſque *auxilio gratiæ* excolendam: quod nos docemus. Omnes illi (utique recentiores:) ſtatuunt LIBERUM in homine ARBITRIUM, per quod poſſit per ſe ipſum malitiam excutere, reſipiſcere, & ſe ab odio ad amorem Dei convertere. Hæc quidem vulgatiſſima Pelagianorum ſententia eſt: ſed quam Pelagius ipſe aut Julianus aliquis non potuiſſet majori ſtudio defendere, quam ubique in omni ſuo ſcripto inſtituit facere Maimonides. Dignum argumentum eſt, in

Maimonidis ſententia de viribus liberi arbitrii.

quo aliquantiſper hæreamus. Sic pergit Maimonides in loco, quem proxime notavimus: ואם הוא בלתי נאות אינו נמנע מן המתלמד לכבוש אותו ומפני זה הוכיח שלמה המוסרים והם כלם הוא וזולתו ומצות התורה והאזהרות אמנם הם לכבוש תאות החמר כלם *Quod ſi vero mala ſit & inconveniens*, (materia) NON EST IMPOSSIBILE ASSIDUO STUDIO & EXERCITATIONE EAM DOMARE & *ſubjugare. In hunc uſum inſerviunt correctiones & reprehenſiones Salomonis & aliorum. Præcepta quoque & prohibitiones Legis non alio tendunt, quam ad concupiſcentias materiæ omnes in ordinem redigendas.* Sed clarius de hoc

Loca varia ex ipſo exſignata.

argumento Maimonides & evidentius alibi [a]. *Dico igitur:* (ex verſione Buxtorfii, quam continuo ſequuti ſumus:) *Fundamentum Legis Moſis Doctoris noſtri, omniumque illorum, qui illi adhærent, eſt, quod homo habeat abſolutiſſimam poteſtatem, hoc eſt, quod homo per naturam, arbitrium, & voluntatem ſuam faciat, quicquid homo facere poteſt ſine ulla re in ipſo creata & innovata.* Proſequitur illam ſententiam Maimonides in ſequentibus, eique ſuperſtruit *meritum operum.* Bene Buxtorfius: *Ex erroribus Auctoris, in quibus tanquam homo Judæus verſabatur, eſt & Phariſaica meritorum noſtrorum coram Deo perſuaſio.* Sed animum adverte, quæſo, ad hæc Maimonidis verba, quæ reperiuntur in Tractatu de

a Cap. XVIII.

de *Pœnitentia* [a]: רשות לכל אדם נתונה אם רצה להטות עצמו לדרך טובה ולהיות צדיק הרשות בידו ואם רצה להטות עצמו לדרך רעה ולהיות רשע הרשות בידו הוא שכתוב בתורה הן האדם היה כאחד ממנו ARBITRIUM *cuique homini datum eſt: Si ſe ipſum velit inclinare in viam bonam* (ſe applicare ad ſtudium virtutis:) *& juſtitiam ſectari, eſt id poſitum in ipſius arbitrio; ſi vero ſe ipſum velit inclinare in viam malam & vitiis operam dare, arbitrium penes ipſum eſt. Hoc illud eſt, quod ſcriptum eſt in Lege* [b]: *Ecce homo factus eſt ut unus ex nobis.* Exequitur porro Auctor hanc materiam admodum prolixe in ſequentibus. Non indignum tamen omnino eſt notatu, quod quoſdam inter *ipſos Iſraëlitas* contrarium aſſerere dicat; etſi eos ut ineptos & male conſultos traducat [c]: אל יעבור במחשבתך דבר זה שאומרים טפשי אומות העולם ורוב גולמי בני ישראל שהקב״ה גוזר על האדם מתחלת ברייתו להיות צדיק או רשע אין הדבר כן אלא כל אדם ראוי לו להיות צדיק כמשה רבינו או רשע כירבעם *Ne cogites, quod quidem fatui inter Gentes & multi rudes Iſraëlitæ ſtatuunt, Deum benedictum decreviſſe de homine jam ab initio quo producitur, futurum illum juſtum aut impium. Hoc enim ita ſe minime habet. Sed cuique homini licet aut eſſe ſancto inſtar Moſis Doctoris noſtri, aut impio inſtar Jeroboami.* Mitior eſt ſententia Auctoris *Coſri*, doctiſſimi profecto & ingenioſiſſimi Viri; etſi *vires arbitrii* omnino etiam ſibi ſumit defendendas. Vide ipſum Part. v. §. xx. Prolixa enim ſunt nimis, quam ut deſcribantur.

VI. Cæterum hæc de *Viribus arbitrii* ſententia non hodie aut nudius tertius inter Judæos nata eſt, ſed fuit jam Veterum Phariſæorum. Variat aliquantum, ubi eorum ſcita refert Joſephus, ut jam obſervatum eſt a Druſio [d]. Sic de iis uno loco ſcribit: Πράσσεσθαί τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται, δοκῆσαν τῷ Θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ ἀρετῆς ἢ κακίας· *Fato quæcunque geruntur tribuunt: nec tamen homini voluntatis aſſenſum adimunt, hoc temperamento Deum uti dicentes, ut cum omnia fiant ex ipſius conſilio,* IN HOMINE TAMEN SIT VOLUNTAS ACCEDENDI AD VIRTUTEM AUT AD VITIUM. Alibi de iis hæc habet [e]: Καὶ τὸ μὲν

Sententia de Libero arbitrio, ejuſque viribus antiqua inter Judæos.

a Cap. v. §. I. b Gen. III. 22. c §. II. d Lib. II. de *Sectis tribus Judæorum* Cap. XIV. Antiq. Lib. XVIII. Cap. II. e Bell. Jud. Lib. II. Cap. XII.

μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι. Βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἱμαρμένην· *Agere quæ juſta ſunt vel negligere* MAXIMAM PARTEM *eſſe in hominibus profitentur; adjuvare tamen in ſingulis & fatum.* Hæc certiſſima eorum eſt profeſſio. Hæc inquam, homini liberum eſſe & plane in ipſius arbitrio poſitum, ſe inclinare, quo velit, ſive ad bonum ſive ad malum; ſed ubi quis voluntatem ſuam inclinavit ad bonum, Deum illi *auxilium* præſtare. Suboluit dudum Doctiſſimis Viris, ipſos ejuſmodi admittere κρᾶσιν *temperamentum*, quo ſc. aliquid Deo, aliquid homini detur, ex oratione Domini apud Lucam[a], ubi Phariſæo perſona imponitur hæc verba fundentis: *Deus*, GRATIAS TIBI AGO, *quod non ſim, ut cæteri homines, rapaces, injuſti.* Erat in hoc homine magnus faſtus. Nihilominus tamen facit eum dicere Dominus; *Gratias ago.* Unde hoc? niſi quod, ut jam dictum, Phariſæi ſibi adſcribebant aliquid, aliquid Deo; ſibi quidem *inclinationem voluntatis*, Deo vero auxilium gratiæ, quo bene volentes promovet. Manaſſe Ben Iſraël in libro, quem ſcripſit de *Fragilitate humana*, quaſi hoc ipſi negotii concreditum eſſet, totam rem exponit & ex ſententiis Veterum confirmat.

Secundum eorum hypotheſes expoſita.

Illuſtrata ex Luc. XVIII. 11.

VII. His 4. nunc adjiciam, differentiam inter ſententiam Synagogæ & purioris Eccleſiæ Chriſtianæ de Vitioſitate humanæ indolis hac parte eſſe notabilem, quod illi primam mali ſedem quærant in *corpore*, nos in *mente*. Illi à corpore docent vitiatam mentem, nos per mentem corruptum eſſe corpus: non negantes interea, eſſe rationes graves, quare *Concupiſcentia* in Divinis Literis ad *Corpus* & *Carnem* referatur, ſequenti *Capite* exponendas.

4. Judæi ſedem concupiſcentiæ ponunt in *corpore*; purior doctrina in *mente*.

VIII. Nunc modo ad calcem hujus diſputationis noſtræ notari volebam, Judæos Kabbaliſtas, & quoſcunque alios Synagogæ Doctores, qui in ipſorum ſententias tranſierunt, ſuam illam Doctrinam de *Vitioſitate humanæ indolis*, tanquam quæ ex *materia* certo oriatur, & tamen per *vires arbitrii* ſuperari poſſit, habere à Stoicis & Pythagoreis Philoſophis, quorum illi non opiniones modo ſed & phraſes hic ſequuti ſunt. Pythagorei & Stoici Philoſophi in id inter ſe conſenſerunt, τὴν ὕλην MATERIAM eſſe

Sententia illorum repetenda à Stoicis & Pythagoreis.

Quorum exponitur doctrina.

a Cap. XVIII. 11.

eſſe DEO, ſummæ RATIONI, coævam. eam eſſe omnis vitii & mali fontem. menti à Deo aptari & cum ea jungi non potuiſſe, niſi mentem in ſuis operationibus impediret & eam ſeduceret, vel ſaltem ſeducere tentaret, ad vitia. ſummam igitnr Mentis ac proin hominis felicitatem eo abſolvi, ut *materiam* ſubigat, domet, exuat, & ſe ab ejus imperio liberet, atque adeo mens & ratio à *carne*, ejuſque vitioſis motibus, diſcernatur & liberetur. poſſe autem id hominem agere, ſi in id connitatur, & Deum id ſerio volentibus auxilium præſtare. A Stoicis itaque & Pythagoreis hanc Doctrinam acceperunt Eſſeni, qui deinceps dicti ſunt Kabbaliſtæ, & ab utriſque Chriſtiani multi in Ægypto & Aſia, tribus potiſſimum prioribus Chriſtianiſmi ſæculis. Hermogenes certe, adverſus quem Tertullianus diſputavit, in hac eadem fuit hæreſi, & Manichæorum ſententia de *duplici principio æterno* BONI & MALI, quę ſe longe lateque per orbem Chriſtianum diffudit, ac Marcionis, qui Manichæis præluſit, ex hoc fonte hauſta eſt & nata. Et qui illis omnibus antiquiores ſunt Gnoſtici, & in illis Valentinus, quales deſcribuntur ab Irenæo, Tertulliano, & Epiphanio, vere in *materia* quæſiverunt cauſſam mali, & liberationem mentis *à materia*, ſummum ſtatuerunt beneficium, quod Chriſtus Jeſus, Filius Dei, æterna RATIO, hominibus attulerit. Tota Philoſophia Vetus laboravit circa *originem mali:* quam omnino putarunt ſe demonſtrare per rationem non poſſe, niſi malo darent principium & cauſſam æternam. qua de re volupe mihi eſſe prolixius diſſerere, niſi id jam occuptatum eſſet argumentum à Doctis Viris, inter quos maxime conſuli nunc velim Windetum [a], in erudita diſſertatione de *Vita Functorum ſtatu.* quibus pauca addam ex iis quę mihi nunc ad manus ſunt.

Ab iis acceperunt Eſſeni.

Et Gnoſtici.

IX. Sic utique Plutarchus rationem redditurus ſingularis continentiæ, qua ſe Cato Major per vitam ſuam commendavit, eam inter alia repetit à commercio, quod Tarenti admodum adoleſcens habuerat cum Nearcho Pythagorico, cujus uſus fuerat hoſpitio, atque adeo ſummam illius Philoſophiæ, ab ipſis quoque Platonicis receptæ, ita exponit [b]: *De iiſdem quum differen-*

Locus Plutarchi in hanc rem adductus.

a Sect. III. Ed. Roter. p. 32, 33, 34. b In Catone Majore, p. m. 337.

rentem illum audiviſſet, quibus uſus Plato eſt, τὴν μὲν ἡδονὴν ἀπαγγέλλων μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, συμφορὰν δὲ τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα πρώτην, λύσιν δὲ καὶ καθαρμὸν οἷς μάλιστα χωρίζει καὶ ἀφίστησιν αὐτὴν τῶν περὶ τὸ σῶμα παθημάτων λογισμοῖς. *qui* VOLUPTATEM *maximam mali eſcam vocat;* CALAMITATEM ANIMÆ PRIMAM CORPUS; *Liberationem & Purgationem, illas cogitationes, quibus maxime à corporis affectibus avocat & abducit ſe ipſam, amplexus eſt multo acrius frugalitatem & continentiam.* En veram Pythagoræ, & Platonis quoque, Philoſophiam, in quam Kabbaliſtæ & Gnoſtici conceſſerunt! Sic pariter Virgilius[a], Stoicorum opinionem ſecutus, animas *corporibus* tanquam *carceribus* contineri, prodit, & omnes, quibus ſubjecta eſt anima, affectus inde originem ducere:

Et Virgilii.

> *Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo*
> *Seminibus, quantum non noxia* CORPORA *tardant,*
> *Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.*
> HINC METUUNT CUPIUNTQUE: *dolent gaudentque, neque auras*
> *Deſpiciunt* CLAUSÆ TENEBRIS & CARCERE COECO.

Et M. Antonini.

Imo Marcus Aurelius, de *corporibus* loquens, quibus mentes indutæ ſunt, eaſdem hic prorſus adhibet phraſes, quas Kabbaliſtæ. Vocat ea *materiam, cortices, ſcorias,* quę familiares in Kabbaliſtarum diſciplina ſunt corporum denominationes. ut quando ait[b]: Θεὸς πάντα τὰ ἡγεμονικὰ, γυμνὰ τῶν ὑλικῶν ἀγγείων καὶ φλοιῶν καὶ καθαρμάτων ὁρᾷ· *Mentes omnes, vaſis hiſce corporeis,* & CORTICIBUS, & SORDIBUS *Deus denudatas intuetur.* Alias ea quoque cum VESTE comparat. unde *corpus* ipſi τὸ ἄγγειον περικείμενον, τὰ περικείμενα κρεάδια, (*caro circumjecta:*) τὸ περικείμενον σωμάτιον, ut recte notatum à Gatakero[c]. Nec dubium mihi, quin inter antiquos Philoſophos Orientales, à quibus Pythagoras & Plato magnam ſuæ Philoſophiæ partem acceperunt, eadem hæc ſententia jam vulgata fuerit de *materia* tanquam *mali fonte* & *fomite.* Certe de Chaldæis id jam obſervavit & probavit Stanlejus[d]. MATERIAM, ait, *putant eſſe* μισοφανῆ, TENEBRAS & *fundum Naturæ, adeoque ab Empyreo & Æthere prorſus diverſam, quorum licet ipſa ſubſtantia lux ſit, tamen agitur præterea illorum* ζωογόνῳ πυρὶ, *quod ad*

Chaldæorum Philoſophia.

a Æneid. Lib. VI. verſ. 730. b *De ſe ipſo,* Lib. XII. §. II. c Ad Lib. VIII. §. XXVII. d Phil. Or. Lib. I. Sect. II. Cap. XVI.

ad centrum uſque omnia permeat. Nihil hæc differunt ab illis Virgilii.

Speciatim id adſtruitur de altera parte ſententiæ, quæ eſt de viribus arbitrii.

Maimonidis locus.

X. Alteram vero partem ſententiæ Judæorum de hoc argumento, quę eſt de VIRIBUS ARBITRII, *hominis* vitioſe nati ex Adamo, ipſos à Philoſophia Gentium petiiſſe, ne ipſe quidem negaverit Maimonides. In hunc modum mentem ipſe ſuam explicat abſque ullis ſimulationum artificiis aut involucris: *Verum ſcias rem*, inquit [a], *in quam conſentiunt & Lex noſtra & Græcorum Philoſophia, veterumque probationibus confirmatam eſſe, hominis actiones omnes in ipſius poteſtatem eſſe traditas, ſine ulla omnino ad eas coactione, &c. Quod ſi homo actiones ſuas coactus ederet,* (male impingit iis, qui liberum arbitrium à Dei voluntate dependens faciunt, ſententiam de *coactione*:) *ceſſarent jam præcepta & prohibitiones legales, eſſentque ea omnia penitus fruſtranea, cum nulla ſupereſſet homini in eo, quod agit, electio. --- Veritas autem, de qua nullum eſt dubium, eſt, actiones hominis omnes penes ipſum eſſe, adeo ut, ſi velit, faciat, ſi velit, omittat, &c.* Pergit de eo agere per totum illud *Caput*, & laborat ſolvere omnes illi oppoſitas difficultates. Quod vero ait, Græcorum Philoſophiam in id conſentire: res eſt certa. De *Stoicis* forte quis dubitet Philoſophis, quos vulgata opinio eſt omnia *fato* ſubjicere: de *Platonicis* enim & *Ariſtotelicis* nulla poteſt eſſe ratio dubitandi, quippe qui aperte ſatis *Vires* arbitrii humani propugnant. Aſt vere tamen illi à cæteris hic diſceſſionem non fecerunt, ſed ſi ulli alii ſtrenue patrocinati ſunt Libertati arbitrii. ut optime jam obſervavit Cl. Coccejus [b]. Poteſt id conſtare ex *primo* Stoicæ Philoſophiæ *principio*, quo quædam ſtatuuntur eſſe ἐφ' ἡμῖν *in noſtra poteſtate*, quædam οὐκ ἐφ' ἡμῖν *non in noſtra poteſtate.* Definiturus enim Epictetus mox in *Enchiridio*, quænam in noſtra ſint poteſtate, ait [c], ὅσα ἡμέτερα ἔργα *quæcunque etiam noſtra actiones.* Idem ex tritiſſimis ſcitis Stoicæ Philoſophiæ; *Sapientem eſſe divitem, liberum, Regem:* abunde colligere eſt. Quî enim homo, ut per peccatum eſt corruptus, prædicari poteſt *dives*, hoc eſt, ſibi ſufficiens, *liber*, *Rex*, niſi intolerabili affectus ſuperbia in ſua poteſtate poſitum putet, ſibi per *exercitium virtutis* procurare beati-

Conſenſus Philoſophiæ Veteris.

Stoicorum arrogantes ſententiæ.

a Præfat. in Pirke Avoth, Cap. VIII. b Sum. Theol. Cap. XXV. §. XXX. c Cap. I.

tudinem? Arrogantiæ ſane ſi quicquam aliud eſt quod Arrianus totidem verbis dicat [a], *liberum arbitrium hominibus dediſſe Deum, & nullam ſibi in id vim reliquam feciſſe*, ὥστε κωλύσαι ἢ ἐμποδίσαι. Antoninus Imperator ſæpe de eo clariſſime loquitur. Hæc habe ex multis [b]: Ἀλλὰ καὶ ἔστι, καὶ μέλει αὐτοῖς μὲν κατ' ἀλήθειαν κακοῖς ἵνα μὴ περιπίπτῃ ὁ ἄνθρωπος, ἐπ' αὐτῷ τὸ πᾶν ἔθεντο· *Cæterum & ſunt illi* (de Diis loquitur) *& res humanas curant, & ne in ea, quæ vere malæ ſunt, incidat quiſquam*, IN IPSIUS ARBITRIO *poſuerunt*. Alio loco [c]: Τὰ ἴδια τῆς λογικῆς ψυχῆς· ἑαυτὴν ὁρᾷ, ἑαυτὴν διαρθροῖ, ἑαυτὴν, ὁποίαν ἂν βούληται, ποιεῖ· *Hæ ſunt animæ ratione præditæ proprietates.* SE *cernit*, FINGIT, *artatque* UT LUBET, QUALEMQUE VULT, IPSA FACIT. etſi interea ſæpe altius & efficacius *de Divina Gratia* loquantur, quam eorum diſciplina ferre poſſit [d]. Quomodo tamen hæc conſiſtere poſſint cum ipſorum ſententia de imperio fati inevitabilis, cui omnia ſubjecta ſunt, clare hactenus non perſpexi. Exhibet Gellius [e] Chryſippi diſſertationem de hoc argumento, qui duas has ſententias inter ſe ſtudet conciliare. Sed eſt vere Chryſippi hic oratio obſcura, & talis jam viſa eſt Ciceroni. Nos, ne nimium à ſcopo noſtro erremus, nos hoc tempore altius in hoc quæſitum non demittemus.

Loca quædam ex Antonino.

Caput X.

Expeditur tandem dubium, *in præcedentibus motum, redditurque ratio, cur Sacris Scriptoribus placeat*, Concupiſcentiæ *ſedem dare* carnem *ſive* corpus? *In* Regenitis *etiam quo pacto ſe hæc res habeat, explicatur.*

Solvitur dubium, ex ſuperioribus natum, cur Scriptores S. Concupiſcentiæ ſedem facere videantur *corpus* vel *carnem*.

TAndem itaque eo pervenimus, ut copia ſit ſolvendi *dubii*, à nobis moti. Scriptura S. *Concupiſcentiam* adſcribit *carni* vel *corpori*. *Dubium* eſt, an per id nos velit docere, præcipuam *ſedem pravitatis indolis humanæ* eſſe in *corpore*; ſive etiam, *corpus* eſſe primum *concupiſcentiæ* & *vitiorum* fontem & fomitem. Probatum eſt, *Judæos* paſſim in ea eſſe opinione. Nec tamen

a In Epict. Cap. VI. b Lib. II. §. XI. c Lib. XI. §. I. d Vide & Lib. XII. §. III. e Noct. Attic. Lib. VI. Cap. II.

tamen id ſic ſimpliciter verum eſſe videtur. Certe Verbum Dei, quod tuto in dubiis ſequimur ducem, primam virtutis & vitii ſedem facit *mentem*, docetque, pro ejus bona vel perverſa affectione corpus ſe bene vel ſecus habere. Sic auctor eſt Dominus apud Matthæum [a]: ὁ λύχνος τοῦ σώματος LUCERNA CORPORIS *eſt* OCULUS. *Si igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; ſed ſi oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum obſitum erit tenebris.* Mens eſt index corporis, per oculos ſe manifeſtam faciens & prodens. Mens eſt oculus corporis: ſola videns, percipiens, diſcernens, deliberans, & corpori providens atque proſpiciens. quę ſi prave diſpoſita, nulla erit lux in corpore, ſive homine toto. A mala mente malum corpus. In eundem ſenſum alia oratione Dominus [b]: Ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροί· *Ex* CORDE *egrediuntur cogitationes malæ* Chriſtus Dominus ibi loci preſſe docet, ſedem *corruptionis* eſſe in *mente*; abſque qua ſi eſſet, in corpore non futuros pravos motus concupiſcentiæ. Et quid aliud ſibi vult Paulus, quando præcipue in homine per gratiam inſtaurando, τὴν καθαρὰν καρδίαν & συνείδησιν ἀγαθὴν requirit. *Finis mandati*, ajt [c], *eſt* ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας καὶ συνειδήσεως ἀγαθῆς *amor ex* PURO CORDE, *& conſcientia bona*, & *fide non ſimulata.* Quę eadem ratio eſt, quod *converſio peccatoris* in Scriptura vocetur καθαρισμὸς τῆς καρδίας [d]. Et facile certe id per rationem conficitur. Cum enim Deus homini primo dederit corpus ſanum, omnis inordinati motus ſanguinis ac ſpirituum expers, & totum ſubjectum arbitrio atque imperio mentis: non poteſt illius ἀκρασία aliunde ortum trahere quam à mente, ac proin *vitioſitas* in mente prius eſt concipienda quam in corpore. Dediſſe autem Deum primis noſtris Parentibus corpus ſanum, & incompoſitorum motuum expers, quis rationis amicus negabit? Aut enim ſtatuendum, Deum noluiſſe aut non potuiſſe homini corpus dare bene compoſitum. Prius cum bonitate Dei, poſterius cum ejus potentia pugnat. Quam enim indignum Deo, mentem innocuam & rectam per incompoſitos corporis motus tentare? In primis igitur hominibus *mens*, admiſſa cupiditate rei prohibitæ, prius eſt vitiata quam corpus. In poſteris autem eorum ſedes cor-

Doctrina Chriſti D. eſt, *ſedem* corruptionis eſſe *mentem*, in loco Matth. VI. 22.

Et Matth. XV. 18, 19.

Et Apoſtolorum.

Idque ex prima mali origine evincitur, ſecundum hiſtoriam.

Et ex ſtatu communi poſterorum Adæ.

a Matth. VI. 22. b Matth. XV. 18, 19. c 1 Tim. I. 5. d Act. XV. 8.

corruptionis eſt in utraque parte; magis tamen in mente quam corpore, quia quocunque hominis ſtatu motus corporis ſubſunt imperio mentis. Scriptura tamen ſancta hac de re eum in modum loquitur, acſi ſedes præcipua *pravitatis* humanæ indolis eſſet in *corpore*, tum quia corpus pravam affectionem mentis magnopere fovet & promovet; tum quia vitioſa mentis *cupiditas* potiſſimum fertur ad res *carnales*, quarum fruitio *corpori* voluptatem conciliat. qua de re operæ pretium eſt diſtinctius diſſerere.

Concupiſcentia tamen refertur ad *corpus*, & *carnem*,

α. Quia Corruptionem mentis fovet & promovet.

II. 1. *Mens* noſtra adeo *arcte eſt nexa corpori* noſtro, ut pro ratione & indole deſideriorum ejus, corpus, illi ſubjectum, moveatur. Ubi *mens* eſt in origine ſua *ſancta*, fieri nequit, quin corpus ſe puris ſanctiſque motibus menti præbeat morigeram. Neque enim decuiſſet Deum in prima inſtitutione naturæ, ut jam monui, mentem ſanctam facere ſervam vel hoſtem inordinatorum motuum corporis male conſtituti. Sane menti, ut illa eſt corpore nobilior, convenit eſſe dominæ & imperatrici corporis. Cæterum *corpus* noſtrum ita conſtitutum eſt, ut illud poſſit acquirere *habitum* aliquem certorum *motuum ſpirituum*. Ubi ſanum eſt corpus, feruntur quidem *ſpiritus animales* ad omnes illius partes pro imperio mentis: feruntur tamen multo *facilius*, ubi eorum frequens eſt receſſus & acceſſus, quam alibi. Id evidenter liquet ex exercitiis & artibus variis, quibus mortales in vita ſua tractandis incumbunt. *Mente* nimirum ſpiritus *ſæpe* dirigente in has vel illas partes *corporis*, corpus ſibi acquirit quendam illorum motuum habitum & conſuetudinem: unde fit, ut variæ in hominibus reperiantur aptitudines & diſpoſitiones. Si ſic ſe habuerit conditio hominis recti, ut omnino ſe habuit; non eſt dubium, quin ſi diu perſtitiſſet in *ſtatu integritatis*, in eo ſtatu procedente tempore factus fuiſſet confirmatior per longum boni operis exercitium. Mens enim recta & ſancta non imperaſſet corpori ullos motus ſpirituum, niſi rectos & ei convenientes. Corpus vero, ſic ſolitum moveri, acquiſiviſſet ſibi illorum motuum conſuetudinem, atque ita non modo non tentaſſet animam ad malum, ſed eam contra ad bonum opus excitaſſet, & in eo promoviſſet. quomodo ſi ſe res habet cum *corpore*, *cui* ab initio præeſt *mens ſancta*: non eſt dubium, quin

Quod fuſius declaratur ex conjunctione mentis & corporis.

con-

contrarium ejus obtineat in *mente peccatoris*. Mens peccatrix non quærit Deum, nec amat ipſum, nec ullas in Dei communione ſectatur delicias. Quandoquidem vero mens non poteſt deſinere *velle*, *appetere*, & *deſiderare*; ferri potiſſimum ſolet ſua voluntate ad res carnales & corporeas. Studet quieſcere in ſe, & in creaturis aliis, quę extra ipſam ſunt, quando quieſcere non poteſt in Deo. Cogitat de *honore*, *deliciis*, *tyrannide*, *opibus*, & *voluptatibus* corporeis. Ejuſmodi, inquam, cogitationibus mens ſe ipſam fovet & ſatiat. Prout vero *mens*, ſive quod corpus ad *hos* motus promptius inveniat, quam ad *alios*; ſive quod ad *hoc* genus concupiſcentiæ vel per natales vel per Præceptores magis excitetur quam ad *aliud*; ſive quod majorem occaſionem habeat *hoc* genus concupiſcentiæ explendi quam *aliud*; *huic* vel *illi generi concupiſcentiæ* inhæret: ſic etiam per frequentiſſimos motus ſpirituum animalium corpus ſibi acquirit *habitum motuum*, qui reſpondent talibus deſideriis mentis. Quibus quando imbutum & aſſuefactum eſt motibus, objecta defert ad mentem cum impreſſionibus, quę reſpondent corrupto mentis judicio & pravo voluntatis affectui: & quandoquidem mens Deum non amat, neque tamen *velle* deſinit, hinc facile à corpore hanc ſibi vim patitur fieri; lubens illas ſpecies cogitationum recipit; facile impreſſiones, ſibi à ſpiritibus animalibus factas, in ſe fovet, atque ita ſe præbet *ſervam corporis* in opere malo, quę poſſet & deberet imperare corpori in opere bono. Atque hæc ſit *ratio prima*, ob quam placet Scriptoribus Sacris τὴν ἐπιθυμίαν *Concupiſcentiam* adſcribere τῇ σαρκὶ *carni*, & *corpus noſtrum* vocare τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας *corpus peccati*.

III. 2. Obſervari velim, *concupiſcentiam animæ* maximam partem expleri per *corpus ejuſque membra*. Ad quod illuſtrandum mihi in anteceſſum concedi poſtulo, *corpus*, *quod ſubjectum eſt inordinatis motibus habitualibus ſpirituum*, multò magis poſſe nocere *menti vitiatæ*, quam *corpus bene* conſtitutum prodeſſe *menti rectæ*. Nimirum operationes mentis rectæ pro objecto habent Deum, ejuſque perfectiones & gloriam. Mens recta ſtudet magis magiſque perfici in cognitione & amore Dei. Studet beari per gaudium bonæ conſcientiæ. quę cogitationes mentis parum habent cognationis cum corpore. Imo quanto magis mens his

β. Concupiſcentiam maxime expleri per corpus.

Vis mentis in corpus, & corporis in mentem.

occupata eſt ſanctarum operationum exercitiis, tanto magis ſe demonſtrat diſtinctam eſſe à corpore ejuſque motibus. Nunquam enim magis apparet mentem eſſe ſpiritum, quam quando occupata eſt cogitando de Spiritu perfectiſſimo, & de ſuo erga illum officio; quando ſua ad Deum feruntur deſideria; & quando in illius communione gaudet, lætatur, & acquieſcit. Hæc ubi agit *mens*, tum demum ipſa intelligit, ſe *mentem* eſſe, ſuamque *à corpore* eſſe diſtinctiſſimam naturam. Quoniam vero hæ operationes mentis valde ſunt diverſæ ab iis corporis: hinc *corporis* etiam *exiguæ* admodum ſunt *partes* in his functionibus mentis. Contra corporis humani maximæ ſunt partes in illis mentis operationibus, per quas ipſius *concupiſcentia* exercetur. Ubi *animus* cogitat de honore, divitiis, voluptatibus, & deliciis, aliiſque his ſimilibus concupiſcentiæ vitioſæ objectis & inſtrumentis: tum quidem fieri non poteſt, ut ipſum *corpus* his deſideriis non incaleſcat & inflammetur, quia facile recipit ſpecies motuum, his deſideriis convenientium, eaſdemque receptas facile etiam reſervat. Objectum igitur concupiſcentiæ, quod *caro* eſt, à carne facile recipitur, ac propterea merito ſtatuitur *caro* eſſe ſedes concupiſcentiæ.

Corpus magis aptum ad mentem turbandam, quam promovendam in bono opere.

℣. Imprimis id obtinere, ubi homo ſe dat gravioribus vitiis.

Status Gentilium tempore Pauli.

IV. 3. Quando jam præterea preſſius conſideramus ſpecies concupiſcentiæ, ad quas Apoſtolus reſpicit, quando concupiſcentiæ ſedem facit *carnem*, *corpus*, aut *membra corporis*: evidentius adhuc patet *ratio* hujuſce loquutionis. Tempore Pauli Apoſtoli eo rem perduxerat Diabolus, ut pleraque pars mundi non amplius hæreret in exercitio *concupiſcentiæ ſubtilioris*, ſi ſic fas eſt loqui, quę tegi poteſt aliqua boni operis ſpecie externa, qualis ea hypocritarum eſſe ſolet: ſed potius palam excurreret ad impuriſſima ſcelera, per quę *id concupiſcentiæ genus* explebatur, quod *craſſiſſimum* eſt, & hoc nomen φερωνύμως meretur. quo nempe naturæ inſtinctus & deſideria, quę ſunt gulæ & ventris, inordinate explet. Ubi enim mens vacua eſt Dei amore, ad nullum concupiſcentiæ genus facilius fertur, quam ad id, ad quod ipſa natura ſuo quodam inſtinctu hominem videtur impellere. Hic omnium primo laxat habenas, quæritque, an hoc pacto ſibi poſſit ſatisfacere. Dat igitur ſe luxui, deliciis, & voluptatibus, in cibo & potu, in immodica cura & ornatu corporis,

&

& præcipue in exercitio libidinis venereæ. Quę Concupiſcentia, tota *carnalis*, & omnium ignobiliſſima, tantopere dominabatur inter gentes & Judæos, quo tempore *Paulus* vixit, ut hodie pudori ſit ipſa inſtrumenta nominare, quę illius ingenia ætatis varia finxerunt ad illam explendam fovendamque. De hac *Paulus* ſcripſit evidenter in Epiſtolis ad *Romanos* & *Epheſios*; nec non *Petrus* & *Judas*, ad Eccleſiam ſui temporis. Sic habet in Epiſtola ad Epheſios Paulus [a]: *Inter quos* (homines contumaces:) *& nos omnes converſati ſumus olim in* CUPIDITATIBUS CARNIS NOSTRÆ; *facientes, quæ* CARNI *& cogitationibus lubebant.* Et in ſequentibus [b]: *Hoc itaque dico & obteſtor per Dominum, ne vos amplius ambuletis, ſicut reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis ſuæ; tenebris obſcuratam mentem habentes, & abalienatæ à vita Dei propter ignorantiam, quæ eſt in ipſis, per obdurationem cordis ipſarum: quæ poſteaquam dedoluerunt, ſeſe dediderunt laſciviæ ad* AVARE *patrandam omnem impuritatem.* Habet ἔμφασιν, quod Apoſtolus dicat illam *impuritatem* patrari ἐν πλεονεξίᾳ *cum avaritia*, hoc eſt, ſumma cum animi contentione, ſic ut nunquam vere ſibi ſatisfactum eſſe caro exiſtimet, ſed ab uno ſcelere turpi in aliud, idque turpius, ruat; ac ſi timeret, ne alii in partem venirent emolumenti, quod inde percipit. Recte itaque Apoſtolus ſedem concupiſcentiæ ponit *in corpore* & *in carne* [c]. Ut enim *ex corpore* ejuſque inſtinctu *prima* eſt *origo* hujus *concupiſcentiæ*, ita in *corpore ſolo* terminatur, & ad illud ſatiandum unice perficitur. Ne dicam, *partem corporis*, *libidini carnali* explendæ à natura deſtinatam, in Scriptis V. T. בשר *carnem* vocari [d], ob certas rationes, hic prolixius non diſcutiendas. Etſi igitur omnis mala concupiſcentia originem habet à mente *mala*, vacua Dei amore: recte tamen *ſedes concupiſcentiæ mentis* in Scriptura ponitur *caro*, & *corpus*, quia *corpus menti vitioſæ occaſionem concupiſcendi* dare poteſt; tum etiam corpus mentis concupiſcentiam *fovet* & excitat; & tandem, quia maxima & *craſſiſſima* ſpecies *concupiſcentiæ*, qua vitiatæ indolis homines paſſim exardeſcunt, per *corpus* & carnem, & præcipuam quandam *carnis* noſtræ partem, quę *caro* dici ſolet, *expletur*.

Illuſtratur ex ipſius Apoſtoli verbis.

Cujus craſſæ concupiſcentiæ ſedes eſt corpus, & caro.

a Cap. II. 3. b Cap. IV. 17 c Confer Rom. XIII. 14. Gal. V. 16. 19. 1 Petr. IV. 2, 3. 1 Joh. II. 16. d Ezech. XI. 19. XVI. 20.

Firmatur hæc doctrina ex ſtatu Regenitorum per Gratiam.

Mens in iis ſedes eſt Sp. S. reliquiarum vitioſitatis, caro.

V. Quod vero *corpus* ſic recte vocetur ſedes & inſtrumentum Concupiſcentiæ: hoc utique credentes, qui per Spiritum S. in novos homines formati ſunt, clarius etiam ex ſe ipſis poſſunt intelligere. Sedes operationis Spiritus Sancti in homine eſt ὁ ἔσω ἄνθρωπος *mens animuſque hominis* [a]. Non ita ſane, ac ſi Spiritus Sanctus ſic operaretur in mente, ut per *mentem* non ſanctificaret etiam *corpus*. Paulus enim vota fundit pro Theſſalonicenſibus [b], ut Deus eos *ſanctificet* ὁλοκλήρους *totos*; neque tantum κατὰ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ψυχὴν *ſecundum Spiritum & animam*, ſed etiam κατὰ τὸ σῶμα *ſecundum* CORPUS. Sic igitur intelligendus eſt Paulus, quod Spiritus Sanctus interna operatione gratiæ *mentem* prius in integrum reſtituat, & corporis motus non corrigat niſi per mentem, ſecundum Leges unionis, quibus naturæ auctor Deus utramque illam hominis partem inter ſe conjunxit. Mens igitur proprie eſt ſedes Divinæ gratiæ: corpus corrigitur demum per mentem. quod itaque non exiguæ eſt operæ. Motus enim ſpirituum animalium habituales illi male compoſiti, qui longum tempus in corpore prævaluerunt, non poſſunt tam facile exui. Manent illi adhuc in corpore, & non niſi cum tempore ſubiguntur. Unde menti ſanctæ cum illis lucta intercedit, &, ubi ipſa non *vigilat* & ſumma non utitur diligentia, ab iis quandoque præripitur atque prævertitur. Quod tamen non accidit, ſi *attendat* & *vigilet*. Menti enim eſt imperium in corpus. Et omnino exiſtimandum eſt, mentem, jam per Spiritum Sanctum liberatam à ſervitute corporis & concupiſcentiæ, multo plus poſſe in corpus, quam corpus in mentem. Neque enim ex iis ſumus, qui gratiam Spiritus Sancti in Credentibus nimis arcte & anxie circumſcribamus. Vere Paulus, Credentes ἐν πᾶσιν ὑπερνικῶν διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος αὐτοὺς *in omnibus amplius eſſe, quam victores* [c]. *Joannes* pariter aſſerit [d], πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Θεοῦ νενικηκέναι τὸν κόσμον *omne, quod ex Deo natum eſt, viciſſe mundum*, & quidem, *per fidem*. Αὕτη, ait, ἐστὶν ἡ νίκη ἡ νικήσασα τὸν κόσμον, ἡ πίστις ἡμῶν· *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*. Eſt igitur hominis regeniti *magis vincere carnem*, quam *vinci à carne*. Utique patet ex iis quæ modo in hanc rem adducta ſunt, reliquias vitii habi-

Ordo operationis Divinæ in ſtatu Gratiæ.

a Rom. VII. 22. 2 Cor. IV. 16, 17. b 1 Theſ. V. 23. c Rom. VIII. 37. d 1 Cap. V. 4.

habitualis, quod in regenitis ſupereſt, præcipue quærendas eſſe in *corpore*, non in *mente*, quoad affectum pura & ſancta.

Caput XI.

Oratio transfertur ad Effecta *& ſigna* Concupiscentiæ Vitiosæ, *in quibus potiſſimum cenſentur* Affectus: *in quo tamen argumento tractando in anteceſſum ſupponitur & probatur*, affectus, *in ſe ſpectatos, nihil habere vitii. Porro duæ* difficultates, *quæ huic doctrinæ opponi poſſunt, è medio removentur.* 1. *Quo modo* affectus *poſſint eſſe* effecta concupiſcentiæ, *cum mens* affecta *non agat, ſed* patiatur? 2. *Cur, cum* affectus *in ſe nihil vitii habeant*, peccator *tamen deſcribatur per* ψυχικὸν deditum affectibus? *Illuſtrantur duo loca, Hoſ.* VII. 4. 1 *Cor.* II. 14.

De Effectis Concupiscentiæ nunc diſputandum eſt. Quam vero latus ſe nobis hic aperit campus? Certe ſi hoc agere vellemus ut omnia concupiſcentiæ *effecta* exponeremus: eſſet tentandum, an omnes peccatorum ſpecies poſſemus enumerare, quia pleraque peccata ex hoc fonte oriuntur. *Jacobus* [a] enim τὴν ἐπιθυμίαν concipit ut *matrem*, quæ συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν *poſtquam* CONCEPIT, PARIT *peccatum.* Per *conceptionem concupiſcentiæ* intelligit *determinationem mentis*, non amantis Deum, *ad peccatum* patrandum, cujus *ſpeciem* ſpiritus animales menti objecerant, & commendaverant. Elegans hæc eſt metaphora & notabilis, cui ſimilis apud Hoſeam in eodem argumento occurrit. Verba ſunt Prophetæ [b]: *Omnes mœchantur. Sunt ut* FORNAX ACCENSA *à* PISTORE, *qui ceſſat vigilare, ex quo depſuit maſſam, donec ea fermentetur.* Continuatur figurata hæc oratio in ℣ſ. 6. כי קרבו כתנור לבם בארבם כל הלילה ישן אפהם בקר הוא בוער כאש להבה *Quoniam applicant cor ſuum inſtar fornacis in inſidiis ſuis. Tota nocte dormit Piſtor eorum. Matutino tempore ardet inſtar flamma*

Oratio tranſit ad Concupiſcentiæ affecta.

Quæ in genere ſtatuuntur Vitia & peccata qualiacunque.

Locus Hoſ. VII. 4. illuſtratur.

a Cap. 1. 5. b Cap. VII. 4.

me ignis. Eſt hæc dubio procul παροιμία valde appoſita ad rem. Per *fornacem* hic liceat intelligere ipſum hominis animum, vacuum Dei amore: per *ignem* vero, in fornace deliteſcentem, arcanas concupiſcentiæ cogitationes, per quas mens accenditur, inflammatur, & præparatur ad actum peccati, mente concepti. Quemadmodum vero *ignis* extrinſecus in *fornacem* mittitur; ſic omnino cogitationes concupiſcentiæ excitantur & foventur in mente per *motus corporis*, qui res ut appetendas vel fugiendas repræſentant menti. *Piſtor* autem, qui hanc *fornacem* accendit, eſt vel ipſe homo, ſe ipſe per cogitationes concupiſcentiæ inflammans & accendens; vel, quod forte non procul aberit à vero, *Diabolus*, hominem per corpus ejuſque motiones tentans, ſeducens, eumque juvans atque præparans ad peccatum perficiendum. R. Salomo in Annotationibus ſuis intelligit יצר הרע *Figmentum* ſive *genium malum*. Sic ille: ישבות יצרם הרע שהוא מעירם *Ceſſat* Figmentum *ipſorum* malum, *quod eos excitat*, &c. Sic ſcilicet per *Piſtorem* intelligendi eſſent prava motus corporis, quod ante evicimus eſſe *concupiſcentiæ ſedem*. Res non multum variat. Diabolus enim non fert ignem in animum noſtrum, (liceat ſic loqui παραβολικῶς:) niſi per corpus. Cæterum per *panem*, in fornace coquendum, id idem intelligitur, quod *Jacobus* Apoſtolus *eſcam* (δέλεαρ) vocaverat[a]. hoc eſt, *objectum*, circa quod concupiſcentia noſtra verſatur. Id jam dicitur *ſubigi*, *fermentari*, *mitti in fornacem* accenſam, & tandem *coqui* in *fornace*. Per quę duo videntur ſignificari. 1. *Præparatio* objecti, ab anima concupiſcente poſſidendi. 2. *Poſſeſſio*, occupatio, & fruitio illius objecti, per quam ſatisfit ardentiſſimis concupiſcentiæ flammis. Sed cum præparatio *fornacis*, & *maſſæ*, *in fornacem mittendæ*, omnino requirant aliquam moram temporis: ſane hæc egregie figurantur per *fermentationem maſſæ*, & per *accenſionem fornacis*, donec incaleſcat, tempore fermentationis maſſæ. Fornax ſcilicet non accenditur, niſi interveniente mora aliqua temporis. Sic pariter animus concupiſcens ſuas auget flammas per temporis illud intervallum, quo in propoſito peccandi magis magiſque confirmatur. quod tempus ſuccenſæ fornacis reſpondet intervallo *fermentationis maſſæ*, per quam,

Jarchii ad illum obſervatio.

Propheta explicat fomitem & proceſſum mentis, peccato perpetrando intentæ ad explendam cupiditatem.

a Cap. 1. 14.

quam, ut jam dictum eſt, antecedanea molimina intelliguntur, per quæ objectum præparatur ad fruitionem. Hoc tempore *Piſtor* videtur *dormire*. Per quod notatur, has machinationes concupiſcentiæ tanta arte tegi & occultari ab homine concupiſcente, aut Diabolo etiam, concupiſcentiæ auctore, interea temporis, dum objectum ad fruitionem præparatur, & flammæ tacitæ mentis creſcunt, ut ab homine, vel Diabolo in homine, nihil omnino hoc tempore videatur agi aut tentari. Nimirum *animus* jam præparatus & magis pręparandus ad ipſum delicti actum committendum, *quieſcit*, donec commoda nata fuerit occaſio objecto fruendi, deliciaſque ſuas explendi. Adſcribamus hic totam ſententiam R. Salomonis, cujus paulo ante partem deſcripſimus: ישבות יצרם הרע שהוא מעירם מלוש בצק עד חמצתו משחשב בלבו את הרעה כיצד יעשה אותה הוא שובת וישן עד הבוקר שהוא יוכל לעשותה כמו שהאופה שובת מלוש בצק עד שתחמיצה שהוא יוכל לאפות וכן הוא אומ' במיכה הוי חושבי און ופועלי רע על' משכבותם באור הבוקר יעשוה *Ceſſat* FIGMENTUM *eorum* MALUM, *quod excitat ipſos à ſubacta maſſa uſque quo fermentata fuerit. Poſtquam animo ſuo ſtatuit, quomodo malum propoſitum ſit perpetraturus, ceſſat & dormit uſque ad tempus matutinum, quando occaſio commoda erit id perficiendi. Omnino ſicut Piſtor quieſcit à ſubacta maſſa, uſque quo fermentata fuerit, cum poterit coquere. Quemadmodum apud Micham dicitur* (Cap. II. 1.) *Væ cogitantibus iniquitatem & molientibus malum ſuper cubilibus ſuis, idque ad lucem matutinam perpetrantibus.* Jarchii commentarius ad locum integer exhibetur.

II. Peccata autem, quæ ex hoc fonte ſcaturiunt, vere ſunt innumera, ſecundum ſpecies potiſſimum trium illorum *objectorum*, quę in ſuperioribus deſcripſimus. Præcipua tamen recenſet Paulus in Epiſtola ad Galatas[a]: Φανερὰ δέ ἐστι τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς ἅτινά ἐστι μοιχεία, πορνεία; &c. *Manifeſta ſunt* OPERA CARNIS, *quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impuritas, laſcivia, Idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandeſcentiæ, rixæ, diſſidia, hæreſes, invidiæ, cædes, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia.* Plura etiam enumerat Apoſtolus in Epiſtola ad *Romanos*, & ad *Epheſios*[b]. Sed, ut dictum jam eſt, *concupiſcentia* fomes & fons eſt, ſano ſenſu, omnium peccatorum, ac proinde omnia peccata cenſeri poſſunt inter illius effecta. Id vero, quod nos Species effectorum Concupiſcentiæ, à Paulo recenſitæ.

a Cap. v. 11. 19. b Cap. iv. 18, 19. 27, 29.

Gentiles id obſervarunt, vitia eſſe ex Concupiſcentia.

Locus Ciceronis.

nos *concupiſcentiæ*, *Archytas Tarentinus*, Philoſophus inſignis, adſcripſit VOLUPTATI CORPORIS iis verbis, quæ Cicero adduxit in Libro, quem *Cato Major* inſcripſit. Hæc ibi Catoni imponitur perſona: *Accipite etiam, Optumi Adoleſcentes, Veterem Orationem Archytæ Tarentini, magni imprimis & præclari Viri, quæ mihi tradita eſt, cum eſſem Adoleſcens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem peſtem, quam* CORPORIS VOLUPTATEM, *dicebat hominibus à natura datam: cujus voluptatis avidæ libidines temere & effrænate ad potiundum incitarentur. Hinc Patriæ proditiones, hinc rerum publicarum everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra vero, & adulteria, & omne tale flagitium, nullis illecebris excitari aliis, quam illis voluptatis. Cumque homini ſive natura ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet; huic divino dono nihil eſſe tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, neque omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima. Nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dum ea gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet: quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, tamque peſtiferum quam voluptatem,* SIQUIDEM EA, CUM MAJOR ESSET ATQUE LONGIOR, OMNE ANIMI LUMEN EXTINGUERET.

Præcipue tamen in *effectis* Concupiſcentiæ cenſentur *Affectus*.

III. Sed dicam compendio, me, de *effectis concupiſcentiæ* in antecedentibus differentem, potiſſimum nunc per ea intelligi velle AFFECTUS, quos judicabam hoc nomine poſſe inſigniri. Nec ambigendum eſt, quin AFFECTUS INORDINATI, de quibus ſermo eſt noſter, vere dici poſſint EFFECTA CONCUPISCENTIÆ, quandoquidem originem ſuam habent ex *animo concupiſcente.* Certum enim, *affectus* eſſe parentes cæterorum vitiorum, ut *concupiſcentia* mentis mater eſt *affectuum.* Poſſunt alias SIGNA CONCUPISCENTIÆ dici, ut vere ſunt.

Affectuum qualis ſit natura?

IV. AFFECTUS, πάθη, ad primam ſpeciem, magis videntur eſſe cauſſa *malæ mentis*, quam mens cauſſa *pravorum affectuum.* Dicuntur enim *affectus*, πάθη, *paſſiones animi*, quia ſunt diſpoſitiones mentis, quæ originem habent ex corpore. *Pati*

igitur

igitur videtur *mens*, ubi *afficitur*; non *agere*. Et certe quis neget, mentem, ubi primo à corpore afficitur, *pati*, tametſi jam affecta *agere* poteſt, id eſt, multum conferre ad affectum ſuum fovendum & motus corporis in ea diſpoſitione conſervandos. *Affectus* enim eſt paſſio mentis: ſive ut nuper Viri Doctiſſimi eum deſcripſerunt [a], *affectus* eſt *commotio animi ab objecto bono vel malo orta ex motu ſpirituum, cum non naturali mutatione corporis ad perſecutionem boni & averſationem mali.*

Affectus ſunt paſſiones animi.

Sed non id tantum animadverti velim, *Affectus* eſſe *paſſiones* mentis, ſed & eſſe *paſſiones* mentis *naturales*, quę omnium primo ex corpore oriuntur, ſuamque in corpore, & in inſtinctu naturali corporis, habent ſedem & domicilium.

Et quidem *naturales*.

Stoicorum equidem Philoſophorum fuit inſtitutum, *affectus* exuere penitus & ſubigere. Bene quidem hactenus, quatenus *affectus hominis corrupti* per peccatum *pravi* ſunt & inordinati, damnatique ab ipſa hominis peccatoris conſcientia. Male tamen, quoniam ſuppoſuiſſe videntur, in ipſis affectibus, in ſe ſumptis, aliquod latere vitii. Damnarunt enim omnes mutationes & commotiones, quas mens extra ordinem perſentiſcit. Sed fruſtraneus omnino eſt conatus, qui contra naturæ leges inſtituitur. Tegere quidem affectus ſuos homo quandoque poteſt arte, dolo, & conſuetudine. Impedire tamen nunquam poteſt mens propter arctiſſimam cum corpore unionem, quominus afficiatur, & affecta, quominus aliquem, majorem vel minorem, ſui affectus illius habeat ſenſum.

Stoicorum inſtitutum in ſubigendis & exuendis affectibus, naturæ contrarium.

Principium enim affectuum Deus ipſe in natura poſuit. Quin immo *Deo* ipſi in Sancta Scriptura tribuuntur *affectus*, ut ſunt *iræ*, *amoris*, *miſericordiæ*, *gaudii*, *&c.* Fit quidem illud *populari more dicendi*; (nimis enim tritum eſt, quam ut moneri debeat, in Deum *affectus*, ſic dictos, cadere non poſſe:) non fieret tamen, ſi *affectus* per ſe mali eſſent atque vitioſi. Significatur igitur eo, poſſe quem *ſancte* amare, iraſci, & gaudere.

In affectibus, in ſe ſpectatis nihil eſt vitii.

Tribuuntur metaphorice *Deo*.

Sed omni exceptione majus argumentum hujus ſententiæ habemus in Chriſto Domino; etſi is nullas motiones ſenſerit, niſi puriſſimas. Duplex ipſi *affectus* adſcribitur apud *Marcum* [b]: *Cumque eos circumſpexiſſet cum* IRA, *ſimul* DOLENS *obdurationem cordis eorum, dicit homini*, &c. Adſcribuntur hic Chriſto TRISTITIA &

Et Chriſto D. vere ſecundum humanam Naturam.

a Heideg. Diſſ. de Aff. §. v. b Cap. III. 5.

ira. Poſterius digniſſimum eſt notatu, quia nullus affectus eſt vehementior *ira.* nulli quoque affectui ratio difficilius moderatur. Notatu digna ſunt *Pauli* verba, quæ ad præſens noſtrum inſtitutum faciunt, ad Epheſios [a]: ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε· *Iraſcimini, & ne peccate.* Deſumpta eſt ſententia ex Pſ. iv. 5. Ni fallor, dicere vult *Paulus*, poſſe quem *ſancte iraſci*, id eſt, *iraſci* & *non peccare.* Certe *ira* ſummus gradus eſt *zelus. Zelus* autem poteſt eſſe *ſanctus*, ut evidenter liquet ex claris Scripturæ teſtimoniis [b]. Patet itaque, *affectus* eſſe homini *naturales*; mentem *pati*, quando à corpore afficitur; affectus *in ſe* ſpectatos, non eſſe damnandos, ſed poſſe eſſe *ſanctos*, rectos, & creaturæ rationali convenientes.

Ira ipſa, qua facillime peccatur, poteſt carere vitio.

Et tamen Scriptura S. paſſim *affectus* proponit ut *effecta concupiſcentiæ.*

V. Notandum tamen, in S. Scriptura τὰ πάθη, ſive παθήματα, *affectus* proponi & ſimul damnari, ut *effecta*, ſigna, & argumenta certa *concupiſcentiæ pravæ.* Pauli verba diſerta ſunt in hanc rem, ad *Galatas* [c]: *Qui autem Chriſti ſunt*, τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις· *carnem crucifixerunt cum* AFFECTIBUS *& cupiditatibus.* Per *carnem* hic intellige *mentem hominis*, ſubjectam obſecundantemque inordinatis motibus *carnis.* Hujus *dominii carnis* in mentem *duo* ſunt *effecta* & ſigna, τὰ παθήματα *affectus*, ſic proprie dicti, καὶ αἱ ἐπιθυμίαι *concupiſcentiæ*, appetitus quarumque rerum, quæ ad carnem explendam ſatiandamque faciunt, illiciti. Imo vero homo judicio corruptus & vitiis addictus à *Paulo* vocatur ψυχικὸς [d], hoc eſt, deditus affectibus *ſuis.* Vocem enim Hebræam נפש/ cui Græca ψυχὴ reſpondet, *concupiſcentiam* & *affectum* notare, ſupra evicimus. Vocabulum ψυχικὸς præter hunc locum bis vel ter in ſcriptis Apoſtolorum reperitur. In hac ipſa Epiſtola de conſtitutione *corporum* ad gloriam reſuſcitandorum diſſerens Apoſtolus, ait [e]: Σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν· *Seritur corpus* ANIMALE; *ſuſcitatur corpus ſpirituale.* Jacobus quoque [f] eruditionem hominum, *male affectorum*, vocat ψυχικὴν *animalem.* Judas vero ſui temporis Chriſtianos quoſdam à tramite virtutis diſcedentes, deſcribens ℣ſ. 19. eos vocat ψυχικοὺς *animales.* Hæc fere ſunt loca Scri-

Unde homo vitiis deditus appellatur ψυχικός.

Uſus hujus vocis in Scriptis N. T.

a Cap. iv. 26. b Num. xxv. 11. Pſ. cvi. 31. 1 Reg. xix. 14. c Cap. v. 14. d 1 Cor. ii. 14. Cap. iv. §. x. e Cap. xv. 44. f Epiſt. Cap. iii. 15.

Scripturæ, in quibus hujus uſus eſt vocis. Ad quæ probe intelligenda obſervari velim, ψυχὴ (unde ψυχικὸς) in iis non notare ſimpliciter *animam rationalem*, & ψυχικὸς *eum, qui animum rationalem habet:* quo ſignificatu alias ſatis frequenter venit. nullum enim ſanum ſenſum darent hæc loca eo modo accepta. quando enim Apoſtolus opponit *corpus* ψυχικὸν *corpori* πνευματικῷ, non utique corpus *animam* habens contradiſtinguit corpori *ſpiritum habenti*, quia ſatis per ſe conſtat, *anima* non caritura eſſe corpora, ad vitam revocanda imperio Chriſti, tempore noviſſimo, quæ corpora *Spiritus Dei*, qui ſedem ſuam in anima habet, eſt occupaturus. Quid itaque heic *corpus* ψυχικόν, niſi tale *corpus*, quod eo modo *movetur*, alitur, conſervatur, quo cætera *animalium viventium* corpora, quodque cauſſa eſt in anima *paſſionum concupiſcentiæ* ei nunc *naturalis*. Corpus πνευματικὸν vero ejuſmodi *corpus*, quod totum comparatum eſt ad ſpirituales & intellectuales operationes noſtræ mentis, occupatæ à Spiritu Sancto, recipiendum & exequendum, neque eo modo ſuſtentatum, quo corpora *animantium viventium* nunc ſuſtentantur, neque ejus generis commotiones in animam inducens, (*paſſiones* vocant:) quales noſtra ciere ſolent corpora. Similiter Apoſtolus *Jacobus* quoddam genus *ſapientiæ* vocans ψυχικὸν *animale*, non ſane hac notione intelligi vult *ſapientiam*, quæ à *mente* hominis proficiſcitur. ſunt enim principia quædam veritatis in mente hominis ſana, quæ ideo reprobare, quod mens ea tradat, hominis eſſet non bene conſulti. Imo vero *Jacobus* ibi loquitur de talibus hominibus, qui profitebantur *ſapientiam veram*, id eſt, Euangelicam; quique inter Chriſtianos volebant *ſapientes* dici, & quædam forte illius doctrinæ dogmata recte perceperant. Hanc tamen vocat certo caſu ψυχικὴν, non quod ex mente hominis orta eſſet, vel per mentem hominis conſervaretur traderetur que, ſed quod *affectibus iræ invidiæque* inſerviret. De iis enim loquutus fuerat *Jacobus*. *Quod enim*, ait [a], *invidiam amaram* (ζῆλον πικρὸν) *habetis & irritationem in corde veſtro, ne gloriamini. Non eſt enim iſta ſapientia ſuperne deſcendens, ſed terreſtris*, ANIMALIS, *dæmoniaca*. Hoc eſt, ſi *ſapientiam* profiteri vultis *cœleſtem*, neque tamen animi veſtri ab impuris odii & invidiæ affectibus

Vox ψυχὴ hic non ſimpliciter ſignificat *animam* hominis.

Quod evincitur ex locis, in quibus vox ψυχικὸς occurrit.

Loca 1 Cor. xv. 40. & Jac. iii. 15. explicantur.

a Verſ. 14.

ctibus purgati ſint: non poteſtis gloriari, vos amplius quid habere, quam hujus mundi homines, in quibus *affectus* regnant, quique Diaboli imperio ſubjecti ſunt, habent. Cum enim eorum *ſapientia* unice *affectibus* eorum inſerviat, neque eos reprimat & domet, ſed potius accendat & irritet: veſtra ſapientia, qua gloriamini, non debet in vobis illa judicari præſtantior, quia non edit præſtantiores in vobis effectus. Par ratio habenda ſententiæ, quam ex Apoſtolo *Juda* protulimus. Eſt in eo Judas, ut deſcribat ſui temporis hæreticos, Gnoſticorum præcurſores, qui religionem Chriſtianam mutabant εἰς ἀσέλγειαν *laſciviam*. Vocaverat eos ℣ſ. 18. *irriſores*, κατὰ τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας πορευομένους τῶν ἀσεβειῶν, *in impiis ſuis* CUPIDITATIBUS *incedentes*. Atque hos vocat ψυχικοὺς, πνεῦμα μὴ ἔχοντας, ANIMALES, *Spiritum non habentes*. Non ita, ut opinor: *Animam rationalem* habentes, *Spiritum* non habentes. Neque enim *animam habere* & *Spiritum habere*, ſibi oppoſita ſunt, ut dixi; neque *animam habere* & *in cupiditatibus ſuis incedere*, pari paſſu ambulant. Sic itaque accipias ſententiam: ψυχικοὶ, obſequentes affectibus, ſive iis motibus, qui naſcuntur ex *concupiſcentia carnis*, neque ullam in ſe ſentientes operationem *Spiritus Sancti*: quod eſt πνεῦμα μὴ ἔχειν. Petrus Apoſtolus de iiſdem vel ſimilibus loquens in poſteriore ſua Epiſtola [a] eos vocat ἄλογα ζῶα φυσικὰ· *Animantia rationis expertia, naturæ impetum ſequentia*. ψυχικὸς igitur idem hic eſt qui φυσικὸς, id eſt *animalis*, naturæ motibus abſque diſcrimine rationis obſequens, ut cætera faciunt animantia, quę naturæ ſequuntur impetum abſque διακρίσεως ſanæ mentis & conſilii. Quæ ratio eſt, quod Belgæ non inconvenienter ἄνθρωπον ψυχικὸν verterint per: **de natuirlijke Menſch**. Etſi enim Belgicum **natuirlijk** ſuam habet originem à Latino *Naturalis*: neſcio tamen, qua factum ſit loquendi conſuetudine, ut Belgicum **natuirlijk** de homine uſurpatum aliquanto plus ſignificet, quam Latinum *Naturalis*, quod non æque commode hic adhibetur. Neque tamen Belgicum **natuirlijk** eam habet emphaſin, ubi de brutis animantibus uſurpatur. Unde factum, ut iidem noſtri Belgæ ζῶα φυσικὰ *animalia naturalia* (ſic enim ad verbum reddenda eſſet vox Græca φυσικὸς:) verterint; **Dieren / die de natuire volgen.** Si tamen ipſis placuiſſet

Ut & Jud. verſ. 19.

ψυχικὸς eſt homo *deditus affectibus*.

Verſio Belgicam hujus vocis.

a Cap. II. 12.

ſet eo in loco, quem tractamus, aliam adhibere notionem Belgicam, efficaciſſime & prorſus ad ſcopum Apoſtoli, ἄνθρωπον ψυχικὸν vertiſſent; **een dierlijk Menſch**: quemadmodum σῶμα ψυχικὸν **een dierlijk Lichaem**[a]. Vere enim genuina ſignificatio vocis ψυχικὸς hoc in loco repetenda eſt ex voce נפש / ad cujus ſignificationem τὸ ψυχὴ in Scriptis Novi Fœderis flexum eſſe, præter alios obſervavit Vorſtius[b]. etſi de eo, in quo noſtra nunc verſatur oratio, vix verba fecerit. Operam tamen dedit huic animadverſioni Ludovicus Cappellus in *Spicilegio* ad hunc locum, fruſtra veritus, ne hæc interpretatio communem interpretationem enervet. Sed quod ille ſcrupuloſe & anxie, hoc confidenter egit Celebris ac Eruditus Theologus, Antonius Perizonius, peculiari quadam *Diſſertatione* ad hunc locum, in qua res tota ſic explanatur, ut fruſtra ſit, qui novis ſcrupulis eam dubiam reddere tentet. ψυχὴ æque ac Hebræum נפש notat *mentem affectam*, & ψυχικὸς hominem ſuis ſervientem *affectibus* & *cupiditatibus vitioſis*. Quæ tamen ſi ita ſe habeant, duo hic in diſquiſitionem mitti poſſunt, 1. Si mens in affectibus *patiatur*, quomodo *mens concupiſcens* ſtatui poſſit eſſe *cauſa* affectuum inordinatorum? 2. Si *affectus* poſſint eſſe *ſancti & recti*, cur ex noſtra ſententia *homo peccator*, & quidem *omnis peccator* (ne quis cogitet nos apud *Paulum* per hominem ψυχικὸν *certos* quoſdam *peccatores*, non *omnes*, intelligere:) deſignari poſſit per hominem deditum ſuis *affectibus*? Hæc dubia reſolvere è re eſt noſtra.

Et ad eam ἐπίκεισις.

Vox ψυχικὸς hic exponenda ex Hebræa נפש.

Eruditi Viri laudati, qui id obſervarunt.

VI. Ad prius quæſitum rite expediendum, obſervari debet, omnem ἀταξίαν, quę deprehenditur in motu ſpirituum animalium habituali, originem habere ex mente. Homini congenita, ſive concreata eſt, cupiditas ſui ipſius conſervandi. Illi cupiditati ſerviunt affectus. Objecta itaque, quæ externe à ſenſibus recipiuntur, à ſpiritibus animalibus menti ſimul repræſentantur tanquam homini convenientia vel diſconvenientia. quæ impreſſiones mentem *movent* eamque ex ſtatu ſuo naturali deturbant. Cæterum omnes illius generis motus ſpirituum, & illi convenientes *impreſſiones*, quas edunt in mentem, fundatæ ſunt in judicio mentis de eo quod homo ſibi *bonum* vel *malum* eſſe cen-

Dubium ex ſuperioribus *primum* movetur, quomodo *mens* poſſit eſſe cauſſa affectuum vitioſorum, cum in affectibus *patiatur*?

Quod ſolvitur ex natura commercii, quod inter

a Cap. xv. 44. b *Hebraiſ.* N. T. Lib. II. Cap. IV.

mentem & corpus intercedit.

ſet. quod judicium mentis quaſi cum ſpiritibus animalibus communicatur, quatenus illi ſecundum admirandas naturæ Leges in omni motu ſuo ſe ſecundum hoc judicium componunt. Quod judicium de bono & malo ſi ſanum ſit & rectum, hoc eſt, rationale, nihil vitii erit & δυσκρασίας in motibus ſpirituum hominis recti: ſed ſi ſit pravum & corruptum, turbabuntur mox etiam motus ſpirituum, & ex iis facile pateſcet, quid quiſque magis vel minus quærat, amet, ſectetur; quid majore vel minore proſequatur cura; quid maxime intendat, & in vita ſibi carum habeat. ut adeo *affectus inordinati* & male compoſiti vere ſint effecta & ſigna judicii hominis de iis, quę ſibi *bona* vel *mala* exiſtimat, quod judicium quaſi cum ſpiritibus communicatur, & ſecundum cujus judicii normam ſpiritus animales objecta, quę per ſenſus recipiunt aut per imaginationem ſibi formant, deferunt ad mentem cum non naturali motu, eamque commovent & quandoque conturbant. Proponamus rem exemplis, deſumptis ex ſpeciebus *concupiſcentiæ bonæ* vel *malæ*, quas ante enumeravimus. Mentis rectæ & ſanctæ objectum eſt *Deus*, ejuſque gloria. Hic finis eſt, quem ſibi præfinit in omnibus ſuis actionibus, ſubordinatis ſuæ ſaluti. In corpore vero exiſtunt motus, huic judicio mentis convenientes. Si igitur corpus menti repræſentet objectum, quo mens judicat gloriam Dei lædi: mox ſentit homo *affectum iræ* & *zeli*. Hoc eſt, *corpus* impellit *mentem* ad vindicandam Dei gloriam: qui affectus eſt ſanctiſſimus & homini convenientiſſimus. Contra ſi per ſpiritus animales menti ſiſtatur objectum, quo judicat gloriam Dei promoveri poſſe: ipſi illi ſpiritus animales mox impellunt mentem ad id objectum amandum, defendendum, & ſe cum illo uniendum. Hæc ratio, hic modus eſt effectuum purorum & ſanctorum. Secus ſe res habet in *affectibus vitioſis*, ex concupiſcentia prava ortis. Peccator, non amans Deum, res creatas, & quam ex iis percipit voluptatem, utilitatem, aut exiſtimationem, habet pro ſummo ſuo bono. Hæc eſt confirmata voluntas omnis peccatoris, ut in præcedentibus abunde evictum eſt. Corpus vero acquirit ſibi motus, his deſideriis convenientes. Si igitur per ſpiritus corporis menti repræſentetur aliquod objectum, per quod mens judicat ſe lædi, *ſuamque concupiſcentiam turbari*: mox naſci-

Pro vario hominis ſtatu & qualitatibus.

Corpus ex lege conjunctionis, quæ ei cum anima intercedit, induit motus

naſcitur apud mentem affectus *iræ*, *invidiæ*, & *odii*. Si contra objectum aliquod repræſentetur menti, quod ejus concupiſcentiæ contrarium non eſt, ſed eam fovere, & illi explendæ ſervire aptum natum eſt: mox tales exiſtunt in corpore motus, per quos in mente excitatur affectus *amoris*, *gaudii*, *complacentiæ*, *&c.* Quandoquidem jam judicium, & huic conveniens voluntas peccatoris, valde eſt confirmatum in hac *concupiſcentia* ſua: hinc ad primam perceptionem objectorum, illi conformium vel adverſorum, homo contrarias eaſque vehementiſſimas ſentit mutationes, quæ ipſius mentem plane transverſam agunt. Sit, verbi gratia, quis ſtudio affectus *κενοδοξίας inanis gloriæ*, quæ communis concupiſcentiæ ſpecies eſt. Si quod occurrat menti objectum, quod huic ipſius cupiditati non reſpondeat: turbatur à corpore. ſi quod occurrat aliud, quod eam fovere & titillare poteſt, excitatur à corpore ad effectus, illi conſentaneos. Quod ſi jam eidem illi homini quid objiciatur, quo intelligit gloriam Dei lædi; eo quidem ſe minime ſentit turbari. Non *iraſcitur* ea de cauſſa, non *odit* ejuſmodi objectum; non *dolet*; nec adeo affici ſe hac re ſentiet vehementius aut moveri. quod certo argumento eſt, Deum ab homine non amari, nec curæ ipſi eſſe Divinæ gloriam majeſtatis. quę in omnibus aliis affectibus peræque obtinent. unde itaque jam abunde liquet, *Affectus vitiatos* recte dici *effectus* & *ſigna* Mentis Concupiſcentis, & ex ea ortum ſuum trahere.

habituales, ejus affectionibus conformes.

Quarum *ſigna* eduntur in *affectibus*.

VII. *Secundum* igitur quæſitum reſolvendum reſtat, cur *peccator* deſignetur per hominem *deditum ſuis affectibus*, cum affectus homini ſint naturales, imo etiam cadere poſſint in ſanctos pioſque viros? Nimirum verum eſt, corpus noſtrum nobis natura ſua repræſentare objecta, cum motu *appetitus* vel *fugæ*. Sed non licet menti, illi motui, qui ex corpore oritur, mox abſque judicio & ratione interpoſita obſequi. Menti competit διάκρισις illius motus corporis, neque licet illi ejuſmodi motui obtemperare, niſi poſtquam percepit, fruitionem vel fugam objecti ſibi convenire. Veteres hinc mentem vocarunt *τὸ ἡγεμονικὸν imperatricem*. *Fructus arboris*, primis Parentibus vetitus, excitabat illum in corpore motum, qui menti hoc objectum repræſentabat, ut ipſi conveniens, atque illam ſuaviter invitabat ad

Alterum dubium eſt, cur peccator deſignetur per hominem *deditum affectibus*?

Ratio inde petitur, quod homo in ſtatu naturæ vitiatæ ejus cupiditatibus abſque

diſcrimine rationis ſanctæ obſequatur.

ad illius percipiendum uſum. Ille motus fuit naturalis. Sed mens ſancta & bene inſtructa cognitione voluntatis & præcepti Divini, quam primum illum ſenſit, reſpuit illum penitus, judicavitque, hanc fruitionem fructus arboris vetitæ ſibi hoc tempore non convenire. Sic ſe res habuit cum Eva in primo aggreſſu Diaboli tentantis. Pulcrius & magis imitandum exemplum habemus in Chriſto. Tentatus eſt a Diabolo per corpus. Propoſita ipſi ſunt Regna mundi & ejus deliciæ. Hoc objectum repræſentatum eſt menti illius iis motibus corporis, quibus communiter fieri tentationem ad mentem. Sed ſancta mens rejecit objectum, quam primum ipſi oblatum eſt, ac proinde nullo tempore orta eſt affectio peccaminoſa. In paſſionibus etiam Christi

Quod [illegible] aliter ſe habere [illegible]

ſimile quid obtigit. Corpus ipſius fugiebat [illegible], repræſentabatque paſſiones graviſſimas menti ut rem ipſi valde ingratam. Quid egit mens, inſtructa cognitione voluntatis Dei, [illegible], inquam, illa & pura Christi Domini anima? Reclamavit? [illegible] Certe hi motus corporis naturales eam in ipſam [illegible] [illegible], ut abierit, oratum Patrem, ut [illegible] [illegible]. Sed quid addit? [illegible] Annuit [illegible], ſed non ſuccubuit [illegible] [illegible] hos motus, quos natura ipſi indiderat ad conſervandum [illegible]

[illegible]

nec ne. Ita autem *vivere* eſt *ſervire affectibus*: quam ſervitutem omnis ſervit peccator, duriorem quidem hic & graviorem, tolerabiliorem alter. Qui homines *craſſe* ſerviunt *affectibus*, ſuoque *appetitui*, (ψυχῇ. נפש) graviſſimorum damnantur peccatorum; *ſcortationis*, *adulterii*, *avaritiæ*, *vindictæ*, *ſuperbiæ*, *tyrannidis*, quæ *Paulus* τὰ πάθη τῆς ἀτιμίας vocat, comparanturque in Sancta Scriptura cum animantibus brutis[a]. quippe quę ductum naturæ ſuæ nulla interpoſita ratione ſequuntur. Sed in eo non eſt ſubſiſtendum. Deus vocatur יסר גוים *erudiens Gentes*[b]. Quo ſignificatur, Deum gentes per lucem conſcientiæ, & per pœnas ab iis ſumptas, per quas *conſcientiam* peccatorum ſuſcitare ſolet, in officio continere ſuo, adeo etiam ut multi ex gentilibus virtutem ſectati, & vitiatis affectibus renunciaſſe, videantur. Ejuſmodi ſpecies fuit in *Philoſophis*. An dicendum igitur, hos etiam homines ſuis deditos fuiſſe *affectibus*, qui præ ſe tulerunt *affectus omnes* exuere penitus & exſtingere? Imo vero. Hoc operæ pretium fuerit paucis explicatum dare.

Homines ψυχικοὶ deſcribuntur.

CAPUT XII.

Sophiam, *quæ olim in Græcia floruit*, *ab Auctoribus ejus ſic traditam conflatamque eſſe*, *ut* Concupiſcentiæ Affectibus *inſervierit*, *certis argumentis comprobatur. Inprimis in id inquiritur*, *quid Philoſophi docuerint de* ſanctitate Dei, & *quid de ea docendum eſſe* ratio *ſuadeat*, *non occupata* affectibus & præjudiciis.

EVictum modo fuit, omnes hominis irregeniti actus ex *concupiſcentia carnis*, & ex *affectibus*, qui illius certiſſimi teſtes & indices ſunt, originem ſuam ducere. Sed quoniam apud Gentes quidam olim homines celebrati fuerunt ſapientia, virtutibus, & factis præclaris, qui uno nomine *Philoſophi* dicti ſunt; dubium videbatur, an & illi in eorum numerum ſint referendi cum aliis de turba Gentilibus, quos *affectibus ſuis ſerviiſſe*

Quæritur an Philoſophi Gentium, qui mores ſuos modeſtius viſi ſunt inſtituere, recenſendi quoque ſint inter τοὺς ψυχικοὺς dediti affectibus?

a Rom. I. 26. Pſ. XLIX. 13. 2 Pet. II. 12. Jud verſ. 10. b Pſ. XCIV. 10.

iſſe diximus? Dubitationis ratio eſt, quia hi homines maximam partem ſtudii ſui locarunt, aut ſaltem videri voluerunt locaſſe, in affectibus ſuis non tantum *corrigendis*, ſed & ſubigendis, &, ſi fieri poſſet, extinguendis. Hi igitur Philoſophi an poſſunt dici *ſerviviſſe ſuis affectibus?*

Affirmatur ſententia.

II. Certe non eſt quod hæſitando ad hanc quæſtionem reſpondeamus. Noſtra hæc eſt ſententia, omnes omnino illos primorum temporum Sapientes, quocunque nomine ſupra fœdum & impurum vulgus excelluerint, quibuſque artibus ſibi venerationem aliorum conciliaverint, *ſervos* fuiſſe *concupiſcentiæ carnis*, *affectuumque* ſuorum. quod operæ pretium eſt monſtrare, quia omnino mihi perſuaſum eſt, *Paulum Apoſtolum* in verbis, ex priore Epiſtola ad *Corinthios* enotatis, per ἄνθρωπον ψυχικὸν *hominem animalem*, qui vitam ſuam componit ſecundum turbulentos animi motus, maxime intelligere *Philoſophos*, de quibus in antecedentibus verba fecerat.

Quæ primo demonſtratur ex generalibus principiis doctrinæ Evangelicæ.

III. Poteſt vero hujus noſtræ de Philoſophis ſententiæ demonſtratio vel inſtitui *generalis* ex *communibus principiis*, quę in oratione ſuperiore ſuppoſita & illuſtrata ſunt ex Sanctis Scripturis; vel etiam *ſpecialis* ex iis, quę de *Philoſophorum* doctrina & moribus aliunde cognoſcuntur. *In genere* certum eſſe intelleximus ex præcedentibus [a], πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς εἶναι σάρκα· OMNE ID, *quod* NATUM EST EX CARNE, CARNEM ESSE [b]. τοὺς κατὰ σάρκα ὄντας τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖν· *qui ſecundum carnem ſunt*, EA, QUÆ CARNIS SUNT, SAPERE [c]. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς *id, quod caro cogitat*, eſſe θάνατον *mortem*, καὶ ἔχθραν εἰς Θεὸν *inimicum Deo.* unde abſque ulla opera colligitur, omnes Gentiles, cujuſcunque fuerint conditionis & pretii, ſervos fuiſſe *concupiſcentiæ*, ac proin *affectuum*, quos *concupiſcentia* producit, vel per quos, ut per certa ſigna, manifeſtatur: imo quod plus eſt, omnem etiam *ſapientiam Gentilium* ſubjectam fuiſſe *affectibus* & ex hoc potiſſimum fonte manaſſe.

Qui regeniti non ſunt in novos homines per Sp. Chriſti D. nullum principium ope-

Quid enim Scriptura per σάρκα *carnem*, oppoſitam *Spiritui*, aliud intelligit quam *hominem*, *cujus mens ſubjecta eſt carni*, id eſt, cujus mens iis *tantum* inſervit motibus, per quos corpus mentem immoderate afficit, agitat, & exſtimulat ad *concupiſcentiam qualemcunque*. quod prorſus idem eſt quod

a Joh. III. 6. b Rom. VIII. 5. c Verſ. 6, 7.

quod nos vocamus *ſervitutem affectuum*. Principium operandi in omni peccatore eſt *caro*, id eſt, mens ſubjecta carni, & ea cogitans, quæ *caro* ſunt, & amans, quæ *caro* ſunt, ad fovendam ſuam concupiſcentiam. Quoniam vero de *Philoſophis Gentium* certo conſtat, eos non habuiſſe τὸ πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ *Spiritum Chriſti*; ac proinde non potuiſſe *Deo placere*, vel etiam quicquam *cogitare*, quod in omni ſuo complexu vere tendat ad Deum ejuſque Gloriam, ſive quod ſit ζωὴ καὶ εἰρήνη *vita & pax*[a]: colligimus, *Philoſophos* non minus quam cæteros de plebe homines ſerviiſſe *ſuis affectibus*, *ſuaque concupiſcentiæ*. Imo certe hæc eſt Doctrina Verbi Dei. Omnis homo eſt בשר Caro. Actus, quoad *materiam* etiam bonos & optimos, non ediderunt ex laudabili principio. ut adeo non tam vitium ſit in actu, quam in agendi modo. Alium ſibi *finem* in actionibus ſuis propoſitum habuerunt quam debebant. quod eſt *concupiſcere*. ſecundum quod principium, & illi conſentaneos affectus, ſententias ſuas de Religione componere niſi ſunt. Obſtare tamen nobis hic videntur Philoſophorum *Præcepta*, rationi conformia, & *Mores*, ſæpe caſti ſatis ac purgari. quare neceſſe eſt ut à *generali* hac *probatione* ad *ſpecialem* tranſeamus: quæ inſtitui poteſt vel à *poſteriore*, ut ajunt, vel à *priore*. *A poſteriore* hanc ἐπίδειξιν ordiri placet. rationis habent quam carnem.

IV. *Paulus* ait in priore ad Corinthios Epiſtola, doctrinam *Evangelii*, ſive *Chriſti crucifixi*, τοῖς Ἕλλησι Græcis eſſe μωρίαν *ſtultitiam*[b]. Per *Græcos* dubio procul intelligit *Philoſophos*, quos Græcia habuit celebratiſſimos. *Græcum* enim eſſe & *Sapientem*, apud *Paulum* tantundem valent. Sic ipſe *commate antecedente*; Ἐπειδὴ καὶ Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσι καὶ Ἕλληνες σοφίαν ζητοῦσι· *Quandoquidem Judæi ſignum petunt, &* Græci sapientiam *quærunt*. Tota oratio *Pauli* id evincit. Quando vero ait, *Evangelium* ſive *Chriſtum crucifixum* eſſe *ſtultitiam Philoſophis*: haud dubie per id ſignificat, *Philoſophos* in doctrina Evangelii non animadvertiſſe nexum & ordinem viarum Dei, Deo dignum: quod nimirum quæ in Evangelio de Deo & viis Dei propoſita ſunt, eo ordine eaque ſapientia non perſpexerint eſſe digeſta, ut Deum putaverint illius Doctrinæ eſſe auctorem; ſed contra ſibi perſuaſerint, doctrinam illam de *juſtitia Dei* demonſtrata in *Chriſto crucifixo*, omnino eſſe

Idem ſpecialius demonſtratur, & quidem primo à *poſteriore*, quia doctrina illorum adverſa fuit principiis Doctrinæ Evangelicæ. Exponitur locus 1 Cor. I. 23.

a Rom. VIII. 6. b 1 Cor. I. 23.

eſſe alienam ab iis perceptionibus, quas homines ex communi principio rationis de Deo, ejuſque viis, h. e. modo & ordine agendi cum hominibus, colligerent. Clare id patet ex hiſtoria, quam *Lucas* nobis reliquit in Actis [a]. Narratur ibi, *Paulum*, confidentem veritati doctrinæ Evangelicæ, in forum prorupiſſe ad *Philoſophos*, & cum iis de veritatibus cœleſtibus diſſeruiſſe; illos vero adeo non affectos eſſe ipſius oratione, ut contra ipſum vocaverint σπερμολόγον *garrulum oratorem*; τὴν διδαχὴν vero, *doctrinam ipſius*, καινὴν *novam*, & quæ profitebatur, ξενίζοντά τινα *peregrina quædam*. Exitus Concionis Paulinæ habetur in ẏſ. 32. *Qui vero audierant reſurrectionem mortuorum, alii quidem* SANNIS ILLUM EXCIPIEBANT, *alii autem dixerunt, Audiemus te rurſum de hac re:* ex quorum numero poſtea quidam amplexi ſunt *Pauli Evangelium*.

Et ex Act. XVII. 18.

Doctrina Chriſti Jeſu non fuit contraria ſanæ rationi.

V. Quando jam inquiremus in cauſſas ejus, quod *Evangelium prædicatum* Gentibus fuerit *ſtultitia:* alterutrum horum ſtatuendum eſſe videtur, vel quod *Evangelium* repugnet *ſanæ rationi*, vel quod *Philoſophorum* perceptiones de Doctrina Religionis ſecundum *ſanam rationem* formatæ non fuerint. *Prius* verum eſſe non poteſt. *Paulus* enim in *poſteriore* Epiſtola ad *Corinthios* dicit [b], in *Evangelio* eſſe φανέρωσιν τῆς ἀληθείας *manifeſtationem veritatis*, per quam, qui hanc doctrinam profitetur, ſe poſſit *commendare conſcientiæ hominum*. Mens *Pauli* eſt, *veritatem Evangelicam* non modo non repugnare notionibus puræ rationis, ſed etiam *veritates*, natura nobis cognitas, de *Deo* & *homine*, per verbum Evangelii excitari & *illuſtrari*; adeo ut mens, probe ad ſe ipſam attendens, pronam ſe debeat ſiſtere ad illi veritati adſtipulandum, vel ſaltem, illam veritatem reverenter & lubenter audiendam. Quod, obſecro, quî fieri poſſet, ſi *Evangelium* repugnaret principiis, natura nobis inſitis? Neque ſane hæc ſententia eo deſtruitur, quod *Evangelium* quaſdam contineat partes doctrinæ, quę *à priore*, ut ajunt, ex ratione non poſſunt demonſtrari. Id enim certe hic non neceſſario requiritur. Sufficit ut Ratio de univerſo complexu partium omnium illius doctrinæ judicium pronunciet, videatque, an univerſa illius doctrinæ ſumma Deo ſit conveniens, nec ne. & vero de Deo, ejuſque conſiliis & operi-

Quo modo in Evangelio ſit *demonſtratio veritatis ad conſcientiam?*

a Cap. XVII. 18. b Cap. IV. 2.

operibus multa alia nobis à poſteriore innoteſcunt, ſive per revelationem ſive per experientiam, de quibus à priore nihil nobis ex notionibus rationis conſtat. Sufficit igitur hic omnino, ut quę nova & ex ratione non cognita nobis de Deo revelantur, non incurrant in notiones rationis, & quod hic præcipuum eſt, notionibus puræ rationis ſuperſtruantur, & cum iis amico conſenſu connectantur. Utique verum eſt, *tenebras* non eſſe à *Luce*, *Lucem* vero *Luci* contrarium eſſe non poſſe. quod idem eſt, ac ſi dicas, quę per *rationem* ſunt γνωστὰ *cognoſcibilia* & φανερὰ *manifeſta* non repugnare iis, quæ Deus ἐφανέρωσε *revelavit* διὰ τοῦ εὐαγγελίου *per Evangelium Filii ſui.* Sic dicere liceat cum Maximo Tyrio, in caſu non prorſus diſſimili[a]: Εἰ δὲ ἐστιν οὐδὲν ἀλλοιότερον ἢ ὅσον τὸ ἐξ ἡλίου φῶς τοῦ ἐκ πυρὸς, φῶς δὲ ἑκάτερον, ἀγάπα μὲν τὸ λαμπρότερον, μὴ ἀτίμαζε δὲ τῇ διαιρέσει τὸ ἀμαυρότερον· *Si hæc duo non aliter differunt quam ſolis lumen à lumine ignis noſtri: cum utrumque ſit lumen, per me licet, ut id, quod magis lucet, præferas, dum modo ne id quod minus lucet, in diviſione tua excludas.* Differit autem ibidem de *ratione Dei* & *noſtra.* Quod ſi igitur *Philoſophi* Veteres *corpus doctrinæ* concepiſſent, ex principiis rationis apte & concinne conſtructum: *doctrinam Pauli* non potuiſſent habere pro *peregrina* & *ridicula.* Certe ſi Deum vere *habuiſſent* ἐν ἐπιγνώσει *in agnitione*, & attendiſſent ad τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ *jus Dei*, & *ad* τὰ καθήκοντα, ea *quæ Deum & creaturas*, in mutuo, quem inter ſe obtinent, reſpectu, *decent:* toti fuiſſent inflammati amore & zelo *veritatis*, à *Paulo* expoſitæ de *Jeſu* & ἀναστάσει *Reſurrectione* *Paulus* enim data opera eas partes veritatis Evangelicæ apud Philoſophos diſputavit, quę liquido incurrunt in ſenſum & conſcientiam mentis. Verba fecit, ut apparet, de *idololatria*, de *reſipiſcentia neceſſaria*, & de *judicio ultimo*, per Filium inſtituendo, interea temporis nos invitantem ad gratiam ſuam. *Felicem* legimus[b], Judæę ἐπίτροπον, in eodem hoc libro *Actorum*, audita *Pauli* diſſertatione de *juſtitia*, *continentia*, & *ultimo judicio*, *perterritum eſſe.* Quod non aliunde repetendum eſt, quam quod *conſcientia* ipſius, invita etiam, teſtimonium dederit dogmatibus, à *Paulo* declaratis. Hi tamen *Philoſophi* (*Stoici* maxime & *Epicuræi*, quibuſcum *Paulo* res fuit:) tot præjudiciis animum

Conſequens eſt, vitium fuiſſe in doctrina Philoſophorum.

a Differt. III. p. 29. b Cap. XXIV. 25.

ſuum contra has claras etiam notitias, quæ in *Felice*, impio homine, ad primam *Pauli* prædicationem fuerunt excitatæ, habuerunt obfirmatum, ut *ridicula* & *ſtulta* ipſis viſa ſint, quæ primis, certis, & indubitatis dictatis conſcientiæ ſuperſtrata fuerunt. Unde conſtat, ſi non fallor, *Philoſophos* non fuiſſe obſequutos rationi. Quid vero oppoſitum eſt *rationi dominanti?* *Concupiſcentia* ſive *affectus dominans.* Hæc plane inter ſe pugnant. Ubi *ratio* non *dominatur*, *dominari* debet *affectus*. Non datur medium. Probatum igitur eſt à *poſteriore*, ut ajunt, ſive ab *eventu* & *effectis*; *Philoſophos* paſſim Græcos, ubi Philoſophia maxime culta eſt, in diſciplina ſua tradenda non fuiſſe ſequutos rationem ſed affectum.

Atque adeo eam conformatam fuiſſe ad *affectus*.

Idem jam ex illorum doctrina evincitur à *priore*, & quidem ex communibus eorum principiis.

VI. Sed ratio quoque non deeſt nobis, per quam idem probemus à *priore*. quæ deſumi poteſt vel ex *doctrina* vel ex *moribus Philoſophorum*. Quales enim ſe inſtitutione & vita ſua comprobarunt, tales etiam fuiſſe, dubitandum non eſt. Quod ad *Doctrinam* eorum attinet: eam animus eſt non conſiderare aliam, quam quę omnibus illis, quantum nobis liquet, fuit communis. Si enim ad ſingulares eorum ſententias cognoſcendas refutandaſque animum vellem applicare, & quę Diogenes Laërtius, quę Veteres Chriſtiani Doctores, qui Gentiliſmo valedixerunt, admodum copioſe de hac materia commentati ſunt; quæ inſuper hac ætate Doctiſſimi Viri de hoc argumento ſcripſerunt, expendere, & ad noſtrum inſtitutum ſingula producere: fieret ſane, ut hæc diſſertatio de *Concupiſcentia*, ejuſque *effectu*, cujus finem videre geſtio, longius extenderetur. Hoc igitur agam, ut communes quaſdam Philoſophorum ſententias producam, ex quibus clareſcat, eorum *Philoſophiam* ſerviviſſe *affectibus*. Quandoquidem vero διττός ἐστι ὁ κατὰ φιλοσοφίαν λόγος, θεωρητικὸς καὶ πρακτικός, *duplex* eſt *Philoſophi* oratio, *Theoretica* & *Practica*: oportet, eorum doctrinam ſecundum *duplicem* hanc partem ad animum referamus. Quod igitur ad τὸ θεωρητικὸν attinet:

Secundum utramque doctrinæ partem, Theoreticam & Practicam.

Circa *Theoreticam* primo obſervantur, illos non agnoviſſe

VII. 1. Obſervetur, Philoſophos Gentium nullos eam humanæ vim vitioſitatis aſſeruiſſe, quæ in homine regnum obtinet uſque à natalibus. Certe etiamſi Philoſophorum aliqui homines omnes à natalibus labe originaria infectos eſſe docuerint,

ſecun-

ſecundum illud Biæ; *πάντες ἄνθρωποι κακοί*: quin immo licet Stoici & Platonici amico conſenſu docuerint, *materiæ corporeæ vitium ineſſe*, eamque demonſtrarint ſcaturiginem & ſedem mali moralis, quod argumentum erudite tractat Cl. Pfannerus[a], egregio opere *Syſtematis Theologiæ Gentilis purioris*: nemo tamen ex iis eam agnovit humanæ naturæ *ἀσθένειαν*, qua homo abſque ſingulari auxilio Divinæ gratiæ ad ſtudium cultumque veræ virtutis ineptus ſit; quam tamen *carnis impotentiam* tota Doctrina Evangelii, quæ eſt doctrina *Gratiæ*, ubique ſupponit & inculcat: quod vel ex ipſa illa diſſertatione facile demonſtrari poſſit qua idem ille Vir Eruditus conſenſum Doctrinæ purioris Gentilium & Chriſtianorum *de viribus arbitrii* probare nititur[b]. Certum eſt, omnes Philoſophos, ne ipſis quidem *Stoicis* exceptis, ut in ſuperioribus evictum eſt, facultatem in homine agnoviſſe ſe ex propriis viribus à vitio convertendi ad virtutem. Quam fidenter Cotta apud Ciceronem[c]? *Atque hoc quidem omnes mortales ſic habent, externas commoditates, vineta, ſegetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum: omnem denique commoditatem, proſperitatemque vitæ, à Diis ſe habere.* VIRTUTEM AUTEM NEMO UNQUAM ACCEPTAM DEO RETULIT. *Nimirum recte. propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, ſi id* DONUM A DEO, NON A NOBIS *haberemus. At vero, aut honoribus aucti, aut re familiari, aut ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni aut depulimus mali, cum diis gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſumptum arbitramur. Nam quis, quod vir bonus eſſet, gratias diis egit unquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Jovemque Optimum Maximum ob eas res appellant, non quod nos juſtos, temperantes, ſapientes efficiat, ſed quod ſalvos, incolumes, opulentos, copioſos. Neque Herculi quiſquam decumam vovit unquam, ſi ſapiens factus eſſet. Quanquam Pythagoras, cum in Geometria quiddam novi inveniſſet, muſis bovem immolaſſe dicitur. ſed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine aſpergeret. Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium eſt, eſſe fortunam à Deo petendam, à ſe ipſo ſumendam eſſe ſapientiam. Quamvis menti delubra*

vitioſitatem natura.

Vel potius hominis naturalis *ἀσθένειαν*, & ineptitudinem ad cultum veræ virtutis.

Locus Ciceronis, in rem adductus.

a De Peccato Cap. IX. §. VII. b Vide eum Cap. X. §. IX. c Lib. III. de Nat. Deorum.

bra & virtuti & fidei conſacremus; tamen hæc in nobis ſita videmus: ſpei, opis, victoriæ facultas à diis expetenda eſt. Deſcripſimus hunc locum, licet paulo prolixiorem, quia Philoſophorum veterum ſententia inde dilucide cognoſcitur. Addimus illi ſententiam Pythagoræ ex fragmento Libri *Euryphami de Vita:* Ἀνθρώπω δὲ φύσις, τὰ μὲν ἐκ τᾶς ἰδίας προαιρέσιος, τὰ δὲ καὶ τᾶς ἐκ τῶ θεῶ γενομένας ἐπικουρήσιος ποτιδέης ἐντί. τῷ μὲν γὰρ λόγω ποτιδεκτικὸς ἦμεν καὶ καλῶν καὶ αἰσχρῶν νοατικὸς, καὶ τὸ ὀρθῶς ἀπὸ γῆς ἀνακεκλίσθαι καὶ εἰς τὸν ὠρανὸν ἀποβλέπειν καὶ θεῶν τῶν ἀνωτάτων νοατικὸς ἦμεν, ταῦτα δὲ καὶ τᾶς ἐκ τῶν θεῶν ἐπικουρήσιος τέτυχε. τῷ δὲ βούλησιν ἔχειν καὶ προαίρεσιν καὶ ἀρχὰν ἐν ἑαυτῷ τοιαύταν, καθ' ἂν κύριος αὐτὸς ἐντὶ καὶ ἀρετὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ κακίαν ζαλῶσαι καὶ θεοῖς ἀνδῆσαι καὶ ἀπὸ θεῶν ἀποτραπῆμεν, ταῦτα δὲ καὶ καθ' αὑτὸν κινεῖσθαι δυνατὸς ἐντί· *Hominis vero natura partim ſui eſt conſilii, partim etiam Divinum requirit auxilium. Quod enim rationem capere, honeſta turpiaque cognoſcere, recta in cœlum à terra ſuſpicere, deosque altiſſimos poteſt comprehendere, Divinum quoque adeptus eſt auxilium. Rurſum quod voluntatem habet, conſilium, ac* TALE IN SE INITIUM, QUO POSSIT ET VIRTUTI ET VITIO STUDERE, *Deoſque & colere & averſari, per ſe quoque moveri valet.* Plura eorum teſtimonia in ſuperioribus producta ſunt. Ego vero ſic exiſtimo, omnem illam *Theologiam*, quæ huic ſuperſtructa eſt principio, eſſe ψυχικὴν *carnalem* ſive *animalem:* quod ut conſtet, notemus, quibus *affectibus* hæc ſententia *ſerviat.*

Et alius, huic ſimilis, illuſtrans ſententiam Pythagoræ.

VIII. α. Qui hominem (quod ad *ſtatum* ejus *moralem:* naturaliter enim omni ſtatu & conditione ſua liberum eſſe, quis neget aut ignoret?) *libero* concipit *arbitrio* & *facultate* ad virtutem & vitium: is ſibi in eo blanditur, quod indoles humana minus ſit vitiata corruptaque, quam eſt. Is minuit vim peccati, ut ſuam vim extollat ac deprædicet. Id vero ex quo alio oritur principio, quam ex *concupiſcentia* & *affectu*, & inordinato amore erga ſe ipſum? Inde enim fit, ut contra conſcientiæ, rite excuſſæ, dictamen homo ſibi perſuadeat, tam ſe malum non eſſe quam eſt, & malus cum ſit, poſſe eſſe bonum, ubi vult. Eſt in homine corrupto duplex *affectus*, (לב & לבב / nam לב notat *voluntatem*, atque hinc *affectum:*) qui duplici eoque contrario mentis judicio roboratur. *Conſcientia* homini monſtrat, quid ſit *malum*, monetque, illud eſſe fugiendum; monſtrat etiam, quid

Quæ doctrina carni in eo blanditur, quod homo ſibi perſuadeat minus corruptum, quam eſt.

Quod diſtinctius explicatur.

quid ſit *bonum*, ſuadetque illud eſſe appetendum: quin etiam præterea oſtendit homini vitiis corrupto, quam à bono procul abſit, & quam totus per exercitium peccati à Deo ejuſque communione ſit ἀπηλλοτριωμένος *abalienatus*. Hinc illa teſtimonia, quę in Gentium ſcriptis ad ſpeciem optima reperiuntur, de miſerabili & vitioſo hominis ſtatu. Seneca, qui egregie tegere ſcivit verbis vitia ſua, quam aperte [a]? *Omnes inconſulti & improvidi ſumus, omnes incerti, queruli, ambitioſi, & quid lenioribus verbis ulcus publicum abſcondo?* Omnes mali sumus. Deinceps vero [b]: Mali inter malos vivimus. Nec non alio loco: *Omnes ergo ingrati ſunt. Tantum? Et cupidi omnes, & maligni omnes, & timidi omnes, illi imprimis, qui videntur audaces. Adjice, & ambitioſi omnes, &* impii omnes. quod Lucianus in *Timone:* πάντες ἀχάριστοι καὶ πονηροί. Ariſtoteles [c]: Ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ τῶν νυκτηρίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων· *Sicut enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & animi noſtri mens ad ea, quæ omnium ſunt clariſſima.* Debeo hoc teſtimonium Grotio [d].

Teſtimonia Gentilium de communi vitioſitate Naturæ.

Præter hæc *conſcientia* ipſos docuit, τὴν τιμωρίαν τῆς ἀδικίας ἀκόλουθον εἶναι, *pœnam peccati eſſe certam comitem*, quod Platonis dictum, ſive quod multo ſignificantius *Pauli* eſt [e], hoc eſſe τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ *juſtiſſimum Dei ſtatutum*, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσί, *qui talia faciunt dignos eſſe morte.*

Et de pœna, vitiorum conſequente.

Hinc oritur voluntas imperfecta Deum quærendi, juſtitiam ſectandi, & honeſte vivendi. Hæc *voluntas* imperfecta dicitur לב *cor* ex phraſi Sacræ Scripturæ. Sed ab *altera parte* homo concupiſcens ſibi blanditur; ſuffocat hoc judicium conſcientiæ; excuſat malitiam vitioſitatemque ſuam; exaggerat bene facta; extollit vires facultatemque ſuam, quod *judicium* hominis peccatoris *Paulus* τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς *judicium carnis & concupiſcentiæ* vocat [f]. cui *judicio carnis* conformis eſt alter aliquis *affectus*, altera voluntas (לב *cor*) in peccatore, qua non Dei gloriam, ſed ſuam quærit.

Inde imperfecta voluntas Deum quærendi.

Sed cujus effectum impedit concupiſcentia.

Unde in Scriptura eleganter *duplex cor* peccatori adſcribitur non regenito. *Vult enim ſervire duobus.*

Unde affectus, priori contrarius.

a Lib. III. de *Ira* Cap. XXVI. b Lib. de *Beneficiis* Cap. XVII. Adde quæ habet Lib. I. de *Clement.* Cap. VI. c *Metaphyſ.* Lib. II. Cap. I. d Not. ad Lib. II. de *Ver. Rel. Chriſt.* e Rom. I. 32. f Rom. VIII. 6.

Vult *Deum*, (imperfecte & coacte quidem propter metum pœnæ, & rationes alias deinceps proferendas:) ſed *magis* vult *ſeipſum*; cum contra in *regenito una* prævaleat *ſimplex* & ſancta *voluntas* (quę tamen multis tentationibus carnis obnoxia eſt:) Deum quærendi. Huic *judicio carnis* & *concupiſcentiæ* ſervit ſententia de Viribus *Arbitrii*, eum in modum expoſiti, ut factum à Philoſophis Gentium.

β. In ſententia de viribus arbitrii indicium eſt ſuperbiæ.

IX. β. In ſententia de *incorrupta bene agendi facultate*, indicium eſt *ſuperbiæ* peccatoris, qui *affectus* eſt omni peccatori communis. Quid enim hoc eſt, dicere, *poſſum virtuti ſtudere, ubi volo*; ſive τὴν προαίρεσιν *arbitrium hominis ne quidem ipſos Deos cogere poſſe*, quod Stoicorum fuit? Certe ejuſmodi σοφία adeo eſt adverſa *luci conſcientiæ*, quę *dependentiam* peccatoris, & *Verbo Divino*, quod *gratiam* Divinam deprædicat, ceu unam operis boni & ſalutis cauſſam, ut non poſſit magis. Quemadmodum igitur ſententia de *facultate bene agendi*, quam hic *liberum arbitrium* vocant, hoc nititur judicio, hominem *meliorem* eſſe quam eſt, quod immoderato hominis erga ſe ipſum amori adſcribendum eſt: ſic eadem hoc pariter nititur *judicio carnis*, hominem *potentiorem* eſſe quam eſt, quod ipſius *ſuperbiæ* imputandum eſt, quę eundem hunc immoderatum hominis amorem erga ſe ipſum primam & præcipuam cauſſam habet. Uſu venit heic monere, etſi id ante etiam obſervatum eſſe memini, *Stoicam* Philoſophiam, ſi ullam, hac macula fuiſſe infectam. Quod *moralis* ſuæ *inſtitutionis* fundamentum poſuit Epictetus in *Enchiridio*: Ἐφ' ἡμῖν ὅσα ἡμέτερα ἔργα· IN NOSTRA POTESTATE SUNT QUÆCUNQUE NOSTRÆ ACTIONES: recta adverſatur fundamento *moralis Evangelicæ*, quod eſt, ἀπαρνήσασθαι ἑαυτόν, ABNEGARE SE IPSUM. Quid enim illud eſt: *Omnes noſtras actiones eſſe in noſtra poteſtate?* quam (Simplicii verbis:) nos *actiones noſtras à nullo alio habere, & nullum alium eas poſſe impedire*. Quod boni ſimus, nos debere nobis, æque ac quod ſimus mali: *quod virtuti ſtudeamus, nos non accepiſſe ab ullo alio*. Quid vero eſt illud, *abnegare ſe ipſum?* Fateri, ſe in opere bono nihil poſſe, nihil poſſe velle, nihil agere, nihil perficere abſque Deo & ejus gratia. Divinæ gratiæ omnia ſe debere, & debiturum, quę habet & habebit. Suas vias eſſe vias mortis, Deum vero unicum eſſe auctorem vitæ & ſalutis.

Quod evincitur.

Quæ præcipue conſpicua fuit in ſcitis Stoicorum.

Directe oppoſitis Doctrinæ Evangelii.

tis. ſe omnia ſua nihili facere præ gratia Divina, cujus factus eſt particeps. In ſcriptis quidem Antonini fateor, qui ad teſtimonium conſcientiæ ſuæ ad ſummam admirationem videtur attendiſſe & Zenonem ipſum longe ſuperaſſe, aliquando egregia dicta habentur de *Divino auxilio* & *benignitate*. Sed, ut in ſuperioribus monui, vel conſcientiæ vis ipſos aliquando adegit aliter loqui & ſcribere, quam ſolebant; vel hæc eorum dicta, ſecundum principia τ̃ αὐτῶν ἐπιςήμης explicanda, tenui & exili gaudebunt ſenſu. Sane etſi Hieronymus & paſſim antiquæ Eccleſiæ Doctores judicaverint, *Stoicos noſtro dogmati in pleriſque concordare*, idque de materia inſtitutionis *moralis*; quæ cum Chriſtiana multa communia habet, quodammodo prædicari poſſit: non vereor tamen aſſerere, *Stoicos* in hoc præcipuo Religionis dogmate à *Chriſtianis* tantum diſcrepaſſe, quantum à terra diſtat cœlum. Cum enim Chriſtiani omnia *doceantur* quærere *extra ſe*: Stoici omnia docentur quærere *in ſe*. quo principio nullum apud Chriſtianos haberi debet peſtilentius. Illud enim *humilitatem* parit, hoc *ſuperbiam*. *Humilitas* vero animi, quæ ex conſcientia ſummæ indigentiæ oritur, eſt illa capitalis virtus, virtutum omnium Chriſtianorum ornamentum, condimentum, & fidei atque charitatis comes individua: cum contra *ſuperbia* & faſtus animi in peccatore ſit abominandus coram Deo. Unde non obſcure intelligimus, *Stoicos* Philoſophos, ſi ullos alios, peſſime fuiſſe diſpoſitos ad recipiendum Regnum cœlorum. Argumentum cape ex Phariſæis, quorum ἄιρεσιν Joſephus in *Vita* ſua teſtatur παραπλήσιος ἐστι τῇ παρ᾽ Ἕλλησι Στωϊκῇ λεγομένῃ. Liceat itaque mihi inde nunc colligere, *Sapientiam Philoſophorum* fuiſſe ψυχικὴν, *& ſerviviſſe affectibus*.

Veterum judicium de Philoſophia Stoica per omnia non probatur.

X. 2. Huic vitio Doctrinæ Philoſophorum Græcorum in proclivi eſt aliud adjicere non minus notabile. quod nimirum prorſus recte non ſenſerint de Divina *Sanctitate*, &, per quam *Sanctitas* Divina demonſtratur, ejus *Juſtitia vindicatrice*. quam rem operæ pretium eſt paucis declarare.

Alterum vitium Philoſophiæ Græcorum, quod non recte ſenſerint de Divina *Sanctitate*.

XI. In Deo, cujus notitia creaturis intelligentia præditis impreſſa eſt, quædam ſunt perfectiones, de quibus Philoſophi potuerunt cogitare, diſputare, & ſentire abſque conturbatione affectuum ſuæ carnis. Cogitare poteſt peccator, Deum eſſe *ſpi-*

Quæ hypotheſis ex principiis ſuis declaratur.

ritualem, *νοῦν ἀεὶ καὶ πάντα καὶ ἅμα intelligentem ſemper*, *omnia*, *eaque ſimul*, (ut egregie Maximus Tyrius:) omnia ſuo producentem juſſu & gubernantem ſua providentia; eſſe illum æternum, ubique præſentem, potentem, immutabilem, veracem, benignum, beatum, magnificum, glorioſum; Patrem illum eſſe, & Regem, & ominum Domnium. Hæc, inquam, omnia peccator de Deo poteſt cogitare, diſputare, ſentire abſque ulla offenſione ſui, abſque ullo etiam carnis ſuæ contrario niſu. Sed *una* proprietas Dei eſt, quę tamen inter primas de Deo prædicanda erat, quam averſatur, fugit, horret, celat, immo quam negat & abnegat peccator: SANCTITAS DEI. quę eſt illa Dei ſumma perfectio, qua ſui ipſius amantiſſimus ſuam *quærit* & *vindicat* gloriam. Quoniam vero Divina majeſtas omni peccato læditur, ejuſque jus & dominium abnegantur, proinde gloria ejus obſcuratur: judicare debet conſcientia recta, Deo convenire, ut peccatum puniat & gloriam ſuam in peccatore vindicet, ni interveniat forte ſatisfactio aliqua, ſive *pœnitentialis*, ſive *pœnalis*: ſive etiam, utraque ſimul. Hoc teſtimonium putamus ineſſe omni conſcientiæ, ſi ea recte excutiatur. Unde conſequitur, Deum non poſſe peccatorem admittere ad ſuam communionem, niſi ſanctum; ſanctificari vero non poſſe peccatorem, niſi cum demonſtratione ſanctitatis Dei. Quouſque vero heic progreſſi ſunt Gentium Philoſophi? α. Qui inter ipſos moratiores fuerunt & cæteris melius de *Diis* ſenſerunt (Epicurei enim, ſi modo Epicurus vere opinatus fuerit, ullum exiſtere Numen, nullam propemodum aliam in Deo perfectionem agnoverunt, quam *beatitatem*:) ex luce conſcientiæ ſuæ perceperunt, *Deum* eſſe *ſanctum*, ac proin *pura colendum mente*. quod Balbus his verbis expreſſit apud Ciceronem [a]: *Cultus autem Deorum eſt optimus, idemque caſtiſſimus, ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur*. Rectius quidem & clarius hoc eſt dictum quam quod Cotta *Sanctitatem* definiat *ſcientiam colendorum Deorum* [b]. Præclara hac de re teſtimonia proferri poſſent ex Antonino, diffuſa per ipſius libros [c]. Cum enim *Stoici* Deum conciperent ut *rationem ſummam*: recte docuerunt, illum ſolum ad Deum poſſe

Quid Philoſophi de ea docuerint? Intellexerunt, α. Deum pura mente eſſe colendum.

a Lib. II. de *Nat. Deor.* b Lib. I. c Vide eum Lib. V. §. XXVII.

poſſe accedere qui univerſam vitam ſuam *ſecundum rectæ rationis dictamen & moderationem inſtitueret*. Hactenus igitur bene, quod eos ſolos cultores Dis placere ſtatuerint, qui *ſancti* ſunt & *pii*, id eſt, quorum integra, incorrupta, & pura mens eſt. ϐ. Probe etiam intellexerunt, *eum, qui ſanctus eſt, Deo eſſe ſimilem* & *cum eo exercere commercium*. De Platone Laërtius [a]: τέλος μὲν εἶναι τὴν ἐξομοίωσιν τοῦ Θεοῦ *Finem eſſe, Deo ſimilem fieri*. Idem de Platone Alexandrinus Clemens prædicat [b]. Hoc apud Marcum eſt ζῆν θεοῖς *cum Deo vivere* [c]. ſive θεοῖς συμπολιτεύεσθαι: quam phraſin Gatakerus non male confert cum τῷ התהלך את אלהים *ambulare cum Deo*. Heſiodus id jam dixit de eo, qui ſuo ſibi labore *virtutem* comparaſſet & *gloriam* [d]: Δαίμονι δ᾽ οἷος ἔησθα· Deo *autem* similis *fueris*. γ. Porro etiam recte opinati ſunt, graves peccatores & ſceleratos homines raro effugere *pœnam*, à Deo juſto ſanctoque infligendam. Illius exemplum occurrit manifeſtum in Apoſtolorum Actis. Quando enim *Pauli*, jam ſervati à recenti periculo mortis, *manum vipera arripuerat*, inſulanorum alter alteri inſuſurravit [e]: *Omnino homicida eſt homo iſte*, ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασε, *quem ſervatum è mari* VINDICTA *non ſinit vivere*. *Homicidium* tantum ſcelus interpretabantur barbari, ut non poſſit effugere animadverſionem Dei ultoris. Infinita fere de hac Dei virtute ſcelerum vindicatrice habentur apud Poëtas & præcipue Tragœdos, qui populares & maxime familiares ſententias vulgi de Numine in ſuis illis ſcenicis expreſſerunt: & ſunt illa magnam partem jam excerpta à Cl. Pfannero [f]. Parcius tamen, niſi fallor, de hac Dei virtute egerunt Veteres Philoſophi, ſi Platonem exceperis: & fuerunt apus eos non pauci qui cum Cotta apud Ciceronem [g] adverſus eam diſputarunt; exiſtimantes, non poſſe eam cum abſoluta & ſumma *Dei bonitate* conſiſtere, ut idem Vir eruditus abunde demonſtravit. Sed Plato hic ſapuit, ex quo præclarum de hac Divina Virtute teſtimonium produxit Pfannerus. Laërtius de eo: Ἐν τοῖς διαλόγοις καὶ τὴν δικαιοσύνην θεοῦ νόμον ὑπελάμβανεν, ὡς ἰσχυροτέραν προτρέψαι τὰ δίκαια πράττειν, ἵνα μὴ καὶ μετὰ θάνατον δίκας ὑπόσχοιεν οἱ κα-

ϐ. Sanctos Deo eſſe ſimiles.

γ. Deum graves peccatores punire.

Platonis de eo ſententia.

 κοῦργοι,

a Lib. III. p. m. 233. b *Strom*. Lib. II. c Lib. V. §. XXVII. Gen. V. 24. d Op. & D. Verſ. 312. e Act. XXVIII. 4. f Theol. Gent. Cap. II. §. XXIV. g De *Nat. Deor*. Lib. III.

bis ad noſtrum arbitrium conſiderabimus & compellabimus *propitium*, quem omni vita noſtra graviter offendimus, nobiſque habuimus & fecimus *iratum?* Quomodo *Deus ſanctificabitur* in me, quomodo ego *ſanctificabo Deum*, ſi ad Deum accedo abſque ullo teſtimonio demonſtrationis ſanctitatis Dei? Inſigniter quidem *Joſua* huic præjudicio populi occurrit in ultima, quam ad Iſraëlitas habuit, oratione [a]. Arbitrium faciebat pro concione Judææ Genti, an vellet perſeverare in colendo Deo, an vero illius loco alios ſibi Deos adſciſcere? Populus uno ore reſpondit; *Nos colemus Jehovam, quia eſt Deus noſter.* Joſua vero impetum videns populi, non conſiderantis, quam Deus ſancte & religioſe habendus eſſet, minime blanditus eſt populo ad has voces, ad ſpeciem valde laudandas, ſed contra ſolicite eum monuit, ut attenderet, quis ille & qualis Deus eſſet, cujus religioni ſe tanto cum impetu adſtringebant. Non potestis, inquit, *colere Jehovam, quia* Deus sanctissimus est. *Deus fortis zelotes eſt, non feret defectionem veſtram & peccata veſtra.* Liquet, *Joſuam* his verbis ſignificare Iſraëlitis, ipſos, falſo nixos præjudicio, nimis inconſideratè Deum ſibi decernere colendum. Quodnam vero hoc fuit præjudicium, ſive quis ille fuit judicii eorum defectus? Nimirum non ſatis ad animum ſuum revocabant *ſanctitatem Dei.* Non ſatis conſiderabant, Deum eſſe *zeloten*, ſtudioſiſſimum Gloriæ ſuæ, eumque non poſſe ferre acceſſum peccatoris ad ſe, niſi cum demonſtratione ſuæ ſanctitatis. Hoc non intelligebant recte, *Deum velle ſanctificari in iis, qui ad ipſum accedunt:* Deum *non poſſe ferre defectionem* & *peccatum.* Sane nulla cogitatio facilius ſubrepit animo peccatoris. Quandoquidem enim è re ipſius eſt, ut compeſcat ſtimulos conſcientiæ: ſic ſolet interpretari laxe *bonitatem* Dei, ut *ſanctitatis* Dei perceptionem fere extinguat & abneget. Quare in Sacris Literis, in quibus Deus ſuas perfectiones, quarum obſcuratæ ſunt notiones in animis peccatorum, clariſſime exponit, de sanctitate dei quam copioſiſſime diſſeritur. Præſertim hoc videre eſt in Libris Moſis. Iſraëlitarum gens rudis erat, inculta, falſis imbuta notionibus de Divinitate, & impura admodum, quando educebatur ex Ægypto. Huic autem populo nulla Dei perfectio diffici-

Joſuæ inſignis oratio ad Iſraëlitas, qua iis infigit ſenſum *Sanctitatis Divinæ.*

Communis de ea doctrina præſtantium Doctorum.

a Cap. xxiv. 17, 18, 19.

ficilius perſuaderi poterat, quam *ſanctitas* & *juſtitia ejus*. Quam ob rem Deus quovis modo hanc perceptionem de ſe ſtuduit in animis eorum altiſſime conſignare. unde itaque, (a) Tam crebro repetitur λέξις illa doctrinalis: *Ego Jehova ſanctus ſum* [a]. (b) *Præcepta* iis præſcripta ſunt *ſanctiſſima*, quorum ſumma: *Eſtote ſancti* [b]. (c) *Cultus* iis mandatus eſt purus, & *mundus*, ut de Dei *ſanctitate* apud Iſraëlem teſtaretur. (d) In illo cultu cærimoniali Deus varia voluit extare argumenta ſuæ *ſanctitatis*, cujus generis ſunt *ſacra piacularia*. &c. (e) Legibus adeo *graves* adjunctæ ſunt *comminationes*. (f) In eos, qui leviora etiam præcepta cærimonialia transgrediebantur, adeo *ſevere* animadverſum eſt. (g) Iſraël, ut impurus, arcebatur ab *altari*, &, quod plus erat, à familiari cum Deo commercio. Hoc tantum conceſſum eſt juris *Pontifici Maximo*, eique non niſi variis cærimoniis ad id parato, purgato, & puriſſimo amictu circumveſtito. Hæc omnia, inquam, à Deo hac præcipue de cauſa ſapienter conſtituta ſunt, ut Iſraël recte perciperet, *Jehovam eſſe ſanctum*. *Bethſemitas*, à Deo ob neglectam debitam arcæ venerationem punitos, refert ſacer textus dixiſſe [c]: *Quis poſſet conſiſtere coram Jehova, Deo illo ſanctiſſimo?* Hoc vult Deus, ut peccator cogitet: quod exiſtimem, *Gentes*, & Gentium Philoſophos, de *Deo* non cogitaſſe. Ejuſmodi quid nunquam in eorum ſcriptis offendi. Quorſum vero? Niſi quod ſibi fabricati ſint *Theologiam*, quę *ſerviit affectibus eorum corruptis?*

Studium Moſis in inculcanda ſanctitate Divina.

Cujus indicium fuit in toto cultu Rituali.

XIII. Dixi, Philoſophos hoc non cogitaſſe: *Quis poſſit conſiſtere coram Deo illo ſanctiſſimo?* Quomodo enim hoc cogitaverint, qui, cum ſe *impuros* eſſe cognoverint, ſi introirent ſerio in penetrale ſuæ mentis; tamen gloriati ſunt, ſe *Diis eſſe ſimiles*, *ſe divinæ naturæ eſſe conſortes*, ſe eandem cum Deo beatitatem poſſidere, ſe cum ipſo Deo de felicitate ſua poſſe certare, quæ *Stoicorum* frequentiſſimæ voces ſunt? Sed forte ais, impuri non fuerunt animo & conſcientia, forte ſibi fuerunt conſcii perfectiſſimi ſtudii virtutis? Imo vero nos certo ſcimus, non minus illos laboraſſe vitiis animi & pravorum affectuum quam reliquos mortales. Non potuerunt itaque id ſibi perſuadere abſque hypo-

Applicantur hypotheſes ad doctrinam Philoſophorum.

a Lev. xi. 44, 45. xix. 2. xx. 26. xxi. 8. b Lev. xix. 2. c 1 Sam. vi. 20.

criſi, & ſæpe utique id ingenue ſunt confeſſi, ut apud Senecam multis locis obſervavi. Sic ipſe [a]: *Peccavimus omnes, alii gravia, alii leviora, alii ex deſtinato, alii forte impulſi, aut aliena nequitia ablati. Nec delinquimus tantum, ſed* USQUE AD EXTREMUM ÆVI DELINQUEMUS. *Etiamſi quis tam bene purgavit animum ſuum, ut nihil perturbare eum amplius poſſit aut fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.* Aliud eſt [b]: *Non perveni ad ſanitatem,* IMO NE PERVENIAM QUIDEM. *debilis curſor ſum.* Alia mitto.

Ipſi ſubinde diverſa de ſe teſtati ſunt.

XIV. Diſſimulandum tamen non eſt, objici poſſe huic ſententiæ, naturalem notionem, quam de Deo mentibus noſtris impreſſam habemus, nobis ſeverum illum de *ſanctitate Dei* conceptum non ſuggerere, ob cujus neglectum Gentes culpo. Sed ea etiam moles, ſi bene judico, non difficulter removetur. Paulus affirmat in Epiſtola ad *Epheſios* [c], Gentiles *non habuiſſe* ἐλπίδα *ſpem.* Hoc voluit dicere, ni fallor, Gentiles nullo certo fundamento potuiſſe exſpectare ſalutem: ob has haud dubie rationes. 1. Quia conſcientia ipſos condemnavit ut peccatores, ac proin ὑπόδικους τῷ Θεῷ. 2. Quia conſcientia poſt peccatum nullam ipſis certam viam monſtravit, qua Deum quærere & invenire poſſent. Intelligebant enim Deo *jus* eſſe ipſos puniendi. eſſe illum *ſanctum*, ac proinde majeſtatis ſuæ læſæ vindicem. Saltem ex nullo principio certo ſcire poterant, *nolle* Deum uti jure ſuo in iis puniendis. Unde itaque tam faciles ſibi promiſerunt veniam? *Bonus* enim ſi ſit Deus, ut eſt: non tamen bonitas Dei ſanctitatem ejus ſubvertit, nec ad alios referri poteſt quam *animo* & *affectus puros*, qui Deum neque nunc offendunt neque offenderunt olim. Certe neſcit homo per rationem aut experientiam, quid Deus, cujus id eſt arbitrii & poteſtatis, ea de re velit ſtatuere. Contra Conſcientia, rite excuſſa, plures ipſi ſuggerit notiones, quæ merito ipſi incutiunt terrorem. Docet enim conſcientia α. Deum *neceſſario eſſe.* β. Neceſſario *talem eſſe*, (perfectionum ſuarum ratione) qualis eſt. γ. Se, ut *talem*, neceſſario *amare.* δ. *Verum eſſe*, quod Deus ſit, & *talis* ſit, qualis eſt. ε. *Bonum* eſſe, quod Deus ſit, & quidem *talis* ſit, qualis eſt. ζ. Ac proinde ESSE ALIQUOD VERUM & BONUM ÆTERNUM & IMMU-

Solvitur objectio, quæ huic ratiocinationi opponi poſſe videtur.

Locus Apoſtoli in ſubſidium vocatur, Epheſ. II. 12.

Notiones interioris conſcientiæ de ſanctitate Divina.

a De *Clementia*, Lib. I. Cap. VI. b De *Vita Beata* Cap. XVII. & XVIII. de *Ira* Lib. II. Cap. XXXI. c Cap. II. 12.

MUTABILE. η. Cum omni *veritati* oppoſitum ſit *mendacium*: inde conſequi, eſſe aliquod IMMUTABILE & æternum FALSUM, *Deum non eſſe*. ϑ. Cum Deus ſe ipſe amet neceſſario: neceſſario etiam *amare* hanc *veritatem*, quod Deus ſit, & quod talis ſit, qualis eſt. ι. Atque adeo *neceſſario odiſſe falſitatem* & mendacium, quod non ſit, aut talis non ſit, qualis eſt. κ. *Amare* veritatem & *odiſſe* mendacium, eſſe ipſam Dei *ſanctitatem*. λ. Quod cum Deo ſit *neceſſarium* & *naturale*: liquido ſequi, ipſam *ſanctitatem* debere in Deo ſpectari ut *naturalem* & *neceſſariam*. μ. Hinc *ſanctum* eſſe aut dici inter homines, qui hanc *veritatem ſummam* amat. ν. Deum, ſe amantem, non poſſe non illum ſui ipſius amorem conſtanter ſibi proponere, ut *normam* omnium ſuarum actionum. ξ. Ac proinde nos Deum contemplantes ante ullum arbitrarium actum voluntatis ipſius, poſſe dicere, eſſe quod *Deum deceat* decernere, agere, aut præcipere; eſſe, quod *non deceat*. ο. Decreta & opera, quæ Deum decent, eſſe, quę teſtari poſſunt de eo, quod Deus ſe ipſum & perfectiones ſuas amet. π. Non decere talia, quæ hoc non teſtantur. ρ. Hunc amorem, quo Deus ſe & perfectiones ſuas amat, Deum tum demonſtrare, quando remuneratur ſe quærentes, & amat amantes veritatem. σ. Nec non, quando averſatur & punit, qui ipſum abnegant, & veritatem odio habent. τ. Unde ſequitur, *Deum decere*, peccatores punire: *non decere*, eos dimittere impunitos abſque demonſtratione ulla ſuæ ſanctitatis. υ. Ac proinde neceſſarium ſtatutum eſſe apud Deum, *peccatum vindicare*: quemadmodum neceſſarium ſtatutum eſt, omnem ipſum quærentem gratum acceptumque habere & remunerari. φ. Ex quibus tandem colligitur, nullum peccatorem *cum ſpe* & *fiducia* ad Deum poſſe accedere abſque medio *ſanctificationis Nominis Dei*. Conſulat, qui ſolide de nexu veritatum propoſitarum inſtrui cupit, Cl. Cocceji Diſſertationem de *Origine boni*, digniſſimam cedro.

XV. Sed *ſanctificatur*, ais, *nomen Dei* per *actam delicti commiſſi pœnitentiam*, & per mutatam priſtinam vivendi rationem. Per illam *pœnitentiam* Deo *ſatisfit*. Non admittit igitur Deus peccatorem ad ſe abſque *ſanctificatione ſui*, ſi admittat pœnitentem. Qui enim à vitio ad virtutem tranſit, hoc ipſo priſtinum vitæ

Occurritur rurſus objectioni, quæ adverſus ſuperiora inferri poſſe videtur.

inſtitutum damnat, & Deum ſanctificat. Sed alia ratia eſt eorum, qui non reſipiſcunt. In illos enim animadvertere pertinet ad δίκην Dei Rectoris: & de illis intelligenda, quæ ex principiis puræ rationis de neceſſitate ſupplicii peccatoribus irrogandi colliguntur. Atque ſane ego nequaquam inficior, per pœnitentiam aliquatenus Deo ſatisfieri; neque etiam nego de impœnitentibus peccatoribus præcipue intelligenda eſſe dicta illa Scripturæ Sanctæ, ex quibus neceſſitas vindiciarum peccati vulgo adſtrui & urgeri ſolet. Duo tamen hic obſervari velim, α. Etiamſi quis etiam vere ita exiſtimaret, ſufficere poſſe in caſu veniæ à Deo impetrandæ delicti adverſus eum commiſſi *Satisfactionem Pœnitentialem:* neſcit tamen homo, an Deus ſecum certo, & qua ratione, conciliari velit & ullam admittere ſatisfactionem. Poteſt enim Deus, ſi velit, jus ſuum perſequi. Poteſt pœnam ab homine ſumere. Poteſt illum à ſua communione repellere. Nec aliunde facile cognoſci poteſt quam ex Revelatione ſingulari, an Deus hic jure ſuo uti velit nec ne, ac proin non poterant hic Philoſophi *pœnitenti* & *vitæ inſtitutum mutanti* veniam polliceri. Probabiliter de eo poterant diſputare, non certo. β. Imo ſane ex principiis puræ rationis amplius aliquid debuerunt colligere Deo deberi ad expungendas Juſtitiæ ipſius Vindicatricis rationes, quam Pœnitentiam. utique in gravioribus delictis, quibus Divinæ majeſtati magna illata erat injuria. Quo modo enim cenſebimus, Deum eam quam debebat ſuæ gloriæ rationem habere, ſi qualiacunque Delicta pœnitenti mox condonet? Sane Vulgus hic plus ſapuit quam Philoſophi. Popularis enim, ſive Politica, quę dicebatur, Theologia omnes Gentes docuit, Divinum Numen iratum non pœnitentia tantum ſed & ſacrificiis piaculiaribus eſſe placandum. Ipſe quoque Deus id συμβολικῶς docere voluit Iſraëlitas, in Cultu Sacro à Moſe inſtituto. Philoſophi, qui ſibi hic altius & rectius ſapere viſi ſunt, vere deſipuerunt. Videbant nempe ab una parte ſanguinem animantum non convenire Deo, qui Spiritus eſt maxime rationalis, placando; & ab altera parte ignorarunt verum illud ſacrificium piaculare λογικὸν, quod exacto tempore ignorantiæ pro electorum Peccatis Deo offerretur. Hæc enim vere eſt Evangelii Doctrina, Credentes omnium omnino delictorum ſuorum

Doctrina de Juſtitia & ſanctitate Dei, Philoſophorum hypotheſibus oppoſita.

rum

tum cujuſcunque generis, maximorum & minorum, ἄφεσιν conſequi per *ſanguinem Chriſti*. Ad quod ſacrificium etiamſi quis ex principiis rationis non poſſit cogitatione ſua pervenire: ex *affectu* tamen *vitiato* eſt, quod Philoſophi in genere ſaltem nihil certius & rectius docuerint de ἱλασμῷ *rationali*, præter Pœnitentiam, Deo Vindici ſcelerum præſtandam.

Caput XIII.

Non obſcuris evincitur argumentis, Doctrinam Practicam *antiquorum* Philoſophorum *haud minus fuiſſe ſubordinatam* Affectibus *ſive* Concupiſcentiæ, *quam* Theoreticam, *cum ratione* materiæ & formæ *verarum* virtutum, *tum ratione* finis.

PRogrediamur igitur ad τὸν πρακτικὸν λόγον τῆς φιλοσοφίας Gentium, quem pariter compoſitum fuiſſe ſecundum vitiatos Concupiſcentiæ affectus non difficulter evincemus. quod tamen ut ordine fiat, quædam in anteceſſum de *Philoſophia* Gentium *Practica*, quę alias uno nomine ἠθικὴ dicitur, obſervari volumus. Et quidem, 1. Non eſt quod negemus, Philoſophos ſæpe in ſcriptis ſuis de *Officiis*, quę homini præſtanda incumbunt ſecundum rationem ſanam, & in quorum præſtandorum habitu *virtus* conſiſtit, luculenter & egregie diſſerere, etiamſi illa adverſentur *concupiſcentiæ* & corruptis affectibus. Inprimis autem hoc invaluit ſtudium Philoſophiæ poſt Zenonem, qui primus περὶ τοῦ καθήκοντος, *de eo, quid hominem deceat*, incepit diſputare. Auctor eſt Laërtius [a]: φασὶ δὲ καὶ πρῶτον καθῆκον ὀνομακέναι καὶ λόγον περὶ αὐτοῦ πεποιηκέναι· *Ajunt illum primum* καθῆκον OFFICIUM *vocaſſe, & librum de illo ſcripſiſſe.* Per καθῆκον intelligas omne officium, ad quod *ſana ratio* quemque mortalem obligat: idem, ni fallor, quod Ariſtoteles τὸ φυσικὸν vocavit [b], oppoſitum τῷ νομικῷ, illi, *quod lex arbitraria præcipit.* Quid vero ſit τὸ καθῆκον *officium* ex ſententia Zenonis, expoſitum eſt ab eodem Laërtio [c]. Compendium eorum eſt, τὰ καθήκοντα εἶναι ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν, ὡς ἔχει, γονεῖς τιμᾶν, ἀδελφούς, πατρίδα, συμπεριφέρεσθαι φίλοις. παρὰ τὸ καθῆκον

De Practica Philoſophorum Doctrina, ubi agitur, α. Supponitur, Philoſophos ſæpe de *Officiis* hominis recte diſſerere.

Zeno primus auctor.

Quid iis τὸ καθῆκον?

a Lib. VII. p. 452. b Ethicor. Lib. V. c Pag. 502. & 503.

κον δὲ, ὅσα μὴ αἱρεῖ λόγος, ὡς ἔχει τὰ τοιαῦτα, γονέων ἀμελεῖν· Officia *eſſe, quæ ratio facienda ſuaſerit, ut Parentes honorare, fratreſque ac Patriam tueri, amicos parare, iiſque adeſſe. Præter officium eſſe, quæ ratio fugienda ſuggeſſerit; ut eſt, parentes negligere, &c.* Suidas, qui Laërtium deſcribit, Καθῆκον definit, ὅσα λόγῳ πράττειν, *quæ ratione agere convenit.* Paulus eandem vocem uſurpat ad Romanos, ubi Gentium vitia taxat. *Sicut* ait[a], *non viſum eſt iis Deum in agnitione retinere, ita tradidit eos Deus* εἰς ἀδόκιμον νοῦν *mentem omnis ſolidi judicii expertem,* ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα, *ut facerent,* QUÆ MINIME FIERI DECEBAT. Neſcio tamen, an hic monere debeam, accuratiores Philoſophos diſtinxiſſe inter τὸ καθῆκον & κατόρθωμα. Sic Cicero de *Officiis*, id eſt, περὶ τῶν καθηκόντων, de quibus alii Philoſophi bene multi ante ipſum ſcripſerant[b]: *Atque etiam alia diviſio eſt* OFFICII. *Nam & medium quoddam* OFFICIUM *dicitur & perfectum. Perfectum officium rectum (opinor) vocemus, quod Græci* κατόρθωμα: *hoc autem commune* καθῆκον *vocant. Atque ea ſic definiunt, ut rectum quod ſit, id perfectum eſſe officium definiant: medium autem officium id eſſe dicant, quod, cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit.* Κατόρθωμα notat *recte factum*, ſive opus omnibus abſolutum numeris: cujuſmodi præſtari tantum ab illis ajunt, qui ad ſummum culmen ſapientiæ & exercitationis Philoſophicæ pertigerunt. Qui inter hos ſunt Sapientes, θεωρητικοὶ ab ipſis vocantur, Diis ſimiles, liberi, fortunati, *nulla in re impediti, nulla prohibiti, nulla egentes,* quos *Eſſeni* θεωρητικοὶ olim inter Judæos fuerant imitati. Sed καθῆκον dicitur ejuſmodi *factum*, quod claris diſertiſque naturæ legibus conſentaneum eſt, & in communi praxi vitæ à quovis homine obſervandum: de qua re conſulas licet ſummum Virum, Joh. Georgium Grævium[c]. Ad noſtrum tantum inſtitutum facit, repetere, Gentium Philoſophos non modo περὶ τῶν καθηκόντων de *Officiis*, in praxi vitæ obſervandis, optima dediſſe præcepta, concupiſcentiæ carnis oppoſita, ſed inſuper talem etiam exercitationem Sapientibus perfectis præſcripſiſſe, quæ quaſi ſortem naturæ humanæ communem transſcendat, & longe poſt ſe relinquat.

Latini *Officia* vocant.

Κατόρθωμα quid?

Quantum differat ἀπὸ τοῦ καθήκοντος?

II. 2. Non eſt negandum, inter Philoſophos Veteres fuiſſe, qui

β. Fuiſſe ex iis qui Præ-

a Rom. Cap. 1. 28. b Lib. 1. Cap. III. c Adnot. ad h. l.

qui *Doctrinam ſuam* πρακτικὴν videntur oppoſuiſſe *affectibus* carnis. Laërtius refert [a], *Platonem* inter *quatuor virtutes* præcipuas collocaſſe ultimam τὴν σωφροσύνην *temperantiam*, τὸ κρατεῖν τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ὑπὸ μηδεμιᾶς ἡδονῆς δουλοῦσθαι ἀλλὰ κοσμίως ζῇν, *ad frenandas cupiditates, ut à nulla voluptate in ſervitutem redigamur, ſed ut honeſte vivamus.* qua notione vox σωφροσύνη pariter ſumitur Paulo Apoſtolo [b]. Stoicorum Philoſophiæ principium & finem fuiſſe, ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφὸν *ſapientem eſſe abſque affectu*, notius eſt, quam ut moneri mereatur. quæ eadem virtus eodem hoc nomine ipſis eſt dicta σωφροσύνη & ἐγκράτεια [c]. Quo igitur jure *Philoſophiam Gentium practicam* aſſerimus fuiſſe ψυχικὴν, hoc eſt, *inſerviiſſe affectibus*?

cticam ſuam videntur oppoſuiſſe concupiſcentiæ.

III. Jure quidem optimo, opinor, ut mox liquebit. Nunc tantum in anteceſſum monendum eſt, hæc *duo*, quæ conceſſimus, noſtræ ſententiæ non adverſari, ut primo intuitu videtur. Quod enim ad *prius* attinet: dictamen conſcientiæ in omni homine περὶ τῶν τοῦ νόμου *de iis, quæ cujuſque ſunt officii* erga Deum & proximum, adeo eſt evidens & manifeſtum, ut qui Philoſophiæ præcepta dare inſtituerunt, ſi data opera conſcientiam ſuam nollent ejurare, non poſſent non communes illas virtutes *pietatis*, *juſtitiæ*, *caſtitatis*, *modeſtiæ*, *temperantiæ*, commendare. Conſcientia enim noſtra multo fortius & clarius teſtatur ἐν τοῖς πρακτικοῖς, in *iis*, *quæ agenda*, quam in *iis*, *quæ credenda* ſunt. Quare mirari non oportet, Philoſophos moratiores, hoc teſtimonium, in diſciplina ſua inſtituenda ſecundum rationem, non neglexiſſe. Aliud eſt, ad quod in hoc caſu inprimis eſt attendendum. Ubi *caro* rationem ſuperare non poteſt aperte, tum ſolet ſua deſideria ſic componere cum ratione, ut tum etiam, quando homo concupiſcentiam ſuam oppugnare & ſuperare videtur, illi ſuccumbat. Videndum igitur, an Philoſophi *omnes* commendaverint & urſerint *virtutes*, quæ in homine, ut nunc eſt, requiruntur? An non *caro* ſuaſerit quædam officia negligere, quę homini ſumme erant neceſſaria? An non virtutum loco ſæpe propoſuerint vitia, quę ſe carni nomine virtutum commendabant? An verum ſciverint ſcopum & finem bene & recte faciendorum? Hæc, inquam, examinanda ſunt, quan-

Quæ tamen non obſtant ſententiæ, quæ hanc quoque Philoſophiam illorum ſtatuit ſerviiſſe affectui.

a Lib. III. p. 241. b 1 Tim. II. 15. Tit. II. 12. c Epict. *Enchirid.* Cap. XIV. d Rom. II. 14.

quando ſatis conſtabit, *Practicam* Gentium Philoſophiam non minus ſubjectam fuiſſe affectibus quam *Theoreticam.*

Ipſa illa doctrina Stoicorum, qua affectus omnes exuendos eſſe docuerunt, originem habuit ex concupiſcentia.

IV. Quod vero ad *poſterius*: noſtra ſic eſt ſententia, ex *affectu corrupto* profectum eſſe, non ex ratione, quod *affectus* omnes ſubigendos excutiendoſque ſenſerint. Ubi enim ſerio cogitamus de cauſſa & origine τῆς ἀπαθείας, quam diſciplinæ ſuæ magnam partem fecerunt Stoici, nulla nobis occurrit probabilior, quam quod peccatores ſe ſtuduerint liberare & vindicare *à conſcientia mala*, hoc eſt, à conſcientia condemnante & inducente metum ac horrorem. Peccator conſcius ſuæ miſeriæ, *dolet*, *metuit*, *horret.* Id ipſi moleſtum eſt, quia per hos ſtimulos conſcientiæ ipſe in concupiſcentia ſua turbatur. Quod cum ægre ferat; circumſpicit media, quibus ſe ipſe hac moleſtia & perturbatione liberet. Conſultum itaque ipſi videtur, animum ſuum contra quaſvis perturbationes munire, & ad conſcientiam, cauſſam doloris & metus, non magis attendere, quam ad alias quaſque externas cauſſas, quibus iidem moleſti affectus in ipſo excitantur. Sic quærit peccator *pacem habere* & à mala conſcientia liberari, licet revera ſit impurus & ὑπόδικος τῷ Θεῷ. Nec obſtat huic meæ ſententiæ, *Stoicos* lætitiam, carni utique bonam & gratam, æque damnare ac dolorem. nam & hoc ortum eſt ex concupiſcentia. Peccator enim, extra communionem Dei agens, nunquam *vere* poteſt *lætari.* Adeſt ipſi conſcientia, quę lætitiam ipſius condemnat. Quid enim lætetur, cui Deus iratus eſt? Id egregie notatum a *Salomone* eſt in *Eccleſiaſte*[a]: *Dixi ego in corde meo, eia age* אנסכה בשמחה FACIAM TUI PERICULUM PER LÆTITIAM, *&* ראה בטוב *exple te bonis: Et ecce etiam hoc erat vanitas.* τῷ *Ridere dixi, Inſanum, & lætitiæ, quid facit hæc?* In *Proverbiis* etiam idem monet ſæpe. Nihil igitur ſupereſt miſero ad omnem animi perturbationem præveniendam, quam ut omnes affectus ſuos, lætitiam æque ac dolorem & metum, ſuffocet, ſupprimat, & extinguat. Epictetus[b]: *Μέμνησο οὖν ὅτι ἐὰν τὰ φύσει δοῦλα ἐλεύθερα οἰηθῇς καὶ τὰ ἀλλότρια ἴδια, ἐμποδισθήσῃ, ταραχθήσῃ, μέμψῃ καὶ Θεοὺς καὶ ἀνθρώπους· Proinde memento, ſi ea, quæ natura ſerviunt, libera putaris, & aliena pro tuis habueris; fore, ut impediaris, lugeas,* PERTURBERIS, *Deos hominesque accuſes.* Cæterum

omne

a Cap. II. 1, 2. b Enchir. Cap. III.

omne ſtudium peccatoris ſuffocandi conſcientiam ſuam accuſantem, & ab illius accuſationibus ſe liberandi per ſe ipſum, eſt ſtudium *concupiſcentiæ*, & manifeſtiſſimum indicium ὑποκρίσεως. *Pacem quærit* peccator, *etſi ambulet in cordis ſui duritie.* Hoc, inquam, eſt ſtudium ὑποκρίσεως. Progrediamur igitur videamuſque, quę nobis argumenta ſuppetant ad noſtram ſententiam adſtruendam.

Specialius demonſtratur hypotheſis, α. Quod fuerint, qui docuerint ſummum bonum conſiſtere in explenda concupiſcentia. Ariſtippi ſententia.

V. 1. Neminem latet, fuiſſe inter Philoſophos, qui omnem praxin Philoſophiæ ſuæ conſtituerunt in larga expletione ſuæ concupiſcentiæ, qualiſcunque ea eſſet, nec vitii nec virtutis habita ratione. Ariſtippi quidem profeſſio fuit, τὰς ἡδονὰς *voluptates*, eaſque *corporeas*, vitam hominis efficere *beatam*. Laërtius argumentum Doctrinæ Ariſtippi his explicat verbis [a]: Πίστιν δ' εἶναι τοῦ τέλος εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀπροαιρέτως ἡμᾶς ἐκ παίδων ᾠκειῶσθαι πρὸς αὐτὴν καὶ τυχόντας αὐτῆς μηδὲν ἐπιζητεῖν, μηδέν τε οὕτω φεύγειν ὡς τὴν ἐναντίαν αὐτῇ ἀλγηδόνα· *Teſtimonio nobis eſſe finem habendum eſſe voluptatem, quod à pueris hanc nobis natura conciliaverit etiam abſque judicio rationis: & cum illa fruimur, nihil amplius inquirimus, quodque nihil æque ac dolorem naturaliter fugimus.* quibus hæc ſujiciuntur: εἶναι δὲ καὶ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν κἂν ἀπὸ τῶν ἀσχημονεστάτων γένηται, καθά φησιν Ἱππόβοτος ἐν τῷ περὶ τῶν αἱρέσεων. εἰ γὰρ καὶ ἡ πρᾶξις ἄτοπος εἴη, ἀλλ' οὖν ἡ ἡδονὴ δι' αὐτὴν αἱρετὴ καὶ ἀγαθόν· *Voluptatem præterea bonam eſſe, etiamſi à turpiſſimis proveniat rebus, ut ait Hippobotus in Libro de Sectis. Etſi enim fœda ſit actio, voluptatem tamen per ſe ipſam eligendam eſſe, bonumque exiſtimandam.* Admirandum eſt, carnem ejuſque φρόνημα tam violentum poſſe exercere imperium in τὸν ὀρθὸν λόγον, *rectam rationem*, ut non tantum hominem ad vitia abripiat, ſed & rationem ducat ac ſeducat ad illa approbanda. Qui enim hanc Ariſtippi ejuſque ſequacium doctrinam amplectitur, is ſimul omne diſcrimen vitii & virtutis, boni & mali, reprobat & repellit. Hoc enim ejuſdem illius Philoſophi ſcitum fuit, cæteris dictatis ipſius conſentaneum: Μηδέν τε εἶναι φύσει δίκαιον ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει· *Nihil natura juſtum eſſe, aut honeſtum vel turpe, ſed conſuetudine, & lege*, eodem Auctore Laërtio [b]. Viden' hujus Philoſophiæ praxin fuiſſe *carni* & *concupiſcentiæ* obſequi, omni conſcientiæ luce prorſus extincta & confuſa? Ne-

 que

a Lib. 11. p. 146. b Pag. 149.

Et Epicuri. que longe ab hac opinione abſuit Epicurus, etſi inter illum & Ariſtippum quædam notetur ſententiæ diſcrepantia. Sic ipſe *Epiſtola* ad Menœceum [a]: Διὰ τοῦτο, ait, τὴν ἡδονὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν. ταύτην γὰρ ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικὸν ἔγνωμεν, καὶ ἀπὸ ταύτης καταρχόμεθα πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ ἐπὶ ταύτην καταντῶμεν ὡς κανόνι τῷ πάθει πᾶν ἀγαθὸν κρίνοντες. *Quocirca voluptatem finem dicimus ac principium beatæ vitæ Hanc enim primum bonum atque ingenitum novimus, atque ab hac electionem omnem ac devitationem inchoamus, atque huic occurrimus, perturbatione tanquam norma bonum quodvis diſcernentes.* Certe quis neget, *Voluptatem* eſſe *bonum* hominis? quis neget etiam, omnem qualemcunque Voluptatem *abſolute* & *in ſe* ſpectatam, qua Voluptatem, eſſe bonum? Perfectio enim hominis eſt eſſe in ſtatu delectationis & voluptatis. quippe quod natura omnes mortales docet, & Verbum Dei ubique ſupponit, ubi homini *vitam æternam*, & *beatam*, ſumma cum voluptate & jucunditate agendam, proponit tanquam ſummum finem, ad quem tendere & in quo perfici & conſummari debeat. Hactenus igitur in Epicuri Philoſophia nihil vitii. Sed hoc damnandum & vere deteſtandum eſt in doctrina Ariſtippi, & Epicuri quoque, quod nullum agnoverint *bonum* niſi *phyſicum*, repudiato *bono morali*. quod tantundem erat ac ſi omnem exſcinderent & conculcarent virtutem; tum etiam quod *Voluptatem* male definiverint, & interpretati ſint. *Voluptatem* enim vocarunt quamque delectationem, quę ex quacunque re percipitur. cum vere *Voluptas* dicenda ſit *delectatio rationalis*, quæ ex re percipitur. *Rationalis* autem *Voluptas* eſt qua expletur *cupiditas rationalis*, qua homo fertur in bona, quæ licite ab ipſo uſurpari poſſunt, eo modo & ordine ab ipſo obtinenda & poſſidenda, quem *ratio* præſcribit. Huic cupiditati ſi ſatisfiat; volupe homini eſt & delectatur. quę delectatio eſt rationalis & congrua ejus naturæ, comitemque habet bonam conſcientiam. Rationalis igitur delectatio eſt ſumma hominis perfectio, non qualiſcunque alia; minime quæ ex turpiſſimis rebus provenit, homine indigna, nec ejus ſtatui conſentanea, quæ comitem habet malam conſcientiam, & potius *mortis* quam *vitæ* nomine inſignienda eſt. quæ exemplis à nobis facile

Quid in ejus ſententia probari, quid improbari debeat?

Quid ei voluptas?

a Laërt. Lib. x. p. 784.

facile potuiſſent illuſtrari, ſi ſtatutum eſſet hic moras nectere.

VI. 2. Certum eſt, Philoſophos pleroſque Scholæ, (*Populares* enim & *mythici* hic rectius ſapuerunt, ut ſupra notavimus:) ſingulare aliquod, idque præcipuum peccatoris officium, quod *carnali concupiſcentiæ* adverſiſſimum eſt, neglexiſſe. Officium, quod nunc reſpicio, eſt RESIPISCENTIA, ſive μεταμέλεια, quam ratio facile percipit eſſe inter prima, quæ à peccatore requiruntur. quod tamen à gentium Philoſophis paſſim neglectum eſſe, merito jam ab aliis eſt notatum. Stoici utique palam præ ſe tulerunt, *Sapienti non eſſe dolendum.* Laërtius [a]: Οὐδὲ μὴν λυπηθήσεσθαι τὸν σοφὸν, διὰ τὸ τὴν λύπην ἄλογον εἶναι συστολὴν ψυχῆς, ὡς Ἀπολλόδωρος φησὶν ἐν τῇ ἠθικῇ· *Neque dolore capiendum ſapientem, quod ea ægritudo ſit animi irrationalis contractio, quemadmodum Apollodorus ait in Moralibus.* Imo tantum abeſt, ut veniam cenſuerint petendam criminis commiſſi, ut ſcitum ipſorum Philoſophiæ fuerit, mollitiei eſſe indicium, velle aut non exercere aut deprecari pœnas, crimini conſtitutas. Sic rurſus Laërtius [b]: Ἐλεήμονάς τε μὴ εἶναι, συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί. μὴ γὰρ παριέναι τὰς ἐκ τοῦ νόμου ἐπιβαλλούσας κολάσεις. ἐπεὶ τό γε εἴκειν καὶ ὁ ἔλεος, αὐτή τε ἡ ἐπιείκεια, οὐδένειά ἐστι ψυχῆς πρὸς κολάσεις προσποιουμένη χρηστότητα, μηδ' οἴεσθαι σκληροτέρας αὐτὰς εἶναι· *Miſericordes autem non eſſe, neque veniam alicui habere* (ſapientes,) *neque etiam prætermiſſuros conſtitutos à lege cruciatus. Nam τὸ cedere miſericordiaque & manſuetudo nulli ineſt animæ ſimulanti benignitatem adverſus cruciatus, neque τὸ illos arbitrari duriores.* Summa eſt, ſapientem virum nec petere veniam, nec dare; nec excuſare facta ſua, nec excuſare alios, nec remittere de pœna criminis, lege conſtituta, ac proinde non cadere in ipſum τὸ εἴκειν *cedere*, nec ἔλεον *miſericordiam*, nec ἐπιείκειαν *æquitatem*, quæ oppoſita habetur ſummo juri. Vult igitur Philoſophus de ſtoa ſummum ſemper jus ipſe exercere, idque in ſe exerceri.

β. Quod fuerint inter Philoſophos, qui neglexerunt virtutem *Reſipiſcentiæ.*

Stoici notati, & Doctrina eorum expoſita.

VII. Ex hoc vero argumento certo nobis poterit conſtare, præſtantiorum etiam Philoſophorum apud Gentes ἠθικὴν fuiſſe compoſitam ſecundum *carnem* & *concupiſcentiam.* Nullum enim officium, nulla virtus difficilius poteſt conciliari cum carnali concupiſcentia, quam *Reſipiſcentia.* Poteſt ſibi homo ψυχικὸς placere

Conſequens ductum è ſuperioribus.

a P. 599. in *Zenone.* b P. 512.

cere in exercitio *modeſtiæ*, *magnanimitatis*, *humilitatis*, *juſtitiæ*, *manſuetudinis*, cæterarumque virtutum, his ſimilium; ſed vero in exercitio *reſipiſcentiæ*, fictæ etiam & ſimulatæ, quomodo ſibi placebit? Eſt enim in *reſipiſcentia* agnitio facti mali, juncta cum pudore, dolore, & ægritudine animi. Quid vero magis moleſtum *carni*, quam *pudere*, *dolere*, agnoſcere poſt commiſſum crimen, te feciſſe male, te dignum eſſe pœna? Quid magis repugnat *concupiſcentiæ tuæ*, quam te ſubjicere Deo, quem conſcientia tibi repræſentat, ut vindicem peccati, & cum ſumma ægritudine animi tui dicere, Ἤλιτον *peccavi*, σύγγνωτε τοῖς πρίν, *delictis parce*, ut Laërtius inducit *Bionem*, Philoſophum ἄθεον: quem unum, poſt vitam impie actam, reſipuiſſe legi; ſive ut *Publicanum* Chriſtus orantem fingit [a]: Ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ· *O Deus ſis mihi propitius peccatori!* Quid magis contrarium eſt illi faſtui Stoico, quo ſe prædicabant θείους *divinos*, ſui ipſius dominos, ἀναμαρτήτους ἀβλαβεῖς τε, neſcios Deo *cedere* aut homini, quam ſe Deo ſubmittere, iique *Gloriam dare* confeſſione culpæ & deprædicatione gratiæ Divinæ? Certe tantum abeſt, ut hoc officium, imo, dicere liceat, hæc *virtus* in *Stoicum* cadere potuerit Philoſophum, ut potius tota illius diſciplina & profeſſio veræ reſipiſcentiæ videatur è directo fuiſſe oppoſita.

Antonini ſententia vera.

Neque volo mihi nunc in contrarium objiciantur ſententiæ quædam, quæ apud Antoninum Imperatorem leguntur ſatis ſpecioſæ, de modo adeundi poſt peccatum Dei, quia certum eſt, ipſum illum Antoninum Imperatorem nihil prorſus aliud requirere in eo, qui delictis offendit, quam ut priorem vitæ curſum repetat, & ipſe ſe ipſum denuo collocet in illa, qua excidit, ſtatione. Σκέψαι, inquit [b], τὴν χρηστότητα, ᾗ τετίμηκε τὸν ἄνθρωπον. καὶ γὰρ ἵνα τὴν ἀρχὴν μὴ ἀπορραγῇ ἀπὸ τοῦ ὅλου, ἐπ᾽ αὐτῷ ἐποίησε. καὶ ἀπορραγέντι πάλιν ἐπανελθεῖν καὶ συμφῦναι καὶ τὴν τοῦ μέρους τάξιν ἀπολαβεῖν ἐποίησε· *Verum benignitatem ejus conſidera, qua hominem cohoneſtavit: cum & in ipſo poſuerit, ne primitus ab univerſo revelleretur, & facultatem tribuerit, ubi fuerit revulſus, redeundi, denuoque coaleſcendi, & partis ordinem, quem tenuerat, recuperandi.*

Contraria doctrina Evangelii.

Sicut vero hæc Stoicorum doctrina ex *affectu* & concupiſcentia ſuam ducit originem, ſic omni parte adverſa eſt *rationi* & *inſtitutioni Evangelicæ*. *Rationi* qui-

a Luc. XVIII. 13. b Lib. VIII. §. XXXIV.

quidem, quia illa percipit, officii eſſe hominis, ſe ſubmittere Deo, eique gloriam dare cum abnegatione ſui, & deprædicatione veritatis, juſtitiæ, & ſufficientiæ ejus. *Inſtitutioni* autem Evangelicæ, quia illius primum præceptum eſt [a]: Μετανοεῖτε. Inſtitutio vero Evangelica, ut cum ratione egregie convenit, ſic prorſus eſt oppoſita *concupiſcentiæ peccatoris*. Subjicit enim *carnem legi Dei*, quę *legi Dei ſubjici non vult*.

IX. 3. Ad quę nunc accedit, Philoſophos in ſua πραγματείᾳ *virtutum* nomine ſæpe commendaſſe ejuſmodi *actus* aut *habitus*, qui *virtutes* non ſunt, ſed *carni* tales eſſe videntur. Unum tantum ex cæteris, quę à Doctis Viris notata ſunt, exemplum dabimus in μεγαλοψυχίᾳ *magnanimitate*. Eam ſic definit Ariſtoteles [b]: Δοκεῖ δὲ μεγαλόψυχος εἶναι ὁ μεγάλων αὑτὸν ἀξιῶν, ἄξιος ὤν. *Videtur autem ille eſſe magnanimus, qui* MAGNIS SESE DIGNUM ESSE EXISTIMAT, *ſi iis dignus fuerit*. Quænam vero ſunt illa μεγάλα, quibus ὁ μεγαλόψυχος ſe dignum exiſtimat? Μέγιστον δὲ τοῦτ' ἂν θείημεν, ὃ τοῖς θεοῖς ἀπονέμομεν, καὶ οὗ μάλιστα ἐφίενται οἱ ἐν ἀξιώματι, καὶ τὸ ἐπὶ τοῖς καλλίστοις ἆθλον. τοιοῦτον δὲ ἡ τιμή. μέγιστον γὰρ δὴ τοῦτο τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν. περὶ τιμὰς δὴ καὶ ἀτιμίας ὁ μεγαλόψυχός ἐστιν *Id vero maximum ſtatueremus*, (externum bonum) *quod Diis attribuimus, quodque maxime appetunt, qui ſunt in dignitate, & quod placlariſſimarum rerum præmium eſt. at hujuſmodi eſt* HONOR. *Externorum enim bonorum hoc eſt maximum. In honoribus igitur & ignominiis, ut oportet, verſatur magnanimus. Magnanimus* igitur fuerit, qui ſe *dignum* cenſeat *maximo honore*, ſi eo dignus fuerit. Ad quod pertinet, ut quis *honorem* pro καλῷ μεγίστῳ *magno* habeat *bono*. cujuſmodi *magnanimitas* vera virtus non eſt, multo minus κόσμος τις τῶν ἀρετῶν *quoddam virtutum ornamentum*, ut ibidem Ariſtoteles. Conſiſtere enim non poteſt cum τῇ ταπεινοφροσύνῃ, oppoſita τῇ κενοδοξίᾳ, qua ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἡμῶν *alios nobis præcellere exiſtimamus* [c]. Honor haud dubie inter phyſice bona minimum non eſt, & ſæpe eſt comes virtutis: neque tamen honor perficit virtutem, quippe abſque quo virtus perfectiſſima conſiſtere potuit, ut exemplum docuit Chriſti, virtutum exemplaris. Quare etiam *virtus* dici non poteſt, quod quis ſe alterius honore dignum judicet. Sed ſi *honor* etiam inter externa bona reputandus ſit, ut eſſe non inficias eo: non magis

γ. Philoſophi commendarunt ſæpe virtutes, quæ hoc nomen non merentur. Specimen in *Magnanimitate*: ut definitur ab Ariſtotele.

Quæ ſententia ejus refellitur.

a Marc. 1. 15. b Ethic. Lib. IV. §. 111. c Phil. II. 3.

magis fuerit virtus, quod te honore dignum cenſeas, quam divitiis, ſanitate, robore, cæteriſque, quæ his ſunt ſimilia. Quantæ vero & quales hæ ſunt virtutes? Ex *affectu* igitur, non ex *ratione*, eſt quod Ariſtoteles τὴν μεγαλοψυχίαν, ut ab ipſo definitur, inter *virtutes* collocarit. Caro nimirum ſibi blanditur. Suas virtutes & facta extollit. Suggerit ſe aliis eſſe digniorem ac meliorem, ac proinde ab aliis debere honorari. Diſcipuli Chriſti eſt, imo diſcipuli rationis eſt, recta facere διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας: ſi honoretur, non efferri; ſi negligatur, non dejici. Eſt tamen aliqua *magnanimitas* laudabilis ac Chriſtiano homini conveniens, quæ inter virtutes reputari poteſt: quam Crellius ſic deſcripſit in Ethica Chriſtiana[a]. *Eſt virtus, ea, quæ in rebus humanis ardua ſunt, ſuperans, & terrena omnia cum judicio contemnens.*

Magnanimitas Chriſtiana.

δ. Philoſophi ignorarunt vel non docuerunt finem boni operis.

X. 4. Si etiam certum eſſet, Philoſophos Gentiles naturam *virtutis* optime explicuiſſe, & quę præſtanda ſunt *officia* ſecundum ſanam rationem accurate demonſtraſſe: univerſa tamen eorum ἠθικὴ dicenda eſſet ψυχικὴ *carnalis*, quando *finem* ignorarunt vel vitioſe determinarunt, ad quem actus virtutum boni ac laudabiles ſecundum præſcriptum ſanæ rationis dirigendi ſunt. Actus enim qualeſcunque, qui à ſubſtantiis intelligentibus eduntur, ex ſcopo potiſſimum & intentione agentis æſtimandi ſunt. Principium actus in omni actu reſpiciendum & diligenter conſiderandum eſt. quod ſi ſit laudabile & rationi conſentaneum, tum demum actus, ſecundum *materiam*, quę dicitur, bonus, probari & laudari meretur; ſi contra damnabile & vitioſum, actus, licet ſecundum *materiam* optimus, in vitiis & peccatis reputabitur. Idem opus agit ſæpe impuriſſimus peccator, quod ſanctus & regenitus. Uterque Deum precibus & ſacris ſecundum legem præſtitis publice colit. Uterque eleemoſynas ex bonis ſuis erogat in uſus pauperum. Uterque veritatem tuetur laudabilibus argumentis. Hic tamen bene & laudabiliter agit, ille male & vitioſe. Uterque Deo ſacrificium facit frater. Hoc Deo placet, illud diſplicet. Quæ ratio? Quia alter agit ἐκ πίστεως ex *fide*, alter ἐξ ὑποκρίσεως, hoc eſt, non cum *conſcientia bona* & *corde puro*, quod ipſi teſtimonium perhibeat, ipſum

Actiones hominum non ex materia tantum: ſed & ex principiis & finibus æſtimandæ ſunt.

a Lib. IV. Cap. XVIII.

ipſum vere Deum & illius communionem quærere, eamque unice ut ſummum ſuum bonum appetere cum omni niſu ſuæ voluntatis. Scite hæc olim inculcarunt diſcipulis ſuis Judæorum Magiſtri in aliqua precationis formula, quam olim præſcripſerunt Scholaribus auctore *R. Nechunja Ben Hakkana*. Meretur illa ob elegantiam hic adſcribi: מורה אני לפניך א׳ אלהי ששמת חלקי מיושבי בית המדרש. ולא שמת חלקי מיושבי קרנות. אני משכים. והם משכימים. אני משכים לדברי תורה. והם משכימים לדברים בטלים. אני עמל .והם עמלים. אני עמל ומקבל שכר. והם עמלים ואינם מקבלים שכר. אני רץ. והם רצים. אני רץ לחיי העולם הבא. והם רצים לבאר שחת. שנאמר. ואתה אלהים תורידם לבאר שחת. אנשי דמים ומרמה לא יחצו ימיהם. ואני אבטח בך *Celebro Te Domine Deus mi, quod poſueris partem meam inter eos, qui conſident in Academia, & non poſueris partem meam inter eos, qui conſident in triviis. Quippe ego ſurgo mane, & illi mane ſurgunt. Ego ſurgo mane, ut operam dem verbis Legis: Illi vero mane ſurgunt, ut vanis otioſiſque rebus ſtudeant. Ego laboro ad defatigationem uſque, ſed & illi laborant. Ego laboro & accipio mercedem: Illi vero laborant, & mercede omni fruſtrantur. Ego curro, & illi currunt. Ego curro ad vitam ſeculi venturi: Illi vero currunt ad foveam exitii ut dicitur: Tu Deus deſcendere eos facies in puteum exitii. Viri, ſanguinis cupidi & fraudis, non dimidiabuntur dies illorum*[a]*: Ego vero Tibi confidam.* Extat in *Præfatione* Jom Tob in *Miſnam*, deſumpta ex Gemara *Berachoth*[b].

Inſignis de eo ſententia Doctoris Judæi.

XI. Finis vero, ad quem actiones humanas omnes directas eſſe oportet, alius eſſe non poteſt, quam *Deus*, ejuſque *gloria*. quod hac ratione facile evincitur. Eſt in quoque homine, quod jam in antecedente oratione noſtra per totam hanc de Concupiſcentia diſſertationem ſæpe ſuppoſuimus, ſtudium ſe ipſum conſervandi & felicitatem ſibi procurandi ſummam, naturæ ipſius congruam, intenſiſſimum. Hic itaque ultimis finis eſt, ad quem quiſque tendit. Conſcius jam quiſque ſibi eſt, (eſſe utique debet, ſi recte de ſe, ſuiſque facultatibus & ſtatu judicet:) illa ſe felicitate per ſe ipſum potiri non poſſe. Circumſpicit itaque & quærit cauſſas illius felicitatis potiundæ extra ſe. Quod ubi ſolicite agit, pura ratio nullam demonſtrat niſi Deum. Is enim ſolus potens eſt ad hominem collocandum in ſtatu ſummæ

Finis bonorum & laudabilium actionum non poteſt eſt alius verus quam *Dei gloria*.

Quod latius declaratur.

a Pſ. LV. 24. b Fol. XXVIII. Col. II.

mæ perfectionis. quem proinde ſi ſibi propitium & faventem habet, fieri non poteſt quin voti hujuſce & deſiderii ſui compos evadat. Propitium autem & faventem ſibi Deum habere ipſum non poſſe docet eadem ratio, niſi *Deum colat*, hoc eſt, *in omni actu ſuo ipſi ſtudeat placere.* quod haud dubie aget, ſi Legem, ſibi à Deo per rationem præſcriptam, ſtudioſe ac diligenter obſervet, & gloriæ Dei, tanquam ſummi auctoris ſuæ felicitatis, celebrandæ & deprædicandæ in omni actu ſuo intentus ſit; quærat igitur ſuam perfectionem *in Deo*, non *in ſe*; Dei placitum ſuo placito & arbitrio præferat; ſuam gloriam Divinæ gloriæ poſtponat; ſe abneget, ut Deum inveniat; Deumque ſupra omnia æſtimet, amet, ac glorificet, omnemque vitæ ſuæ rationem & inſtitutum ad hunc unum dirigat finem, tanquam in finibus ſuæ ſaluti ſubordinatis ſummum, *Deo placere.* Hoc ratio ſana docet: hoc imperat conſcientia. Videamus jam, quomodo Philoſophi ſe hoc in caſu geſſerint, & an hunc *affectum* erga Deum docuerint clare verarum virtutum eſſe principium. quod ſi demonſtrare poſſimus, eos non feciſſe: dubium non eſt quin in *morali* quoque Philoſophiæ ſuæ parte tradenda magis conſuluerint *affectus* quam *rationem.*

Doctrina Philoſophorum de *Fine* virtutis excutitur, quem *α.* aliqui ſtatuerunt, eſſe hominem ipſum.

Ariſtippi ſententia.

XII. 1. Fuerunt inter Philoſophos, qui eo uſque à tramite veri deflexerunt, ut diſertis verbis hominem ipſum conſtituerint ſui ipſius actionumque ſuarum finem & terminum: hoc eſt, hominem abſque reſpectu ad Deum ejuſque communionem & gloriam, ſuum tantum placitum & arbitrium ſequi in omni ſuo actu, nihil aliud præter ſe curantem. Hæc Ariſtippi fuit ſententia. Laërtius [a]: τὸν δὲ σοφὸν ἑαυτοῦ ἕνεκα πάντα πράξειν. οὐδένα γὰρ ἡγεῖσθαι τῶν ἄλλων ἐπίσης ἄξιον αὐτῷ. κἂν γὰρ τὰ μέγιστα δοκῇ παρ' αὐτοῦ καρποῦσθαι μὴ εἶναι ἀντάξια, ὧν αὐτὸς παρέχει· *Sapientem* sui ipsius *gratia cuncta facturum: alium quippe neminem æque ac ſe dignum arbitrari. Quamlibet enim ingenia ab eo videatur conſecutus, non tamen eorum, quæ ipſe præſtiterit, merita æquare.* Hæc conſentanea ſunt cæteris partibus ipſius Philoſophiæ. Ejuſdem opinio erat, τοὺς σοφοὺς αὐτάρκεις εἶναι *ſapientes ſibi ipſis ſufficere* [b]. Quæ ſapientia, ſi ulla, eſt ψυχικὴ *carnalis* & διαβολική. Miſellus homuncio, qui ex ſe nihil habet, quique ſe ipſum perficere non poteſt, *ſe ipſum* tamen a-

ctuum

a Lib. II. p. 150. b P. 153.

ŋ ſuorum arbitrum & finem conſtituit. Unde hoc ortum, nimio ſui amore, quem *concupiſcentiam* vocamus?

. 2. Cæteri etiam Philoſophi *beatitudinem*, ut finem *in ſe ipſis quæſiverunt*, non in Deo; eamque hujus, non e. Hæc duo probe perceperunt, 1. Finem virtutis eatam. 2. Vitam beatam conſiſtere in ſumma pers hominis. Sed quænam eſſet illa ſumma hominis o hæſitarunt. Varro jam ſuo tempore plus quam nes de *ſummo Bono* notavit diſcrepantes. Patres in hoc argumentum exſpatiantur, quando manus conſerunt. Unus ex omnibus notetur Aus Clemens [a], qui plures Philoſophorum celebrium entias hac de re recenſuit & caſtigavit, quę omnes in id conſpirarunt, quod homo ſummum bonum *per ſe ipſum* conſequi, eoque extra communionem Dei, de quo parum eſt quod moneant, frui poſſit ac gaudere. Specioſa equidem ſunt, & notabilia, quæ de Platone habet Clemens; in hunc modum: *Αὐτὸς δὲ ὁ Πλάτων τὴν εὐδαιμονίαν, τὸ εὖ τὸν δαίμονα ἔχειν. δαίμονα δὲ λέγεσθαι τὸ τῆς ψυχῆς ἡμῶν ἡγεμονικόν· τὴν δὲ εὐδαιμονίαν τὸ τελειότατον ἀγαθὸν καὶ πληρέστατον λέγει. ὅτε δὲ βίον ὁμολογούμενον καὶ σύμφωνον αὐτὴν ἀποκαλεῖ. καὶ ἔσθ' ὅτε τὸ κατ' ἀρετὴν τελειότατον· τοῦτο δὲ ἐν ἐπιστήμῃ τοῦ ἀγαθοῦ τίθεται, καὶ ἐν ἐξομοιώσει τῇ πρὸς τὸν Θεόν. ὁμοίωσιν ἀποφαινόμενος δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως εἶναι·* *Ipſe autem Plato dicit, beatitudinem, quæ eſt εὐδαιμονία, eſſe bene habere Dæmonem. Dici autem Dæmonem principalem animæ noſtræ partem* (Conſcientiam, quę hominem vel accuſat vel excuſat:) *Beatitudinem autem eſſe perfectiſſimum bonum & pleniſſimum. Aliquando autem vocat vitam conſcientem & convenientem, & nonnunquam id, quod eſt ex virtute perfectiſſimum. Id autem ponit in ſcientia boni, & in ea, quæ eſt cum Deo, ſimilitudine; ſimilitudinem pronuncians eſſe juſtum & ſanctum cum prudentia.* Plura etiam in eundem ſenſum habentur in ſequentibus. Conveniunt Laërtii verba de Platone [b]:- Τέλος μὲν εἶναι τὴν ἐξομοίωσιν τῷ Θεῷ. Quid in his reprehendendum? Hæccine ſapiunt carnem ejuſque affectus? Certe Clemens Alexandrinus ea approbare videtur ut recte & ſane dicta. Habeo tamen, quę moneam.

β. Cæterorum Philoſophorum hypotheſes de *ſummo bono* vitioſæ, & ſententiæ illorum incertæ.

Platonis, ex Clemente Alexandrino.

XIV. In dubium non voco, an quis ſano ſenſu dicere poſſit,

Ἐπίκρισις ad eam.

S ſ ſ ſ

a Strom. Lib. II. p. m. 303, 304, 305. b Lib. III. p. 233.

ſit, finem virtutis ratione hominis eſſe *ſimilitudinem cum Deo.* Sic enim ipſi Scriptores ſacri ſæpe loquuti ſunt [a]: & ſi id ſane explicetur, nihil quicquam magis eſt conſentaneum rationi. Sed Platonis ea mens non fuit. *Simile eſſe Deo* Platoni non eſt in communione Dei ad ejus ſe componere exemplar tanquam perfectiſſimum, & *Deo frui* ad ſummam voluptatem & lætitiam in ſtatu ſumme felici & beato, ſed potius externa vivendi ratione ęas, quę in Deo ſunt, perfectiones, quantum in ſe eſt, exprimere. Deus eſt ſapiens, juſtus, ſanctus, ſibi ſufficiens, glorioſus. Homo igitur eſt *Deo ſimilis*, qui quantum ipſius conditio permittit, ſapiens, juſtus, ſanctus, dives, felix eſt. Sed quomodo? Non ut homo eas virtutes habeat ex Deo & poſſideat (ſi Platonis mentem bene aſſecutus ſum:) in Deo, ejuſque communione, ſed ut iis, *ex ſe* acquiſitis, *glorietur*, ut *ſuis*, atque in ea gloriatione mentis ultimo acquieſcat, quemadmodum Deus acquieſcit in *virtutibus ſuis*, ut quas *ex ſe* habet & *in ſe* poſſidet. Hanc veram Platonis ſententiam eſſe per hanc rationem facile demonſtratur, quod *Gloriam*, quę ab hominibus captatur, partem τῆς εὐδαιμονίας conſtituerit. Sic Laërtius [b]: Ἡ εὐδαιμονία διαιρεῖται εἰς πέντε μέρη. ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστιν εὐβουλία. ἣ δὲ εὐαισθησία καὶ ὑγίεια τοῦ σώματος. τρίτον εὐτυχία ἐν ταῖς πράξεσι. τέταρτον εὐδοξία παρὰ τοῖς ἀνθρώποις. πέμπτον εὐπορία χρημάτων καὶ τῶν εἰς τὸν βίον χρησίμων· *Felicitatem* (beatitudinem) *in quinque partitam diffinit. Primam ejus partem, bene conſulere: Secundam, ſenſibus & bona valetudine corporis vigere: Tertiam, in rebus gerendis fortunatum eſſe: Quartam, Gloria & beatitudine apud homines vigere: Quintam, pecuniis rebuſque cæteris ad omnes uſus vitæ effluere.* Hæc poſtquam ſingula explicaſſet Laërtius, ſubjungit: ᾧ δὲ ὑπάρχει ταῦτα πάντα, οὗτός ἐστιν εὐδαίμων τελέως· *Cui autem hæc omnia ſuppetunt, hic eſt perfecte felix beatuſque.* Ne γρῦ quidem hic de Deo ejuſque communione. Cujuſmodi vero hoc genus eſt beatitudinis felicitatiſque? Hominis *carnalis*, & ψυχικοῦ, qui, ut omnia *ex ſe* petit, ſic omnia etiam *in ſe* terminari cupit. Vix differt vero ab hac *Platonis* ſententia ea Ariſtotelis, qui pariter in ſumma beatitate diſtinxit τὸ καλὸν, τὰ ἐπιγινόμενα, καὶ τὰ ὑπηρετικά: per τὸ καλὸν intelligens *virtutem* ejuſque actiones; per τὰ ἐπιγινόμενα, *voluptatem animi*

Vera Platonis mens declaratur.

Veram Dei communionem Plato ignoravit.

a Pſ. XVII. 15. 1 Joh. III. 2. b P. 245.

mi & conſcientiam recte factorum; per τὰ ὑπηρετικά, naturæ bona & fortunæ.

XV. De *Stoicis* nunc aliiſque Philoſophis quid dicemus? Statutum eſt nos non demittere in ſingulorum opinationes. Hoc unum obſervaſſe ſuffecerit, *Stoicos* & *Epicureos*, hæreticos ſibi in Philoſophia admodum contrarios, in eo tamen conveniſſe utroſque, quod ſectati ſint τὸ μὴ ταράττεσθαι *non turbari*. Hanc ſummam beatitudinem, hunc Philoſophiæ ſuæ finem conſtituerunt ſibi. De *Stoicis* ſupra vidimus. De *Epicureis* Laërtius [a]: Τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν ἵνα μήτε ἀλγῶμεν, μήτε θορυβῶμεν· *Hujus enim rei gratia omnia agimus, ut neque doleamus, neque* PERTURBEMUR. Quid vero illud eſt *non perturbari*? Effugere accuſationes conſcientiæ, quam Plato τὸν δαίμονα vocat. Ad quem graſſati ſunt finem per vias è diametro ſibi, ut videtur, obverſas. Illi affectando virtutem ejuſque exercitium; hi ſectando voluptates quaſcunque, quas mundus carni offert, modo illæ corpori non noceant nimis. Certe, ſi τὰ βάθη τῆς ἐπιθυμίας nobis per Spiritum non eſſent retecta: quis credere poſſet, à carne potuiſſe provenire conſilia adeo ſibi directe oppoſita & inter ſe pugnantia? Et provenerunt tamen utraque ex hoc fonte. Omnis enim cultus Dei, qui originem habet ex metu, & qui pro fine ultimo habet liberationem ab illo metu conſcientiæ, vel etiam *voluptatem corpoream*, eſt ψυχικὸς *carnalis*.

Stoicorum & Epicureorum ſummum bonum, *non turbari*.

Quod arguit, illos verum ſummum bonum ignoraſſe.

XVI. Nunc diſſerendum porro erat de *Philoſophorum* MORIBUS. Sed obſtat verecundia, quo minus ex iis tanta cum fiducia de ipſorum *doctrina* judicium proferam, quanta vellem. Quid enim? *Judæis* olim an non *ſancta* fuit *doctrina*, & *mali mores*? Imo an nos Chriſtiani volumus, an audemus velle, ut ex *vita moribuſque* communis multitudinis profitentium nomen & *diſciplinam Chriſtianam* de ipſa *doctrina* Chriſti ſententia pronuncietur? Simpliciter igitur hic moneam, cum, vix ullum Philoſophorum antiquorum fuiſſe, qui ſe non inſignioribus conſpurcarit vitiis, (Xenocratem, & Marcum Aurelium cum pauciſſimis aliis excipio; non Socratem & Platonem:) tum vero quædam vitia *Philoſophis* ſic fuiſſe communia, ut qui *Philoſophi* nomen adſciſcebat eo ipſo haberetur φίλαυτος *ſui nimium amans*, faſtuo-

De *Moribus Philoſophorum* pauca adducuntur.

a Lib. x. p. 788.

faſtuoſus, & ſuperbus. Certe id commune *ſupercilium* Philoſophorum, ut plurimum inſignioribus vitiis aliis junctum, in cauſſa fuit, ut nomen, ſtudia, & inſtitutum vitæ *Philoſophorum* tandem contemptui & ludibrio eſſe cœperint. cuius eidem faciam, aliis omnibus, quę huc adferri poſſent, omiſſis, duo tantum de ea teſtimonia producam iiſque hanc diſſertationem de *Concupiſcentia* claudam. Sic de iis Philo [a]: Πεφύκασι δὲ σοφισταὶ πολεμίοις χρῆσθαι, ταῖς ἐν αὐτοῖς δυνάμεσι, καὶ λόγοις εὖ μάλα καὶ βουλευμάτων λόγοις ἀντιστατούντων καὶ μηδαμῇ μηδαμῶς συνᾳδόντων. ἀποκναίουσι γοῦν ἡμῶν τὰ ὦτα, τὴν δικαιοσύνην κοινωνικόν, τὴν σωφροσύνην σωτήριον, τὴν ἐγκράτειαν ἀστεῖον, τὴν εὐσέβειαν ὠφελιμώτατον, τὴν ἄλλην ἀρετὴν ὑγιεινόν τε καὶ σωτήριον ἀποφαίνοντες. καὶ πάλιν τὴν ἀδικίαν ἄσπονδον, τὴν ἀκολασίαν νοσερόν, τὴν ἀσέβειαν ἔκθεσμον, τὴν ἄλλην κακίαν βλαβερώτατον διεξιόντες, καὶ ὅμως τὰ ἐναντία τοῖς λεγομένοις φρονοῦντες οὐ παύονται). ἀλλ' ὅταν φρόνησιν καὶ σωφροσύνην καὶ δικαιοσύνην καὶ εὐσέβειαν ὑμνῶσι, τότε μάλιστα ἀφραίνοντες, ἀκολασταίνοντες, ἀδικοῦντες, ἀσεβοῦντες, πάνθ' ὡς ἔπος εἰπεῖν, εὑρίσκονται συγχέοντές τε καὶ ἀνατρέποντες ἐλέγχονται). οὓς εἰκότως ἂν εἴποι τις ἐξῆς, ἅπερ ὁ χρησμὸς ἔφη τῷ Κάϊν. τί ἐποιήσατε, τί εἰργάσασθε αὐτοὺς ἀγαθόν, τί εἰ τοῖς τῆς ἀρετῆς λόγοις τὴν ἡμετέραν ψυχὴν ὠφελίζετε, τί δὲ βίον ἢ μικρὸν ἢ μέγα μεμηχάνησθε, τί δ' οὐχὶ τοὐναντίον διαβολὰς καθ' ἑαυτῶν ἀληθεῖς εἰργάσασθε, ὅτι αἰεὶ τὰ καλὰ καὶ τῷ λόγῳ φιλοσοφοῦντες, ἑρμηνεῖς μὲν ἄριστοι γεγόνατε, τὰ δ' αἴσχιστα καὶ φρονοῦντες καὶ ἐπιτηδεύοντες αἰεὶ ἐλέγχεσθε· οὐ μὴν ἔτι γε ἐν ταῖς ὑμετέραις ψυχαῖς τέθνηκε τὰ καλά, ζωπυρηθέντων κακῶν· *Solent autem plerique omnes Sophiſtæ adverſarias habere ſuaſmet ipſorum facultates, dum verba eorum cogitationibus, & conſilia verbis reſiſtunt, haud ullo conſenſu intercedente. Deliniunt enim noſtras aures diſſerendo, quam ſocialis res ſit juſtitia, quantum omnibus conferat temperantia, quantopere probetur fortitudo, quam ingens capiatur ex pietate utilitas, quam ſalubres virtutes cæteræ: contra injuſtitiam eſſe rem impacatam, intemperantiam mortiferam, impietatem nefariam, reliquam malitiam pernicioſam:* & TAMEN CONTRARIA DICTIS SUIS SAPERE NON DESINUNT, *ſed poſt decantatas laudes prudentiæ, temperantiæ, juſtitiæ, pietatiſque, tum maxime deſipiunt, laſciviunt, injuſte impieque ſe gerunt, & ut verbo dicam,* DEPREHENDUNTUR OMNE FAS JUSQUE CONFUNDERE AC SUBVERTERE. *Quos merito verbis, quibus ad Cain Deus utitur, appellet quiſpiam. Quid feciſtis? quid*

Philonis de iis teſtimonium.

a Lib. *quod Deterior Potiori inſidiari ſoleat.* p. m. 130.

bis ipſis profuiſtis? quam utilitatem anima veſtra percepit ex tot iſtis de virtute ſermonibus? quid in veſtra vita magnum parvumve correxiſtis? an non potius veras criminationes contra vos ipſos protuliſtis, qui probando bona & verbis philoſophando, Interpretes quidem fuiſtis facundiſſimi, & tamen convincimini TURPISSIME *tum* SAPERE *tum* VIVERE? *annon in animabus veſtris omne bonum emortuum eſt, incandeſcentibus vitiis?* A quibus non multum abludit oratio Quintiliani in hunc modum inſtituta [a]: *Nam ut primum lingua eſſe cœpit in quæſtu inſtitutumque eloquentiæ bonis male uti, curam morum, qui diſerti habebantur, reliquerunt. Ea vero deſtituta infirmioribus ingeniis velut præda fuit. Inde quidam contempto bene dicendi labore, ad formandos animos, ſtatuendaſque vitæ leges regreſſi, partem quidem potiorem, ſi dividi poſſet, retinuerunt; nomen tamen ſibi inſolentiſſimum arrogaverunt, ut ſoli ſapientiæ ſtudioſi vocarentur. Quod neque ſummi imperatores, neque in conſiliis rerum maximarum, in totius adminiſtratione reipublicæ præclariſſime verſati, ſibi unquam vendicare ſunt auſi. Facere enim optima quam promittere maluerunt. Ac veterum quidem ſapientiæ profeßorum multos & honeſta præcepiſſe & ut præceperunt etiam vixiſſe facile conceſſerim,* NOSTRIS VERO TEMPORIBUS SUB HOC NOMINE MAXIMA IN PLERISQUE VITIA LATUERUNT. NON ENIM VIRTUTE AC STUDIIS UT HABERENTUR PHILOSOPHI LABORABANT: SED VULTUM ET TRISTITIAM, ET DISSENTIENTEM A CÆTERIS HABITUM, PESSIMIS MORIBUS PRÆTENDEBANT. Et Quintiliani.

a Inſtit. Orator. Lib. I. in Procemio.

Caput XIV.

Loci S. Scripturæ, in quibus Maſorethæ *pro* לא NON *præceperunt legendum eſſe* לו IPSI, *quæ magni momenti variatio eſt, recenſentur ex Fragmento* Maſoræ. *Porro qui inter illos* primus *eſt Exod.* XXI. 8. *recitatur, variæ illius* verſiones *expenduntur, recepta interpretatio examini ſubjicitur, & genuinus profertur ſenſus, laudata* Maſoretharum *diligentia, quæ fere in hanc reſolvuntur ſententiam,* Herum, *qui* ſervam hebræam *emerat, non neceſſario fuiſſe obligatum, ad* eam *uxorem ducendam, vel* filio ſuo *elocandam.*

Præfatio de variantibus Lectionibus Cod. ſacri, לא & לו, & illius variationis momento.

INter variantes Lectiones Codicis Sacri, quas קרי & כתיב vocant, nullas cenſeo tanta dignas conſideratione, tantique momenti eſſe, quanti illas, in quibus לא/ quod in textu eſt, *ad marginem* legendum ſuadetur per לו. Illius enim lectionis differentiæ hoc eſt conſequens, ut una eademque ſententia, θετικῶς accepta, non tantum *diverſimode*, ſed & *contradictorie*, ut ajunt, vertenda ſit. Cum vero poſitionum duarum, quarum altera alteri recta contradicit, alterutra tantum poſſit eſſe vera: liquidum eſt, ab electione *alterius* harum duarum lectionum variantium hoc pendere, ut vel aſſequaris veram mentem Spiritus Sancti, ſententiamque, quam in ejusmodi aliquo loco inculcat, percipias; vel ut Spiritui Sancto directe contradicas, & ſub ſpecie illa, quod per ipſum proficias, vere tamen id, quod Spiritus dixit docuitque, neges. Quod peccatum cum lubenter evitare velit, qui Dei Nomen & Verbum reveretur: quilibet facile intelligit, in ejuſmódi locorum expoſitione circumſpecte & modeſte eſſe procedendum. quam itaque nobis legem præſcribimus, dum in animo habemus illa recenſere, & utra in iis eligenda ex duabus *lectio* ſit, diſputare.

Loca illa recenſentur ex

II. R. Jacob Ben Chajim in Fragmentis *Maſoræ Magnæ*, quæ Bombergi primum, dein Buxtorfii Bibliis ſubjecta ſunt, nota-

notavit *quindecim loca* extare in Codice Veteris Teſtamenti, in quibus pro לא / quod in textu *ſcribitur*, *legendum* ſit לו. Hæc ejus Annotatio extat ad literam ל / fol. XLII. col. II. *Serie* locorum *tertia.* לא ט״ו קריין לו וסימני׳ נמסר בסדר שמיני *Vocula* לא *quindecim locis legenda eſt per* לו / *quæ notata ſunt in Sectione*, *quæ* Schemini *dicitur*. Sectio eſt Legis *Moſaicæ*, quæ incipit in Levitico cap. IX. I. ſub cujus finem *hæc loca* recenſentur, in *Maſora* ad cap. XI. 21. ubi in textu *ſcribitur* אשר לא כרעים / pro quo *legendum* docet Maſora, אשר לו כרעים. Ibi nimirum ad marginem hæc obſervatio reperitur: ט״ו כתיבי׳ לא וקריין לו *Quindecim ſunt loca, quæ ſcribuntur* לא / *& tamen legenda ſunt per* לו. Loca ipſa in Maſora hunc in modum recenſentur: לו רכתיב לא ט״ו וסימן אשר לא יערה׳ אשר לא כרעים׳ אשר לא חומה׳ ולא נתכנו עלילות׳ לא אהיה ואתו אשב׳ לא חיו תהיה׳ לא הגדלת השמחה׳ בכל צרתם לא צר׳ הוא עשנו ולא אנחנו׳ ימים יוצרו ולא אחת בהם׳ הן יקטלני לא איחל׳ לא אחריש בדיו׳ קללת חנם לא תבא׳ אמרים לא המה׳ ולא אנחנו זבחים *Vocula* לו *quindecies ſcripta eſt* לא / *his quidem in textibus*; *Exod.* XXI. 8. *Lev.* XI. 21. XXV. 30. I *Sam.* II. 3. 2 *Sam.* XVI. 18. 2 *Reg.* VIII. 10. *Jeſ.* IX. 2. LXIII. 9. *Pſ.* C. 3. CXXXIX. 16. *Job.* XIII. 15. XLI. 3. *Prov.* XXVI. 2. XIX. 7. *Ez.* IV. 2. Mireris autem merito, in his non comparere celebrem illum locum, qui apud Jeſaiam eſt cap. XLIX. 5. ubi pariter, quod in textu *ſcribitur*; ישראל לא יאסף / Maſorethæ *legendum* eſſe monent; ישראל לו יאסף. Meretur tamen & illa lectionis variatio diligentem animadverſionem. An plura hujus generis exempla extent, ignoramus. Quare recta imus ad ſcopum, quem nobis præfiximus, hac via, I. Ut *ſingula* hæc *loca*, quo à *Maſorethis* notata ſunt ordine, denuo recenſeamus. 2. Varietatis lectionis, quæ in iis occurrit, cauſſas inveſtigemus. 3. Teſtimonium Jeſaiæ, quod in Maſoretharum notis negligitur, pariter excutiamus, ejuſque exploremus ſenſum. In *Recenſione* vero noſtra id potiſſimum nobis curæ erit, I. Ut noſtram eorum expoſitionem vel extendamus vel contrahamus, prout nos dignitas & utilitas argumenti, quod continent, nec non obſcuritas eorum major minorque, longiores brevioreſque eſſe juſſerint. 2. Ut non negligamus in ſingulorum expoſitione conferre Verſiones *Græcam*, *Chaldæam*, & *Latinam*, quippe quæ lucem aliquam nobis fœnerari poterunt, ubi poſtea de cauſſis lectionum variantium ſpeciatim diſſeremus.

Maſora, in quibus illa variatio occurrit.

Scopus & ordo hujus tractationis.

III. Sic

Σύμπλωμα auctoris. III. Sic ſcripſeram, & ſervens propoſiti perveneram ad eam orationis ſequentis partem, in qua Interpretum variorum ſententiæ mihi recitandæ veniebant, quando, quę mea huc uſque incuria fuit, demum *Criticam* Cappelli evolvere incipio, eo quidem conſilio, ut viderem, an nihil obſervaſſet ille ad hujus loci *verſionem*, ut à LXX Interpretibus inſtituta eſt. in quo dum fui; plus *inveni*, quam *quaſivi*. Quippe obſervavi, Cl. Cappellum, etiamſi in medium non proferat, quæ modo ex ipſis Maſoræ monumentis deſcribebam, ſingulorum tamen horum locorum cenſum ex Avenario, Buxtorfio, aliiſque jam dudum inſtituiſſe. quod ſi ſciviſſem, antequam hæc ſcripſeram; illi ſaltem operæ potuiſſem parcere, quam his locis conquirendis notandiſque debui impendere; quæ ut non magna, ſic etiam non fuit nulla. Commode tamen ex Cappello diſco, (quod faſſus eram me ignorare, & quod abſque culpa cum aliis ignorare poteram:) præter locum, quem ex Jeſ. XLIX. 5. produxeram, alia etiam ab aliis notata eſſe, in quibus hanc *lectionis* diverſitatem obſervare eſt. Ipſa tibi Cappelli verba dabo [a]: *Denique Aleph, ſecundum Aven. ponitur pro Vau in Novem locis, quæ ab ipſo non recenſentur inter Kerioth, ſed inter anomala. Item ponitur pro Vau in voce* לא *pro* לו *ſecundum Plant. novies tantum, ſecundum Bomb. in 17. locis, ſecundum Aven. & Ar. Mont. in 15. locis: id quod annotatur à parva Maſſora in 1 Sam. 2. 2. his quindecim locis Aven. dicit addi à quibuſdam tria alia loca, nempe Jeſ. 49. 5.* לא יאסף / *Job. 16. 21.* היתם לא / *& Pſ. 139. 16.* ולא אחד: *at Buxtorf. in Lexico, rad.* לא / *duo duxtaxat annumerat, nempe Eſa. 49. 15.* ישראל לא יאסף / *& 1 Par. 11. 20.* ולא שם. Sic ſane experimur, ſæpe nos etiam tum, quando aliquid agere videmur, nihil agere. Impetrare tamen à me potui, ut ſtylum inverterem, ſcripta expungerem, & pretioſi temporis, quod his meditandis impenderam, & paucarum, quas apud me habebam, obſervationum fructum perderem. Sic igitur inſtituam, ut Cappello ſua laus, mihi vero mei fructus laboris integer ſit. Relegam ſingula hæc loca. Quid Cappellus ad ea illuſtranda contulerit, expendam. Iis ſi mihi videar nihil dicere poſſe rectius, acquieſcam; ſi ſecus acciderit, animi mei ſententiam, ſalva ejus exiſtima-

Cl. L. Cappelli diligentia.

a Lib. III. Cap. X. p. 113.

ſtimatione, libere explicabo. Periculum faciamus in *Primo*, qui de *Jure Ancillarum Hebræarum* agit, digno, in cujus ſenſum inquiratur.

IV. Sic *ſcriptum* habetur apud Moſen, ut nunc legitur in ipſo contextu [a]: אם רעה בעיני אדניה אשר לא יעדה והפדה לעם נכרי לא ימשל למכרה בבגדו בה Ad *marginem* extat nota: לו ק׳ *legendum eſt* לו. Verborum horum ſumma habetur ab Interpretibus difficultas, quæ dubio procul variationi ſcriptionis non levem anſam dedit. Agitur in iis de *ſerva Hebræa*, de qua in *verſu præcedenti* dictum erat; *Si quis filiam ſuam vendiderit in ancillam, non egredietur, ut egredi ſolent ſervi. Servorum egreſſio*, hoc eſt, *reſtitutio in libertatem*, legibus antecedentibus erat definita. *Servarum* vero *Hebræarum egreſſionis*, hoc eſt, reſtitutionis in libertatem, non una eademque dicitur eſſe ratio, quę ſervorum Hebræorum. quę differens ratio in *verbis allegatis* exponi incipit. Sunt autem hæc *verba*, ſi *ſcripturæ* eorum cum vocula לא inhæreas, ſic vertenda; *Si mala videatur in oculis domini ejus, qui eam* NON *deſponſavit, oportet ejus procuret redemptionem. In poteſtate ejus non erit, populo peregrino eam divendere, eo quod perfide cum ea egerit.* Maſorethica vero lectio cum לו hunc poſtulat ſenſum: *Si mala videatur in oculis domini ejus, qui eam* SIBI *deſponſavit, oportet ejus procuret redemptionem. In poteſtate ejus non erit populo peregrino eam vendere, eo quod perfide cum ea egerit.* Utra harum *verſionum*, ac proinde utra harum *Lectionum*, *textualis* an *Maſorethica* ſit præferenda, mihi quidem nequaquam videtur obſcurum. Abeo ſcilicet in illam opinionem, quod *Maſorethàrum* lectio hic pro vera & germana ſit habenda. Interpretem *Chaldæum* verba ſic accepiſſe, liquidum eſt. *Latinum* pariter. De *Græco* diſputatur. Hebræi etiam Doctores paſſim huc propenderunt. Sed de iis ſuo ordine & loco. Sunt tamen alii Metaphraſtæ S. Scripturæ docti atqui exercitati, qui *lectionem textualem* לא retinent, eique ſuam verſionem conformem reddunt. Junius & Tremellius: *Si mala videbitur in oculis Domini ſui, ita ut* NON *deſponſet eam ſibi.* Belgæ: Indien ſy qualijk bevalt in de oogen hares Heeren / dat hyſe NIET ondertrouwt en heeft. Pellicanus etiam & Grotius has partes amplectuntur. Interpretationes *Samaritanam* & *Perſicam*

Locus Exod. XXI. 8. recenſetur.

Duplex illius verſio ſecundum variam lectionem.

Maſorethica probatur.

Veteres Intt. laudati.

Alii ab iis diſſentientes.

a Exod. XXI. 8.

ſicam hanc quoque ſequutas lectionem, jam monuit Seldenus [a]. Symmachus pariter illi favet apud Druſium in Fragmentis: Ἐὰν μὴ ἀρέσκῃ ἐν ὀφθαλμοῖς τῷ κυρίῳ αὐτῆς ἣ μὴ καθωμολογήθη· *Si non placuerit in oculis domini ſui, quæ* NON *deſponſa fuerit.* Nec non Theodotio: Εἰ πονηρά ἐστιν ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ κυρίου αὐτῆς, ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτήν· *Si mala eſt in oculis domini ſui, qui non deſponderit eam.*

Hypotheſis communis Intt. in hoc loco exponendo.

V. Videmus duas unius loci Verſiones inter ſe pugnantes; ſimul tamen Interpretes eaſdem fere hypotheſes in illius explicatione amplecti, eaſque tanta cum prudentia, ceu videtur, illi accommodare, ut, licet in verſione loci tantum differant quantum ναὶ καὶ οὔ, ſenſu tamen non magnopere diſcrepent. Hypotheſis, ab utriſque accepta, eſt, nullam *filiam Hebræam* vendi potuiſſe *domino* alicui, niſi ſub hac conditione, quod vel ipſe *Dominus emptor* eam *nubilem* deberet uxorem ducere; vel, ſi ipſi hæc non placeret conditio, Filio eam ſuo ducendam tradere.

Quo modo ad h. l. ab Intt. applicetur?

Quo ſuppoſito principio, qui לא *negativum* hoc in loco agnoſcunt, locum ſic παραφράζουσι: Si *filia Iſraëlitæ*, alteri Iſraëlitæ in ſervitutem vendita, *diſpliceat Domino* emptori, *adeo ut eam ſibi non deſponſaverit: operam dabit, ut redimatur, quippe alii eam vendere non erit integrum, quandoquidem perfide cum ea egit*, eam ſc. ut conveniebat, non ducendo uxorem. Emptoris erat, ajunt, filiam venditam, ubi nubilis evaſerat, ſibi adſciſcere conjugem. Quod tamen ſi detrectaret, quando filia annos attigerat pubertatis: tum locum debebat dare *illius redemptioni.* Qui vero in Lege hic agnoſcunt לו θετικόν, commentarium ejuſmodi fere ad hunc locum inſtituunt: Si *filia* vendita domino emptori *diſplicuerit, poſtquam eam ſibi deſponſavit*, non inito tamen hactenus cum illa matrimonio: tum *copiam illi faciet redemptionis*. Emptoris erat, ajunt cum cæteris, hanc filiam conjugio ſibi jungere. *Emptio* erat tacita quædam deſponſatio. Quod ſi vero ancilla Hebræa *empta deſponſataque* domino *diſpliceret*, adeo ut illam uxorem docere recuſaret: tum quidem dominus emptor ab ineundo matrimonio poterat eſſe liber, ſic tamen ut

Differentia levis inter Intt.

operam teneretur dare ancillæ redemptioni. Illud igitur leve tantum inter hos Interpretes reſtat divortium, quod *illi* textum acci-

[a] Jur. Nat. & Gent. Lib. VI. Cap. VII.

accipiant de *ſerva Hebraea* non *deſponſata* quidem hactenus domino emptori, ſed tamen certiſſime illi *deſponſanda* ſecundum leges Hebræorum; hi vero de *filia* hebræa *per emptionem*, ut per כסף קרושין *pretium dotis*, domino emptori quidem *deſponſata*, ſic tamen ut matrimonium hactenus cum ea dominus emptor non celebraverit. quę ſic ſatis exigua differentia eſt expoſitionis horum verborum. Quare etiam Cappellus; *Porro utrolibet modo legas*, ait, *parum ad rem ipſam refert, reſque eodem redit, vult nempe Deus ea lege cavere pudicitiæ puellarum, quæ à Patribus vænundabantur. Jubet ergo, ut heres, qui puellam ſic emit, eam vel ſibi vel filio deſponſet, vel ſi neutri placuerit, ſinat eam redimi; interdicit poteſtate eam alteri hero vendendi, quia ſcilicet alioqui non foret tuta puellæ, quæ in poteſtate herili eſſet, pudicitia.* Hebræorum Doctores in ea eſſe opinione, quod Iſraelitæ filam ſuam non liceret alia conditione vendere, quam hac, ut vel ipſe dominus emptor vel ejus filius illam nubilem in uxorem ſibi aſciſcerent, videre licet apud Maimonidem [a], Salomonem Jarchium [b], R. Levi Barzelonitam [c], Fagium, Ainſworthum [d], alioſque. Cappelli verba.

VI. Verum, quo magis hæc mecum volvi & revolvi, eo magis mihi hypotheſis, ab utraque parte horum Interpretum accepta, à veritate viſa eſt aliena. Alienum, inquam, mihi videtur à vero, *ſervam Hebraam* non potuiſſe alia conditione vendi, quam ut hero emptori, vel filio ejus, veluti deſponſaretur. Potuiſſe dominum emptorem ejuſmodi ſervam ſibi deſponſare & cum ea matrimonium contrahere; potuiſſe quoque illam filio ſuo collocare: res eſt certa, quę in hac Lege ſupponitur & docetur. Sæpe etiam id apud Iſraelitas factum eſſe, ut Dominus *ancillam* ejuſmodi vel ſecum vel cum filio ſuo conjunxerit, valde eſt probabile. Sed non potuiſſe ſervam Hebræam alia conditione vendi & emi, quam ut emptoris aut filii ejus uxor evaderet, quo argumento probabitur? Ex hoc enim *textu* id probari non poſſe, ni fallor, clarum erit ex ſequentibus. *Traditio* hæc Hebræorum Doctorum eſt, cui fidem nemo facile adhibeat, niſi qui de ejus certitudine, ſive ex hac Lege, ſive etiam ex aliis Scripturæ locis, fuerit convictus. Mihi vero in hæc

Sed quæ hypotheſis rejicitur, tanquam aliena à ratione.

Serva Hebræa non neceſſario vendebatur ſub conditione conjugii.

a Hilcoth Avadim Cap. IV. §. 11. b Com. ad h. l. c Jur. Heb. leg. XLIII. d Com. in h. l.

hæc inquirenti nihil occurrit probationis ſolidæ. Ratio quoque, quantum video, non ſuffragatur. An enim filia Iſraëlitæ non potuit vendi hero, cui uxor una erat aut plures? cui nullus filius aut filii? cui nullum ſtudium matrimonii? Si potuit: tum certe *venditio* ſervæ Hebræę potuit non eſſe conjuncta cum *ejus deſponſatione*. ſi non potuit, monſtrandæ ſunt leges, quibus id ne fieret, cautum eſt. Dein etiam, ſi venditio ſervæ hebrææ ſemper fuit conjuncta cum ſponſalitiis: quid habuit illa incommodi aut *dedecoris?* Quis enim cogitet, voluiſſe herum aut ejus filium ut *ſervam* tractare, quæ alterutri eorum per emptionem *deſponſa* erat? Et tamen ejuſmodi virgo in Lege dicitur *vendi* לאמה *in ancillam*, ut videlicet hero ſuo ejuſque familiæ *ſerviat*. Et quis cogitet etiam, herum à venditore, ad paupertatem extremam redacto, voluiſſe obligari ad præſtandam conditionem, quæ variis in caſibus ſuis rebus, ſæpe etiam ſuo honori & exiſtimationi, poterat obeſſe? Imo vero in *Quinto Libro* Moſis[a], ubi repetuntur leges de *Jure Servorum*, qui hebræis prognati ſunt parentibus, tandem ſubjungitur; ואף לאמתך תעשה כן *Atque etiam ancillæ tuæ ſic facies.* Servituti *hebræi* & *hebrææ* eædem præſcribuntur leges. Verum equidem eſt, Doctores Judæos hic excipere *perforationem aurium*, quippe quam ad *ſervum hebræum* tantum putant attinuiſſe, ceu Seldenus, *loco notato*, aliique monent ad hunc locum Commentatores. Verum de eo nunc nolim diſputare. Illud ſaltem perſpicue ſatis in hac Lege jacet, *ancillis hebræis*, æque ac *ſervo* hebræo, jus fuiſſe *exeundi in libertatem*, poſt *ſervitutem ſex annorum*. Sic ſcribit Moſes[b]: *Si venditus tibi fuerit frater tuus Hebræus aut* Hebræa, *& ſervierit tibi per ſex annos*, ובשנה השביעית תשלחנו חפשי מעמך *anno ſeptimo dimittes illum liberum à te.* Illum ſc. & *illam*, quia Lex de utroque loquitur. Sed quem uſum, quæſo, potuit habere hæc lex ratione *ancillæ hebrææ*, ſi ea non fuerit *vendenda* unquam niſi ſub hac conditione, vel cum hac præſumptione tacita, ut hero aut ejus filio nuberet? Non percipio ſane. Credo igitur, hanc hypotheſin, quam Interpretes paſſim inculcant & admittunt, non eſſe fundatam in Lege, ſed ſuam debere originem ſingulari cuidam Doctorum Hebræorum ſtudio & curæ tuendi honoris & dignitatis ſequioris ſexus ſuæ Gentis.

Quod variis rationibus adſtruitur.

Locus Deut. xv. 17. huc adductis.

a Cap. xv. 17. b Verſ. 12.

VII.

Qua hypotheſi rejecta, ſubſiſtere nequit Lectio textualis לא.

VII. Quodſi tamen cadat hæc hypotheſis; cadit ſimul tam verſio quam explicatio hujus textus, quam illi dant Interpretes, qui לא *negativum* in eo agnoſcunt & defendunt. Si enim *herus* non fuit obligatus ad filiam hebræam *ſibi venditam*, ſibi matrimonio jungendam: utique nulla ratio fuit ejus redemptionem *extra ordinem*, tempore *ſex annorum* nondum elapſo, procurandi. Utique etiam multo minor fuit ratio, quod *herus*, eam non ducendo uxorem, dici poſſit cum ea *perfide egiſſe*. Verba autem Legis ſic omnino habent: *Si mala videatur in oculis Domini ejus, qui* non *deſponſavit eam* (quod ſecundum hos Interpretes agere debuerat:) *faciat, ut redimatur; in poteſtate enim ejus non erit, eam alteri vendere, eo quod* PERFIDE *cum* EA EGERIT. Quænam hæc eſt *perfidia* heri? An hæc, quod hanc ancillam ſibi non deſponderit? Verum ad id non fuit obligatus. Nulla igitur heri in *ancillam* monſtrari poteſt *perfidia*, ſi ſtatuas, herum non fuiſſe obligatum ad ancillam illam ſecum matrimonio jungendam; adeoque, hoc fundamento ſublato, nemo facile intelligat, & explicet textum, ſi in eo לא *negativum* conſervetur. Et quis, qui rem ſerio perpendit, credere etiam poſſit, בגד *perfidiam* dici in hero, quod *ancillam*, ſibi *venditam*, *non ducat uxorem?*

Facilior contra Lectio Maſorethica לו. & commodum dat ſenſum.

VIII. Ut vero hæc Lex eſt intellectu obſcurior & difficilior, ſi eam cum לא *negativo* legas: ſic contra facillima, ſi Maſoretharum veſtigia ſequaris. Secundum eorum igitur lectionem, hunc accipe Legis caſum & ſenſum: *Si ancilla*, hero *vendita*, *hero deſponſa* (& forte nupta,) *ſit*, *eique*, poſt deſponſationem aut nuptias, *diſplicuerit: tum procurabit herus ejus redemptionem; alteri eam vendere ipſi non erit licitum, quia cum ea prævaricatus eſt*, fidem, ipſi in ſponſalitiis aut nuptiarum contractu datam, frangendo. Belgice vertas: Sooſe qualijk bevalt in de oogen hares Heeren / die haer aen ſigh ondertrouwt heeft / ſoo ſal hy ſorge dragen / datſe geloſt worde. Het ſal in ſijne macht niet zijn haer aen een ander volck te verkopen / dewijle hy trouwlooſlijck met haer gehandelt heeft. Quot fere ſunt in Lege verba, tot argumenta, hunc verum eſſe & genuinum ejus ſenſum.

Adſtruitur ea variis rationibus, quarum prima eſt deſumpta ex eo, quod [illegible] empta, dica-

1. Phraſis illa, *ſi* רעה *mala ſit in oculis domini ejus*, ſecundum ſtylum ſancti Codicis, exponitur de *pravo* ſponſi in *ſponſam*, vel *mariti in uxorem affectu*, qui ſequitur primas ardentis amoris vo-

 lupta-

tur hero diſpicere; quod refertur ad conjugem vel deſponſatam.

luptates, vel quibuſcunque aliis ex cauſſis ſuſpicionibus infauſtis oritur. Sic utique ſimilis omnino ῥῆσις in iiſdem circumſtantiis reperitur *Deut.* XXI. 10, 11, 12. Legis, ibi memoratæ, ſumma hæc eſt. Si miles hebræus formoſam inter captivas virginem jure belli in ſuam redigeret poteſtatem, ejuſque amoribus irretiretur: concedit Legiſlator, ut miles eam domum ducat, & poſt raſum caput & depoſitos ejus ob Parentes luctus, quibus menſis ſpatium deſtinat Legiſlator, ea ut uxore ſua utatur. Additur jam; והיה אם לא חפצת בה *Si vero* EA TIBI NON PLACUERIT, *dimittes eam ſibi*, (ſines eam ex ædibus tuis abire, quo eam deſiderium traxerit:) *argento tamen eam non vendes, neque opera ejus ſervili uteris*, תחת אשר עניתה *eo quod eam humiliaveris*, ſive, rem cum ea habueris. Virgo Gentilis, quę hebræi militis ſerviverat amoribus, ſi *marito diſpliceret*, libera erat dimittenda. Idem *jus* in hac Lege, quam nunc tractamus, aſſeritur ſervæ hebrææ, ſi *mala eſſet* (hoc eſt diſpliceret:) in oculis heri Iſraëlitæ, qui cum ea ſponſalitia vel matrimonium iniverat. De Lege autem *ſervæ Captivæ*, conſules, ſi placet, Seldenum [a]. Eſt autem ſimilis quoque phraſis apud Moſen in Lege de Divortiis [b]: *Si quis uxorem ſibi ſumpſerit, eamque duxerit*, והיה אם לא תמצא חן בעיניו *& evenerit, ut non inveniat gratiam in oculis ejus, eo quod rem in ea turpem repererit, & ſcripſerit illi libellum repudii, &c.* Quod in iis verbis, quę explicamus, dicitur, אם רעה בעיני אדניה *ſi mala ſit in oculis domini ejus*, id in hac Lege de *Divortiis* effertur; אם לא תמצא חן בעיניו *ſi non invenerit gratiam in oculis ejus.* Conſtat igitur, hanc dictionem commodiſſime exponi de *ſiniſtro ſponſi* in *ſponſam*, aut *mariti* in *uxorem affectu*.

Lex Moſis de *Divortiis* huc allata.

Secunda ex voce בגד, quæ pariter reſpectum habet ad *conjugium*, vel *ſponſalitia*.

IX. 2. Vocabulum בגד/ quod in hac Lege extat, nemo facile neget quam propriiſſime accipi de *perfidia* ſponſi in ſponſam & mariti in uxorem. Quod *ſponſus* aut *ſponſa*, maritus aut uxor, amans aut amata, ſuos mutent amores, ſive potius ſuam *mutent fidem*, ut Plautus ait; hoc illud eſt, quod Hebraice dicitur בגד *perfide agere*. Id agit ſponſus, ſi contra fidem ſponſæ datam, ſponſa neglecta, odio habita, & repudiata, ejus loco alterius proſequatur amplexus. Id agit maritus, ſi, ſpreta dimiſſaque uxore priore, vel domum aliam ducat uxorem, vel illicitis amo-

a Jur. Nat. & Gent. Lib. v. Cap. xiii. b Deut. xxiv. 1.

moribus ſe ipſum polluat. Hoc, inquam, agere, eſt, juxta ſtylum Scripturæ, בגד *perfide agere*. Hoc ſenſu accipitur vocabulum apud *Jeremiam*[a]: אכן בגדה אשה מרעה כן בגדתם בי בית ישראל *Enimvero, ut* PERFIDA *exſtitit* UXOR *à* SOCIO SUO, (amato ſuo deflectendo:) *ſic vos perfidi in me fuiſtis, domus Iſraël.* In illo vaticinio ſæpe quidem eo ſignificatu reperitur. Verum clariſſima hujus notationis exempla extant apud *Malachiam*[b]. Taxatur ibi graviſſimum crimen, cujus ſe reos fecerant *Iſraëlitæ*; quod nimirum illi, ſuis *uxoribus hebræis* odio habitis & per libellum repudii dimiſſis, ex *aliena gente* ſibi uxores ſumerent, & ex iis procrearent liberos, contra Reipublicæ ſuæ leges. quod crimen in eadem illa oratione in hunc modum exaggeratur: *Et dicitis, quamobrem?* (hoc ſc. cenſeri debet adeo enorme eſſe peccatum:) *Propterea quod Jehova teſtatus eſt* (in teſtem vocatus ſit in ineundo matrimonio:) *inter te & inter uxorem adoleſcentiæ tuæ*; אשר אתה בגדתה בה CUM QUA TU PERFIDE EGISTI, *atque illa eſt ſocia tua, & uxor fœderis tui.* Λέξις una eademque eſt in iis verbis, quę à nobis tractantur. Quare rationi conſentaneum eſt, ut illa quoque de ea exponantur *perfidia*, qua ſponſus in ſponſam, ſive maritus in uxorem, prævaricatur.

Illuſtratur notio ex Malachia.

X. 3. Quæ in *verſu ſequenti* leguntur verba, noſtræ ſententiæ favent. Sic nimirum cohæret contextus Orationis ſequentis: ואם לבנו ייעדנה *Et ſi* FILIO SUO EAM DESPONDERIT. Quæ verba, ut cum præcedentibus connexa ſunt, omnino videntur indicare, in ſuperioribus actum eſſe de *deſponſatione Patris*; in hunc fere modum: *Si Pater* SIBI *deſponderit ſervam*, eique fidem ſervare nolit, *procurabit illius redemptionem*; *ſi vero Pater eam filio ſuo deſponderit, faciet illi ſecundum jus filiarum.* Hæc ſane optime cohærent. Non connectuntur tamen hæ duæ leges adeo feliciter, ſi *textualem lectionem* retineas: *Si diſplicuerit Domino, qui eam* NON *deſpondit, procurabit ejus redemptionem*; *ſi vero filio ſuo eam deſponderit, &c.* Hæc, inquam, inter ſe non cohærent. Ad quæ accedit, orationem Moſis *plenam* eſſe, ſi marginalem, ſed *deficere*, ſi textualem ſequaris lectionem. Oratio, אשר לא יעדה *qui eam non fecit convenire*, ſive, *qui eam non deſpondit*, non eſt plena; deficit enim לו *ſibi*; ſed oratio, אשר לו יעדה

Tertia ratio deſumitur ex proxime ſequentibus. Ubi mentio de deſponſatione Virginis, filio facienda.

a Cap. III. 20. b Cap. II. 11. 14. 16.

יעדה *qui eam ſibi deſpondit*, eſt *plena*, neque opus habet aliunde impleri.

Collectio ex iis facta pro Lectione Marginali.

XI. Putem, ex his rationibus non modo ſatis nunc conſtare, Lectionem *marginalem* præferendam eſſe *textuali*, ſed etiam *varias* ſive potius *contrarias* hujus loci lectiones non ita facile inter ſe poſſe conciliari, & ad ſenſum non valde diſcrepantem referri, ut exiſtimavit Cappellus. Imo vero certum habemus, lectionem *textualem* non poſſe ſenſum edere, qui *marginali* non contrarietur. Unum tantum ſenſum intendit Legiſlator, qui per *ita* & *non*, in eadem oratione, non potuit indicari. Sed hæc nunc licebit miſſa facere.

Elucidantur dubia quædam in textu, & primo quidem ſignificatio vocis יעד.

XII. Reſtat verbum addamus ad illuſtrandas quaſdam dictiones, quæ in hac Lege occurrunt, quarum ſignificationem vel ſuppoſuimus vel dubiam reliquimus in noſtra ἐξηγήσει. *Dubium* quidem liquimus, an vocabulum יעד in hoc loco de *ſponſalitiis*, an vero de *nuptiis* accipi debeat. Et vere id nobis etiam dubium eſt. Hebræi Interpretes hanc vocem ſolent exponere de *ſponſalitiis*. יעד tamen notat *convenire*, coire, *facere*. Neſcio igitur, an non de *coitu nuptiali* hic ſumendum ſit. Nihil in Lege eſt, quod repugnet. Sunt etiam, quæ faveant. Nam, quod in ℣ſ. 10. dicitur, אם אחרת יקח לו *ſi aliam ſibi accipiat* vel herus vel filius ejus, omnino videtur ſupponere, hanc *ſervam* jam alterutri eorum matrimonio fuiſſe conjunctam. Quod etiam de בגד *perfidia heri* in Lege dicitur, clarius intelligitur, ſi ſupponatur, *herum* jam cum illa fœdus conjugii contraxiſſe. Major enim *perfidia* eſt, ancillam poſt *nuptias* deſerere, quam poſt *deſponſationem*.

Deinde voces בגד & הפדה.

Quod porro in Lege dicitur, והפדה/ vertimus: *& procurabit illius redemptionem*, ſive *operam dabit illius redemptioni*: ſi literam ſequaris, eſt; *Faciet ut redimatur*. Sed quid ſi nec ipſa habeat ancilla, nec habeant amici, quo eam rediment? &, ſi habeant, nolint pretium redemptionis ſolvere? Quomodo tum *operam dabit* herus, ut *ancilla*, quę ipſi diſplicet, *redimatur*? Dubium ſane non eſt, quin *herus* eam *liberam poſſit & debeat dimittere* Atque hunc arbitror eſſe verum ſenſum hujus phraſis. Deus vult, ut *herus*, ſi ancilla ipſi non placeat, eam *mittat in libertatem*. Id vero vocatur הפדה *facere ut redimatur*, vel *procurare redemptionem*; tum quia redemptionis fructus eſt *libertas*, tum

quia

quia ejuſmodi *miſſio in libertatem* tantundem valebat ac *redemptio.* Diodati, quem in omni fere hujus expoſitionis parte mihi habeo conſentientem, optume, mea quidem ſententia, vertit: *Qu' il l' affranchiſſe. Donet illam libertate.* Vatablus: *Dabit pecuniam, qua illa redimatur, aut ſaltem remittat illi pecuniam ſervitii: ac perinde quaſi pretium pro redemptione ejus accepiſſet, liberam eam abire permittet.* Sic vellem. Et certe poſtea in eodem prorſus caſu lex, ſi ſc. herus, aut filius ejus, *ancillæ*, cum alterutro per conjugium junctæ, non præſtarent tres conditiones, *victus*, *amictus*, & ἐυνοίας, permittit ancillæ *egreſſionem liberam*[a]: ויצאה חנם אין כסף *egrediatur libera, abſque argento.* Idem jus erat *captivæ*, quam miles Iſraëlita *uxorem duxerat*, ſi marito diſpliceret. An igitur *deſponſatæ* vel *nuptæ hebrææ*, ſi repudietur, deterius erit jus quam *captivæ*? Imo & חפשה in *Hophal* alibi ſimpliciter tantum denotat *dimiſſionem*[b]. Amplius tamen hac voce ſignificari poteſt, heri officium eſſe, Patrem aut propinquos illius ancillæ adire, pretium redemptionis minuere & levare, ita ut facilis evadat *ancillæ* redemptio, atque ita quovis modo operam dare, ut *ancilla* reſtituatur *libertati*; ita tamen, ut ſi Parentes aut amici in ſolvendo pretio tardiores eſſent, & tamen ancilla ipſi diſpliceret, eam teneretur donare libertate. Tandem etiam ſolvendus nodus eſt, qui ex ỳſ. 7. *præcedenti* necti poſſet. Illius *commatis* hæc ſunt verba: *Si quis vendiderit filiam ſuam in ancillam, non egredietur illa ut egrediuntur ſervi.* Nolumus diſputare contra eos, qui יציאה *egreſſionem* hic non interpretantur de *egreſſione in libertatem*, quia ex ipſo contextu hujus orationis hæc lis abſque ulla hæſitatione decidi poteſt. Quis itaque ſenſus verborum? An hic ſcilicet, cum *ſervi hebræi* anno ſeptimo libertatem recuperent, *ſervas hebræas* non *exire* in libertatem, quia ſupponitur vel præſumitur, eas nupturas eſſe Patri aut filio familias, ac ita perpetuo permanſuras in ædibus heri? Non putem ſane. Probatum enim à nobis eſt, argumento evidentiſſimo ex Deut. xv. 12. Legem de miſſione ſervorum in libertatem poſt *ſex annorum ſervitium*, pariter pertinuiſſe ad *ſervas.* Quid igitur ſibi vult Legiſlator, ubi ait, *ancillam non eſſe egreſſuram in libertatem, ut egrediuntur famuli?* Hoc meo judicio, alios dari caſus & mo-

Expenditur quoque verſ. 7. præcedens.

Quænam hic ſignificatio vocis יצא?

Vvvv

a Deut. xxi. 14. b Lev. xix. 20.

modos, quibus ancilla egredi poſſit in libertatem, quam quibus poſſit ſervus, adeo ut ancillarum & ſervorum reſtitutionis in libertatem par in omnibus ratio non ſit. Quinam autem poſſint accidere differentes caſus in ancillis, libertate donandis, qui non æque locum habent aut habere poſſint in ſervis: explicat Legiſlator *Legibus ſequentibus*, quarum partis primæ ſenſa ſumus expiſcati.

Statuta Moſis, quæ in hac Lege jacent, ſummatim recenſentur.

XIII. Expedivimus nunc fere omnia, quę ad intellectum horum verborum neceſſaria videntur obſervatu. Nequę tamen ſuperſit difficultas, non erit inutile, principia noſtræ explicationis repetere, & leges de *ſervis hebrais*, ut hic ſupponuntur aut traduntur, brevibus recenſere. Redigantur autem illæ ad has ſententias: 1. Liberum prorſus fuiſſe *hero*, *ancillam hebræam*, à ſe emptam, *uxorem ducere* aut eam *filio ſuo collocare*, vel non, neque ad hoc aut illud agendum Lege Divina fuiſſe obligatum. 2. Si tamen *cum ejuſmodi ancilla fuiſſet congreſſus*, aut illi *fidem dediſſet conjugii*, eaque ipſi poſt fidem datam aut poſt congreſſum *diſpliceret*: non eſſe in poteſtate heri eam alteri vendere, ſed *debere* illius curare redemptionem, ſive *illam donare libertate*, acſi pretio in eam eſſet vindicata. 3. Si herus filio ſuo ejuſmodi ancillam collocet, obligatum eſſe eum ad illi conſtituendam dotem pro more liberarum virginum inter Iſraëlitas. 4. Si herus ſive etiam *filius ejus*, poſt initum cum ejuſmodi ancilla matrimonium, *aliam* præter illam *uxorem domum ducere* vellent, operam eos dare debere, ne *illam* (ancillam, in uxorem ſumptam:) deſtituant *victu*, *amictu*, & *debito conjugali*, ſive τῇ ἐυνοίᾳ. Neque enim nunc diſputo, quo ſenſu vocabulum עונה accipiendum ſit. de quo videri poteſt Seldenus [a]. 5. Si vero *herus* aut *filius ejus has tres conditiones* ancillæ uxori præſtare detrectarent: poſſe *illam liberam abſque argenti ſolutione ulla egredi* & ſe ipſam in libertatem vindicare. Sufficiat ſic indicaſſe ſententias harum legum, ut nos eas concepimus. De ſingulis enim poſterioribus quoque diſputare, & Eruditorum interpretationes ad eas producere & examinare, è re noſtra nunc non eſt.

Vetuſtæ Paraphraſes, Chaldæa,

XIV. Supereſt ut vetuſtas paraphraſes, *Græcam*, *Chaldæam*, & *Latinam* cum Maſorethica lectione conferamus. Dictum jam

eſt,

a l. c.

eſt, Lxx Interpretes heic variare. *Vaticanus* codex prorſus favet Maſorethis: Ἐὰν μὴ εὐαρεστήσῃ τῷ Κυρίῳ αὐτῆς, ἣ (legendum dubio procul ἣν, ut in aliis Codicibus legitur:) αὐτῷ καθωμολογήσατο, ἀπολυτρώσει αὐτήν· *Si non placuerit domino, quam ſibi deſponſavit, redimet eam.* In aliis tamen Editionibus habetur: ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτῷ, quod Auguſtinus legit; *qui eam non adnominavit.* Prout igitur diverſæ lectiones in Codicem irrepſerunt hebræum; ſic veriſimile eſt vitium illud inde tranſlatum eſſe in Lxx Interpretes. Valde tamen dubito, an non ea ſit præferenda, in qua *negativum* οὐ reperitur. Sed de eo commodius judicium tulerimus, ubi in aliis quoque locis eorum verſionem contulerimus. De Chaldæo res eſt certior. Is in omnibus conſentit tam Maſoretharum lectioni quam noſtræ expoſitioni: אם בישא בעיני רבונא דקימה ליה ניפרקנה *Si mala ſit in oculis domini, qui eam ſibi deſponderat, ſinet eam liberam abire.* Jonathanis paraphraſis nihil quidem hic habet, quo ſe commendet. *Vulgata* autem Interpretatio omnino etiam favet Maſorethis, niſi quod non ſatis recte exprimat vim hebræi textus: *Si diſplicuerit oculis domini ſui, cui tradita fuerat, dimittet eam.* Joſephus [a], ubi eſt in repetendis Legibus Codicis Moſaici, eas tantum recenſet, quæ ad *ſervos* hebræos attinent. De *ancillis* quidem ibi, ut video, nullam facit mentionem. Sed moliebatur ille majus aliquod opus de *Legibus Moſaicis*, & *earum rationibus*, non ſemel in Antiquitatum Libris promiſſum [b]. Aſt vel periit illud inſigne vetuſtatis monumentum, ſi extiterit; vel fieri poteſt, ut magnitudo & difficultas operis aut alii quidam caſus ſcriptorem egregium à propoſito deterruerint aut alienarint.

Græca, Latina, profeруntur, & cum ſuperiore expoſitione comparantur.

a Antiq. Lib. iv. Cap. viii. p.m. 127. b Antiq. Lib. iii. Cap. iv. p. 27. Antiq. Lib. iv. Cap. viii.

Caput XV.

Recenſitorum ex Maſora *Locorum* quartus, 1 *Sam.* II. 2, 3. *relegitur, explicatur, & illuſtratur; laudata rurſus Maſoretharum induſtria.*

Locus 1 Sam. II. 2, 3. ex Cantico Hannæ recenſetur.

HInc recta tranſimus ad *quartum* ordine *locum*, qui & ipſe majorem meretur curam & attentionem. Eſt is in Cantico Annæ ad hunc modum[a]: *Ne multiplicetis, ut loquamini altum, exeatque duri quid ex ore veſtro,* כי אל דעות יהוה *quia Deus ſcientiarum eſt Jehova,* ולא נתכנו עלילות (ſic vertimus:) *&* IPSI LIBRANTUR FACINORA. In hoc rurſum loco *ſcriptum* eſt לא / quod Maſorethæ *legendum* præcipiunt לו. Diſquirendum igitur, utra *lectio* nos ducat ad genuinum & ſincerum loci ſenſum. Tremelliana Interpretatio, ut ſolet, ſequitur *ſcripturam textus.* Vide, an illius ſententiam aſſequare: *Nam Deus fortis omni notitia præditus* eſt *Jehova, &* NON DISPONUNTUR ACTIONES. Quid hæc ſibi vellent verba prorſus non intelligebam, antequam *Scholia* conſulerem *marginalia*, in quibus hæc commentarii vice adjiciuntur: *Et non diſponuntur actiones. Puta, ſine ipſo, aut ſine voluntate & adminiſtratione ejus, q. d. ut ut efferamini, tamen nihil omnino ſine ipſo effetis effecturi.* Quis tamen non videt, hanc ſententiam; *Et non diſponuntur actiones*; admodum eſſe obſcuram & imperfectam? Ellipſes quidem *nominum, verborum,* & *particularum*, fatemur in Scriptura eſſe frequentiſſimas; ſed tales, quę facile ex ipſa oratione poſſunt ſuppleri. Qui vero hæc legit verba; *Et non diſponuntur actiones:* non facile ex contextu eruere poteſt eorum hunc eſſe ſenſum, *actiones mortalium non diſponi* abſque arbitrio Divini Numinis. Pone, velle aliquem dicere, *mundum non eſſe factum abſque Deo*, & omiſſa ultima hujus ſententiæ parte, id ipſum ſic exprimere, *Mundus non eſt factus:* nonne jure merito culpares ſummam & inuſitatam orationis duritiem? Quando igitur alia ſupereſt expoſitionis ratio, non eſt prudentis Viri inſolentes ejuſmodi & duras ellipſes Sacris Scriptoribus affingere. Inſuper etiam obſervari poteſt, in hac inter-

Differentia lectionis לא & לו in h. l.

Tremellii verſio.

Et ad eam animadverſio.

Dura ſtatuenda ellipſis in h. l. ſi teneatur lectio textualis.

a 1 Sam. II, 2, 3.

interpretatione nullam omnino eſſe emphaſin vocis תכן. Neque enim illa tantum notat *diſponere*, quomodo eam Tremellius & Junius tum hic interpretati ſunt, tum quoque in *Scholiis* ad Ezech. XVIII. 25. ſed *librare*, *menſurare*, *ponderare*, *diſponere ad menſuram*. Quid vero hoc ſibi vult; *Et actiones hominum non diſponuntur ad menſuram*, *non librantur*, *non ponderantur*? Contrarium ſane verum eſt; contrarium etiam, ut mox patebit, dicere voluit Anna. Deo enim in omni pagina ſacra hæc adſcribitur virtus, quod actiones hominum quaſcunque *libret* & *ponderet*. Quod ſi dicas, hunc eſſe verborum ſenſum, quod *actiones non librentur abſque Deo*: fatebor quidem, in hac ſententia nihil ineſſe falſi; repetam tamen, eam non eſſe diſertam & elegantem. Qui enim dicit, *Deum humanas actiones librare*, multo clarius, elegantius, & diſertius loquitur, quam qui ait, *humanas actiones non librari abſque Deo*.

II. Ut vero hujus loci ſententia obſcura, imperfecta, &, ceu nobis videtur, minime elegans eſt, quando *textualis lectio* retinetur; ſic contra clara, perfecta, & concinna admodum eſt, ſi *marginalem* ſequamur: quę ita habet; *Et ipſi* (ſive *ab ipſo*:) *librantur facinora*. Anna monuerat improbos, ne ſe elate & ſuperbe gererent, & ne quod *durum* & *audax verbum* in contumeliam Dei & Sanctorum proterve effunderent. Hujus ſuæ admonitionis duplicem dat rationem. *Prior* eſt, quia *Dominus* (יהוה) eſt אל דעות *Deus ſcientiarum*, qui omnium mortalium verba & facta quam accuratiſſime cognoſcit; *Alteram* addit, ולו נתכנו עלילות *& ipſi librantur actiones*, quia Deus omnium mortalium dicta & facta non cognoſcit tantum, ſed librat quoque, expendit, & ad menſuram judicii exigit; ſive, quia Dei omnia opera ſunt juſta, ſibi conformia, & quaſi ad libram exacta; ſive etiam, quia Deus in gubernatione mundi bona & mala hominibus varie & prudenter diſpenſat, quippe qui ſuperbos & alta ſpirantes deprimit, & humiles viciſſim atque depreſſos exaltat, deſumpta ſimilitudine ab eo, qui *libram* manu tenet, facitque ut lanx, quæ præponderat, cum altera æquali pondere conſtet, donec *libra* lancibus eodem pondere conſiſtentibus, *æquetur*. Sed operæ pretium fuerit verba prudentis Fœminæ paulo preſſius conſiderare, ut quę diximus clariora evadant.

Marginalis contra exhibet ſenſum commodum.

Qui declaratur.

Significatio vocis עלילה inveſtigatur.

III. Vocabulum עלילה idem apud Hebræos notat quod apud Latinos *facinus*, inſigne ſc. aliquod & audax factum, ſive *bonum* ſive *malum*. Quando Hebræum עלילה de *hominibus* uſurpatur, potiſſimum accipitur in malam partem. Sic Pſ. XIV. 1. de impiis dicitur: התעיבו עלילה *abominanda patrarunt facinora.* Pariter apud *Tſephaniam* de Iſraëlitis [a]: *Eo die non pudefies amplius ob omnia* FACINORA TUA, (עלילותיך) *quibus in me prævaricatus es.* עלילות *facinora* in hoc loco ſignificant *inſignia* & graviora delicta, quæ ex ſuperbia & faſtu animi commiſſa erant. Idem tamen hoc vocabulum de Deo elegantiſſime in *bonam* accipitur *partem*, quia in operibus Dei inſunt argumenta majeſtatis, excellentiæ, &, ſi id dicere liceat, magnanimitatis. Exemplum habes in Pſ. IX. 12. *Cantate Domino, habitanti Tſione,* הגידו בעמים עלילותיו *annunciate inter populos* FACINORA IPSIUS. Pariter in Pſ. LXVI. 5. *Ite & videte molimina Dei,* נורא עלילה על בני ארם *tremendi* FACINORE *ſuper filiis hominum.* Convenit phraſis, quæ apud *Jeremiam* eſt in eundem ſenſum [b], רב העליליה *Magnus* FACINORE. Altera vero notio תכן/ cujus in hoc loco uſus eſt, notat *librare, ponderare, menſurare.* Sic Prov. XVI. 2. תוכן רוחות יהוה *Dominus* LIBRAT *ſpiritus.* & alibi paſſim [c].

De Deo uſurpatur in bonam partem.

Emphaſis in voce לו ſecundum lectionem *marginalem*.

IV. Quod autem hoc in loco inſuper ex Maſoretharum annotatione, quam nos nunc veram eſſe ſupponimus, dicitur; לו IPSI, (ſc. Deo) נתכנו עלילות *librantur actiones:* id noſtro judicio ſummam habet emphaſin, & elegantiam, quæ hic meretur obſervari. Id enim non tantum ſignificat, *actiones* quaſcunque (ſive ipſius Dei ſive hominum:) à Deo *librari* & expendi, ſed præterea *ad Deum pertinere*, eumque ſolum, tam ſuas quam hominum aliorum actiones librare atque expendere. Singularem hunc eumque valde emphaticum uſum hujus literæ præfixæ ל/ habemus in Pſ. III. 9. ליהוה הישועה *Jehovæ eſt ſalus*; necnon Jon. II. 9. ישועתה ליהוה / quod in Apocalypſi [d]: ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ ἡμῶν. Quid ſibi hoc vult *ſalus eſt Jehovæ*? Utique enim *Jehova*, inſidens throno, opus non habet *ſalute*. Glaſſius, qui nobis hoc exemplum ſuggeſſit, ſic explicat [e]: *Jehova eſt ſalutis omnis fons & auctor.* Recte quidem. Significatur hac phraſi, glo-

Locus Ap. VII. 10. exponitur.

a Cap. III. 11. b Cap. XXXII. 19. c Cap. XXI. 2. Job. XXVIII. 25.
d Cap. VII. 10. e Gram. Sacr. Lib. IV. Tract. II. Obſerv. VI.

gloriam peccatoris ſervandi nemini præter Jehovam deberi, quippe quod hoc opus, *ſervare peccatorem*, ad Deum maxime pertineat, ejus ſolius poſſit eſſe curæ & conſilii, tanquam qui ſolus id præſtare poſſit, ac proinde quod *Deo competat*, cumque *deceat* hoc agere. Non admodum diſſimilis uſus hujus præfixi eſt, 2 Chron. XX. 17. לא לכם להלחם בזאת *Veſtrum non erit pugnare hoc in caſu; ſtate & videte ſalutem Jehovæ.* Propheta non tantum hoc vult dicere, *pugnam* ab ipſis confectum non iri, ſed præterea, *pugnam* ab ipſis non *exigi* in eo prælio, *ut quid* ad ipſos *pertinens*, quia Deus conſtituerat ſingulari quodam modo tam ſuam quam ipſorum cauſſam agere, & abſque eorum opera hoſtes fundere. Eventus hunc ſenſum probavit. Manifeſta pariter pro hac ſignificatione ſunt alia Literarum Sacrarum loca [a]. Quod igitur dicitur; לו IPSI *librantur facinora*, eam habet in ſignificatione ἔμφαςιν, quod *facinora librare* Dei quædam ſit actio, quæ Deo propria eſt, ad eum pertineat, ejus potiſſimum curæ ſit & conſilii, eumque maxime deceat. Alias hebraice diceres: ולו לתכן עלילות.

Et 2 Chron. XX. 17.

V. Verborum ſingularium expenſa poteſtate, inquirendum eſt in loci *ſenſum*: qui quodammodo dubius redditur, quia in ipſo orationis contextu incertum relinquitur, ad quod *ſubjectum* vocabulum עלילות *facinora* ſit *referendum*. Poteſt *illud* vi ſuæ ſignificationis & uſus *referri* ad Deum & ad homines. Utrumque quoque illud *ſubjectum* hic memoratur. Utrovis autem modo verba accipias, ſenſum dabunt commodiſſimum. Si vocabulum עלילות *referatur* ad *homines improbos*, de quibus Anna in ſuperioribus egerat, tum hæc loci exſurgit verſio: *Et ipſi* (Deo) *librantur facinora* hominum. Deus vero *hominum facinora* egregie admodum dici poteſt *librare*, quatenus ipſe, ut *Judex totius terræ*, hominum quorumque (improborum maxime:) facta *expendit*, & ad ſuam legem, ceu ad certam quandam *normam* aut *pondus*, *exigit*. *Juſtitiæ* enim eſt *facta librare* & *expendere*, æquatis *lancibus*. Non eſt hoc emblema admodum alienum à literis ſacris [b]. Utique occurrit in Pſ. LXII. 10. *Certe vanitas ſunt filii hominum, mendacium ſunt filii viri.* במאזנים לעלות *ſi aſcendendum ipſis eſſet in*

Quæritur & definitur, an hic de *Operibus Dei*, num hominum mentio ſit?

Poteſt ſententia commode accipi de facinoribus impiorum.

a Mich. III. 1. & Prov. XXXI. 1. b Confer Eccleſ. IX. 9. Pſ. L. 21. Pſ. LXII. 13.

BILANCES, מהבל יחד *pariter* omnes *vanitate leviores* invenirentur. Sed manifeſtius etiam occurrit exemplum in hiſtoria *Belſchazaris*, Babyloniæ Regis [a]. Videbat ille, genio impie indulgens, manum ex adverſo prodeuntem pariete, hanc ſententiam, in cœleſti curia de ſe pronunciatam, conſignantem: *Numeravit, numeravit*, APPENDIT, *& dividunt*; cujus ſententiæ penultimam vocem תקל ita interpretatur Daniel: תקילתא במאזניא והשתכחת חסיר APPENSUS ES LANCIBUS, *& compertum eſt te deficere.* Dei, ſummi moderatoris hujus Univerſi, eſt hoc de Belſchazare judicium, cujus imperio & tribunali potentiſſimi etiam ſubſunt Reges. Nihil vero impedit, quo minus ſtatuamus, *Annam* in hoc loco eadem hac metaphora depinxiſſe *juſtitiam* Dei, omnia hominum facta, & præſertim facinora improborum, accurate penſitantis, & cuique mortali pœnam & præmium ſecundum opera ſua æquiſſime decernentis ac diſtribuentis. Nec male quadrat hic ſenſus ſcopo *Annæ*, & contextui totius orationis. *Anna* vult deterrere *improbos* ab immanibus *cæptis* & *jactationibus* ventoſis, quibus multum mali ſive *inferebant*, ſive *minabantur* humilibus & afflictis. Rationem petit tam à *ſcientia*, quam à *juſtitia Dei*. Dominus, ait illa, eſt *Deus ſcientiarum*, πάντα ἰδὼν, καὶ πάντα νοήσας, ceu de ipſo Heſiodus: qui molimina, facinora, & jactationes hominum improborum explorata habet, & ad ea diligentiſſime attendit; qui præterea ea lancibus æqui abſque affectu juſtiſſime librat & expendit, ac proin in reprobos propter ea graviter & ſevere animadvertet.

Sed pariter recte de Operibus Dei.

VI. Sed poteſt quoque vocabulum עלילות referri ad *Deum*, quando verba tibi hanc dabunt ſententiam: *Et ipſi* (Deo) *librantur facta* ſua. quæ pariter plena eſt elegantiæ, nec minus efficax. Deus phraſi hebræa dicitur *librare* & *ponderare facta ſua*, quando omnia exigit ad *regulam* ſanctitatis & decentiæ. *Architectus ſapiens* (Cocceji ſunt in ejus ad hunc locum Commentariis:) *ad certum modum, libratis & accurate ad lineam & perpendiculum examinatis omnibus proportionibus & partibus, inſtituit omnia opera ſua. An putatis, Jehovam Deum omnipotentem, qui novit, quid juſtum, quid rectum, quid decorum & ſibi conveniens ſit, quemque nihil latet, cui patent penetralia cordis, non omnia*

agere

a Dan. v. 27.

agere recte, & decenter, & ſecundum veritatis ac juſtitiæ regulam? *Libra* apud Deum eſt *veri* & *recti*, qua omnia *dicta* & *facta* ejus quaſi *appenduntur*; ad quam omne opus Divinæ providentiæ exigitur, antequam prodeat. ad quam rem & phraſin illuſtrandam inſigniter facit, quod ſemel atque iterum occurrit apud *Ezechielem* [a]. Introducuntur ibi iniquiſſimi operum Divinorum cenſores, qui ſuæ malitiæ culpam à ſe transferebant in Deum. Cenſorium eorum dictum erat; לא יִתָּכֵן דרך יהוה *Non æquatur via Domini.* Dicere volunt, *actiones* Dei non eſſe *exactas ad libram* recti, æqui, & boni. Contra ea Deus iis objicit, *ipſorum viam* non *librari*, id eſt, ipſos non inſtituere ſuas actiones ſecundum eas regulas recti & æqui, quę ipſis præſcriptæ erant. Apud Homerum [b] Jupiter fingitur fere in eundem ſenſum cæteros Deos in concilio compellare:

Deum librare actiones hominum, & ſuas, recte dicitur, & varie illuſtratur.

> Ω πόποι οἷον δή νυ Θεὰς βροτοὶ αἰτιόωνται·
> Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
> Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.
> *Papæ! quomodo jam Deos immortales culpant!*
> *Ex nobis enim inquiunt mala eſſe: at illi ipſi*
> *Ob ſua ſcelera præter fatum dolores patiuntur.*

Secundum quam interpretationem, quod in hoc loco dicitur; ולו נתכנו עלילות/ accipiendum eſſet, ac ſi ſcriptum extaret, ונתכנו עלילותיו. Atque hunc loci ſenſum præ cæteris approbarunt Doctiſſimi Belgæ, in *verſione illius* rurſus ſequuti ductum Maſorethanum: **Ende ſijne daden zijn recht gedaen.**

VII. Imo ſane dici inſuper poteſt *Deus facta ſua* erga homines *librare*, & quaſi in bilance expendere, quando ſuam in bonis maliſque hujus mundi ſuo judicio diſpenſandis manifeſtam facit *ſapientiam*, *prudentiam*, atque *æquitatem*. Si ſuperbis atque elati animi hominibus omnia ſemper ſuccederent ex voto, adeo ut iis nunquam male eſſet; ſi contra qui Deum reverentur in hoc mundo ſemper in afflicta viverent conditione: quis crederet, Deum *conſilio* agere, & non *impetu*? Verum, quando in operibus Dei hanc obſervare licet viciſſitudinem, ut qui nunc alta ſpirant & faſtu turgent, cæteroſque inferiores minis jactationibuſque ſuis deterrent, ſæpe paulo poſt à potenti Dei manu depri-

Quo adhuc alio ſenſu Deus dici queat facta ſua librare?

a Cap. XVIII. 25. b Odyſſ. α. verſ. 37.

deprimantur & dejiciantur; viciſſim, ut qui nunc gravi premuntur affictione & à ſuperbis cum indignatione conculcantur, mox à Deo evocentur ad faſtigium dignitatis & honoris: tum demum animadvertit conſcientia, Deum ſua *librare facta, lancem* modo *hanc* modo *illam inclinando*, excitaturque hoc argumento, ad ſapientiam æquitatemque Dei in *Regimine mundi* agnoſcendam & deprædicandam. Id omnino dicere volo, quod Euſebius Oratione de *Laudibus Conſtantini*: Καὶ δὴ τοῦτ' ἦν τὸ μέγιστον τῆς τοῦ τιμωμένου δυνάμεως δεῖγμα, ὅτι δὴ δικαιοσύνης ἐξ ἴσου νέμων τὰ τάλαντα, τὴν κατ' ἀξίαν ἀμοιβὴν ἑκατέρῳ τάγματι προσῆγε· *Atque hoc maximum eſt argumentum potentiæ ejus, qui ab Imperatore colitur, Dei, quod* RECTAM JUSTITIÆ LANCEM PARIBUS UTRINQUE MOMENTIS LIBRANS, *utrique parti congruam mercedem attribuit.* Obſervarunt id & prædicarunt ſæpe Gentiles. Heſiodus [a]:

Illuſtratur ſententia ex affinibus dictis aliorum Scriptorum.

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει·
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.
Facile enim extollit, facile etiam elatum deprimit:
Facile præclarum minuit, & obſcurum auget:
Facileque corrigit incurvum, & ſuperbum contrahit
Jupiter altitonans, qui ſupremas domos incolit.

Horatius [b]:

Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

Et confertur cum ſequentibus.

Nec id male convenit ſequenti orationis Annæ contextui, in quo fere in eundem hunc modum canit: *Arcum fortium quod attinet, ſternuntur fortes, & lapſantes accinguntur ſtrenuitate. Saturi pro pane conducuntur, & eſurientes non eſuriunt: adeo ut ſterilis pepererit ſeptem, at abundans filiis langueat.* Videmus, quocunque modo accipiatur Maſorethica lectio, לו נתכנו עלילות / eam dare efficaciſſimum & abundantiſſimum ſenſum. Non placet igitur quod Cappellus dicit; *parum intereſt, quomodocunque legatur.*

VIII.

a Op. & D. verſ. 5. b Lib. 1. Od. XXXIV.

VIII. Favent etiam *marginali lectioni* Interpretationes *Græca*, *Chaldæa*, & *Vulgata*. Græca habet: Καὶ Θεὸς ἑτοιμάζων ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ· *Et Deus præparans* ſive *diſponens conſilia ſua*. An *Septuaginta* aliter legerint ac nos hodie, diſputandum relinquimus Cappello. Noſtro judicio abſurdum non eſt cogitatu, illos hunc locum eodem modo legiſſe, quo in noſtris nunc legitur Codicibus, (niſi quod pro לא habuerint לו:) ſed quod alias ſæpe agunt, ſenſum potius voluiſſe exprimere, quam ejus *verba* & conſtructionem imitari, repetito ἀπὸ τοῦ κοινοῦ vocabulo Θεός. Idem enim, imo clarius videtur, ſi dicas græce; ὁ Θεὸς ἑτοιμάζων τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ, quam ſi ſcribas: τῷ Θεῷ ἑτοιμάζοντι τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. Chaldæus Paraphraſtes pariter in hoc loco nullam agnovit *voculam negantem*. Operæ pretium nobis videtur, totam paraphraſin, quam ad hunc verſum dedit, heic adſcribere. Eſt enim illud non indignum notatu, univerſum hoc Canticum Annæ ab ipſo fere referri ad futura fata populi Judaici, ac ſi Anna hoc vaticinio continuo filo omnes futuros Populi Judæi caſus ordine deſcriberet: & hæc quidem verba, quę tractamus, refert ad *Nebucadnezarem* & Chaldæos: על נבוכדנצר מלכא דבבל אתנביאת ואמרת אנתון כסדאי וכל עממיא דעתידין למשלט בישראל לא תסגון למללא רברבן לא יפקון גדופין מפומכון ארי אלהא ידע כולא ועל כל עובדוהי מתיח דיניה אף לכון עתיד לשלמא פורענות חוביכון *De Nebucadnezare, Rege Babelis, vaticinata eſt & dixit; Vos Chaldæi, omneſque alii populi, qui dominaturi eſtis Iſraëli, ne multiplicetis alta loqui, neque egrediantur ore veſtro convitia, quia Deus omnia perſpicit, & ſuper omni opere ejus extenditur judicium ejus; imo vero vobis quoque rependet criminum veſtrorum vindictam.* Quis dicat, hunc Interpretem à vero ſenſu hujus phraſis aberraſſe? In *Vulgata* Latina legitur: *Et ipſi præparantur cogitationes*, eo, ni fallor, ſenſu, quem nos ſupra jam dedimus explicatum. Symmachus habet: Καὶ οὐκ εἰσὶ παρ' αὐτῷ προφάσεις· *Et non ſunt apud eum prætextus*. An Symmachus legerit לא/ ceu Druſius & Cappellus judicant, mihi non ſatis conſtat. Id vero certum eſt, Symmachum ſenſum loci, ut à *Maſorethis legitur*, optume expreſſiſſe. Qui enim dicere vult, *Dei vias ejuſque judicia eſſe recta*: quomodo id enunciare poſſit elegantius, quam omnes Deo abjudicando προφάσεις? Hebræi Interpretes *textualem* lectionem non prorſus rejecerunt,

Interpretationes Veteres conferuntur cum expoſitione allata.

Singularis animadverſio ad Paraphraſin Chaldæam.

ſic tamen ut *marginalem* ei prætulerint. Putarunt, utramque poſſe ſubſiſtere, & ad eundem ſenſum concurrere. Kimchium ſufficiet audire: ולא נתכנו עלילות: כתוב בא'לף וקרי בו"ו ופירוש הכתוב כי לא נתכנו עלילות בני אדם אם לא יחפוץ האל' ופי' הקרי כי לו לברו נתכנו העלילות לא לבן אדם כי הוא עושה כאשר ירצה ובן אדם אומר ולא יעשה ודבר ולא יקימנה *Textus* ולא נתכנו עלילות *inter eos eſt, qui ſcripti ſunt cum A-leph, & legendi cum* Vau. *Senſus vero loci, ut ſcriptus eſt, fert, opera hominum non diſponi rite niſi accedat Divinum beneplacitum; expoſitio vero textus, ut legitur, eſſe poteſt, ſolius Dei, non hominis, opera rite ordinata librataque eſſe, quoniam ipſe omnia pro placito ſuo exequitur; hominis vero eſt, multa dicere, quæ non efficit, & loqui, quæ rata facere non poteſt.* Stet itaque ſententia, *lectionem marginalem* hoc quoque in loco commodiſſimam, & *textuali* anteferendam eſſe.

Kimchii ſententia.

Caput XVI.

Celebris, idemque difficilis locus, 2 Reg. VIII. 10. *qui in* recenſione Maſorethica *ordine* ſextus *eſt, novis curis ſubjicitur; varii veterum atque recentiorum, Hebræorum & Chriſtianorum, commentarii in eum allegantur, & examinantur, addita eorum ſingulis* ἐπικρίσει; *denique, quæ optima difficultatis tollendæ ratio videatur, ſubjungitur.*

Locus 2 Reg. VIII. 10. recenſetur.

TRanſimus ad *ſextum* ordine *locum*, qui notatus eſt ex 2 Reg. VIII. 10. *Benhadad* Syriæ Rex, ægrotans, *Hazaelem* miſit ad *Elizam* Prophetam, ut ex ipſo ſciret exitum morbi, quo tum maxime laborabat: *Eliza* vero *Hazaeli* reſponſum dediſſe fertur his verbis: לך אמר לא היה תחיה והראני יהוה כי מות ימות *Abi, dic* IPSI, (vel *non*,) *vivendo vives. Et oſtendit mihi Jehova, ipſum certo moriturum eſſe.* De hoc loco, qui difficultate non caret, variæ ſunt ſententiæ. Præſtantiſſimi tamen Interpretes in id videntur conſpirare, quod *lectio marginalis* לו *textuali* לא heic quoque ſit præferenda. LXX: Δεῦρο εἰπὲν, ζωῇ ζήσῃ· *Age dic; Vivendo vives.* Chaldæus: איזל אימר ליה / *Dic*

Sententiæ Vett. Intt. de hoc loco.

Dic ipſi. Vulgata: *Vade, dic ei; ſanaberis. Marginalem* quoque *lectionem* hic probant RR. Salomo, Kimchi, Levi Ben Gerſom, Abarbanel. Uſu veniet ex eorum commentariis mox quędam decerpere. Diodati pari confidentia: *Va, di luy, Pour certain tu en gueriras.* Cappellus hæſitat. Dixerat de *marginali lectione: Et ſane res ipſa id poſtulare videtur: Jubet Elizæus Hazaëli, ut ſpem convaleſcendi faciat Benhadado hero, licet Deus oſtendiſſet ipſi, eum certo moriturum.* Addit tamen mox eodem contextu orationis: *Porro, quia ſic Elizæus videtur præcipere mendacium, propterea factum eſt, ut aliquis pro* לו *ſubſtituerit* לא / *ut ſenſus ſit:* dicito, omnino non convaleſces, nam oſtendit mihi Deus, eum certo moriturum, *quæ lectio, & qui ex lectione oritur ſenſus, fortaſſe melior eſt.* Acſi tamen pœniteret ſcripti, rurſus in re ambigua & obſcura aliud proponit. Belgæ Interpretes videntur quoque in incerto fluctuare. In *Verſione ſua* probarunt *textualem*; in *Annotatis* tamen *marginalem Lectionem* adduxerunt & explanarunt. Probaverant quoque Junius & Tremellius in *Priore Editione* lectionem *Maſorethicam*, ſed in *Poſteriore* ſequitur Junius *Scripturam textus*, notante Glaſſio [a], qui & ipſe *Maſoretharum* lectioni accedit. Et ſane ratio videtur ſtare à partibus *Maſoretharum*. 1. Quia *Hazaël*, hæc verba Prophetæ ad *Benhadadum* herum ſuum referens, ea ipſa verba חיה תחיה repetit, omiſſo *negandi vocabulo* (*negativam particulam* dicunt:) לא. Non conſtat vero ex ullo argumento orationis, *Hazaëlem* verba Prophetæ aliter *retuliſſe*, ac Propheta ea enunciaverat. Quare id etiam affirmandum non eſt, niſi neceſſitate ſumme urgente. 2. *Verbum Imperativum* אמר *dic* commodiſſime conſtruitur cum *ſequente* vocula *relativa* לו. Omnino enim veriſſimile eſt, *Eliſam perſonæ*, de qua loquebatur, & cui ejus nomine quædam verba reddenda erant, aliquam ſaltem voluiſſe facere mentionem. Decus itaque orationis & conſtructionis exigit, ut credamus, *Eliſam dixiſſe*; אמר לו *Refer ad ipſum* ſc. *Benhadadum*, qui *te* (Hazaëlem) miſit, & non ſimpliciter; אמר *Dic.* 3. Accedit, quod *Auctores ſacræ punctationis*, qualeſcunque tandem illi fuerint, (quo enim quiſque eos nunc habebit antiquiores & digniores, eo plus hæc noſtra ratio apud ipſum valebit:) voculam לא per

Diodati & Cappellii.

Aliorumque recentiorum.

Maſorethatum lectio variis rationibus defenditur.

 Mak-

a Gram. Lib. III. Tract. III. Can. XXVII.

Makkaph conjunxerint antecedenti vocabulo אמר; eo ſatis aperte ſignificantes, ſe velle, ut vocabulum לא heic accipiatur pro לו †.

Difficultas quæ huic interpretationi objicitur, quod ſecundum eam Eliſæ verbis videatur ſubeſſe falſum.

II. Bene quidem hactenus, quod rurſus *Maſoretharum* lectionem cum Doctiſſimis Viris in hoc loco propugnemus. Majoris induſtriæ & perſpicaciæ opus eſt, ſolvere difficultatem, quæ *huic lectioni textus* objicitur. Non videbitur enim *Eliſa verum* loquutus eſſe, ſi his verbis fingatur dixiſſe, *Benhadadum victurum eſſe*, *quem* ſciebat *certo eſſe moriturum*, & quem moriturum ſequentibus verbis aperte indicat. Imo *Eliſa* ſecundum *hanc lectionem* ipſum *Hazaëlem* videtur vocare in partem hujus peccati, quippe cui præceperit ea nunciare hero ſuo *Benhadado*, quę ipſe falſa eſſe ex ipſo Propheta cognoverat. Quæ cum de ſanctiſſimo Propheta præſumi non poſſint aut debeant, varie ſe hic conati ſunt expedire Viri Docti: ſed tamen non omnes eodem cum ſucceſſu. Expendemus quaſdam eorum ſententias nobiliores, & noſtri tandem judicii quoque copiam faciemus lectori.

Quam aliqui ſic expediunt, non abſurdum eſſe dictu, Eliſam hoſti Populi Dei non debuiſſe fidem.

Joſephi ſententia & Grotii.

III. Sunt qui exiſtimant, omnino Eliſam hic *falſa Hazaëlem juſſiſſe nunciare Benhadado hero ſuo*, etiamſi Hazaëli privatim ſignificarit, Benhadadum certo moriturum eſſe. qua in re cenſent illi nihil fuiſſe vitii, quia Prophetæ res erat cum hoſte Populi Dei, quem abſque peccato verum poſſet celare. Eſt in hac ſententia Grotius, cui forte prælufit Joſephus. Verba ejus [a]: Ὁ δὲ προφήτης τὸν μὲν Ἀζάηλον ἐκέλευσε μηδὲν ἀπαγγέλλειν τῷ Βασιλεῖ κακὸν· ἔλεγε δ' ὅτι τεθνήξεται· *Propheta autem Azaëlem nihil mali juſſit annunciare Re-*

a Antiq. Lib. IX. Cap. II.

† Diſcuſſit nuper & ponderavit has rationes Venerandus admodum Vir, Hermannus Witſius, in *Præfatione*, quam præmiſit Secundæ Editioni eruditi & utiliſſimi Operis *Miſcellaneorum*, §. IX. arbitratus, *textualem lectionem* hic abſque magno incommodo retineri poſſe. Ego rem tanti non facio, ut de ea litigare aut etiam diſputare velim cum Viro, erga quem magna ducor reverentia, & qui de meis ſtudiis, & Eccleſia, optime meritus eſt, maxime quoniam in hac diſputatione non tantum candide mecum egit Vir Celeberrimus, ſed & plus dedit humanitati, quam mihi auſus fuiſſem vindicare, vel merebar. Quicquid igitur hujus rei eſt, arbitrio Lectorum noſtrorum totum committo.

re Regi. Significavit tamen (Hazaëli,) *ipſum eſſe moriturum.* Ad quam Joſephi μετάφραζιν Grotius: *Si hanc lectionem ſequimur, fuerit hic non diſſimulatio ſola, ſed* PLUS ALIQUID, QUOD TUNC *adverſus extraneos & idololatras* HABEBATUR PRO LICITO. Nota ſatis eſt Grotii hypotheſis. Scripſerat in Libris de *Jure Belli* & *Pacis* [a], *Sapientes paſſim ſtatuere, apud hoſtem falſo ſermone uti licere.* Quod poſtquam confirmaſſet, addit; *Quo forte non male referas, quod in Sacris literis eſt Jabeſitarum in obſidione mendacium, & factum non diſſimile Propheta* ELISÆI. Adſcripta ad *marginem* ſunt loca 1 *Sam.* XI 10. & 2 *Reg.* VI. 18. In *Annotatis* vero, quibus Vir Illuſtris hos Libros ſuos illuſtravit, ſubjicitur: *Ejuſdem Eliſæi alterum ſimile eſt,* 2 *Reg.* VIII. 10. *ita ut legunt* Maſorethæ, *id eſt, ſecundum* קרי/ *quod ſequitur Latina* Vulgata *verſio.* Non auſus tamen eſt Vir Illuſtris rotunde de hoc loco pronunciare: hanc quidem, dubio procul, ob cauſam, quod expoſitionem hanc incommodo quodam gravari ſenſerit. Nolo me cum Grotio committere in quæſtione, *an hoſtem verbis fallere liceat.* Illa diſceptatio me prorſus avocaret à ſcopo meo. Verbum igitur non dicam de exemplis *Jabeſitarum*, & hujus noſtri Prophetæ *Eliſæi*, ab ipſo allatis. Caſus, qui in noſtro hoc loco eſt, ab his variat. *Primo* enim obſervandum eſt, *Benhadadum* hoc tempore ſe *Eliſæo* non præbuiſſe *hoſtem apertum*, aut *inimicum*, ſed, oblatis muneribus, amicum atque benevolum ipſi exhibuiſſe animum. Imo veriſimile non eſt, *Benhadadum* hac tempeſtate bellum geſſiſſe cum Iſraëlitis, non morbi tantum cauſſa, ſed & quod *Eliſa* ipſe *ſe contulerit Damaſcum. Secundo* animadvertendum eſt, *Prophetam* inde non potuiſſe hoc in caſu ſingulare aliquod *commodum capere*, quod falſa loqueretur *Benhadado. Mendacia* in *bello* unice admoventur *conſervandis nobis*, aut *lædendo hoſti.* Animi enim & voluptatis cauſſa licitum eſſe quovis in caſu abſque ullo reſpectu utilitatis noſtræ aut detrimenti hoſtis noſtri illum verbis ludere; poſitio mihi nimis videtur eſſe cruda, certe non probata. Fuerit itaque *Benhadad extraneus*; fuerit *idololatra*; fuerit etiam *hoſtis* populi Dei. quando tamen *Eliſa* neque ſibi neque populo Dei eo ſingulare commodum potuit conciliare, ut *Benhadado* falſa nunciari juberet: ſic

Sed quæ refellitur.

a Lib. III. Cap. I. §. XVII.

ſic ſentio, illi neutiquam conveniſſe, *Benhadadum* verbis ſuis *decipere*; etiamſi id ipſi forte in alio caſu aliiſque circumſtantiis potuiſſet eſſe licitum. quod nunc non diſputo. 3. Cauſſam noſtram juvat, quod *Benhadad* Deum Iſraëlis, aut ſaltem *Prophetam ejus*, conſuluerit *veri cognoſcendi* cauſa, quod, quacunque demum motus ratione, apud *Eliſam* potius, quam apud ſuos popas, quærere voluit. Non habuerunt vero Prophetæ in more, ejuſmodi reverentiæ externæ ſigna, etiam ab *idololatris* Deo Iſraëlis exhibita, ſpernere; quin potius operam dederunt, ut argumentis minime ambiguis in ejuſmodi caſibus demonſtrarent, *verum Deum Iſraëlis à falſis Diis Gentium* eſſe diſtinctiſſimum. Quis vero cogitare poſſit, Prophetam *Eliſam*, in medio Gentium verſantem, anſam voluiſſe dare, ut de *veritate Dei Iſraëlis*, & *certitudine ſuarum prædictionum*, dubitaretur? Utique ſane hoc non poterat ullatenus promovere Gloriam Dei apud Gentes.

Alii exiſtimant, Prophetam Hazaëli ſuaſiſſe veri revelati diſſimulationem.

Hebræorum Intt. ſententiæ.

IV. Ad hanc ſententiam proxime accedit alia, quę ſtatuit, Eliſam *privatim* quidem ſignificaſſe Hazaëli, Benhadadum moriturum eſſe: ſimul tamen conſilium ipſi ſuggeſſiſſe, ne id aperte referret ad Benhadadum, ne ipſum offenderet, aut triſtitia afficeret. Sic nimirum R. Levi Ben Gerſom: לך אמור לו חיה תחיה ר״ל שכבר הראהו השם ית׳ כי מות ימות אך כדי שלא יאמרו כי מהפחד מת אמר לו חיה תחיה וזה דבר ראוי לנביאים כי בזה יתאמת יותר אמתות נבואתם Abi, dic illi, vivendo vives: *Vult dicere, Deum quidem ſibi jam oſtendiſſe, Benhadadum certo eſſe moriturum; tamen ne dicant, pavorem, ex hoc nuncio ipſi incuſſum, cauſſam fuiſſe mortis, dic ipſi; Certo convaleſces. qui agendi modus non male convenit Prophetis, quia eo magis confirmatur veritas Vaticinis eorum.* Ad quam commentationem proxime accedit ea Abarbanelis, cujus hæc ſunt: שהנביא גלה האמת לחזאל וגם זה נתן לו עצה הגונה כי הוא יעצו שילך ויאמר אליו כדי לנחמו שחיה יחיה וזהו לך אמור לו חיה תחיה וגלה לחזאל שהיו אלה הנחומין של הפה כי הש״י הראהו במראה הנבואה שמות ימות ולא יחיה מזה החולי *Quippe Propheta veritatem revelavit Hazaëli, & ſimul ipſi honeſtum ſuggeſſit conſilium: quippe conſuluit ipſi, ut vaderet, & ad herum ſuum referret, ipſum victurum eſſe, ut ipſum hac oratione conſolaretur. Atque hunc ſenſum habent verba;* Vade, dic illi; certo

con-

convaleſces. *Revelavit tamen porro Hazaëli, has conſolationes omnino vanas fore, quia Deus ſibi Prophetica Viſione oſtenderat, illum certo eſſe moriturum, & minime ex hoc morbo convaliturum.* Inter Chriſtianos Theodoretus fere etiam ita ſenſit, cujus hoc eſt quæſitum: Τί δήποτε τοῦ βεναδὰδ ὁ Προφήτης τὴν τελευτὴν προειπὼν τῷ Ἀζαὴλ, παρεσκεύασε τοῦτο εἰπεῖν αὐτῷ, ζωῇ ζήσῃ· *Cur, cum Propheta prædixiſſet Azaëli mortem Baradadi, juſſit ei dicere; Vita vives?* Pars reſponſionis, quę ad nos ſpectat, eſt: Ἀφικομένῳ τοίνυν τῷ Ἀζαὴλ ὁ Προφήτης προεῖπε, καὶ τὴν αὐτοῦ βασιλείαν καὶ τοῦ πεπομφότος τὸν θάνατον· εἶπε δὲ αὐτῷ, μὴ μηνῦσαι τὸν θάνατον, ἵνα μὴ ἀθυμῶν ὑπεξέλθῃ τὸν βίον· *Cum igitur adveniſſet Hazaël, prædixit ei Propheta, & ipſum Regem futurum, & mortem ejus, qui ipſum miſerat.* JUSSIT *autem,* UT NE MORTEM EI SIGNIFICARET, *ne triſtis è vita excederet.* Scilicet Propheta Sanctus tantam debuit præſtare reverentiam Regi, haud dubie impio, ut ab ipſo Rege conſultus *falſo oraculo* ipſius avertere triſtitiam, ejuſque animum lenire & conſolari debuerit! Et quid ſi ſanctus fuiſſet & pius Rex Benhadadus: an convenit Prophetæ illum verbis ludificari? Quare nullius quoque rei facio Pellicani Commentarium, cujus, etiamſi ſit ſenſus diverſus, eſt tamen idem fundamentum. *Elizæus,* inquit, *remandat Regi, quæ illum recreare poſſint & conſolari, fortaſſis jam converſum ad Dei veri timorem & cultum, quem à Propheta ſancto cupit illi propitium fieri. A Domino enim futura requirit, non à ſuis idolis, nec aruſpicibus, ſed à Propheta, cujus ſæpe magnalia audierat, & cujus Deum fuerat veneratus, fortaſſis & à Naaman inſtructus in fide veri Dei. Ideo nunc audit, ſe vita victurum, hoc eſt, in fidelium animarum conſortium perventurum. ſic enim Propheta intelligebat; hoc denique Regi ſummopere ſperandum erat.* Ingentes hercle hypotheſes! quas præſentiſco ſumma cum difficultate à ſeverioribus judiciis probandas recipiendaſque eſſe. *Benhadadum,* Syriæ Regem, converſum eſſe ad cultum veri Dei, & non tantum ab inquinamentis hujus mundi externe purgatum, ſed animum quoque ipſius vere fuiſſe ſanctificatum, & infucato timore Dei Iſraëlis imbutum, eique hoc nomine & titulo ſpem certam ſalutis æternæ in hac vita factam eſſe: magnæ inquam, & audaces ſunt hypotheſes, quas mea fides non ſuſtinet. Præterquam quod ne ſic quidem difficultas nobis objecta ſuperetur, quia

Et Chriſtianorum Veterum.

Pellicani Commentarius.

Et ad eum ἐπιχείρησις.

Eliſa ſic non *directe* reſpondiſſet ad propoſitam ſibi quæſtionem, ſed luſiſſet in verbis, quod ipſi fuiſſet indecorum. Etenim de *corporis* valetudine conſultus erat *Eliſa*, non vero de *vita* mentis.

Sententia Diodati, & aliorum, Eliſam non ſimplicem, ſed duplicem prænunciaſſe eventum.

V. Miſſis itaque his interpretationibus, quæ duri & violenti quid habent, ad alias veniamus, quæ ſe majore cum ſpecie commendant. Inter quas eſt ſententia Diodati, pluriumque aliorum, qui cenſent, Prophetam Hazaëli hic diſtincte ſignificaſſe, primo quidem Benhadadum omnino eſſe convaliturum ex morbo quo laborabat, ſi ipſius vitæ aliunde vis non inferretur; veruntamen ſimul indicaſſe, Hazaëlem ea fore in Regem perfidia, ut illum convaleſcentem opprimeret & vita privaret, ac ſi hæc fuiſſet ſumma reſponſionis *Eliſæ: Hic morbus tibi non erit cauſſa mortis, ſed quando ex eo incipies convaleſcere, vita alio aliquo modo privaberis.* Supponunt itaque hi Interpretes, morbum quo laborabat *Benhadad*, & de cujus exitu conſultus erat *Eliſa*, ipſi non fuiſſe cauſſam mortis, atque eo pertinere reſponſum *Eliſæ*; חיה תחיה *vivendo vives*, hoc eſt, ex hoc morbo certo convaleſceres. Verba vero, quæ ſequuntur; והראני יהוה כי מות ימות *attamen oſtendit mihi Dominus, illum certo moriturum eſſe*, cenſent hunc edere ſenſum, quod, etiamſi *Benhadad* ex hoc morbo convaleſceret, ſi naturæ vis non inferretur, nihilominus mortem non effugeret violentam, illi inferendam ab ipſo *Hazaële*; *Hazaëlem* vero *Benhadado* mortem intuliſſe, colligunt ex *commate* 15. Sic quoque inſtituit Kimchius: והראני יי׳ כי מות ימות׳ כלומר מן החולו יחיה אם לא יומת אבל הראני יי׳ כי ימיתוהו Et oſtendit mihi Dominus, illum morte moriturum eſſe: *Ac ſi diceret, ex hoc morbo convaleſcet, ſi non occidatur: ſed oſtendit mihi Dominus, fore qui ipſum ſint intererempturi.* Hæc vero paraphraſis nihil continet paradoxi, aut abſurdi. Præſertim ſi verſum *quintum decimum* ſic interpretemur, quod *Hazael Benhadadum* oppreſſerit, *uvida ejus faciei ſuperinjecta veſte*, &, ut Joſephus vult, *eum ſtrangulaverit*. Certe Interpretes fere in id conſentiunt. Id tamen in conſiderationem mitti poſſet, an *Propheta Eliſa*, ſi *hoc ſenſu* intelligi debeat regeſſiſſe ad propoſitam ſibi quæſtionem, non ſit dicendus aliquanto plus *acuminis* in reſponſo ſuo affectaſſe, quam ab ipſo jure exſpectatum, certe deſideratum fuit. Con-

De ea judicium.

Difficultas, quæ adverſus eam moveri poſſet.

Conſulentis quidem *Benhadadi* intentio præcipua hæc fuit, ut ex Propheta reſciſceret, an ipſe periculum præſentis ægritudinis evaderet. Nullum enim prævidebat caſum alium, quo fatum ſuum maturaretur. Dubium tamen non eſt, quin *Benhadad* Rex noluerit, ut *Eliſa* adeo ſtricte adhæreret *literæ* & *cortici* verborum, ſed potius hoc intenderit, ut *Eliſa* ea interpretaretur non tantum de indole hujus morbi, ſed & de omni caſu, qui, durante morbo, ipſi poſſet eſſe cauſſa mortis, & vitam longiorem præſcindere. Fatendum tamen eſt, ejuſmodi *acumen* à ſtylo Prophetico non admodum eſſe alienum. Imo vero Deus, in aliis caſibus conſultus, † aliquando admodum ſtricte voluit intelligi, & ſtrictius, ni fallor, quam conſulentes ſibi perſuaſerunt. Exemplum dabo unum, quod mihi memoria, parca nunc & ſterilis, ſuggerit. Alia enim, eaque etiam magis appoſita, in Hiſtoria Sacra putem extare. Quando Iſraëlitæ circa tempora *Judicum*, (hiſtoriam lege *Jud.* xx. 18.) ſe præparabant ad decertandum prœlio cum *Benjaminitis*, vindicaturi ſcelus, à quibuſdam eorum perpetratum, ſe contulerunt ad *domum Domini*, conſultum os *Jehovæ*. Rogabant autem Deum per Sacerdotem verbis, hoc modo conceptis; *Quis noſtrum primus aſcendet ad pugnandum cum Benjaminitis?* Reſponſum ferebant; *Juda primus.* Non ambigo, quin Iſraëlitæ, Deum rogantes, quis eorum *primus* in prœlium prodiret contra *Benjaminitas*, plus intellexerint, quam hæc verba, preſſe accepta, ſignificant. Utique enim credendum eſt, eos multo magis fuiſſe ſolicitos de eo, an prœlium hoc Deo probatum eſſet, & an exitum haberet, ſuis reſpondentem votis, quam de eo, *quis* inter eos *primus* aggrederetur hoſtem. Hoc itaque voluerunt dicere hac formula rogandi: *An probas bellum, à nobis clarigatum? An prælio dabis exitum proſperum? Si dare velis, deſigna conflictus ineundi Principem?*

Sed quæ commode removetur.

Deus aliquando preſſius reſpondet, quam homines quærunt.

Hiſtoria Jud. xx. 18. huc adducta, & illuſtrata.

† Hypotheſis, quam hic ſuſtineo, à Macrobio exponitur & illuſtratur *Lib.* 1. in *Somn. Scip.* Cap. VII. Contendit ille, in Somniis, Signis, & Divinis reſponſis paſſim fuiſſe acumen aliquod, ſive fuiſſe in iis ſæpe obſcura, obliqua, atque involuta, quæ à ſagaci eorum ſcrutatore deprehendi potuerunt, ſed quandoque non ſatis diligenter animadverſa occaſionem præbuerunt errori, aut rei male geſtæ; productis ex Gentili hiſtoria hanc in rem exemplis.

cipem? Hæc enim ſingula latent in propoſita formula. Quod enim aliqui contrarium contendant, & Iſraëlitas neglecti officii accuſent, quod ſatis, ut videtur, ſecuri de juſtitia cauſæ ſuæ, eamque proſequendi modo, per bellum ſc. Benjaminitis denunciatum, nec non de felici belli eventu, Deum tantum conſulant, quis primus in hoſtem caſtra moveret, in eo, meo quidem judicio, falluntur. Conſiderandum enim *primo* eſt, hanc formulam rogandi populo fuiſſe ſolennem, & in aliis quoque caſibus uſurpatam. Specimen habemus *Judic.* I. 1, 2. *Dein*, huic rogandi formulæ cætera, quę roganda fuiſſent juxta horum Auctorum ſententiam, omnino includi. Quando enim Deus, ſolenniter conſultus, reſponſo dato, dignatur ſignificare, quis *primus* milites in hoſtem ducturus ſit: utique cenſeri debet, *bellum*, ejuſque *cauſſam*, probare. Cæteroquin enim vel non reſponderet roganti, vel animos, in bellum propenſos, ab eo avocaret. Utriuſque exemplum habemus in Saule, 1 *Sam.* XXVIII. 6. & Rehabeamo, 1 *Reg.* XII. 24. Imo vero, quando Iſraëlitæ, à Benjaminitis fuſi, denuo Deo precibus lacrymiſque ſupplicant, eumque de inſtaurando conflictu conſulunt *rectis verbis*, non ideo tamen felicius cum hoſte decertant, ſed ſimilem ab eo reportant cladem. Non puto igitur, *conſulendi modum* Deo diſplicuiſſe. *Clara* erat *conſulentium intentio*. Rogant, *quis primus prælium ſit initurus?* Hoc ſimul *intendentes rogare*, an *ſuſceptum bellum à Deo probaretur*, (de quo tamen nullam habebant rationem dubitandi:) *& an illud ſibi feliciter verteret?* Hæc, inquam, ſi bene judico, fuit intentio conſulentium. Deus tamen hæc eorum verba *ſtricte* accipit. Reſpondet *ſtricte* ad illum ſenſum, quem verba rogantium, *preſſiſſime* accepta, exhibent, *plena* intentionis conſulentium nulla habita ratione. *Judæ primum* in prœlio *locum* aſſignat, de eventu prœlii, qui contrarius fuit Iſraëlitarum votis, nihil monens. Fuſi enim ſunt *Iſraëlitæ* à *Benjaminitis* ſat magna clade, etſi Deus ipſe tribum, belli ductricem, deſignaſſet. Ego vero neutiquam ambigo, quin ea clades Iſraëlitis evenerit præter exſpectationem ſuam, fundatam ſcilicet in benignitate reſponſi Divini. Imo quando Iſraëlitæ poſt hanc *primam cladem* Deum *denuo* conſultum eunt, an *altera vice* ſe cum hoſtibus ſuis miſcerent; eodem Divino oraculo juben-

Formula, qua Judæi, prœlium inituri, Deum conſulebant.

jubentur fortunam belli rurſus experiri. Quis vero deſperaret de ſucceſſu prœlii, ubi Deus ipſe ad arma vocat? Iſraëlitæ tamen altera hac vice rurſus prœlio fuerunt inferiores; procul omni dubitatione, contra *exſpectationem ſuam*, nec, ut videtur, vanis argumentis nixam. Nimirum Deus *conſulentium verba* admodum *ſtricte* accepit, & *ſua* viciſſim ab iis *ſtricte* accipi voluit; non tam ſatisfaciens *plenæ intentioni* conſulentium, quam quidem *ſenſui verborum*, *preſſe* acceptorum. Quod exemplum cum eo caſu, quem nos nunc illuſtramus, non incommode poteſt conferri.

Alii verba Prophetæ Eliſæ ironice accipiunt.

VI. Cenſent tamen alii, commodiorem adhuc & minus acutum his verbis Prophetæ ſenſum dari, ſi verba Prophetæ; חיה תחיה *Vivendo vives*, *Ironice* accipiantur à Propheta enunciata eſſe; &, ne id fugeret *Hazaëlem*, iis mox ſubjunxiſſe Prophetam; *Deum ſibi revelaſſe, Benhadadum certo eſſe moriturum*. Has partes animadverto Glaſſium ſequi. *Ironice*, inquit ille [a], *impium Regem & hoſtem populi Dei ludit.* Quæ verba alibi repetit [b]. Cui tamen interpretationi obſtat, quod *Eliſa* hæc verba non loquutus fuerit *Benhadado ipſi*, ſed ipſius Officiali *Hazaëli*. Si *Benhadad* ipſe Prophetam de *exitu morbi* ſui rogaſſet, & hoc à *Propheta* tuliſſet reſponſum; חיה תחיה *Certo convaleſces*, cum tamen Propheta de *contrario eventu* à Deo eſſet perſuaſus, tum dicere vellem, Prophetam *Regem Benhadadum luſiſſe oratione ironica*. Sic fere ut *Micha*, conſultus à Regibus *Joſaphato* & *Achabo*, an proſpere ipſis cederet expeditio in Syros, εἰρωνικῶς regeſſit [c]; *Aſcende, & proſpere rem geras, quippe tradidit Dominus* (hoſtes) *in manus Regis*. Verum εἰρωνείᾳ in hoc caſu, quem nos nunc tractamus, non æque facile videtur poſſe admitti, quia *Eliſa* ipſe non eſt loquutus *Regi præſenti*, ſed *reſponſum ſuum* deferendum tradidit nuncio Regis *Hazaëli*. Nimirum, qui *ironice* loquitur, vel *modo dicendi*, vel *geſtibus* ſignificat (& ſane ſignificare debet, ſi animum non habet fallendi:) ſe *aliud*, & quidem *contrarium* illius intendere, quod verba, proprie accepta, ſonant. Non poſſum vero in animum meum inducere, ut credam, *Eliſam* voluiſſe *fallere Benhadadum*, tametſi is fue-

Cui ſententiæ obſtat, Eliſam immediate non egiſſe cum Benhadado.

Ironiæ minus locum habent, ſi reſponſa per tertium ad alium deferenda ſint.

 rit

a Gram. Sacr. Lib. III. Tract. III. Can. XXXVII. b Rhetor. Sacr. Tract. I. Cap. I. c I Reg. XXII. 15.

rit hoſtis populi Dei. Quando itaque ad *Benhadadum* referri voluit hæc verba; חיה תחיה *Convaleſces*, à ſe εἰρωνικῶς enunciata, operam debuit dare, ut *Benhadado* de hac εἰρωνείᾳ conſtaret. Non potuit autem *Benhadad ironiam* colligere ex *modo* reſpondendi, quippe qui ſimplex & clarus eſt. Ex *geſtu* vero & *habitu* reſpondentis *Prophetæ* non potuit *ironiam* percipere, (ut Judæ ac Iſraëlis Reges, in exemplo modo notato:) quia Prophetam *ſibi* non habuit præſentem. Dici equidem poteſt, *Hazaëlem* potuiſſe *habitum* reſpondentis Prophetæ inducere, quando ejus verba ad *Benhadadum* referret. Verum id è longinquo quæſitum eſt. Vis enim & gratia omnis *loquutionum ironicarum*, quæ à dicentis *geſtibus* pendent, perit, ſi aliis exprimendæ & imitandæ committantur. Locum potuiſſet habere *ironia*, ſi *Eliſa*, ab *Hazaële* conſultus, reſpondiſſet *habitu ironico*; חיה יחיה *Vivendo* VIVET, hoc eſt, *convaleſcet*, ſcilicet! Sic potuiſſet *Hazaël* ad Dominum ſuum referre, ſe hæc verba *habitu ironico* à Propheta enunciata advertiſſe, ac proinde de *contrario eventu* facile poſſe conſtare. Verum in *textu* eſt, hæc verba; חיה תחיה / in *perſona ſecunda* ab ipſo *Hazaële* eſſe referenda ad Regem, quod *ironiam* in hoc loco turbat & invertit. Præter hæc, ſi verba חיה תחיה *certo convaleſces*, *ironice* ſint enunciata, & eodem hoc habitu referenda fuerint ad *Benhadadum*: quid ſibi illa volunt ſequentia; *Et oſtendit mihi Dominus, eum certo eſſe moriturum?* Si Propheta *ludere* voluit *hoſtem populi Dei*, cur eodem halitu explicat ſuam *ironiam?* Vel, an *priora* tantum repeti voluit apud *Benhadadum*, *poſteriora* hæc celari? Sed ſic ſane *Benhadad* vere fuiſſet *falſus* à Propheta. quod tamen neutiquam eſt præſumendum.

Sequentia etiam huic interpretationi minus reſpondeat.

VII. Tandem itaque noſtram quoque ſymbolam huc conferamus. Nobis vero ſimpliciſſimum dictu videtur, verba Prophetæ; לך אמר לו *Vade dic ei*; non tam eſſe accipienda ad modum παραγγέλματος *mandati* & juſſionis, quam quidem κατὰ συγχώρησιν per modum *conceſſionis*, aut ἐπιτροπῆς *permiſſionis*, in Prophetarum ſcriptis non infrequentis. Glaſſius, ubi de hac *figura orationis* agit [a], eam *permiſſionem* vocat *ironicam*. Non diſplicet *nomen*, quamvis illud huic caſui noſtro minus appoſite applicetur. Vix enim quicquam εἰρωνείας ſubeſt illi *permiſſioni*, quam

Verior videtur ſententia, quæ verba Prophetæ accipit ut συγχωρητικῶς dicta.

a Rhet. Sacr. Tract. II. Cap. VI.

quam in hoc loco agnoſco, ceu ex ſequenti expoſitione patebit.

Quæ diſtinctius explicatur.

Explicabo igitur mentem meam paullo apertius, quando neceſſe non erit, ut de *nomine* hoc amplius ſimus ſoliciti. Deus, ut mea interpretatio eſt, *revelaverat* Prophetæ *Eliſæ duas res diſtinctas.* 1 Quid *Benhadado*, nunc ægrotanti, *eveniret.* 2. Quid reſponſi *Hazaël*, à Rege miſſus ad *Eliſam* conſulendum de exitu morbi illius, & ea occaſione certior redditus de morte *Benhadadi*, ſuaque ſucceſſione in Regnum Syriæ, ad Regem referret. *Hazaël* ſcilicet apud ſe conſtituerat Regi *bona verba* nunciare; magis vero, poſtquam de *ſua ſucceſſione in Regnum* certior fuiſſet factus. Id præſcivit Deus & revelavit Prophetæ.

Eliſa duo prædicit, α. Benhadadum moriturum, β. Hazaëlem id ipſi non eſſe fideliter renunciaturum.

Propheta itaque, ab *Hazaele* conſultus, utramque hanc revelationem ſibi factam *Hazaeli* exponit. Declarat ipſi, 1. *Moriturum eſſe Benhadadum.* 2. *Hazaelem* tamen hunc nuncium ad Regem *bona fide* non eſſe relaturum, ſed potius Regem vana ſpe *vitæ longioris*, & quidem *nomine Prophetæ*, eſſe deluſurum; dicendo ipſi, חיה תחיה *Vivendo vives.* Utrumque, ut Propheta prædixerat, factum eſt. Etenim 1. *Benhadad*, Syriæ Rex, morbo, quo tum laborabat, ſuccubuit. 2. *Hazaël* (ſive jam ante apud ſe conſtituerit, Regi *bona verba* nunciare, ad quodcunque etiam *Eliſæ* reſponſum; ſive à Propheta inſtructus de ſua in Regnum ſucceſſione, id conſilii ſumpſerit, ne *Benhadad*, ſi contrarium nunciaſſet, de ipſo aliquid in ſiniſtram partem præſumeret:) *nomine Prophetæ Regi promiſit vitam longiorem.* Meo igitur ſenſu verba hebræa ſic eſſent vertenda *latine: Vade, & dic modo* (κατ' ἐπιτροπὴν) *ipſi, Vivendo vives; Deus tamen mihi oſtendit, illum certo eſſe moriturum.* Belgice: **Gaet/ ende ſegt** vry **tot hem; Gy ſult ſeeckerlijck geneeſen; daer nochtans de Heere my geopenbaert heeft/ dat hy ſeeckerlijck ſal ſterven.**

Quod ipſum lucidius declaratur.

Ac ſi dixiſſet; *Scio*, te *meo nomine* renunciaturum eſſe Regi, ipſum ex hoc morbo convaliturum. Age tamen illud, ſi ſic videatur, quod ego te acturum ſcio, ſed certus tamen ſis, Regem certo eſſe occubiturum. Non imperavit Propheta *Hazaeli*, ut *Benhadadum* falſis verbis *deluderet.* Non decepit illum, ſed nec decipere voluit, oratione ironica & reſponſo ambiguo. Declaravit aperte, quis futurus eſſet eventus morbi ipſius. Sed, ne minimorum etiam eventuum futurorum inſcius & incertus haberetur, ſimul

ſimul prædixit *Hazaeli*, eum hunc nuncium *bona fide* ad Regem non eſſe laturum. Sic factum. *Hazael* enim, ad Regem reverſus, in *his ipſis verbis*, ut Propheta prænunciaverat, hæſit luſitque, & è re ſua eſſe exiſtimavit, cætera diſſimulare. Hæc expoſitio non eſt incommoda aut difficilis. Imo vero videtur illam admodum commendare *copulans litera* ו in voce והראני. Totius enim *orationis* conſtructio videtur flagitare, eam per modum *oppoſitionis* eſſe capiendam. Exemplum ſimile eſt *Eccleſ.* XI. 9. *Lætare Juvenis in adoleſcentia tua, & benefaciat tibi animus tuus diebus Juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui & aſpectu oculorum tuorum*, ודע SED (tamen; nihilominus:) *ſcito, quod propter hæc omnia Deus te adducturus ſit in judicium*. Belgæ: Maer weetet. Prius loquitur συγχωρητικῶς. Quod tamen *conceſſerat*, mox reſtringit retrahitque per *adverſativam* ו. Idem fere fit in eo loco, quem nunc commentamur. Prænunciat *Hazaeli* oratione συγχωρητικῇ, non *ironica* adeo quam *commemorativa* facti futuri, quid Regi *reſponſurus* eſſet, nomine Prophetæ; *Age*, inquit, *dicas ipſi*; *Vivendo vives*. Gaet vry heen/ en ſegt aen hem; Gy ſult geneeſen. Addit tamen; והראני SED *oſtendit*, ſive, *oſtendit mihi* TAMEN (nihilominus) *Dominus*, *ipſum certo eſſe moriturum*. Doch de HEERE heeft my getoont/ ſive; de Heere evenwel; de Heere nochtans; daer nochtans de Heere/ &c.

Præfixa ו ſubinde ſumitur adverſative.

C A-

CAPUT XVII.

Lectionem Maſorethicam *in* ſeptimo *eoque celebri loco* Jeſ. IX. 2. *præferendam eſſe* textuali, *contra Doctiſſimos* Belgas, Coccejum, *alioſque diſputatur; ſcrupuli, qui Cl.* De Dieu *morati ſunt, removentur; accidit denique, ut ratio detur, cur* LXX *Interpretes in commate* quinto *hujus* Capitis *verba hebræa;* פלא יועץ אל גבור *verterint;* Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος.

Locus Jeſ. IX. 2. recenſetur.

BEne habet, quod tandem ad celebrem locum pervenerimus, qui in Vaticiniis *Jeſaiæ* eſt, *Cap.* IX. 2. Verba ſunt: הרבית הגוי לא הגדלת השמחה שמחו לפניך כשמחת בקציר *Amplificaſti hanc gentem*, NON (an ILLI?) *magnam feciſti lætitiam; lætantur coram te, velut lætitia in meſſe, quemadmodum gaudent, ubi dividunt ſpolia.* Utrum præferendum? *Non magnam feciſti lætitiam*, quod textuale לא ſuadet; an vero, ILLI *magnam feciſti lætitiam*, quod *Maſoretharum* לו? Diviſæ rurſus ſunt Interpretum ſententiæ. Cappellus: *Utraque lectio confirmatur Veterum tranſlationibus, & parum intereſt, utram ſequaris, ſiquidem ſenſus elici poteſt ex utraque commodus.* Teneo equidem cum Cappello, ab electione alterutrius harum lectionum non dependere ſalutem religionis noſtræ; nec placet tamen illud, *parum intereſt. Tantum* utique *intereſt*, ut vel veram mentem Prophetæ aſſequamur, vel contrarium ejus, quod Propheta aſſerit, pro vero amplectamur. Quandoquidem vero quæque Verbi Divini doctrina cara eſt, & omni ſtudio quærenda: *multum intereſt*, an verum ſenſum cujuſque loci S. Scripturæ aſſequamur, nec ne; *plurimum* autem *intereſt*, an mentem Spiritus Sancti in loco aliquo S. Scripturæ percipiamus, an contra id pro vero accipiamus, quod intentioni Spiritus S. adverſum eſt.

Variæ illius interpretationes ſecundum differentiam lectionis לא & לו.

Animadverſio ad verba Cappelli.

II. Belgæ Interpretes, ſequuti dubio procul Junium & Tremellium, pro *textuali* ſtant lectione. Cl. Coccejo eadem ſtat ſententia. Videamus, quas habeat rationes. *Res docet* (verba

Belgarum Intt. & Cl. Coccejo ſententia.

Zzzz ejus

Rationes ejus.

ejus refero ex *Curis Majoribus* in *Jeſaiam* [a]:) *retinendam eſſe lectionem per* לא. *Nam ſi abſque* א *dicatur*, לו ipſi magnificaſti gaudium, *ſi id debeat accipi de gaudio, quod eſt in viſiane lucis, & otioſe dicetur, & debuit ſubjici* כי. *Si* in ipſa amplificatione gentis *ſignificetur eſſe cauſſa* magni gaudii, *falſum eſt.* Venia nobis rurſus ſit defendendi Maſorethas in re certa, quibus opem noſtram non negavimus in dubia. Animo noſtro adhæret, & hæſit dudum, eos heic loci nobis veram præire viam. Ratio certa eſt & ſimplex, quia ſi *Maſorethas* hic ſequamur duces, verba hujus loci *perſpicuum* & *facilem* dant *ſenſum*, &, quod plus eſt, *oratio Prophetæ* ſibi erit *conformis*; ſi vero *Maſoretharum* lectionem reprobemus, verba Prophetæ ſenſum habebunt *difficiliorem* ac *involutiorem*, & præterea *oratio* Prophetæ *ſibi non conſtabit.* Evolve locum, & fac periculum. *Scriptura* textus ſic habet; *Amplificaſti hanc gentem*, NON *magnam feciſti lætitiam; lætantur coram te, ut lætitia menſis, &c. Maſorethæ* in hunc modum legunt: *Amplificaſti hanc gentem; magnam* ILLI *feciſti lætitiam; lætantur coram te, &c.* Clariſſime intelligitur, cum *amplificatione Gentis* Judææ *magnam fore conjunctam lætitiam*, quia *amplificatio Judææ Gentis* inſignis pars erat *benedictionis*, Abrahamo promiſſæ; obſcurius vero eſt, quomodo *amplificationi* Gentis *non ſit* juncta *magna lætitia.* Præterea oratio Prophetæ ſibi conformis eſt, ubi ita legitur; *Magnam* ILLI *feciſti lætitiam; lætantur coram te, veluti in meſſe, &c.* quæ ſibi non videtur ullo modo conſtare, quando eam *hoc modo* accipis: NON *feciſti magnam lætitiam; lætantur coram te, ut in meſſe.* Quid? An *illis* non eſt *magna lætitia*, qui *lætantur, ut in meſſe*; qui *gaudent, ut quando dividuntur ſpolia?* Atqui juxta *Scripturam* textus hæc eodem halitu nullo hiatu interpoſito dicentur. NON *magnam feciſti lætitiam; lætantur coram te.* Probe novi, eam eſſe ingenii copiam celebribus quibuſdam Interpretibus, ut hanc contrarietatem ſermonis Prophetæ *ſpecioſa* & *acuta* explicatione facile ſint declinaturi. Sed, ubi via plana eſt, quid opus eſt calcare arduam? Permulta ſunt in Codice Verbi Divini dicta, quibus doctus quis & ingenioſus Interpres ſpecioſum facile aptat ſenſum, qui tamen neutiquam ſatisfacit veræ intentioni & ſcopo Spiritus Sancti.

Sed adverſa ſententia eligitur, & probatur lectio Maſorethica. Rationes hujus judicii.

a §. IX.

ℂti. Non ſufficit itaque ad probandam veritatem *lectionis* hujus vel illius textus S. Scripturæ, ut oſtendas, verba S. Scripturæ, ſic lecta, poſſe admittere aliquem ſenſum, non repugnantem τῇ ἀναλογίᾳ τῆς πίςεως: ſed attendendum vel maxime eſt, an *lectio*, de qua diſputatur, *ſenſum* reddat *planum*, & univerſam Scriptoris *orationem* exhibeat *ſibi* omni parte *conformem*. Hoc habet, ni fallor, in hoc loco *Maſoretharum lectio*; hoc *textualis* non habet. Et animadverſa ſane eſt hæc ipſa difficultas ab ipſis illis Interpretibus hujus loci, qui *textuali* adhærent, quippe qui illius levandæ cauſſa *verbo* שמחו / quod *præteriti* aut *præſentis* ſignificationem habet, dederunt ſignificationem *futuri*. Sic olim inſtituit Hieronymus: *Multiplicaſti gentem*, NON *magnificaſti lætitiam*; LÆTABUNTUR *coram te*, *ſicut lætantur in meſſe*, &c. Conſideravit Hieronymus, durum quid & ſibi contrarium ineſſe textui, ſi eum ſic verteret, ut vertendus erat; NON *magnificaſti lætitiam*; LÆTANTUR (vel *lætati ſunt*) *coram te*, &c. Quod itaque in textu erat, *lætantur*, vel *lætati ſunt*, mutavit in *lætabuntur*, ut ſic tacite hunc textum manifeſta liberaret contradictione, cui eum perſpexit ſubeſſe, ſi τὸ שמחו in *præſenti* vel *præterito* transferret. Belgæ Interpretes ſive Hieronymum ſive quem alium hic ſequuti ſunt. **Ghy hebt de blijdſchap niet groot gemaeckt; Sy ſullen** nochtans **blijde weeſen voor u aengeſichte.** Cur receſſerunt à prima ſignificatione vocis שמחו; cur ſic potius non inſtituerunt? **Ghy hebt de blijdſchap niet groot gemaeckt; ſy zijn blijde voor u aengeſichte.** Nimirum, quia tum nimis manifeſta apparet ἀντιλογία, in breviſſima ſententia, quam tamen prudentia verſionis ſuæ voluerunt prævenire.

Canon interpretationis.

Quomodo alii ſe hic expediant?

III. Sed quæ cauſſa, quod non potius in commoda noſtra convertamus diligentiam Maſoretharum? Hanc reddit Cl. Coccejus, verbis, ſupra excerptis. *Gaudium*, ait, *illud magnum* (ſi *Maſoram* ſequaris) *vel erit referendum ad* viſionem lucis magnæ, *de qua Propheta in antecedentibus verbis erat vaticinatus*, *vel ad amplificationem gentis*. Contendimus, partes omnes recte enumeratas non eſſe, quia *propior* cauſſa *gaudii* hujus *magni* diſerte narratur in verbis, ἀμέσως conſequentibus, quod *jugum oneris* & *virga humeri*, quæ eos hactenus preſſerant, *contrita confractaque ſint*, &c. Verum concedamus, partes recte eſſe enu-

Rationes Cl. Cocceji expenduntur.

Amplificatio Gentis Judææ & magnitudo lætitiæ recte inter ſe conjunguntur.

meratas. Pergit Cl. Coccejus: *Si in ipſa amplificatione gentis ſignificetur eſſe cauſſa magni gaudii, falſum eſt.* Non admodum clare perſpicio, cur id *falſum ſit.* Nam cum *multiplicatio* Iſraëlitarum *ſupra Patres* fuerit inter excellentes promiſſiones, Judæo populo olim factas; imo cum hoc beneficium *multiplicationis Gentis Judææ* fuerit inter proxima *ſigna adventus Chriſti*, quemadmodum à Cl. Coccejo docemur ex Deut. xxx. 5. latebat utique in *multiplicatione gentis* cauſſa non exigui *gaudii* populi Dei. Sed agnoſcimus ultro, *cauſſas* propiores & digniores hujus *magni gaudii* extare in hac Prophetia; quare non eſt cur hic hæreamus. Videamus itaque quæ ſequuntur. *Si cauſſa magni gaudii*, inquit, *quærenda ſit in viſione lucis: & otioſe dicetur; ipſi magnificaſti gaudium, & debuit ſubjici* כִּי. Conceſſum jam eſt, cauſſas *hujus gaudii* diſerte recenſeri in ſequente oratione Prophetæ: verum cum beneficium illud *viſionis lucis magnæ* cætera omnia beneficia, in ſequentibus commemorata, comprehendat, non detrectamus in hac diſputatione ita verſari, ac ſi ſtatueremus cauſſam hujus *gaudii* eſſe *viſionem lucis.* Sit igitur *viſio lucis* cauſſa hujus *gaudii.* Quid inde? Non negat Cl. Coccejus, *viſionem lucis* commode ſtatui poſſe *cauſſam gaudii*, ſed putat verba hæc; *magnificaſti illi gaudium*, tum dici *otioſe*, & iis *ſubjici debuiſſe* כִּי. Neutra harum rationum ſatis valet, ſi quid judico. Nam ſi *gaudium* referatur ad *viſionem lucis*, ut ad cauſſam ſuam: cur tum *otioſe diceretur*, Deum populo ſuo *magnam* paraſſe *lætitiam?* Utique enim *lætitia* hic explicari poteſt, ut diſtincta ſit à *viſione lucis. Viſio lucis* hoc loco inprimis referenda eſt ad claram *cognitionem* veritatis, in mente Judæorum excitatam per prædicationem Evangelii Chriſti & Apoſtolorum. Ab qua *veritatis cognitione* diſtinctus eſt affectus *lætitiæ*, in mentibus credentium hoc medio excitatus à Spiritu Sancto. Quæ vero verba commodum, concinnum, & efficacem ſenſum habent, non *dicuntur otioſe.* Quod porro adjicitur, ſuppoſita *veritate lectionis* Maſorethicæ, his verbis ſubjiciendam fuiſſe *ratiocinantis* orationis voculam כִּי / id minime damus. Nam verba *immediate* ſequentia non continent *rationem*, ſed *expoſitionem* illius, quod præceſſerat. Propheta dixerat; *Magnam huic populo paraſti lætitiam.* Quanta vero hæc ſit lætitia, exponit: *Lætantur coram te, veluti in meſſe.*

Cauſſa lætitiæ Gentis Judææ *Viſio lucis.*

Vocula כִּי hic non plane neceſſaria.

Si

Si Propheta ſic dixiſſet; NAM *lætantur coram te, ut in meſſe,* tum viſus fuiſſet rationem cum ſententia probanda confundere. Commodius longe *ter* ponit voculam כי *nam*, *tres* allegando certas cauſſas hujus *gaudii*, *verſibus* ſequentibus 3, 4, 5. In *expoſitione* propoſitionis alicujus non opus eſt intervenire *voculam ratiocinantem.* Cape exemplum ex *commate primo* hujus Capitis: *Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in terra umbræ mortis lux ſplenduit.* Res una enunciatur *duabus* ſententiis, quarum *poſterior*, quæ eſt elegantia & copia ſtyli Sacri Codicis, confirmat & explicat *priorem.* Non alia ratio eſt verborum, quę tractamus. Dictum erat; *Magnam lætitiam paraſti huic populo.* Id mox eodem tenore orationis confirmatur & illuſtratur; *Lætantur coram te, ut in meſſe,* &c.

Sed vera cauſſa gaudii petenda ex ſequentibus.

IV. Aliter in textuali lectione defendenda inſtituit Cl. De Dieu [a]. Conſentit nobis, quod hucuſque diſputavimus, *negationem huic loco non quadrare. Quomodo enim negetur*, ait, *amplificatio gaudii de iis, qui dicuntur lætati coram Domino ſecundum lætitiam, quæ eſt in meſſe?* Ægre tamen ſe patitur divelli a *lectione textuali.* tentat itaque, an hæc pars orationis Prophetæ accipi non poſſit per modum interrogationis, in hunc modum: *Multiplicaſti gentem:* an non *amplificaſſes gaudium? gaviſi ſunt coram te ſecundum gaudium in meſſe.* Confirmat hanc ſuam interpretationem his verbis: *Res ipſa videtur interrogationem poſtulare, quia ejus reſponſio ſtatim ſubjicitur. Et jam idem eſt ac ſi legeris* לו *ſine interrogatione. interrogatio enim negans affirmat apud Hebræos. Conveniunt jam ſenſu* τὸ קרי *&* τὸ כתיב / *ſed* τὸ כתיב *elegantius eſt & efficacius. Præterquam quod* לו הגדלת *durum ſit, & præter genium Linguæ, qui poſtulabat,* הגדלת לו. In contraria meum rapitur judicium. Oratio Prophetæ mihi videtur planior, efficacior, & elegantior legi *thetice* quam *interrogative.* Cæteroquin enim non nego, לא capi poſſe pro הלא / quippe quod in aliis quoque S. Scripturæ locis accidere, non ignoro. Quod vero præterea Vir Doctus ait, conſtructionem Grammaticam לו הגדלת *duram* eſſe, & *adverſam genio Linguæ*, qui poſtulaſſet, הגדלת לו / id abſque animadverſione prætermittendum non eſt. Fateor, communiorem ſyntaxin Linguæ Hebrææ poſtulare hanc poſitionem ver-

Cl. De Dieu ſententia, verba Prophetæ accipientis per interrogationem.

Sed à qua, ut coacta, receditur.

a Animadv. in V. T. p. 196.

verborum; הגלרת לו השמחה/ *dativo* perſonæ, & *nomine recto verbo regenti* ſubjectis: verum notandum tamen, hanc conſtructionem ſic minime eſſe communem, ut non ſæpius turbetur & invertatur. Variat enim conſtructio *nominum* cum *verbis* apud Hebræos: 1. *Nominativus agens* aut *patiens* & nomen *rectum* verbum *regens* aliquando ambo præcedunt. Exemplum cape ex Jeſ. LIX. 3. לשונכם עולה תהגה *Lingua veſtra iniquitatem effert.* Scribendum fuiſſet; לשונכם תהגה עולה. 2. Aliquando *utraque* ſubjiciuntur *verbo regenti* Pſ. XLV. 2. רחש לבי דבר טוב *Cor meum ebullit verbum bonum.* Communior conſtructio Linguæ ſuaderet: לבי רחש דבר טוב. 3. Aliquando *Dativus Perſonæ* & *nomen rectum* præponuntur *verbo regenti*, quod maxime videri poſſet genio Linguæ contrariari, ut in Pſ. LXXII, 1. משפטיך למלך תן *Da Judicia tua Regi.* 4. Sæpe rurſus fit, ceu in verbis *Jeſaiæ*, quę explicamus, ut *dativus* perſonæ *verbo regenti* præponatur, & *nomen rectum* ei ſubjiciatur. Sic eſt in Pſalmo LXVIII. 30. לך יובילו מלכים שי *Tibi adducent Reges munus.* Conſtructio ad omnia ſimilis eſt ſtructuræ verborum in hoc loco: לו הגדלת השמחה *Ipſi magnificaſti lætitiam.* In priori enim ſcribendum eſſet juxta communiorem σύνταξιν; מלכים יובילו לך שי/ & in textu *Jeſaiæ*; הגדלת לו השמחה Cape exemplum aliud ex Gen. 1. 5. ויקרא אלהים לאור יום ולחשך קרא לילה *Et vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem.* Pro: קרא לחשך לילה. Nec non Dan. XI. 38. ולאלהי מעזים יכבד *Et Deum Mauzzim honorabit.* Pro: יכבד לאלהי מעזים. Videmus itaque ſtare poſſe conſtructionem illam orationis, quam Maſorethica lectio præfert, ſecundum canones Grammaticæ Hebrææ.

Quo modo & quot modis Hebræi Nomina conſtruant cum verbis?

V. Addendum his eſt, LXX *Interpretes & Chaldæum Paraphraſtam* lectioni *marginali* favere. *Priorum* hæc eſt verſio; Τὸ πλεῖστον τοῦ λαοῦ, ὃ κατήγαγες ἐν εὐφροσύνῃ σου, καὶ εὐφρανθήσονται ἐνώπιόν σου· *Plurima pars populi quam deduxiſti in lætitia tua: & lætabuntur in conſpectu tuo.* Id ſatis apparet, τοὺς ό in ſuis Codicibus *negativum* לא non agnoviſſe; dubium tamen, qui factum ſit, ut in tranſlatione ſua non inſtiterint preſſius *literæ* textus Hebræi. Quæſivit in id Cl. Cappellus: ſed non auſim dicere illum hic loci incidiſſe in verum. Vult, 1. LXX Interpretes pro הרבית legisſe הרבית; idque accepisſe pro הרבה *multum.* 2. Pro הגדלת per *metatheſin* & mutationem literarum *Daleth* & *Reſch* legisſe הרגלת.

Antiquæ Interpretationes hic conſentiunt.

Cl. Cappelli judicium de verſione τῶν ό hic loci.

Verum

Verum non admodum probabile eſt, quod huc adfert Cappellus, quia, præterquam quod hæc vocabula duo (הרבית & הרגלת) in Codice Biblico rariſſimi ſint uſus: illis ſignificationibus, quas ſibi proponit Cappellus, cognita non ſunt. תרבית notat *fœnus* ſive *lucrum*. תרגלתי eſt apud *Hoſeam* cap. XI. 3. ut vulgo putatur, pro הרגלתי / ſed incerti ſignificatus, quia eſt ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων. Lxx Interpretes quoque apud *Hoſeam* id non converterunt per κατάγειν. Quare longe veriſimilius eſt, Lxx Interpretes non tam *verba* quam *ſenſum* hujus loci voluiſſe exprimere. Conſtat, illos id frequenter agere; tum vero maxime, quando obſcuriores textus, quos vere non intellexerunt, ſua paraphraſi planiores reddere ſatagunt. Luculentium & memorandum illius exemplum habemus in *commate quinto* ſequente. Hæret Propheta etiamnum ibi in explicandis rationibus *gaudii* Eccleſiæ; *Puer natus eſt nobis*, *Filius datus eſt nobis*, *& eſt principatus ſuper humeros ejus*, ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום / *Et vocatur nomen ejus; Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus fortis*, *Pater æternitatis*, *Princeps pacis*. Accipe nunc quomodo hic locus converſus ſit ἀλλὰ πῶς ὁ: καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ὑγίειαν αὐτῷ· *Et vocabitur nomen ejus*, Magni consilii Angelus; *adducet enim pacem ſuper Principes & ſanitatem ei*. Verſionem vides prorſus diſcrepantem à ſenſu, quem Hebræa verba, capta, ut jacent, facilem dant & perſpicuum. Chriſtus itaque in hac verſione *nomine* aliquo inſignitur, quod non extat in Hebræo textu. & tamen † Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus nihil familiarius fuit quam hoc nomen, honoris cauſſa, Chriſto Jeſu applicare. Quę cauſſa tantæ diſcordiæ, quanta hic eſt inter *textum hebræum* & *verſionem Græcam*? Hæc, ni fallor, quam in *Commentario* ſuo Hieronymus dat, quod Lxx Interpretes, *nominum majeſtate perterriti*, *non auſi ſint de* puero *tanta referre* in verſione ſua, quanta de illo in textu hebræo prædicantur. Non perſpexerunt ὁ ὁ, quis ille *puer* & quis *Filius* ille ſit, cui tantæ dignitatis majeſtatiſque nomina in his verbis aptantur. Multo minus intel-

Rectius dicitur, illos hic reſpexiſſe ſenſum, non verba.

Exemplum ex verſ. 5. ſeq.

Verſio Lxx Intt. paradoxa.

Illius vera cauſſa.

† Gregor. Nazianz. Orat. in *Natal. Chriſti*: Τῷ γὰρ σταυρῷ συνεπαίρεται, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. Obvia ſunt ubique Patrum ſcripta legenti loca alia.

intellexerunt, quo modo *puer* aliquis, quiſcunque is tandem ſit, vocari poſſit *Admirabilis*, *Conſiliarius*, Deus fortis. Imo vero videntur exiſtimaſſe, ſi *verſionem* ſuam conformem redderent hebræo textui, ſe auctoritatem aliquam conciliaturos lectioni ejuſmodi, quam crediderunt Divinis Literis, quarum gloriæ ſtudioſiſſimi fuerunt, poſſe eſſe dehoneſtamento apud Gentes, arcana Sacri Codicis evoluturas. Quamobrem, humano adhibito conſilio, medicinam his verbis pararunt, minime ſalubrem & opportunam; alium illis affingentes ſenſum, quam quem præ ſe ferunt.

Quo modo eam ex textu exſculpſerint?

VI. Quæres tamen, ſtudioſe lector, quibus fidiculis Lxx Interpretes ex *hebræis verbis* eam extorſerint paraphraſin, quam tibi exhibuimus. *Textus* enim *hebræus* nihil omnino illius videtur continere, quod in *Græca Verſione* eſt. Fateor ſane, ſic rem habere, ſi ſolito majorem diligentiam non admoveas utrique textui, Græco & Hebræo, inter ſe conferendo. Hoc tamen ſi agas, vere animadvertes, Lxx Interpretes hanc ipſam ſuam verſionem, quę ab Hebræo textu diverſiſſima eſt, ad hebræum textum ſtuduiſſe exprimere. Qui hoc factum ſit, ſingulis partibus, oſtenſum eſt à Cappello[a]. Omnia acute exacta ſunt à Doctiſſimo Viro, niſi quod in eo hæſerit, quomodo hebræa verba; פלא יועץ אל גבור *Admirabilis*, *Conſiliarius*, *Deus fortis*, à Græcis verti potuerint per hæc; Μεγάλης βουλῆς Ἄγγελος *Magni Conſilii Nuncius*. Optime obſervat, *Græca* hæc *Hebræis* reſpondere. Bene etiam explicat, quomodo פלא יועץ ab ipſis reddi potuerit per μεγάλην βουλήν. Verum in eo hæret, quo modo factum ſit, ut Hebræum אל גבור Deus fortis converterint per Græcum Ἄγγελος nuncius. Hæc enim multum à ſe invicem videntur diſtare. Quandoquidem vero mihi ſere perſuaſi, me veram illius percepiſſe rationem: detur venia breve ſpatium extra circum currendi, eamque indicandi. quod tamen antequam agam, verba Cappelli exhibebo. *Illa* Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος *reſpondent*, ait, *Hebraicis* פלא יועץ אל גבור: *nempe* conſilium *poſuerunt pro* conſiliario; *deinde* magnum *pro* admirabili, *nam, qui* admirabilis *eſt*, magnus *eſt*, *&* *alibi hæc vox ſic redditur ab illis, nempe Num.* vi. 2. הפלא לנדר μεγάλως εὔξηται. *Et cap.* xv. 3. 8.

Cappeli judicium.

In illud ἐπιχείρησις.

Lud. Cappelli ſententia de hoc loco.

a Crit. Sacr. Lib. iii. Cap. v. p. 82. & Lib. iv. Cap. iv. p. 247.

3. 8. לפלא נדר *μεγαλῦναι εὐχήν.* אל *autem &* אלהים *idem pene ſunt.* אלהים *autem ſæpe de* Angelis *dicitur : itaque* אל גבור *potuit ab iis reddi ἄγγελος, aut vero etiam vocem* גבור *non legerunt.* Sit id ita, ut Cappellus ait, Lxx Interpretes vocibus *μεγάλη βουλὴ* voluiſſe exprimere Hebraicas פלא יועץ? obſcurius eſt, quomodo ἐπίθετον אל גבור *Deus fortis* verterint per *Græcum* Ἄγγελος. Cappellus putat, eos vocabulum אל accepiſſe pro אלהים / quod in Codice Veteris Teſtamenti aliquando tribuitur *Angelis.* Sed obſervandum. 1. Significationem voculæ אל ab ea אלהים eſſe diſtinctam. 2. אלהים in *numero plurali* aliquando tribui *pluribus Angelis*, nunquam אל aut אלה in *ſingulari.* 3. Si concedatur, Interpretes Græcos אל in hoc loco accepiſſe pro אלהים / tum reſtare adhuc difficultatem, an vocabulum גבור prorſus *neglexerint*, aut non *legerint?* quorum alterutrum ſtatuendum eſt à Cappello; neutrum tamen veriſimile eſt. Quid igitur? Subiit mihi, Lxx Interpretes τὸ אל גבור accepiſſe pro גבריאל. GABRIEL (גברי אל) eſt nomen *Angeli* eximii apud *Danielem* [a]. Compoſitum autem eſt ex iiſdem his vocibus אל גבור / ſive גבר & אל / & non incommode vertitur, *Deus fortis*, *fortitudo Dei*, &c. Interpretes igitur Græci, cum hæc verba non intelligerent, eaque in omnes torquerent gyros, ad qualemcunque commodum ſenſum ex illis eliciendum, qui Gentibus, ſacrum Codicem lecturis, non eſſet ſcandalo, אל גבור acceperunt pro גבריאל / ut titulum *Angeli*, idemque hac de cauſſa verterunt per Ἄγγελον *Nuncium.* Obſcuritas loci & veri ſenſus neſcientia compulerunt Interpretes ad haſce anguſtias. Sic pariter factum in eo loco, quem nos commentamur. Acceperunt haud dubie Interpretes Græci hæc verba de iis, quę evenerunt populo Judaico ſub Hiskia. Non intellexerunt autem, quomodo *populus* Judaicus illius temporis dici potuerit eſſe *multiplicatus.* Quod itaque dicitur; *multiplicaſti hanc gentem*, *magnam illi feciſti lætitiam :* difficultatis hujus ſugiendæ cauſſa, in unam hanc contraxerunt ſententiam, *Magna pars populi*, *quam deduxiſti in lætitia tua :* vel; *Plurimam partem populi deduxiſti in lætitia tua.* Chaldæum Interpretem *marginali lectioni* favere, in propatulo eſt. Sic ille: אסגיתא עמא בית ישראל להון אסגיתא חדוא *Multiplicaſti hunc populum*, *domum Iſraël*; *ipſis auxiſti lætitiam.*

Ad eam ἐπίκρισις.

Rectius ſtatuitur, Lxx Intt. voces אל גבור accepiſſe pro גברי אל.

Obſervatio applicatur ad præſentem locum.

[a] Cap. VIII. 16.

Interpretationes Magiſtrorum ad ſuperiorum illuſtrationem productæ.

VII. Ultimo monendum reſtat, Hebræorum Doctorum commentarios eandem hanc *lectionem marginalem* paſſim promovere; niſi quod *variata* hac *lectione* affectent myſterium & acumen pro ingenio ſuo. R. Salomo: לו הגדלת השמחה׳ ולא לאויביו וכתוב לא בלמ״ד אל״ף לפי שלא היתה שמחת חזקיהו שלימה לפי שבאותו הפרק נאמר לו הנה ימים באים ונשא כל אשר בביתך IPSI *amplificaſti gaudium, non vero hoſtibus ejus. Scriptum autem eſt* לא *cum* Aleph, *quia lætitia Hiskiæ non fuit conſummata, quippe cui circa idem fere tempus hæc dura verba relata ſunt à Jeſaia* [a]: *Ecce dies veniunt, & auferetur, quod in domo tua eſt, &c.* Aben Eſra: הרבית הם יהודה שנקבצו אל ירושלים וטעם לו הרבית השמחה כאשר הוא קרי ואשר הוא באל״ף לא היתה שמחה כמוה כמו לא היה פחד *Multiplicaſti: Intelligendi ſunt Judæi, qui congregati fuerunt Hieroſolymam, & ſenſus eſt, illis ingentem fuiſse lætitiam, ut lectio habet marginalis. Quod vero* לא *ſcriptum ſit cum* Aleph, *eo ſignificatur, nullam lætitiam illi gaudio fuiſſe parem, quemadmodum ſimili phraſi eſt in Pſal.* LIII. 6. *Non fuit pavor*; (ſubintellige juxta Aben Aſram) *illi pavori ſimilis.* Kimchi: לו הגדלת השמחה׳ פירוש לו לגוי שזכר וכתוב לא באל״ף ופירוש לו לגוי הרבית השמחה אבל לאויביהם לא הגדלת אבל המעטת IPSI *referri debet ad* גוי gentem illam (populum Iſraël) *cujus mentio eſt in verbis præcedentibus. Scriptum autem eſt* לא *cum* Aleph, *idque hanc pati poteſt interpretationem*; ILLI *quidem ſcilicet* Genti *memoratæ* (populo Judaico) *auxiſti lætitiam, hoſtibus vero illorum* NON *auxiſti eam, ſed minuiſti.* Idem totidem verbis repetitur in *Michlal Jophi.* Hoc igitur *arcani* latet in varia illa lectione, quod unius hujus literæ mutatione ſignificetur, *Iſraëlitis* gaudium *creviſſe, hoſtibus* vero *decreviſſe.* Abarbanel: לו הגדלת השמחה׳ כלומר אם למלכות ישראל היה חושך אפלה ויגון ואנחה הנה לבני יהודה הגדלת השמחה׳ IPSI *amplam paraſti lætitiam: Ac ſi diceret, ſi Regnum Iſraëlis ſit in ſtatu tenebricoſo, mæſto, afflictoque, Filiis Judæ nihilominus amplificaſti gaudium.*

a 2 Reg. xx. 27.

CA-

Caput XVIII.

Pro Maſoretharum *lectione majore cum fiducia diſputatur ad textum* octavum (*Jeſ.* LXIII. 9.) *quam* nonum (*Pſ.* c. 3.) *ſupra recenſitos; quorum genuinus ſenſus breviter inveſtigatur. Præclara quoque, licet obſcuriora, verba* Jeſaiæ, *ex cap.* XLIX. 5. *in quibus eadem lectionis* לא & לו *variatio occurrit, referuntur, & juxta* marginalem lectionem *exponuntur; excuſſa* inprimis *gloſſa* Hieronymi.

TExtus ordine *octavus* apud hunc eundem Prophetam *Jeſaiam* extat cap. LXIII. 9. בכל צרתם לא צר. *Maſorethæ* rurſus præcipiunt legi לו. quę *Maſoretharum* lectio unicam tantum admittit interpretationem efficaciſſimi ac elegantiſſimi ſenſus; *In omni anguſtia eorum* IPSI (Deo) *fuit anguſtum. Textualis* lectio ſenſum dat varium, eundemque, ut vulgo tranſponitur, minus efficacem. Exempla verſionum apud De Dieu invenies. Junius & Tremellius: *In omni anguſtia eorum* NON *affecit* eos *anguſtia.* Secuti ſunt Jarchium. Alii: *In omni anguſtia eorum* NON fuit *anguſtia.* Cl. de Dieu duplicem commendat interpretationem. *In omni anguſtia eorum* NON fuit *anguſtus.* **In allen haren angſt en is hy niet enghe geweeſt.** *In omni anguſtia ipſorum* NON fuit *hoſtis.* **In alle hare benautheyt is hy geen vyand geweeſt.** Ipſe tamen *poſteriorem* magis probat, quam *priorem.* Sed nemo has verſiones *lectionis textualis* legerit, qui non ſimul ſenſerit, incommodi & obſcuri quid iis ſubeſſe. Quid enim hoc eſt; *In omni anguſtia eorum* NON *affecit* eos *anguſtia*? Præterquam enim, quod relativum *eos* in hebræo textu non extet: quis non animadvertit, hanc interpretationem continere ſententiam, ſe ipſam confodientem ac deſtruentem? Quo enim commodo & ſibi convenientе ſenſu dici poteſt, *Deum* Iſraëlitas in *omni anguſtia* corum *non affeciſſe anguſtia*? Docet utique hiſtoria populi Judaici, præcipuas calamitates illi à Deo propter pec-

Verba Jeſ. cap. LXIII. 9. producuntur. Diſſenſus Intt. de lectione לא & לו.

Cl. de Dieu ſententia.

Difficultas interpretationis ſecundum lectionem textualem.

cata ipſorum eſſe immiſſas inflictaſque; ac proin nulla commoda ratione videtur dici poſſe, *Deum* Iſraëlitas *in anguſtia* eorum non *afflixiße*. Certe *Nehemias* nomine populi contrarium luculenter teſtatur [a]: תתנם ביד צריהם *Tu tradidiſti eos* (Iſraëlitas peccantes) *in manum eorum, qui eos anguſtia afficerent, & anguſtia eos affecerunt*. Non enim abſque Deo, abſque ejus cura & conſilio, afflicti & male habiti ſunt ab hoſtibus; ſed contra Deus ipſe, ſanctus juſtuſque populi Rector, eos caſtigandos tradidit vicinis gentibus, donec ad meliorem mentem redeuntes ipſius auxilium implorarunt. Idem vero hoc incommodum premit quoque *poſteriorem* illam interpretationem Cl. de Dieu, quippe quę ſenſu vix diſcrepat ab ea Junii & Genevenſium. *Prior* autem illa De Dieu; *In omni anguſtia eorum non fuit anguſtus*, nobis non magis placet, quam auctori ejus. Non apparet enim in ea vis, majeſtas, & elegantia dicendi, quam paſſim obſervare licet in ſtylo *Jeſaiæ*.

Cl. Cocceji de hoc loco ſententia.

II. Vidit dubio procul hæc incommoda Cl. Coccejus, cum nihilominus *textuali lectioni*, ut ſolet, admodum adhæreret, aliam excogitavit ingenioſam certe & ſpecioſam tranſpoſitionem horum verborum, digniſſimam, quę hic repetatur & cum cura expendatur: *In omni anguſtia ipſorum non oppugnabat* quiſquam ipſos, *& Angelus faciei ipſius ſervabat ipſos*. Senſus ex mente Cocceji hic eſt: *Statim atque aliquis Iſraëlitas oppugnabat, Angelus faciei Jehovæ ſervavit ipſos*. Nihil in hac oratione incommodi & inconcinni eſt. Dubium ſolummodo, an *negans vocula* לא ſequente copula ו hanc *exegeſin* pati poſſit. Quod ſi quem teneat, ſolutum poterit reperire in *Lexico* Cl. Auctoris ad voculam לא. *Animadvertendum*, inquit ibi Cl. Coccejus, *aliquando* לא non *pro* vix, *vel* ſtatim atque, *poni*. Unum decerpam ex citatis locum, 2 Reg. xx. 4. *Et fuit*, ישעיהו לא יצא העיר התיכנה ודבר יהוה היה אליו *Jeſaias non exierat atrium* (Maſorethæ pro העיר ſcribunt חצר) *intimum, & verbum Domini ad ipſum editum eſt*. Hoc eſt; *vix exierat*; ſtatim atque exierat. Belg. **Soo eer was hy het middel-hof niet uytgegaen/ ofte &c.** Huic interpretationi nihil habeo quod opponam. Amplectatur eam, cui religio eſt à *textuali lectione* recedere.

Obſervatio illius ad uſum voculæ לא.

III. Li-

a Cap. IX. 23.

Maſorethica lectio commendatur.

III. Liceat tamen addere, *Maſorethicam lectionem* ſenſum dare æque commodum & efficacem; immo elegantiorem. De Dieu: Τὸ Keri *eſt* לו. *In omni anguſtia eorum ipſi anguſtia fuit. Senſu ſane optimo.* Cappellus pariter: *Utraque lectio commodum ſatis ſenſum fundit.* τὸ *Keri tamen videtur paulo commodiorem gignere, magiſque accommodatum ferventiſſimis illis miſerationum Dei viſceribus, quæ iſtic Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuuntur.* Belgæ quoque & Diodati favent *Maſorethis.*

Rationes pro ea ex textu & phraſi productæ.

Tria autem ſunt, quę *Maſorethicam* lectionem commendant. 1. Quod orationem Prophetæ *plenam* exhibeat & perfectam. *Textualis lectio* verti non poteſt niſi cum *ellipſi relativi.* 2. Quod contineat *phraſin* receptam & *communem.* Etenim vocabulum צר / ſequente ל / præfixo *nomini* aut *relativo perſonali*, non raro ea ſignificatione uſurpatur, qua accipitur in *lectione marginali.* Exempla habes in Lex. Cl. Cocceji. 2 Sam. I. 26. צר לי עליך *Anguſtum mihi eſt tua cauſſa.* 2 Sam. XXIV. 14. *Et dixit David Gado;* צר לי מאר *Anguſtum mihi eſt valde.* Admodum crucior. Pſ. XXXI. 10. *Gratiam mihi præſta, Domine,* כי צר לי *quoniam anguſtum mihi eſt:* valde premor, angor, & affligor. Sic pariter in *lectione marginali:* בכל־ צרתם לו צר *In omni anguſtia eorum* IPSI *fuit anguſtum;* uſitata ſatis & recepta phraſi. 3. Quod *ſenſum* expromat, ut jam monitum eſt, elegantiſſimum, efficacem, & orationi Prophetæ *Jeſaiæ* bene convenientem. Senſus *marginalis lectionis* eſt, Deum, ut Patrem, affinem, aut amicum *condoluiſſe* omnibus Iſraëlitarum calamitatibus & afflictionibus, quę cauſſa fuerit, quod iis ſuo auxilio repente adfuerit. Sed, quod nos exprimimus *condolendi* notione, id multo diſertius & pulcrius ſignificatur hebræa phraſi, צר לו *anguſtum* erat IPSI.

Senſus Prophetæ ſecundum hanc lectionem expoſitus.

Notatur eo diſtinctius. 1. Deum fuiſſe quaſi *partem corporis* Judaici populi, & bona malaque omnia cum eo habuiſſe communia. 2. Judaicum populum nunquam *affixiſſe*, niſi cum ſuo quodam *quaſi* dolore ac tædio. Gratam ipſi & jucundam rem non fuiſſe, Iſraëlitas male habere. 3. Iſraëlitas non *afflixiſſe*, niſi cum res veniſſent *ad extremum*, & ipſe quaſi Deus ad *anguſtias* quaſdam fuiſſet redactus; *caritate populi* Judaici ipſum *hinc* commovente ad exercitium longanimitatis ac tolerantiæ, & *illinc* viciſſim *peccatis populi* poſtulantibus correctionem & vindictam. Sic fere ut qui filium diligit Pa-

rens, filio peccante, ad *anguſtias* quaſdam incitatur. Moleſtum enim ipſi eſt, *filium caſtigare*, quem, ut ſui quandam partem, tenerrime diligit, & ſentit tamen filii intereſſe, ut in eum animadvertat, ne nimia Patris indulgentia primo deterior, dein inſanabilis fiat. 4. Tum etiam, quando Iſraëlitas, re ad extremum acta, afflixerat, mox eorum malis *condoluiſſe*; mox affligere deſiiſſe, & de iis liberandis agitaſſe conſilia, acſi pœniteret caſtigaſſe. Hæc ſingula jacent in *verbis* Jeſaiæ, ſi ea legantur cum Maſorethis. Diodati, qui marginalem lectionem, ut jam monitum eſt, textuali prætulit, confert locum, qui eſt *Jud.* x. 16. *Et removerunt Deos alienos è medio ſui, & ſervivertunt Domino,* ותקצר נפשו בעמל ישראל *& abbreviata eſt anima ejus in labore Iſraël*, hoc eſt, maximo tædio animi ſui reſpexit Iſraëlitarum afflictionem, adeo ut illi ferendæ amplius non fuerit. Aben-Ezra, qui & ipſe *marginalem* lectionem longe præponit textuali, eundem hunc locum jam ante produxerat: בכל. לאו צר, האמת שהוא בו״יו כטעם ותקצר נפשו דרך משל להבין השומעים כאלו גם הוא היה בצרה על כן מהר להושיעם *Vera lectio eſt cum* Vau, *ſenſu loci* Jud. x. 16. Et tædio affecta eſt anima ejus. *Metaphorice ſcilicet, ad innuendum audientibus, acſi & ipſe fuiſſet afflictus, ac propterea feſtinaſſet eos ſervare.*

Locus Jud. x. 16.

Veteres Interpretationes huc allatæ.

IV. Lxx Interpretes legiſſe לא cum *Aleph*, certum eſt. Meretur tamen animadverti, quam hunc locum minime intellexerint, aut ſaltem non intelligere voluerint videri. Habuerunt illi Codicem Hebræum non *punctatum* vocalibus, aut *diſtinctum* accentibus. Quare factum, ut quę dicuntur in fine *commatis octavi*; ויהי להם למושיע *Et fuit ipſis in Servatorem*; connexerint, ligata continuataque oratione, cum *commate nono*, quorum, ſic junctorum, hanc dederunt *μετάφρασιν*: Καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σωτηρίαν ἐκ πάσης θλίψεως αὐτῶν. Οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλ' αὐτὸς ἔσωσεν αὐτούς· *Et factus eſt ipſis in ſalutem ex omni anguſtia ipſorum. Non legatus, neque Angelus, ſed ipſe ſervavit eos.* Patet, eos vocem צר accepiſſe pro ציר *legato*, nuncio, ut jam obſervatum eſt à Cappello; cæteroquin eorum lectio Hebræa ab ea noſtrorum Codicum non variavit. Verum longe aliter eam, ac nos, diſtinxerunt; ויהי להם למושיע בכל צרתם לא צר (ציר) ומלאך פניו הושיעם *Et fuit ipſis in Soſpitatorem in omni anguſtia eorum. Non legatus, aut angelus; (ſed) facies*

Animadverſio ad Verſ. Lxx Vitalem.

facies ejus ſervavit ipſos. Rem igitur non ſatis perſpexit Hieronymus, quando plane ſcripſit, *Septuaginta Interpretes aliud poſuiſſe, quod in Hebræo non habetur.* Id nihilominus mihi evidenter liquet, Lxx Interpretes non ex ignorantia, aut defectu attentionis, ſed *conſilio* quodam *humano* fugiſſe clarum illum & ſimplicem ſenſum Hebræorum verborum; ומלאך פניו הושיעם *Angelus faciei ejus ſervavit eos.* Vocabula enim מלאך & פניו non poſſunt à ſe invicem divelli niſi violenter. cujus rei cauſſam hanc ſuſpicor præcipuam, quod putarint, communem illam & ſimplicem verſionem verborum Hebræorum gentibus, verſionem Græcam lecturis, præbituram occaſionem erroris vel criminationis. Noluerunt Interpretes illi, inquam, ut Gentes in Codice Verbi Divini legerent, Judæam gentem, non ab *ipſo Deo*, ſed ab *Angelo Dei*, eſſe ſervatam. Cogitarunt enim id vel Genti ſuæ fore dehoneſtamento, vel ſuſpicionem moturum, ac ſi Judæi, qui profeſſione *unius Dei* ſe à Gentibus diſcernebant, minores quaſdam Divinitates colerent, iiſque ſuam deberent ſalutem. Placuit igitur, hujus incommodi evitandi cauſſa, conſilium textum violenter diſcerpendi, & alium quemvis ſenſum, præter hunc, inde eruendi.

Lxx Int. ſubinde in Verſione humana ſequuti conſilia.

V. *Interpretem Chaldæum* pariter *textualem lectionem* probaſſe, certum. Nec dubia res eſt de Latino, Hieronymo, cujus hæc eſt interpretatio: *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus.* Obſerva tamen, variam lectionem hujus textus in Codicibus Hebræis jam extitiſſe ætate Hieronymi. Quorſum enim alias, quę in Commentariis Hieronymi ad hunc locum leguntur? *Ubi nos interpretati ſumus:* In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, *quod hebraice dicitur* בכל צרתם לא צר *eſt* לא׳ negantis *adverbium*, *& pro* non *legi* לו *poteſt*, *& verti per* ipſe, *ut ſit ſenſus:* In omni tribulatione eorum ipſe eſt tribulatus: *id eſt*, *Deus: ut non ſolum peccata, ſed & tribulationes noſtras, ipſe portaret.* Docta, ſed mihi ignota, manus, quę margini Operum Hieronymi Bibliothecæ Publicæ, varias aſperſit animadverſiones, ad hanc Hieronymi obſervationem adſcripſit: *Vide, quam inconſtans & incerta fuerit lectio Veteris Teſtamenti.* Verum ſi *variæ lectiones* lectionem Codicis ſacri *inconſtantem incertamque* reddere cenſendæ ſint: non erit *lectio Novi Teſtamenti* multis locis certior

Chaldæi Paraphraſis.
Et Hieronymi.
Ejus ætate jam extitit varia lectio.

Animadverſio ad non neminis obſervatum.

tior

tior conſtantiorque *lectione Teſtamenti Veteris*. Nego tamen, omnem *variam lectionem* textum Scripturæ reddere *incertum* & *inconſtantem*. Cum enim *veritas multa adſoleat præbere veſtigia ſui*, ut alibi Livius: vix eſt, ut ſanum purgatumque exercitati hominis judicium *lectionem veram* ab *adulterina* in maxima illorum textuum parte non poſſit diſcernere abſque ulla ſuſpicione erroris. Quod ſi vero pauca alia remaneant loca, in quibus non tam facile & certo vera lectio textus à dubia diſcerni poteſt; non putamus, univerſæ lectioni Scripturæ Veteris Teſtamenti, ejus rei cauſſà, *inconſtantiæ* & *certitudinis* notam inurendam eſſe.

Rabbinorum de hoc loco ſententiæ.

VI. Aben-Ezram favere *marginali lectioni*, jam notatum eſt. Kimchi rem totam relinquit in incerto. Verba ejus: בכל צרתם לא צר כתוב באל״ף וקרי בוי״ו ופי׳ הכתוב לא הרבה להם הצרה כי הושיעם ממנה׳ ופי׳ הקרי לו לאל צר בצרתם׳ על׳ דרך ותקצר נפשו בעמל׳ ישראל׳ והכל דרך משל ודברה תורה בלשון בני אדם *Vocula* לא *ſcribitur cum* Aleph, *& legi præcipitur cum* Vau. *Senſus vero* textualis *lectionis eſt, quod Deus iis calamitatem non auxerit, quippe qui inde eos eripuit*; marginalis *autem, quod* IPSI, *Deo, in anguſtiis Iſraëlitarum anguſtum fuerit, ad exemplum illius*; (Jud. x. 16.) *Et abbreviata eſt anima ejus in labore Iſraël. quæ dicuntur* παραβολικῶς. *Scriptura enim de Deo ſic loqui ſolet, ut homines de hominibus.* Jarchi defendit *lectionem textus*. Abarbanel, ad exemplum Kimchi, utramque illuſtrat, ſed commentarius ejus nimis prolixus eſt, quam ut eum velim adſcribere.

Locus Pſ. c. 3. recenſetur.

VII. Ad *nonum* textum (Pſ. c. 3. *Scitote, quod Jehova ſit Deus*; *ipſe fecit nos*, ולא אנחנו *&* NON *nos*; pro quo *Maſorethæ*; ולו אנחנו *& nos* IPSIUS *ſumus*:) nihil fere eſt, quod notem. LXX Interpretes & Hieronymus *textualem* ſequuti ſunt *lectionem*: Chaldæus Paraphraſta *marginalem*. Nullatenus dubitarem, *marginalem* lectionem heic quoque præferre textuali, ut paſſim feci, ſi judicio meo non intercederet collatus à R. *Saadja*, ab Aben-Ezra allegato, locus ex *Ezech*. XXIX. 3. ubi *Pharaoni*, Regi Ægypti, *crocodilo*, cubanti in fluvio *Ægypti*, hujuſmodi *dictum* adſcribitur: לי יארי ואני עשיתני *Mihi eſt fluvius meus, & ego* FECI ME. Verum cum diſſimulari non poſſit *duram* quodammodo videri, etſi alias (fateor) ſatis emphaticam orationem;

Differentia lectionis.

Locus Ezech. XXIX. 3. pro textuali.

Ego

Ego feci me: docuit jam dudum Buxtorfius [a], ſat multis exemplis, (inter quę & hunc *locum* Ezechielis ponit:) *affixum relativum* aliquando per *dativum ſeparatum* explicandum eſſe: juxta quam obſervationem, quod hic de *Crocodilo* dicitur, ואני עשיתני/ capiendum eſſe pro; ואני עשיתי לי/ *Et ego feci mihi*, eum, ſc. fluvium Nilum. Oratio quoque ſecundum hanc interpretationem optime ſibi conſtat. *Meus eſt fluvius, & ego eum feci mihi*. Eſt tamen, ut jam dixi, in oratione illa; EGO FECI ME, ſingularis quædam *emphaſis* atque elegantia, quę non tanta apparet in alia illa verſione; *Ego eum feci mihi*. Nimirum *Pharao* hic introducitur, ut qui, ſi quiſquam alius, ingenti tumeat faſtu & iracundia. quodnam autem aliud de ſe ſuperbius atque arrgantius dictum proferre potuit quam hoc eſt; *Ego feci me*. Immo, ſi hebræum עשה *facere* hic accipiatur pro *magnum* ſive *magnificum facere*, aut, quod uno verbo dicitur, *magnificare*, *amplificare*, *exornare*, tum major adhuc in hac oratione vis erit. Quanto enim illa majus habet exemplum vanitatis, arrogantiæ, & faſtus, tanto fortior eſt, & ſcopo Prophetæ, ſuperbiam Regis Ægypti expreſſuri, convenientior. Vocabulum vero עשה hac notatione alibi ſumi, & heic ſumendum eſſe, auctor eſt David Kimchi, cujus commentarium heic deſcribere non negligam: ואני עשיתני אני עשיתי ותקנתי לי היאור להשקות את ארצי או פי׳ עשיתני עשיתי ותקנתי אותי בחכמתי ותבונתי עד שנעשיתי מלך גדול וכמוהו אשר עשה את משה ואת אהרון שפירושו הגדילם *Et ego* עשיתני *feci me*, mihi. *Ego mihi hunc fluvium feci & paravi ad irrigandam terram meam. Aut illud* עשיתני *ita exponi poteſt; ego me ipſum meo ingenio & prudentia ſic perfeci paravique, ut Rex in terris magnus evaſerim; ad exemplum illius:* (1 Sam. XII. 6.) *Qui* FECIT *Moſen & Aaronem, hoc eſt, eos magnificavit*. Jarchi: עשתניני בגבורתי נבחכמתי הגדלתי גדולתי וממשלתי *Meis viribus, meaque prudentia* AMPLIFICAVI *admodum majeſtatem atque imperium meum*. Et vere vocabulum עשה non tantum notat *facere*, quo ſenſu vulgo ſumitur, ſed & *perficere*, *componere*, *exornare*. quomodo Latini Scriptores *facere* uſurparunt pro *fingere*. *Fingere* enim eſt rem ſcite atque artificioſe *facere*, ut apud Plautum [b]: *Exemplo* FACIO *facetum me atque*

Qui declaratur, & exponitur.

Vera ſignificatio vocis עשה ex Kimchio detecta.

Confertur cum ea, Latinum *fingere*: & elegantius *facere*.

a Theſ. Gram. Lib. II. Cap. XVII. b Aſin. Act. II. Scen. II. Pſeudol. Act. II. Scen. III.

que magnificum Virum. & alio loco: *Atque ego nunc me ut glorioſum* FACIEBAM, *& copi pectore.* Pariter *facere* ſumi pro *componere*, *perficere*, non eſt res dubia apud Auctores Latinitatis. Sic; *facere verſus*, *facere poëtas*, *feciſſe facienda*, *facere apologum*, *&c.* Quod igitur apud *Ezechielem Pharao* de ſe prædicat; אני עשיתני *Ego feci me*, id, ſi poſteriore hoc ſenſu capiendum ſit, ſic eleganter explicari poteſt; *Ego* mea opera atque induſtria *me* eo *perfeci* uſque, ut inter Reges orbis terrarum dignitate & viribus excellam. Transfer jam hunc ſignificatum vocabuli עשה ad verba, quę commentamur; *Jehova* עשנו FECIT *nos*, *&*, NON *nos*: & hunc ſenſum habebis pulcrum ac efficacem, retenta *lectione textuali*: quod *regeniti ſimus* in novam creaturam; quod omnibus donis gratiæ perfuſi; quod ad dignitatem Filiorum Dei evecti; quod conſcientiam conſummatam, pacem & lætitiam conſequuti ſimus, & quę cætera ad *perfectionem* novæ creaturæ pertinent; hoc *Deo* ejuſque benignitati acceptum ferimus, *non nobis.* Hunc ſenſum *textualis* dat *lectio*, non carpendum ſane. Cave tamen in hoc aliiſque locis explicandis plus noſtro fidas judicio quam tuo. Ad cætera, quę ſuperſunt, *ſex* loca, notata à Maſorethis ex *Pſ.* CXXXIX. 16. *Proverbiis Salomonis*, *Jobo*, *Ezra*, quod moneamus ſingulare, nihil prorſus habemus.

Ex quibus præſens locus explicatur.

VIII. Non committam tamen, ut præclarum locum *Jeſaiæ*, *Cap.* XLIX. 5. in quo eadem *lectionis* variatio eſt, non *cenſum* in Maſora, intactum prætercam. Verba ſunt: *Et nunc dicit Dominus*, *qui me formavit* (decreto ſuo) *ante uterum*, *ut ipſi eſſem in ſervum*, לשובב יעקוב אליו וישראל לא יאסף *ad reducendum Jacobum ad ipſum*, *& Iſraël* NON (לא) *congregatur*; ſive, ut Maſorethæ volunt; *& Iſraëlem*, לו IPSI *congregandum.* Hieronymus jam olim ægre admodum habuit, *Vulgatam Latinam* à *textuali* lectione hujus loci receſſiſſe, arbitratus, tantum ea in re ſitum eſſe, ut *fortiſſimum teſtimonium perfidiæ Judæorum ſubvertatur.* Placitum eſt ejus verba prius exhibere & expendere, quam ſententiam noſtram expromamus: *Et Iſraël non congregabitur*, *id eſt*, *non revertetur ad Dominum. Satiſque miror*, *quomodo vulgata editio fortiſſimum contra Judæorum perfidiam teſtimonium*, *alia interpretatione ſubverterit*, *dicens*; Congregabor & glorificabor coram Domino: *cum* Theodotio *&* Symmachus *noſtræ interpretationi congruant.*

Locus Jeſ. XLIX. 5. allegatur. Differentia lectionis.

Hieronymi de ea, & ejus momento, judicium.

gruant. De Aquila *autem non miror, quod homo eruditiſſimus Linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens, in hoc loco aut ſimulaverit imperitiam, aut Phariſæorum perverſa expoſitione deceptus ſit, qui interpretari voluit;* Et Iſraël ei congregabitur: *hoc eſt,* Deo. *Cum verbum* לא *in hoc loco non ſcribatur per* ל *&* ו */ quod ſi eſſet, ſignificaret* ei *vel* illi, *ſed per* ל *&* א */ quod proprie* non *ſonat.* Verum non erat, quod Hieronymus *Vulgatam Editionem* hoc nomine caſtigaret, acſi ea, nullum in textu *negativum* agnoſcens, *fortiſſimum teſtimonium contra perfidiam Judæorum ſubverterit,* quum, quod Hieronymum non fefellit, ſequuta fuerit, ut paſſim ſolet, LXX Interpretes. Si quid hic erroris aut vitii, id imputandum erat LXX Interpretibus, quos Antiquæ Italæ Auctor ſequutus eſt. Quod præterea Hieronymus ſuccenſeat *Aquilæ,* textum ad exemplum τῶν LXX abſque *negatione* interpretanti: in eo etiam ſe præbet iniquum. Opinatur, Aquilam vel *ſimulaſſe imperitiam,* vel *Phariſæorum perverſa expoſitione deceptum eſſe.* Sed cur non cogitavit Hieronymus, lectionem *Codicis Hebræi,* quo *Aquila* uſus eſt, à lectione ſui Codicis variaſſe? Nos de eo quidem nulli dubitamus: credimus tamen, variam illam lectionem in Codice Hieronymi notatam non fuiſſe, ac propterea illum de Aquila minus honeſte ſuſpicatum eſſe. Eadem illa manus, cujus annotationum exemplum dedi in ſuperiore commentario ad locum Jeſ. LXIII. 5. hic adſcripſit: *Fortaſſe* Aquila, *quem eruditiſſimum hebraice fuiſſe dicit, aliter legit, & hebraica lectio non eſt conſtans & certa, id quod etiam alibi apparet.* Rurſus ad explicationem Hieronymi ℣ſ. 12. *Hic quoque apparet, lectionem inconſtantem & incertam aliquot locis fuiſſe in Bibliis.* Admodum adhæſit, & nimium ſane, docto Auctori harum animadverſionum opinio de *incertitudine* & *inconſtantia lectionis Biblicæ.* Id tamen haud dubie ex vero conjectat, Aquilam aliter legiſſe ac Hieronymum.

Querela ejus de Latina Vetere non ſatis juſta.

Nec quoque de Aquila.

Animadverſio Viri cujuſdam Docti.

IX. Sed id è re noſtra eſt, videamus, an magnam adeo rationem habuerit Hieronymus lectionem *textualem* propugnandi. Mihi enim omnino ita videtur, *textualem lectionem* exhibere ſenſum, non levi preſſum incommodo. Quod enim juxta hanc lectionem in verſione Hieronymi eſt; *Et Iſraël* NON *congregabitur;* id prorſus adverſum videtur tam *antecedenti* & *conſe-*

Ἐπίκριϲις ad judicium Hieronymi, quod hic minus probatur.

Contextus favet Lectioni Maſorethicæ, & Scopus orationis.

quenti orationi hujus textus, quam *veritati*, in *Verbo Propheticô* paſſim expreſſæ. *Antecedens* & *conſequens* oratio hujus textus docet, *Jacobum* ſive *Iſraëlem* omnino à *Chriſto* (de eo enim hic mentionem eſſe nos ſupponimus; Hieronymus concedit:) eſſe *colligendum*. Dicitur enim ſignatis verbis *ſervus*, à Deo electus, לשובב יעקב *ad reducendum Jacobum*. Et ne quis dubitet, an huic conſilio Dei à Chriſto, *ſervo Domini*, ſatisfactum ſit, additur ℣ſ. 6. *Dixit*, inquam, Dominus, *leve eſt nimis*, *ut ſis mihi ſervus* להקים את שבטי יעקב *ad erigendas tribus Jacobi*, ונצורי ישראל להשיב *& ad reducendas faces Iſraëlis*; *quin conſtitui te in lucem gentium*, *&c.* Quid? Chriſtus *erexit*, an *non erexit tribus Jacobi*? *Reduxit*, an *non reduxit ſervatos Iſraëlis*? *Erexiſſe* & *reduxiſſe*, patet ex textu. Quod ſi verum: cur negatur Chriſto in eodem hoc textu *congregatio Iſraëlis*, quę una eademque res eſt cum *reductione Jacobi* & *erectione tribuum Iſraëlis*?

Difficultas, illi objecta, removetur.

Fateor, in Evangelio dici, Chriſtum *voluiſſe* ἐπισυναγαγεῖν *in unum congregare Filios Hieroſolymæ*, *ſed ipſos* (Hieroſolymæ incolas & Præfectos:) *noluiſſe* [a]: Chriſtum *veniſſe* εἰς τὰ ἴδια *ad ſua*, *ſed* τοὺς ἰδίους *ſuos ipſum non recepiſſe* [b]. Sed hæc dextre accipienda ſunt. Quę enim *ſuo* loco vere dicuntur & recte, non mox vere & recte dicuntur *omni* loco. Verum eſt & recte dictum *ſuo* loco, maximam Iſraëlitarum partem à Chriſto non eſſe *congregatam*, aut *congregandam*. Id tamen *eo* loco non videtur recte & commode dici, *quo* Deus hoc agit, ut de effectis mediationis Filii ſui *magnifice* loquatur, ejuſque ſummam *gloriam* quam maxime deprædicat. Ad *gloriam* enim Filii Dei facit, & inter illuſtria effecta mediationis ejus eſt, *Iſraëlem congregare*, *Jacobum reducere*, *tribus Jacobi erigere*; non contra.

Utrumque diverſo reſpectu vere dici poteſt, Chriſtum D. *congregaſſe* & *non congregaſſe Iſraëlem*.

Et ſane quemadmodum ab *una* parte, reſpectu incredulitatis & perfidiæ maximæ partis Gentis Judaicæ, vere dici poteſt, Chriſtum *non congregaſſe Iſraëlem*: ſic ab *altera* rurſus, ubi conſideras, *multa* Judæorum *millia* à Chriſto eſſe *ſervata*, ex vero dicitur, Chriſtum *congregaſſe Iſraëlem*. Omnes enim, qui ipſi ex Judaica Gente dati erant à Patre, nullo pereunte, ad ſe collegit per prædicationem Evangelii vel ſuam vel Apoſtolorum; atque hi maxime merebantur nomen *Iſraëlis* & *Jacobi*, quia Parentis ſui Iſraëlis imaginem *ſimplicitatis*

a Matth. XXIII. 37. b Joh. I. 11.

tatis & *fidei* habebant: cæteros, carnalem multitudinem, nomine *Jacobi* & *Iſraëlis* indignam, atque ea propter à *tribubus Iſraël ſeparandam*, reprobavit repudiavitque, ut nihil ad ſe ſpectantes. Hoc ſenſu *Simeon* Chriſtum vocat *lumen ad illuſtrationem Gentium*, & δόξαν λαοῦ Ἰσραὴλ *gloriam populi Iſraël*[a]. Prius illuſtratur. Egregie rem declarat *Joannes*[b], Chriſtum *mortuum eſſe* dicens οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον *non pro Gente tantum Judaica*, in Canaane habitante (ad quam Cajaphas reſpexerat:) ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν, *ſed ut & filios Dei diſperſos* CONGREGET *in unum*. Locus Joh. XI. 52. exponitur. Per quos *filios Dei diſperſos* primo utique loco *Judæi* intelligendi ſunt *diſperſi* inter Gentes, dein *electi* ex *Gentibus*. Sic plane Jacobus in inſcriptione Epiſtolæ ſuæ[c]: *Jacobus Dei ac Domini Jeſu Chriſti ſervus* ταῖς δώδεκα φυλαῖς ἐν τῇ διασπορᾷ *duodecim tribubus* DISPERSIS, *ſalutem*. *Petrus* pariter[d] ſcribit: ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς *electis advenis* DISPERSIS *per Pontum*, *&c.* Chriſtus ipſe apud *Joannem* ait[e], *oves ſuas ſuam*, ceu *Paſtoris*, *vocem agnoſcere*; *& præter eas*, quę in Canaäne erant, *alias ſe habere*, (extra Canaanem) *quas ipſum oportebat* ἀγαγεῖν ADDUCERE. De Judæis loqui Dominum, inter Gentes diſperſis, facile docebunt verba *Petri* ad eoſdem[f]: Ἦτε γὰρ ὡς πρόβατα πλανώμενα *Eratis enim velut* OVES ERRANTES; *ſed nunc* ἐπεστράφητε CONVERSI *eſtis ad Paſtorem & Curatorem animarum veſtrarum*. In eodem Evangelio *Joannis* Dominus agnoſcit[g], *quoſdam* ſibi ex *mundo à Patre eſſe datos*, pro quibus *Patrem orat*, *& non pro mundo*. Atque hinc tandem eſt, quod *Chriſto* paſſim in vaticiniis tribuatur *collectio* & *congregatio* populi Judaici *ad ſe*, ſuumque Regnum, & Eccleſiæ, a ſe convocandæ, communionem. Id egregie obſervatum eſt à Cl. Coccejo[h] in *Ult. Moſis* ad *Deut.* XXX. 4. Cl. Coccejus laudatus. *Poteſt quidem hoc loco*, ait, *promiſſio* Recollectionis *latiſſime capi*, *ita ut complectatur* CONGREGATIONEM ELECTORUM *ex Gentibus ſub Regno Chriſti*, *&* EX IPSIS JUDÆIS, *qui ſeparandi erant ab omnibus tribubus Iſraëlis*[i] *in pœnam contempti Evangelii*. quam ſuam hypotheſin Vir Doctiſſimus ex variis locis Veteris Teſtamenti appoſite adductis adſtruit. Cum itaque evidenter conſtet, Chri-

a Luc. II. 32. b Cap. XI. 52. c Cap. I. 1. d 1 Cap. I. 1. e Cap. X. 16. f 1 Cap. II. 25. g Cap. XVII. 9. h §. CCLI. i Deut. XXIX. 19. 21.

Applicatur doctrina ad h. l.

ſto Domino tam in *Vaticiniis* Veteris, quam in *Evangelio* Novi Teſtamenti paſſim adſcribi *collectionem Judæorum electorum ad ſe*, atque in eo loco *Jeſaiæ*, cui explicando incumbimus, deſcribatur *glorioſus fructus* mediationis Chriſti, qui haud dubie eſt *congregatio Judæorum* & *Gentium* ad communionem Regni ejus: colligimus, ſatius videri, ut verba *Jeſaiæ*, quę Maſoretharum annotatio eſt, *affirmative* legantur, quam *negative*.

Ejuſdem Viri D. de hoc loco judicium.

X. Cl. Coccejus *affirmantem* quidem, id eſt, Maſoretharum *lectionem* non probat; ſenſum tamen huic loco affingit, non alienum ab eo, quem nos urgemus. Vult ſc. illud, לא יאסף/ *interrogative* legi & exponi; *Et Iſraël non recipietur? Diſceptat*, inquit, *cum illis, qui dubitant, an Iſraël debeat recipi, nec ne?* Sic ante eum Kimchi: וכתוב לא יאסף ופירוש הכתוב בתמיה *Scriptum eſt* לא יאסף *cum* Aleph, *& explicandum interrogative*. Nos vero non videmus, interrogationem huic loco vim & elegantiam adferre. Senſus tamen, ut dixi, idem erit cum eo, quem nos dedimus.

Et Cl. de Dieu.

Cl. de Dieu, illud לא יאסף *Non congregatur*, accepit ſeu epitheton *Iſraëlis*, hoc ſenſu, quod Chriſtus miſſus ſit ad colligendum *Iſraelem*, qui *non congregabatur*, hoc eſt, qui eo tempore à Paſtoribus ſuis prorſus negligebatur; adeo ut *Iſrael*, qui *non colligitur*, una eademque res ſit cum נצורי ישראל/ quod ille vertit *deſolatos Iſraelis*, & Hieronymus emphatice admodum & præclare, *faces Iſraelis*, tam hic, quam in *Epiſtola* ad *Dardanum* [a]. Non ſpernimus ſententiam hanc D. de Dieu: neque adverſa eſt noſtræ interpretationi. Neglexeram dicere, *Chaldæum* Interpretem & ipſum *affirmanti lectioni* favere.

a Tom. ult. Epiſt. Fol. 24. col. 3.

C A-

Caput XIX.

Inquiritur in cauſſas Lectionum variantium לא *&* לו, *quæ arceſſuntur tum ab* incuria Librariorum, *tum à* ſuperſtitione *atque* κρίσει *excellentium* Doctorum *Judææ Gentis; refutata ſententia, quæ* Moſen *& Prophetas ipſos harum* variantium Lectionum *auctores facit. In his vero paulo prolixius diſſeritur de celebri illa Judæorum atque Chriſtianorum quorundam Doctorum* hypotheſi, *quæ S. Scripturæ omni loco* duplicem *affingit* ſenſum, *nec non de cura, qua Judæi Doctores verſati ſunt circa ſcriptionem* Codicum Sacrorum, *præſertim* Legis Moſaicæ, *in Synagogis prælegendæ.*

De *cauſſis variantium Lectionum* Scripturæ Biblicæ & inprimis *Codicis Veteris Teſtamenti* præ aliis diligenter ſcripſerunt Doctiſſimi Viri, Cappellus, Morinus, Waltonus, & Simonius. Quę bene ab ipſis ad hanc rem allata ſunt, non laudabimus; quæ male, non caſtigabimus; quæ dubie poſita ſunt, eorum non explorabimus certitudinem. Tam vaſtum enim hoc eſt pelagus, ut non admodum tutum ſit illud ingredi, nec ingreſſo facile ſit id metiri. Fidem nihilominus, quam dedi, liberabo. Quæ pauca mihi de *cauſſis varietatis lectionum* לא & לו obvenerunt, breviter tradam: relicta iis, qui de origine *variantium Lectionum* ante me egerunt, ſua laude; qui poſt me acturi ſunt, multa ſcribendi copia.

De *cauſſis Lectionum* harum *Variantium* diſputari incipit.

Docti Viri, qui hoc argumentum tractarunt, laudati.

II. Ainſworthus, doctus Interpres librorum Moſis, cenſet, *Moſen* ipſum *variantium* harum *lectionum* in Pentateucho eſſe auctorem, eaſque in Codice Divinarum legum, ab ipſo conſcripto, eſſe commendatas poſteritati. Supponit ille, Moſen Legem univerſam, à Deo dictatam, auribus excepiſſe, & cum voculæ לא & לו *ſono* non differant in enunciatione, eum in animum induxiſſe, & quidem per moderamen Spiritus Sancti, utraque vocula *ſonum* illum repræſentare; altera inſerta textui;

Ainſworthi de iis judicium.

tui, altera vero adſcripta margini. Sic fere ſcribit in Annotationibus ad *Exod.* XXI. 8. Idem repetit *Com.* in *Lev.* XI. 21. *Duplex hæc lectio ipſum Moſen auctorem habet. Spiritus S. ſæpe evidenter commonſtrat, variantes has lectiones à Deo eſſe. Confer* 1 *Chron.* XI. 20. 2 *Sam.* XXIII. 19.

Judicium de hac Ainſworthi ſententia.

III. Quod Judæi, quorum aliqui (non omnes certe:) inepte ſuperſtitioſi ſunt, in hujuſmodi cogitationes incidant, quis miretur? Quod vero Ainſwortho, qui merita laude cluit non eruditi tantum ſed & probati judicii Interpretis, idem in mentem venerit ſentire, id ego ſummopere miror. Qua enim parte hanc ſententiam contemplor, non modo nihil in ea ſani invenio, verum non perſpicio etiam, qua non dicam ratione, ſed rationis ſpecie & colore proponi poſſit, multo autem minus, defendi. Certe talis mihi videtur, ut animum meum difficulter inducam ad eam ſerio refutandam. Ne tamen nihil dicam, obſerva; In *univerſo Pentateucho tria* tantum à *Maſorethis* notata eſſe *loca* variantis lectionis לא & לו/ eaque in *Præceptis*, & quidem in *Præceptis duobus civilibus*, & *uno cærimoniali*, nullius ſingularis momenti. *Primus locus* agit de *exitu ancillæ in libertatem*; (Exod. XXI. 8.) *Secundus* determinat, quænam *ex quadrupedibus volucribus* ſint *comedendæ*; (Lev. XI. 21.) *Tertius* agit de *redemptione ædium*, venditarum. Lev. XXV. 30. Quis vero credat, Moſen, ſi ductu Sp. S. per *varietatem lectionis contrariantis* arcani quid ſignificare voluiſſet, occaſionem captaturum arcanos ejuſmodi & occultos ſenſus per *lectionis variationem* proponendi in *Præceptis*?

Quæ demonſtratur à probabili ratione aliena.

Leges in omni Civitate oportet claris verbis explicari.

Convenit enim quam maxime, ut *Præcepta* perſpicuis & clariſſimis verbis expreſſa ſint. In *Præceptis* definitur quid faciendum, quid omittendum ſit. Id niſi perſpicuis & ſimplicibus ſenſibus exponatur, fieri non poteſt, ut verus finis τῆς νομοθεσίας obtineatur; qui eſt, ut ſit certum aliquod & ſtabile præſcriptum *æqui juris*, quod in Civitate obſervetur & exerceatur [a]. Hic finis non magis obtineri poteſt in *Legibus Divinis*, quam *humanis*, ſi *Leges* proponantur vocabulis ambiguis, & ſenſibus non variis tantum ſed & contrariantibus, quales varietas lectionis לו & לא neceſſario producere debet. Si quis *Doctori* in *Dogmatibus* fidei tradendis luſus concedi poſſit, (etſi

a Confer Tacitum *Annal.* Lib. III. Cap. XXVI. XXVII.

(etſi neque hunc luſum variantium Lectionum in tradendis *dogmatibus* Sapientiæ Divinæ convenire exiſtimamus:) *Legiſlatori* ſane in præſcribendis *Præceptis* nullum concedimus, niſi incommodo & detrimento Civitatis. Præter hæc ratio dari non poteſt, cur Moſes, ſi hoc luſu variantis ſcriptionis lectores Sanctæ Scripturæ detinere voluiſſet, id agere affectaſſet in *præceptis*, *paucis* quidem, iiſdemque *nullius* admodum *ſingularis momenti*. Quanta ſcilicet res eſſet, & quam digna Spiritu S. cum tot ſint in Lege *Præcepta negantia*, in *tribus* eorum, quę cæteris non ſunt *graviora*, & multis aliis *leviora*, affectare acumen in familiari vocula לא/ & per illius ſcriptionem variatam duplicem innuere ſenſum! Non capio ſane, quomodo id homini ſobrio in mentem venire poſſit. Si Moſes ſcivit veram intentionem Imperatoris Dei: (ſciviſſe autem, quis neget?) ſtatuendum eſt, officii ipſius fuiſſe, eam liquidis verbis repræſentare. Fruſtra, hoc caſu, captaſſet acumen in Scriptura variante. Exiliter nimis de ipſo, animi magni Viro, (quid dicam de *Spiritu S.* cujus ductu ſcripſit?) ſentit, qui ipſum in re vulgari tradenda non neceſſarii exiſtimet voluiſſe quærere laudem acuminis ingenioſi. Si propoſitum ſibi habuerit, *varia* circa eandem rem *præcepta* referre: utique facile ipſi fuit, ea variis & certis verbis explicare. Id egiſſet, id agere debuiſſet, ſi veri Legiſlatoris (fuit autem Legiſlatorum maximus:) fungi voluiſſet officio. Quin in procli-vi eſſet commonſtrare, id ipſum *acumen*, quod Moſen per variantem ſcriptionem in his textibus affectaſſe contendunt, quæſitum è longinquo eſſe, & nullo prorſus niti fundamento. Verum hujus operæ nullum eſſet pretium. Argumentum à Præſtantiſſimo Viro pro hypotheſi ipſius firmanda productum ex collatione locorum 1 *Chron.* XI. 20. & *Sam.* XXIII. 18. adeo nihil habet *ſolidi*, ut id ipſi multo magis adverſetur, quam proſit. Quod in *Samuelis* Libris per לו effertur, id in *Chronicis* ſcribitur per לא. Quid hic latet arcani? *Prior lectio textualis* (quæ certe rurſus nullius eſt ſingularis momenti:) multorum judicio eſt ſincera, & hiſtoriæ, ibi relatæ, conveniens: *poſterior* vero dubia magis & per *marginale* לו emendata. Sed ſit id etiam dubium, *utra* lectionum לא aut לו in his textibus genuina ſit: eo quidem evincetur, *incertam* eſſe *lectionem* duplicis hujus tex-

Non eſt probabile, Moſen tale acumen affectaſſe in præceptis paucis, non magni momenti.

Ad rationes Viri D. reſpondetur.

tus, ſed *arcani* quid ſubeſſe, quis recipiat? De *Abiſai*, fratre *Joabi*, agitur, cui in *uno* loco titulus inter *tres heroes* conceditur, in *altero* negatur. Una eademque hiſtoria eſt, ab *Auctore Chronicorum* ex Libris *Samuelis* transſcripta; cujus proin non poteſt eſſe *duplex* ſenſus. Varia ſcriptio eſt vocularum לא & לו/ quæ contrarias ſententias efficit. Utra præferenda ſit, dubium eſt; nec tamen forte, ſi quis animum advertat, adeo difficile determinatu. Sed ad nos id tantum nunc ſpectat, an ſub hac varietate lectionis myſterium lateat: quod plane negamus, & inde probari poſſe, inficiamur.

Dubium tamen non eſt, quin poſterioribus temporibus ſuperſtitio foverit variantem Scripturam.

IV. Etiamſi vero neque *Moſes*, neque *Prophetæ*, neque ulli alii Sacrorum librorum *Auctores* ſuos ediderint libros *Scriptura variante:* non dubitamus tamen, quin *variantes lectiones* לא & לו in *quibuſdam textibus* inde ortæ ſint, quod Doctores Judæi, quo tempore minimas etiam Verbi Divini minutias ſumma ſuperſtitione ſectari cœperunt, animadverterint, in *quibuſdam locis* utramque *lectionem* לא & לו commodum ſenſum efficere; &, cum *ſonus* enunciationis harum vocularum non differat, ſibi perſuaſerint, utrumque illum ſenſum poſſe intentum eſſe à Spiritu S. ac proin, cum alterum לא in *textu* eſſet ſcriptum, *alterum* לו adſcripſerint margini, & vice verſa, ne hæc obſervatio ſua periret. Hanc, inquam, cenſeo, commodiſſime ſtatui poſſe cauſſam varietatis hujus *ſcriptionis* in quibuſdam locis. Exemplum ſit in verbis Pſ. c. 3. הוא עשנו ולא אנחנו *Ipſe fecit nos, & NON nos.* Sic habet *textualis lectio*, & ſententiam continet, quod ſupra monſtravimus, ſatis efficacem & elegantem. Lege nunc, ſi placet, loco לא cum *Aleph* לו cum *Vau*, & rurſus ſenſum habebis, minime contemnendum. *Ipſe fecit nos, & nos* IPSIUS *ſumus;* hoc eſt, phraſi in Scriptura frequente, ipſius *peculium* & dominium ſumus, ad ipſum pertinemus, ut ad Paſtorem, Dominum, & Regem noſtrum. Quod non ſit inanis noſtra hæc opinatio, conſtare poteſt ex commentariis Interpretum Judæorum, recenſitis in pertractatione verborum *Jeſaiæ* [a]. Ibi enim videbamus, eos omnes fere myſterium aliquod quærere in variatione *hujus lectionis*. Sed quę ſententia quibuſdam ex iis ſedeat, clarius liquere poteſt ex Aben-Eſra ad Exod. XXI. 8. Hæc illius ſunt

Idque evincitur & illuſtratur.

a Cap. IX. 2.

Aben-Ezræ verba animadverſione digna.

ſunt verba : ואמר הגאון כי שני טעמים יש לו כמו הוא עשנו ולא אנחנו הטעם האחר כי אנחנו לא עשינו עצמנו והשני כי לו אנחנו והנכון בעיני כי זה השני הוא האמת לברו וככה בולם אמר רבי יהודה המדקדק אנחנו לא נוכל להפריש במבטא בין לא ב׳אלף ובין לו בו״ו או בה״א כמו הלה היה ברבת בני עמון כל אלה הפסוקים אלף מבפנים ומבחוץ וי״ו כל אלה כדרך קריאת׳ הוא טעמם ידע כי לא לו קרי וכתוב הוא בפני׳ באלף ובחוץ בו״ו *Adverte autem, לא legendum eſſe per לו / ſcriptum quidem in textu cum Aleph, ſed in margine cum Vau. R. Saadja vero ait, hanc lectionis variationem duplicem ſenſum dare textui, quemadmodum fit in verbis*[a]*: Ipſe fecit nos & לא* NON *nos ſive לו* IPSI. *Senſus alter eſt, nos* NON *feciſſe nos ipſos, alter vero, nos* IPSIUS *eſſe. Verum certum apud me eſt, ſenſum hunc ſecundum ſolum verum & genuinum eſſe, atque ita exiſtimo, rem in cæteris omnibus habere. R. Jehuda, Grammaticus, ait, non licet in enunciatione diſcernere inter לא cum Aleph, & inter לו cum Vau, aut cum He, ſicut in loco*[b]*: Nonne eſt* (הלה pro הלא) *Rabbæ, Filiorum Ammon? Omnes autem illi textus, quotquot ſunt, qui domi habent* Aleph, *& foris* Vau, *explicandi ſunt juxta lectionem marginalem, quippe quæ genuinum illorum ſenſum exhibet.* Neque multum ab eo variat, quod legimus in *Michlal Jophi* Com. ad 2 Reg. VIII. 10. אֱמָר לֹא חָיֹה תִחְיֶה כתוב באלף לפי שדעתו שלא יחיה וקרי לו בוו כי אמר שיחיה *Dic* NON an IPSI *vivendo vives. Scriptum eſt cum Aleph, quia mens ipſius fuit, eum non eſſe victurum; ſed legitur cum Vau, quia dixit, eum victurum eſſe.*

Et Michlal Jophi.

Pellicani non diſſimilis ſententia.

Quin & ipſe Pellicanus adeo non alienus eſt ab hac ſententia, ut & ipſe, Judæorum interpretationibus occupatus, iiſque nimium indulgens, fere conceſſerit, non male conveniſſe Prophetis, ut *ambigua ſcriptione* duas diverſaſque res indicarent. Dabimus verba illius ex Com. ad textum *Jeſaiæ: Multiplicaſti Gentem; non magnificaſti lætitiam. Verbum Prophetæ,* ait, *ad Aſſyrium Shennacherib, Multiplicaſti vehementer exercitum tuum, regnum Judaicum oppreſſurus, ſed* NON *magnificaſti lætitiam tuam, qui centum octoginta quinque millibus una nocte occiſis, confuſus & mœſtus aufugiſti, ſtatim à filiis occidendus: nec id ſolum, ſed* EIS *potius, Judæis ſcilicet, auxiſti lætitiam: juxta hebræos לא pro לו exponentes.* SIC ENIM SÆPE PROPHETÆ AMBIGUA SCRIBUNT, ET VOLUNT UTRUMQUE INTELLIGI.

a Pſ. c. 3. b Deut. III. 11.

Diverſæ viæ, quas Intt. Sacrarum Literarum ineunt in exponenda Scriptura S.

V. Ut mores ſunt hominum, eorumque animi plus minuſve ad ſuperſtitionem proclives ſunt, tales ſe produnt & præſtant in exponendo Verbo Divino. Quorum Interpretum indoles eſt ſeverior, illi ſæpe adeo ſunt ſteriles & parci in exponenda Scriptura Sancta, præſertim Prophetica, ut non raro fraudem faciant copioſo & fœcundo ſtylo Spiritus Sancti, ejus dictiones longe infra illarum valorem explicando, atque illi tantum ſenſui, quem prima literæ textus conſideratio legenti ſuggerit, inhærendo: verum qui liberaliore genio & fœcundiore ingenio ſunt, hi ſæpe ab altera parte adeo nullum modum ſervant in abſtruſis quibuſque & paradoxis ſenſibus eliciendis ex Verbo Dei, ut in eo nihil fere legant, quod non mox rapiant ad ſuperſtitionem.

Unde orta hypotheſis de gemino Scripturæ S. ſenſu?

Poſterioris hujus ordinis & ingenii hominum id primum fuit inventum, cujuſque *textus* S. Scripturæ *duplicem eſſe ſenſum*, *literalem* unum & *myſticum* alterum. Ea ſententia primum vulgata fuit apud Judæos, & quia facere videbatur ad laudem & excellentiam Divinæ Legis, de qua illi jure quidem merito alte præſumunt, lubenter accepta eſt. Vide, ſi placet, quid de eo alibi ſcripſerit Cunæus[a]. In Chriſtiana vero Eccleſia cum non minor eſſet veneratio Sacræ Scripturæ, neque deeſſent culti ac feracis ingenii Viri: non eſt quod miremur, communem illam opinionem Judaicam ſuos ibi inveniſſe Patronos. Quid Origenes ſenſerit, omnes ſciunt.

Hieronymi verba hac de re.

De Hieronymo hæc habe ex ejus ad *Hedibiam* Epiſtola[b]: *Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula ſcripturarum eſt. Prima, ut intelligamus eas juxta hiſtoriam. Secunda, juxta tropologiam. Tertia, juxta intelligentiam ſpiritualem. In Hiſtoria, eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſervatur. In Tropologia, de litera ad majora conſurgimus; & quicquid in priore populo carnaliter factum eſt juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumenta convertimus. In ſpirituali θεωρίᾳ ad ſublimiora tranſimus, terrena demittimus, de futurorum beatitudine & cœleſtibus diſputamus: ut præſentis vitæ meditatio umbra futuræ beatitudinis ſit.* Dignum autem notatu eſt, ipſum *Porphyrium*, diſciplinæ Chriſtianæ infeſtiſſimum, jam dudum id commentandi genus in Chriſtianis culpaſſe. Verba ipſius, ex *Libro* III. contra *Chriſtianos*,

a De Reb. Heb. Lib. III. Cap. VIII. b Part. ult. Fol. LIII. Col. 3.

ſtianos, adduxit Euſebius [a]: Τῆς δὲ μοχθηρίας τῶν Ἰουδαϊκῶν γραφῶν οὐκ ἀπόστασιν, λύσιν δέ τινες εὑρεῖν προθυμηθέντες, ἐπ' ἐξηγήσεις ἐτράποντο ἀσυγκλώστους καὶ ἀναρμόστους τοῖς γεγραμμένοις· οὐκ ἀπολογίαν μᾶλλον ὑπὲρ τῶν ὀθνείων, παραδοχὴν δὲ καὶ ἔπαινον τοῖς οἰκείοις φερούσας. αἰνίγματα γὰρ τὰ φανερῶς παρὰ Μωϋσεῖ λεγόμενα εἶναι κομπάσαντες, καὶ ἐπιθειάσαντες ὡς θεσπίσματα πλήρη κρυφίων μυστηρίων, διά τε τοῦ τύφου τὸ κριτικὸν τῆς ψυχῆς καταγοητεύσαντες, ἐπάγουσιν ἐξηγήσεις· *Quidam nequitiæ Judaicarum Scripturarum ſolutionem potius quam deſertionem inveſtigare cupientes, ad expoſitiones quaſdam converſi ſunt male cohærentes, nec Scripturis ipſis ſatis accommodatas: quæ non defenſionem peregrinæ illius ſectæ, ſed potius approbationem & laudem ſuæ ipſorum doctrinæ continerent. Poſtquam enim ea, quæ à Moſe apertiſſime dicta ſunt, figuras quaſdam atque adumbratas imagines eſſe jactarunt, ac veluti oracula, arcanis plena myſteriis, divino quodam cultu proſequuti ſunt, hujuſmodi vanitatis præſtigiis mentis acie quodammodo faſcinata, expoſitiones ſuas deinceps proferunt.* Quod *Porphyrius* his verbis non tantum reſpexerit ad commune illud Religionis Chriſtianæ dogma; *cæremonias Legis continere typos & umbras veritatum Evangelii*, ſed vel maxime ad liberiores Scripturarum *expoſitiones allegoricas*: patet ex ſequenti contextu orationis, in quo producit exemplum interpretamentorum Origenis, ad fidem faciendam dictis.

Porphyrius ad ſtudium Chriſtianorum damnavit.

Verba Euſebii.

VI. Qui vero hujus genii Scripturæ S. Interpretes hoc principium primo admiſerunt, illis facile non fuit in eo ſubſiſtere, & luſibus ingenii ſui certum modum ponere. Ulterius progreſſi ſunt, & quicquid arcanæ & abſtruſæ ſapientiæ ex attentiſſima conſideratione literarum, vocum, phraſium, conſtructionis, quacunque demum arte & induſtria, deducere potuerunt, id omne in uſus & commoda ſua converterunt, & poſteris ſuis per manus & ora commendarunt. Si quis vel *incurioſus* vel *ſuperſtitioſus* ſcriba *literam* pinxiſſet, *magnam* aut *parvam*, ejuſque *figuram invertiſſet*, aut *ſuſpendiſſet*, quod ajunt; ſi *plenam* vocem ſcripſiſſet *defective*, & quæ hujus generis plura ſunt: id, ſi quæ myſtica ratio proferri poſſet excuſandi vitii ſcribæ aut propagandæ ſuperſtitionis Doctoris, qui ejuſmodi quid in ſuo Codice annotaverat, pro *myſterio* habitum agnitumque, ad *marginem* aut *ad calcem* aliorum Codicum annotatum, & non abſque com-

Quod vitium procedente tempore latius ſerpſit.

a Hiſt. Eccleſ. Lib. VI. Cap. XIX.

Superſtitionis hujus argumenta certa in Scriptura textus Hebræi.

mendatione traditum aliis eſt, eoſdem Codices deſcripturis. Multo plura tamen hujus generis (ſi magnam partem *deficientium* & *plenarum* vocum exceperis:) referenda ſunt ad *ſuperſtitionem* Doctorum quam ad *incuriam* notariorum. Quod inde facile liqueat, quod ſcriptionis *majorum*, *minorumve*, *inverſarum* quoque, & *ſuſpenſarum literarum*, nec non *vocum* quarundam *plenarum* & *deficientium*, producere ſoleant *rationes*, ſuæ *ſuperſtitioni* prorſus convenientes, quales in omni loco fingere non potuiſſent, ſi hæc *literarum* aut *vocum* varia ſcriptura ſemper *caſu* facta eſſet per negligentiam librariorum. Specimina rationum, quibus illi ſuas illas variantes ſcripturas literarum *majorum*, *minorum*, *&c.* commendare ſolent, videre licet apud Buxtorfium [a]. Eadem vero *ſuperſtitio*, quę originem dedit opinioni de *duplici* Scripturæ Sacræ *ſenſu*, nec non varianti *literarum* quarundam & *vocum* ſcriptioni; eadem, inquam, ſuperſtitio *curioſos* quoſdam Judæorum *Scribas* eo duxit, ut, cum conſiderarent, *ſonum vocula* לא in quibuſdam S. Scripturæ textibus commodas admittere expoſitiones, ſive vocula LO legatur ut לא cum א ſive ut לו cum ו/ ſibi perſuaſerint, Prophetas per *ſonum* voculæ *lo*, ſive cum *Aleph*, ſive cum *Vau* lectæ, *duos* intendiſſe *ſenſus* diverſos, utroſque tamen textui & analogiæ fidei probe convenientes. Cæterum cum alterutra tantum voculārum, quę *ſonum* LO repræſentant, in ſcriptione textus exprimi poſſet: iidem hi *Scribæ* Judaici, cum *alteram* harum vocularum, (ſive לא ſive לו) textui infererent, *alteram* lectionem ſive ad *marginem*, ſive ad *calcem* Codicis Sacris exhibuerunt, ne hoc *arcanum* periret. Hæc quin vere ſit origo variantium harum lectionum לא & לו in quibuſdam textibus, nullus ambigo. Cum enim inter Interpretes poſteriorum temporum ſive Judæos ſive Chriſtianos non defuerint, qui id neutiquam alienum putarunt à Spiritu S. ut per *ſonum* unius voculæ, quę *varias* interpretationes admittit, *diverſas res* innuat, (ut videre licet in notatis exemplis R. Saadjæ, Pellicani, & Ainſworthi:) nullatenus dubitandum eſt, quin Veteribus Scripturarum Interpretibus, qui *ſuperſtitioni* multo magis dediti fuerunt, quam recentiores, eadem cogitatio ſubrepere potuerit, & quin eadem hæc ſententia

Quod applicatur ad præſens quæſitum.

a Com. Maſoreth. Lib. Cap. XIV. & ſeq.

tia *ſuperſtitioſa* idem in hoc caſu producere potuerit effectum *lectionum variantium*, quod in multis ſimilibus aliis produxit.

VII. Inſtabit tamen, cui hoc acumen *duplicis ſenſus* unius *ſoni* non diſplicet, (quod & ipſe tale eſſe fateor, ut *liberali* Scripturæ *Interpreti* in *Propheticis* Verbi Divini *Pericopis* placere poſſit:) & merito rogabit, an vere cenſeam, ejuſmodi luſum duplicis & diverſæ ſignificationis voculæ לא in uno eodemque textu *Prophetis* ſive *Spiritui S.* qui eorum mentem & calamum *duxit*, non convenire? Quare enim, quando dicitur in Pſ. c. 3. *Ipſe fecit nos &* (LO) NON (IPSI) *nos*; quare, inquam, dicere non licet, Spiritum S. *utrumque* illum *ſenſum*, convenientem utique illi loco, convenientem quoque τῇ ἀναλογίᾳ τῆς πίςεως, per *ſonum* voculæ לא intendiſſe? Quid id obeſt ſapientiæ Sancti Spiritus? Quare qui id dicit & docet, ſuperſtitioſus homo dicendus eſt? Neceſſitas efflagitat, ut animi mei ſententiam de eo planis verbis aperiam.

Movetur dubium, an ejuſmodi luſus in voce לא vel לו non poſſit convenire Scriptori S.?

VIII. Ex animo ſentio, Verbum Dei eo modo ſcriptum eſſe, ut paſſim admittat *largum*, divitem, fœcundum, atque copioſum *ſenſum*. Qui ſerio ad animum revocat, quas & quales ſententias Scriptores Teſtamenti Novi, ad exemplum ipſius Chriſti Domini, eliciant ex ſcriptis Teſtamenti Veteris, is non poteſt (ſic ego mihi prorſus perſuadeo:) hanc hypotheſin repellere. Quis enim dicat, imo quis dicere, quis cogitare ſuſtineat, qui in Chriſtum Dominum credit, eos non eſſe aſſequutos verum ſenſum Scripturæ Veteris Teſtamenti, aut, quod idem eſt, eos ex locis, à ſe allegatis, tales eduxiſſe ſenſus, qui iis *vere* juxta intentionem Spiritus S. non ſubſunt? Et eo tamen venire oportet, etſi multis ſæpe circumloquutionibus utantur, ſuamque opinionem mollioribus verbis explicent, quotquot arbitrantur, Apoſtolos ſe in explicanda Scriptura V. T. accommodaſſe mori ſuæ ætatis, qua allegoricæ Scripturarum expoſitiones in pretio erant, & ſuis probationibus magis alluſiſſe ad verba & ſonum textuum, abſque circumſtantiis ſuis conſideratorum, quam ad genuinum illorum *ſenſum*, quem Prophetæ intenderunt. Inſignis eſt Cunæi ad hanc rem oratio [a]. *Nam qui hæc*, ait, *nihil niſi alluſiones eſſe quaſdam volunt, næ illi haud*

Monetur in anteceſſum, ſenſum Scripturæ S. paſſim eſſe fœcundum.

Cunæi verba de hoc argumento.

a Lib. III. Cap. VIII.

haud intelligunt, ſe nimis frigide excuſare Apoſtolos. Cur enim citant Moſis & Vatum verba? nempe ſi verum amamus ob hanc cauſſam, ut fidem faciant ſuis ſcriptis. At quam fidem facient, ſi mala fide uſurpent auctorum dicta? Denique ſi ſenſum eorum aut torqueant, aut, quod pejus eſt, pervertant? Adde, quod ipſi profitentur plerumque, ſe illos teſtes citare, &, factum eſſe illud, quod illi quondam vaticinati erant. Bene fuerit huic Juriſconſulto, quando hæc verba in chartam conjecit ad erudiendos Theologos. *Commentatoris officium eſt*, (atqui Evangeliſtæ & Apoſtoli vere commentati

Et Hieronymi.

ſunt ad Scripturam Teſtamenti Veteris:) ait Hieronymus, in Apologia pro libris adverſus Jovinianum ad *Pammachium*[a], *non quid ipſe velit, ſed quid ſentiat ille, quem interpretatur, exponere. Alioqui ſi contraria dixerit, non tam interpres erit, quam adverſarius ejus, quem nititur explanare.* Si igitur *Apoſtoli* & *Evangeliſtæ* nobis in ſuis ſcriptis tradiderint verum ſenſum Scripturæ Teſtamenti Veteris: ſatis eſt certum, Scripturam Veteris Teſtamenti in plurimis ſuis pericopis multos comprehendere arcanos ſenſus, qui literarum corticem lambentibus non illico in

Fœcundus Scripturæ S. ſenſus commendat ſapientiam Sp. S.

mentem veniunt. Apoſtoli enim & Evangeliſtæ ejuſmodi ſenſus paſſim ex locis, à ſe productis, educere ſolent. Et, ne quid celem: alte quoque mihi ſedet, Spiritum S. data opera hoc ipſo voluiſſe demonſtrare ſummam ſuam ſapientiam, quod oratio ab ipſo profecta, non tantum ubique divitem & copioſum ſenſum exhibeat, ſed & in multis partibus ejus, literarum velo, ceu carne quadam, tectus ſit *ſpiritus*, hoc eſt, altiſſima fidei myſteria, ab iis tantum perſpecta, quorum ingenium per gratiam Spiritus Sancti ſubactum & perceptioni rerum Divinarum per prolixas meditationes & varias exercitationes accommodatum eſt; ab iis, inquam, quos *Paulus* ait[b], διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχειν πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, *propter habitum ſenſus habere probe exercitos ad diſcretionem boni & mali.* Etenim ſane Verbum Dei eo ſcriptum eſt modo, ut inſerviret æterno Dei conſilio: (dura quidem carni oratio eſt, ſed vera tamen:) ut aliis *tectum*, aliis *apertum*, his *reſeratum*, illis *obſignatum* eſſet. Ὑμῖν δέδοται (ait Dominus Jeſus[c]:) VOBIS DATUM

a Epiſt. Part. II. Fol. 40. col. I. b Heb. VI. 14. c Matth. XIII. II.

TUM EST *noſſe myſteria Regni cœlorum*, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται· ILLIS *vero* NON EST DATUM.

Et tamen hic adhibendum eſt temperamentum.

IX. Atque hæc quidem vere ita habent, meo judicio. Veruntamen, quod nunc porro obſervari velim: quemadmodum *arcani* hujuſce & *ſpiritualis ſenſus* S. Scripturæ inveſtigatio & enarratio plurimum facit ad gloriam Spiritus S. ejusque Sapientiam commendandam; ſic ab altera parte probe tenendum eſt, eſſe huic ſtudio ſuos modos & limites, quos qui transgreditur tantum abeſt ut laudem Divini Verbi promoveat, ut contra eam ipſe obſcuret. Eſt autem illud quam facile, ut Interpres Divini Verbi, his principiis imbutus, hac parte peccet. Ubi enim concitatum ingenium hominis ſemel è carceribus ſolutum & liberis currendi ſpatiis commiſſum eſt, vix amplius eſt in poteſtate ipſius id ita moderari, ut decet, ejusque impetum ſiſtere, ubi oportet. Philo Judæus, ingenio pollens & facundia, qui eo potiſſimum obtentu (ſe teſte,) in varias partes Legis Moſaicæ ἀλληγορικῶς commentatus eſt, ut Divino Verbo majorem conciliaret reverentiam apud Gentes: quantas paſſim venditat nugas, quam ſolutus eſt? quam vagatur? quam ſe ipſum vehementer cruciat & torquet, imo vero multo magis ipſum Dei Verbum? Sic enim exiſtimo, Verbum Divinum eum in modum qui tractant, illud aliorum exponere ludibrio & contemptui. Dantur equidem, meo judicio, interpretamenta myſtica S. Scripturæ bene multa ſana atque conformia veritati & intentioni Spiritus Sancti, quæ ſæpe prudentibus de mundo Viris, Chriſti nomen quoque profeſſis, inepta videbuntur ægri cerebri commenta, & ingenii non ſatis ſibi conſtantis luſiones. Viæ enim Spiritus Sancti multum diſtant à viis hominum; Sapientia cœleſtis plurimum differt à mundana & terreſtri; atque inde facile fieri poteſt, & ſæpe fit, ut qui de hoc mundo homines ingenio, prudentia ſæculari, & aſtutia cæteris ſui ſimilibus in Civitate præſtant, de veris & ſanis ſenſibus Verbi Divini ita judicent, ut pueri de margaritis & cæci de coloribus. *Homo naturalis non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* Judicium hominis naturalis formatur ſecundum *concupiſcentiam*, quę in quoque homine dominatur; ſecundum *præjudicia*, quibus ab infantia imbutus eſt; & ſecundum *conſuetudinem* ſæculi,

Facile hic eſt modum excedere. Philonis Judæi vitium.

Nec tamen hic magna ratio habenda eſt judicii hominum mundanorum.

quo vitam agit. Præterquam vero quod univerſum Dei Verbum oppoſitum eſt *concupiſcentiæ* & *præjudiciis* inde ortis: ad id probe attendendum eſt, majorem partem Librorum *Veteris Teſtamenti* iis vulgatam eſſe *temporibus*, iiſque *locis*, quibus longe aliud genus *ſapientiæ* commendabatur, quam his ſæculis & locis viget; iis quoque traditam eſſe *hominibus*, qui *ingenii* (*temperamenti*, dicunt:) ab *indole* hominum horum temporum & locorum fuerunt diverſiſſimi. Omne Dei Verbum vulgatum eſt in *Oriente*, ubi *parabolæ* & *allegoriæ* ſemper fuerunt in pretio; *magna* Verbi Divini *pars eo* edita eſt *tempore*, quo hoc ſtudium *allegoricæ* & *parabolicæ* ſapientiæ admodum floruit; & quod huc præcipue facit, *Scriptura Sancta* tradita primum eſt hominibus *ingenii valde fertilis* & *fæcundi*, cujusmodi ſolent eſſe *ingenia* populorum Orientalium, qui ut hoc ſapientiæ genus plurimi faciebant, ſic eo ſolo fere delectabantur. Ad hæc *tempora*, *loca*, & *ingenia* hominum Spiritus Sanctus ſuum *ſtylum*, ſuam *phraſes*, ſuas *inſtitutiones*, ſuumque *inſtituendi modum* accommodavit; quod Doctiores paſſim agnoſcunt, ipſum quoque Chriſtum Dominum egiſſe, verſantem in his terris. *Occidentales* & *Septentrionales* populi, in quibus nos ſumus, *ſeverioris* ſunt *indolis*; apud quos proinde alia prorſus eſt loquendi ratio, alius *docendi* modus; *Parabolæ* & *allegoriæ* in uſu ſunt rariſſimo: hoc vero maxime amant, ut quæque res claris, planis, & perſpicuis verbis, abſque circuitionibus & ambagibus, proponatur; ſecus ac Orientales. Quæ qui diligenter conſiderat, is non mirabitur, ſæpe eſſe, ut *prudentibus* horum *temporum* & *locorum* Viris, quorum captus per gratiam Spiritus S. & exercitationem alicujus temporis non eſt correctus & aptatus ad *ſtylum* & *doctrinam* Sp. S. diſpliceant interpretationes myſticæ ſanæ, rectæ, & tam fidei noſtræ quam intentioni Spiritus Sancti vere conformes. Hæc quidem vera eſſe teneo. Semper tamen, ut dixi, ſervandus eſt modus, quem Philo Judæus, quem Origenes, aliique paſſim longe exceſſerunt. ſemper procedendum eſt caute, & opera danda eſt quam diligentiſſima illis, qui hoc ſtudio delectantur, ut ſuas interpretationes myſticas loquido probent ad conſcientiam cujusque non liberalis tantum ſed moroſi quoque Cultoris veritatis: quod ſi præſtare non

Ingenium Populorum Orientalium diverſum eſt ab ingenio hominum plagæ aquilonaris.

non queant, ſatius eſt, in hoc genere rerum *parcum* eſſe quam *nimium*.

Preſſius reſpondetur ad dubium propoſitum, & α Improbatur hypotheſis de duplice ſenſu Scripturæ S. ubique quærendo.

X. Hæc paulo prolixius præfati, quæ, etiamſi nos parum à via avocaverint, tamen hoc potius loco quam quovis alio dicere voluimus, nunc mentem noſtram perſpicue declarabimus: 1. Non placere nobis *hypotheſin* de *duplici ſenſu* Scripturæ Sanctæ, ubique à *Spiritu S.* intento, &, ut noſtra opinio eſt, modum excedere, qui eam urgent, ſive *Judæi* illi ſint, ſive *Chriſtiani*. Neque enim ullus illam hypotheſin exequi & tueri poteſt abſque argutiis ineptis & fictionibus ridiculis. Sed de eo nunc prolixe diſſerendi nulla commoda occaſio eſt. 2. Nobis non videri, id commendare *Sapientiam Spiritus S.* quod per *ſonum* unius *voculæ*, diverſimode ſcriptæ, *varias res* innueret. Nimis argutos arbitramur & ſuperſtitioſos, non modo qui hanc luſionem Spiritui S. convenire poſſe exiſtimant in *Hiſtoriis* & *Præceptis*, (quod Ainſworthus:) ſed & in *Prophetiis* aut *Dogmatis*. Fateor ſane, in *Dogmatis*, magis tamen adhuc in *Prophetiis*, concedi poſſe Scriptoribus S. majorem *luſum*, † quam in *Hiſtoriis* aut *Præceptis*. Hunc tamen, de quo nos nunc verba facimus, ne in *Prophetiis* quidem ipſis concedimus; tum quia id repugnat *gravitati* orationis Sacrorum Scriptorum, ut ex ejusmodi aliqua luſione captare voluiſſent laudem *acuminis*, ut videtur; tum vel maxime, quia oratio ipſa Spiritus Sancti per hunc *ſenſum duplicem*, qui exſurgit ex *varia lectione* vocularum לא & לו / incerta & inconſtans redditur. *Duo* enim *illi ſenſus*, qui ex varia lectione vocularum לא & לו oriuntur, duas quidem exhibere poſſent *ſententias veras* & minime contemnendi ſenſus: ſed quæ tamen

β. Non videri Sp. S. acumen captare voluiſſe in ſono unius voculæ.

Quæ ſententia declaratur.

 una

† Gentiles ſæpe omina, ſive ſigna rerum futurarum, quæ ipſis à Deo obtingebant, *contrario modo* interpretati ſunt, & contraria innuere poſſe crediderunt: cujus rei exemplum eſt elegans apud Virgilium, *Æneid.* Lib. III. vſ. 540. Æneas & ſocii, cum naves ſuas primo ad oram Italiæ appellerent, videbant *quatuor nivei coloris equos, campum late tondentes*, quod *omen* Anchyſes Pater tam de *Pace* quam de *Bello* interpretatus eſt.

Et Pater Anchyſes, bellum, ô terra hoſpita portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & frena jugo concordia ferre.

una aliqua oratione commode non exhibentur, quia nihil commercii invicem habent, ſive, non *conveniunt in tertio*, ut ajunt, & ſub una aliqua communi cogitatione menti non poſſunt repræſentari. Utique enim, qui hanc veritatem animo ſuo complectitur; *Nos non feciſſe nosipſos:* is prorſus aliud mente percipit, quam hæc ferunt verba; *Nos Dei peculium eſſe.* Duæ illę ſententię; *Hominem*, à Deo per gratiam regenitum, *ſe ipſum non feciſſe*, & *eundem eſſe peculium Dei*; nihil inter ſe commercii habent, nec facile ad *communem* quandam *perceptionem* referri poterunt. quod tamen hic vel maxime requiritur. Sic ex. gr. ubi *Jeſaias* ait[a]; Omnis caro eſt gramen; licet ibi per *carnem* varias *res* intelligere, ab ipſo Spiritu S. ſi non fallimur, intentas. Poteſt ibi per carnem intelligi quicquid in humanis, & tota rerum natura, imbecillum, fragile, & ſolubile eſt. Licet amplius per *carnem* ibi intelligere *hominem*, eundemque *corruptum*, carni inſervientem & concupiſcentiæ. Licet præterea *carnis* nomine complecti omnem *externum* Religionis Judaicæ *apparatum*; *omnes* Judæorum *prærogativas*, quibus *gloriabantur*; varias eaſdem & diverſas. Hæc omnia tamen, ut ut in ſe ſpectata naturæ ſint diverſiſſimæ, ſub communi cogitatione *carnis* menti occurrunt, quod mens in ſingulis perſpiciat *attributa carnis:* quæ cum his rebus ſint communia, omnes illæ res inter ſe cenſentur aliquod habere commercii, & conceptus unius alterius quaſi conceptum involvere. Secus vero ſe res habet in eo ſpecimine interpretamenti, quod profertur ad locum Pſ. c. 3. Duæ illæ ſententiæ; *Nos non fecimus nos ipſos*, &; *Nos ſumus Dei peculium*; nihil in perceptione noſtra inter ſe commercii habent. Altera alteram non includit. Altera occaſionem non dat de altera cogitandi. *Veræ* equidem ſunt, ſed nullo vinculo inter ſe *connexæ*. Quare non poſſunt etiam, noſtro judicio, ſub una eademque verborum ſententia latere, & ſive per *voces* eaſdem ſive per *ſonum* earundem *vocum* commode indicari, niſi *ambigua* & *incerta* reddatur *oratio* Spiritus S. quod nobis quidem non videtur poſſe conciliari cum *ſapientia* ejuſdem *Spiritus*, quippe à qua non *dubiam*, ambiguam, & incertam, ſed *certam*, conſtantem, eandemque bene connexam *orationem* merito exſpectes. Atque hæc nobis ratio

In duplice ſenſu requiritur conjunctio thematum.

Exemplum ex Jeſ. XL. 3.

Quod non convenit loco Pſ. c. 3.

a Cap. XI. 5.

ratio eſt, cur *varietatem illam lectionum* לא & לו in quibusdam *locis* non ipſis *Prophetis*, ſuorum Librorum Scriptoribus, ſed *acumini* antiquorum quorundam S. Scripturæ *Interpretum*, animadvertentium, voculam לא ratione *ſoni* ſui in iis *locis* nullo incommodo, quin contra ſpecioſa luſione, duplicem ſignificationem ferre poſſe, aſſignemus.

Altera cauſſa petitur ab incuria Librariorum.

XI. Præter hanc *primam*, quam à SUPERSTITIONE petii, *cauſſam variantium lectionum* לא & לו/ *ſecundum* dabo INCURIAM & NEGLIGENTIAM *Librariorum*, qui *Codicibus Sacris* deſcribendis adhibiti ſunt. A. Gellius [a]: *Si quis agrum ſuum paſſus fuerat ſordeſcere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat, neque purgaverat; ſive quis arborem ſuam vineamque habuerat derelictui; non id olim ſine pœna fuiſſe: Item, ſi quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum viſus erat*, IMPOLITIÆ *notatum fuiſſe, quod idem eſſe* ait, *ac ſi tu dicas, incuriæ*. Certe ſi ſimilis pœna olim ſtatuta fuiſſet Librariis, qui Codici Sanctæ Scripturæ deſcribendo operam dederunt, multi merito in eam incurriſſent. Utique ſi vel ſolam conſideremus verſionem *Septuaginta Interpretum*, qui dicuntur: non licet dubitare, quin plurimi Codices Sacrorum librorum circa id tempus *incurioſe* admodum deſcripti ſint. Permulta enim illorum Interpretum errata ad varietatem lectionis Codicis, quo uſi ſunt, referenda eſſe, quam clariſſimum eſt, & jam dudum à Viris Doctis certiſſimis evictum argumentis. In ipſa *terra Canaan*, præſertim *Hieroſolymis*, majorem haud dubie huic rei admoverunt curam poſt tempora *Eſræ*, ſed magis, ut ego exiſtimo, poſt vindicatam ab *Antiocho* ejuſque Succeſſoribus libertatem Reipublicæ, quando ſecta *Phariſæorum*, Interpretum ac Vindicum Divinæ legis, nata eſt, & Philoſophiæ atque literarum ſtudia apud eam Gentem coli & florere inceperunt. Tum vero accuratius & diligentius multo attenderunt ad *veram* Codicum *lectionem*, ejuſque *lectionis* in aliis Codicibus *varietatem*; tum ipſos etiam illos Codices Sacrorum librorum diligentiore manu exararunt; eos inprimis, ex quibus *Lex Moſaica* in *Synagogis* prælecta eſt. Imo vero ab eo tempore varias excogitarunt & ſanciverunt *Leges*, quas in deſcribendis *Codicibus Sacris* (iis præſertim, quorum in *Synagoga* uſus eſt:) obſer-

A. Gellii verba in rem notabilia.

Incuriam illam ſæpe maximam fuiſſe, oſtenditur.

Quando Judæi hic adhibere cœperint majorem accurationem?

a Not. Attic. Lib. IV. Cap. XII.

obſervari voluerunt; multa præcepta, quibus *notarium* quemque, huic operæ deditum, adſtrinxerunt; & univerſam hanc rem tam circumſpecte, tam anxie; imo vero tam ſuperſtitioſe curarunt, ut humana providentia ulterius ire nequeat.

Canones in Scriptura S. deſcribenda obſervandi, in Cod. *Sopherim* & Maimonide.

Extant vero hi Canones, cum cura collecti, in Tractatu *Sopherim*, & repetiti, atque expoſiti à Maimonide in *Hilchoth Tephillin*, *&c.* In *Capite decimo*, quod hujus *Tractatus* eſt *ultimum*, proponit Maimonides *viginti conditiones*, quarum ſi in *Libro* Sacro Divinæ Legis, *publice* (ברבים) *legendo*, una abeſſet, ea ſane eum ipſum Codicem פסול *profanum* reddebat, & publicis uſibus ineptum. Inter eas vero *conditiones* hæc eſt *undecima*; שכתב האזכרות בלא

Ejus verba.

כוונה *Si* NOMINA DIVINA *ſcripta eſſent abſque intentione.* Quænam vero hæc *intentio* ſit, id fuſius in hunc modum à Maimonide ediſſeritur[a]: הכותב ספר תורה או תפילין או מזוזה ובשעת כתיבה לא היתה לו כונה וכתב אזכרה מן האזכרות שבהן שלא לשמן פסולין לפיכך הכותב את השם אפילו מלך ישראל שואל בשלומו לא ישיבנו היה כותב שני ושלשה שמות הרי זה מפסיק ביניהם ומשיב *Qui operam dat ſcribendo Libro Legis, Phylacteriis, aut ſchedis, poſtibus affigendis, & qui tempore ſcriptionis illi rei non fuit intentus, & nomen aliquod Divinum, quod in iis obvium eſt, ſcripſit, non inductus ſingulari ſtudio ſanctitatis illorum nominum, eorumque gloriæ intentus: profana cenſentur. Quapropter qui Tetragrammaton exarat, etiamſi Rex aliquis Iſraëlis ipſius roget ſalutem, abſtinebit reſponſo. Si vero duo aut tria Nomina Divina ſcribat, unius aut alterius ſcriptione abſoluta pauſam faciet, & reſpondebit roganti. Duodecima* Maimonidis nota, per quam *Codicem Divinæ Legis*, in Synagogis legendum, *profanari*, ſcribit, eſt, שחסר אפילו אות אחד *Si vel una deeſſet litera*, vel *una* etiam הוסיף *redundaret*, quę *tertia decima conditio* eſt. *quarta decima* cautio eſt, שנגעה אות באות *Si litera una alteri adhæreret.*

Docti Viri laudati, qui de hac re egerunt.

Cætera leges, ſi placet, in *Obſervationibus* Doctiſſimi Viri Joſephi de Voyſin, *ad Proœmium Pugionis Fidei* Raymundi. Quid videtur? Certe, ſi Judæi tam ſe præſtent exactos & diligentes in his legibus obſervandis quam cauti fuerunt in componendis, dubium non eſt, quin Chriſtianis palmam præripiant. Id ſaltem huic illorum induſtriæ & providentiæ, magis tamen Divinæ, debemus, quod nobis hodieque Codicem hebræum Veteris Teſtamenti

a Cap. 1. §. 19.

menti (quem cum ſoli longo tempore poſt Chriſtum natum fere in manibus habuerint, corrumpere potuiſſent, ſi id ſuis rebus convenire exiſtimaſſent:) ſic liceat legere, ut vera illius lectio, adhibitis adminiculis neceſſariis, nos in præcipuis fidei capitibus, & paſſim alias, vix unquam fugiat.

XII. Verum cum nulla prudentia aut induſtria hominum futura, quę incerta & noſtri arbitrii non ſunt, ſic poſſit providere, ut varii atque varii caſus eorum conſilia & rationes non facile turbent: ſic certe hac ipſa Judæorum cura non potuit præcaveri, ne quę ſequenti tempore in ſcriptione & lectione Codicis ſacri variatio accideret. Sæpe evenit, ut Judæi locis, in quibus florebant, expulſi novas ſibi ſedes eligere coacti ſint. Ubi cum ſtata ſacra ***lectionis legis*** & ***Prophetarum*** non cenſerent intermittenda eſſe, & non adeſſent ***Codices***, in uſum *Synagogæ* exarati, (quod non raro factum eſſe, perquam probabile eſt:) *Codices* privatorum hominum, vulgo minus curate conſcriptos, neceſſe habuerunt applicare ad uſus *Synagogæ*, qui rurſus ab aliis, inopia exemplarium aliorum, deſcripti ſucceſſu temporis ſibi fidem atque auctoritatem aliquam acquiſiverunt. Eorum vero *lectio* deinceps cum ea aliorum Codicum à Criticis Hebræis ***collata*** anſam dedit ***novis*** lectionum ***varietatibus*** annotandis, quę in ***Codicibus priorum temporum*** recenſitæ non fuerant. Præter hæc, etiamſi Judæi Doctores ſatis fuerint cauti in præſcribendis Legibus, quis credat, eas à Librariis ſemper adeo ſolicite eſſe obſervatas? Imo vero ſatis certum eſt, ***infidelium aut incurioſorum*** ſcribarum ſive apud Gentiles ſive apud Chriſtianos ſive etiam apud *Judæos* magnam omni tempore fuiſſe copiam, & *Codices* cujuscunque generis bene ſcriptos correctosque raros fuiſſe ac multi pretii. Communi illa ſcribarum incuria factum, ut ſæpe qui Libros in vulgus edebant eos graviter & ſerio obteſtati ſint, ne ſua vel negligentia vel malitia veram Librorum lectionem inverterent. Exemplum ejuſmodi obteſtationis nunc unicum, ſed præ cæteris notabile, dabo ex illa ſatis famoſa Præſatione Ruffini in *Libros* Origenis περὶ ἀρχῶν, quę eſt in *Epiſtolis* Hieronymi[a]: *Illud ſane*, ait, *omnem, qui hos libros vel deſcripturus eſt, vel lecturus, in conſpectu Dei Patris, & Filii, &*

Sp.

Nec tamen hæ Leges ſemper tam ſtudioſe obſervatæ,

Quod oſtenditur.

Inde Veteres ſæpe Librarios obteſtati ſunt, & adjurarunt,

Formula ejus ex Hieronymo.

a Tom. II. Fol. LXVIII. col. I.

Sp. Sancti conteſtor, atque convenio per futuri regni fidem, per reſurrectionis ex mortuis ſacramentum, per illum qui præparatus eſt diabolo & angelis ſuis æternum ignem, ſi non illum locum æterna hæreditate poſſideat, ubi eſt fletus & ſtridor dentium, & ubi ignis eorum non extinguetur & vermis non morietur: ne quis addat aliquid huic ſcripturæ, ne auferat, ne inferat, ne immutet, ſed conferat cum exemplaribus, unde ſcripſerit, & emendet ad literam, & diſtinguat, & inemendatum vel non diſtinctum codicem non habeat, ne ſenſuum difficultas, ſi diſtinctus codex non ſit, majores obſcuritates legentibus generet. Verum, quod nunc magis ad nos pertinet: *Codices*, bene deſcriptos & curate diſtinctos, *raros* fuiſſe apud Judæos, longe poſt quam univerſa ſcribendorum Codicum ratio Legibus, in Tractatu *Sopherim* congeſtis, præfinita eſt: id vel liquere poteſt ex verbis Maimonidis, in eodem *Libro* [a], cujus modo injiciebamus mentionem. Verba illius hæc ſunt:

Boni & probi emendati Codices rari olim apud Judæos.

Verba Maimonidis.

ולפי שראיתי שיבוש גדול בכל הספרים שראיתי בדברים אלו וכן בעלי המסורת שכותבין ומחברין להודיע הפתוחות והסתומות נחלקו בדברים אלו במחלוקת הספרים שסומכין עליהם ראיתי לכתוב הנה כל פרשיות התורה הסתומות והפתוחות וצורת השירות כדי לתקן עליהם כל הספרים ולהגיה מהם וספר שסמכנו עליו בדברים אלו הוא הספר הידוע במצרים שהוא כולל ארבעה ועשרים ספרים שהיה בירושלם מכמה שנים להגיה ממנו הספרים ועליו היו הכל סומכין לפי שהגיהו בן אשר ודקדק בו שנים הרבה והגיהו פעמים רבות שהעתיקו ועליו סמכתי בספר התורה שכתבתי כהלכתו *Quandoquidem vero magnam in hiſce* (egerat de *Sectionibus clauſis* & *apertis*:) *confuſionem eſſe animadverti in omnibus, quos vidi, libris, atque ipſi etiam Maſorethæ, qui operam ſuam in eo collocant, ut indicent apertos clauſoſque textus, hic diſſentiunt pro diſſenſu Codicum, quorum auctoritate nituntur: conſultum duxi huc tranſcribere omnes textus Divinæ Legis clauſos atque apertos, ſimul cum ordine Canticorum, ut ad hoc exemplum omnes Libri componi & corrigi poſſint. Codex autem, cui in his rebus confiſi ſumus, eſt Codex ille Divini Verbi, valde celebris in Ægypto, comprehendens omnes Viginti & quatuor Libros,* (Bibliorum) *qui à pluribus annis fuit* (vel *fuerat*) *Hieroſolymis, ut ex eo Libri Scripturæ Divinæ emendarentur. Illius vero Libri auctoritatem omnes agnoſcebant, eo quod Ben Aſcher eum correxiſſet, eumque per multos annos recenſuiſſet, & variis vicibus emen-*

a Cap. VIII. §. IV.

mendaſſet, prout eum deſcripſit (ſive *deſcripſerunt:*) *atque illi Codici & ego innixus ſum in Libro Legis, quem juxta illius normam deſcripſi.* Inter Auctores varios, qui verba Maimonides ultima, quę de celebri illo Codice *Ben Aſcher* agunt, enotarunt, omiſerunt illa ultimæ *Pericopæ*; כמו שהעתיקו; Schickardus [a] & Waltonus [b]. haud dubie, quia quodammodo ſunt obſcura. Hottingerus ea vertit [c]: *cum eum tranſtulit.* Cappellus [d]; *prout ex eo deſcribebant.* Cæterum etiamſi Maimonides in hoc loco potiſſimum agat de *textibus clauſis* & *apertis*, in quorum ſcriptione maximam ait fuiſſe diſcrepantiam, in omnibus, quos viderat, Codicibus: quis tamen non ſentit, illum ſimul univerſo hoc diſcurſu ſupponere, Codices, probe exaratos, ſuo tempore fuiſſe rariſſimos? Qui enim hunc Codicem *Ben Aſcher* conſulebant, & ex eo ſuos Codices *emendabant*, illi cenſendi ſunt non tantum textuum *clauſorum* & *apertorum*, ſed univerſæ quoque ſcripturæ hujus Codicis rationem habuiſſe, & ſcripturam ſuorum Codicum illi conformaſſe. Quin quod Maimonides aſſerit, ipſum illum *Ben Aſcher* hunc Librum ſæpius *emendaſſe:* quis non ex eo intelligit, in præſtantiſſimis quoque illius ævi Codicibus mendas fuiſſe repertas non infrequentes? Non ignoro equidem, curam celebrium Criticorum *Ben Aſcher* & *Ben Naphtali* potiſſimum verſatam eſſe circa *puncta vocalia* & *accentus*, quorum in Libris Synagogæ publicis nullus eſt uſus: verba tamen Maimonidis adeo ſunt generalia, ut ea non tantum de textibus *clauſis* & *apertis*, vel etiam ſolummodo de *punctis vocalibus* & *accentibus*, verum de *univerſa Scriptura Codicis Biblici* commode intelligantur. Imo ad id quoque velim animum adverti, quam facile evenire potuerit, ut *menda* unius Codicis ad alios Codices quam plurimos tranſierint, cum Judæi multorum locorum & ætatum ſæpe ſoliti fuerint (quod certe ex hoc loco liquidum eſt:) ſuos Libros Biblicos emendare ad exemplar ſcriptionis unius *Codicis Biblici*, quem alicujus celebris ſuæ ſectæ Doctoris manibus tritum eſſe ſciverint.

Obſervata Doctorum Virorum ad ultimam eorum pericopam.

Codex Ben-Aſcher celebris apud Judæos.

Animadverſio in eam rem.

XIII. Huic vero incuriæ Librariorum ut bene multæ *variantes*

Obſervatio applicatur ad

a Jur. Reg. Cap. II. Theor. v. §. IV. b Proleg. ſive *Apparat. Bibl.* Cap. IV. §. XI. c Theſ. Phil. Lib. I. Cap. II. Sect. IV. §. II. d Crit. Sacr. Lib. III. Cap. XIX.

riantes lectiones poſteriorum temporum originem ſuam debent, ſic pariter non abſurdum videbatur, illi, ut cauſſæ, adſcribere eam *variationem lectionum* לו & לא / quæ præter *quindecim textus*, in *Maſora* cenſos, in his aut illis rarioribus locis S. Scripturæ occurebant. Si enim *Maſoræ* auctores in Codicibus ſui temporis plures variantes lectiones hujus generis obſervaſſent; utique ſane eas annotaſſent. Quin eidem huic notariorum incuriæ, ut cauſſæ, aſſignabam, quod in Codicibus S. Scripturæ variarum *Editionum* (qui ad manuſcriptorum fidem expreſſi feruntur:) *plures pancioresque variantes lectiones* לא & לו reperiantur: quod ſane factum non fuiſſet, ſi Codices omnes S. Scripturæ pari fide aut diligentia fuiſſent exarati. Poſterior vero hæc noſtra obſervatio quominus ſtet, nihil omnino cauſſæ video. Sed circa priorem mihi ipſi mox oriebatur notabilis difficultas. Inter *quindecim* enim *textus*, in *Maſora* cenſos, non apparet locus Jeſaiæ cap. XLIX. 5. ישראל לא יאסף / quem tamen jam antiquis temporibus *varie* lectum eſſe, ex collatis interpretationibus τῶν LXX. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quorum illi hæc verba *thetice*, hi *negative* reddiderunt, colligere eſt. Imo vero quando nunc Morinum revolvo eo conſilio, ut ipſius ſententiam de Tractatu *Sopherim* repeterem, de quo illum ſcribere memineram: meo commodo video, *hos textus variantium lectionum* לא & לו / jam in ipſo hoc Tractatu *Sopherim* collectos recenſitosque eſſe, & quod digniſſimum obſervatione eſt & quod ego magnopere miratus ſum, *plenius perfectiusque* (modo in hoc Codice *Sopherim* nihil à Judæis poſteriorum temporum mutatum ſit:) quam in *Fragmentis Maſoræ*, à R. *Jacobo Ben Chajim* concinnatis. Nam in Codice *Sopherim* præter *quindecim* illa *loca* celebria, ante recenſita, *duo* vel *tria* (quæ mox videbimus:) alia *loca* notantur, & inter ea ipſe ille locus Jeſ. XLIX. 5. in *recenſione Maſoræ* præteritus. Quoniam vero hic Tractatus *Sopherim* ſpectatæ eſt antiquitatis, quippe qui *Talmudicis Codicibus* annectitur, licet iis ſit recentior: hinc ſi genuina ſit hodierna illius Codicis lectio, certo colligas, has lectiones voculæ לא fere ad unum omnes *antiquas* admodum eſſe (quod de maxima earum parte mihi jam ante perſuaſum probatumque erat:) ac proin, ſi quæ inter eas ſint, quæ ſuam originem habent ab incuria librario-

præſens dubium expediendum.

Ratio inde redditur, cur numerus variantium lectionum differat?

Admonitio de Cod. *Sopherim*.

brariorum, eas ad *incuriam veterum*, non recentiorum, *ſcribarum* deferendas eſſe. Verum ut clarius lectori de re univerſa conſtet: ipſa verba *Codicis Sopherim* producam, & quid Doctiſſimus Morinus ad ea obſervaverit, adſcribam.

Exceptum ex Cod. *Sopherim* illuſtratum poſt curas Morini.

XIV. In Codice *Sopherim* hæc leguntur cap. VI. §. V. שלשה לא כותבי' בלמד אלף וקוראים בלמד ויו ואלו הן אשר לא כרעים ממעל לרגליו אשר לא חומה אשר לא יגיד *Tria* לא *ſcribuntur cum* Lamed Aleph, *&* *legenda ſunt cum Lamed Vau: Lev.* XI. 21. XXI. 30. *Exod.* XXI. 1. Liquet eas tantum variantes lectiones hic tangi, quę in *Pentateucho* extant. Joannes Morinus, Doctiſſimus Vir, idemque laude omni digniſſimus, ſi tantum ingenii & laboris impendiſſet probandæ quantum refellendæ certitudini Lectionis Codicis Hebræi, hæc verba referens [a], hæſit in ultimis vocibus אשר לא יגיד / & dubius fuit, cui textui eas applicaret. *Tertiam notam*, ait, *reperire non potui. Tres ejuſmodi varias lectiones notat Maſora textualis ad* cap. XI. *Levit.* 21. *Sed primam ad Exod.* XXI. 8. *cui nota illa Tractatus convenire non poteſt. Itaque aut verba illa* אשר לא יגיד / *non ſunt amplius in Lege, aut ſi alicubi ſunt, quarta eſt in Lege ejuſmodi variatio.* Verum ego nullatenus dubito, quin vocabulum יגיד hic *depravate* ſcriptum ſit pro יעדה / atque adeo quin hæc ipſa verba אשר לא יגיד eadem ſint cum *Moſaicis*; אשר לא יעדה Exod. XXI. 8. Sequuntur §. VI. textus notati ex *Prophetis* & *Hagiographis*: ואלו הן של נביאים ושל כתובים תרבו חושי אמר לו הרבית צרתם יקטלני אחריש כצפור מרע' ורוכבל יוצרו דעו יאסוף שם ורברו *Iſta autem ſunt, quæ reperiuntur in Prophetis & Hagiographis.* 1 *Sam.* 11. 3. 2 *Sam.* XVI. 18. 2 *Reg.* VIII. 10. *Jeſ.* IX. 3. LXIII. 9. *Job.* XIII. 15. XLI. 3. *Proverb.* XXΔI. 3. XIX. 7. *Eſd.* IV. 2. *Pſ.* CXXXIX. 19. C. 3. *Jeſ.* XLIX. 5. 1 *Par.* XI. 20. *Job.* XXXII. 16. Recenſuit hæc loca Morinus, ſed addit: *Nec omnino certus ſum, poſtremum locum haberi* Job. XXXII. 16. *Non enim ibi ſcribitur* ורכתו / ſed ירכתו. Neque ego reſpici putem ad locum Job. XXXII. 16. quippe in quo variæ lectionis nullus eſt uſus, ſed potius exiſtimo, vocabulum חרבתו ex 1 Sam. 11. 3. ad *marginem* à *librario* adſcriptum eſſe (ſive quod non attenderit, illum locum jam eſſe cenſum ſub voce תרבו / ſive quod paulo accuratius eundem locum voluerit indicare:) atque ita irrepſiſſe in contextum. Sane *criticus illas ob-*

Eeeee 2 ſer-

a Exercit. Biblic. Lib. II. Exerc. XXII. Cap. VII.

Mendæ in hoc Libro, vitio Librariorum.

ſervationes lectionum variantium in hoc *Tractatu Sopherim* admodum confuſe & depravate ſcriptas eſſe, manifeſtiſſimum eſt ex variis ſpeciminibus, à Morino relatis[a]. Quod cum mecum conſiderarem diligentius, fere erat, ut mihi perſuaderem, ultima loca, *Jeſ.* XLIX. 5. 1 *Par.* XI. 20. & ipſa à *Librario* quodam *Critico* margini adſcripta aut textui Codicis, quem deſcribebat, inſerta eſſe. quæ mea ſuſpicio eo fovetur, quod hic locus *Jeſaiæ* à cæteris textibus, qui ex *Jeſaia* citati ſunt, avulſus demum appareat in fine. Quod tamen ipſe novi hujus ſuſpicionis *probabile*, non *certum* argumentum eſſe, quia *textuum* recenſio in hoc *Tractatu*, ſive Auctoris ſive librariorum vitio, multis locis valde turbata eſt. Sed imprimis videri poſſet huc facere, quod exputatu facile non ſit, quo pacto evenire potuerit, ut in *Monumentis Maſoræ*, (quorum primum eſt, ſi non fallor, hic ipſe Tractatus *Sopherim*; niſi quod in *Talmude variarum lectionum* hic illic mentio ſit:) quæ à *R. Ben Chajim* compilata *ſunt*, *minora numero loca* recenſita ſint, quam in hoc *Tractatu Sopherim*. Ejus, inquam, rei ratio haud facile indagatur, ſi ſupponas, *omnia* hæc *loca* jam olim in Codice *Sopherim* ab illius Auctore fuiſſe perſcripta. Id certe abunde liquet, *lectiones has variantes*, maximam partem, valde eſſe antiquas, & ſi quæ earum ad *incuriam ſcribarum* referendæ ſunt, ut videtur: negligentiam *veterum* hic magis eſſe culpandam quam *recentiorum*.

Altera ratio variantium lectionum לו & לא petitur à ſimilitudine ſoni harum vocularum.

XV. Huic vero *incuriæ* ſcriptionis anſam dedit *idem ſonus enunciationis vocularum* לא & לו. Librarius ſcilicet, non adeo attentus, in textu legens לו/ illud, oculis à textu averſis, expreſſit per לא/ & vice verſa; non *literarum* adeo quam *ſoni lectionis* textus reſervata memoria. Nihil hic novi dico. Cappellus enim in ſua *Critica*[b] plura *variantium lectionum* exempla adfert, quæ ex *affini* vel *ſimili ſono* originem ſuam petunt. Imo vero ex his ipſis ſpeciminibus *variarum lectionum*, quæ ex ſimilitudine *enunciationis* literarum aut vocum natæ ſunt, forte quis non immerito conjiciat, notarios aliquando *ſacrum textum*, *ore* ſibi *dictatum*, *oculis* vero ſuis *non inſpectum*, excepiſſe calamo. Utique id ſi ſupponamus: facile videbimus, qui factum fuerit, ut in quibusdam *locis* לו *ſcriptum* fuerit לא. Cum enim textus

a Cap. VIII. & ſeq. b Lib. I. Cap. XXVI. & XXVIII.

tus occurrerint, ex quorum lectorum ſono non facile diſtinguas, utrum in iis לא an לו ſcriptum ſit: fieri ſane potuit quam facillime, ut librarius ſonum, à ſe exceptum, perverſe exprimeret.

Tertia, à Critica Veterum.

XVI. *Tertiam rationem variantis Scripturæ* voculæ לא *petam* à κρίσει, ſive à *ſtudio emendandi* & emendatam conſervandi *Scripturam* Codicis Veteris Teſtamenti, quod à Doctoribus quibusdam Hebræis frequenter exercitum, & cum ingenti eorum laude exultum eſt. Viſum forte eſt *Grammatico Judæo*, id quod viſum eſt Doctiſſimo de Dieu *Annot.* ad *Jeſ.* IX. 2. *conſtructionem* voculæ לו / præpoſitæ *verbo regenti*, duriorem eſſe, & quodammodo recedere à *genio Linguæ:* quod eatenus verum eſt, ut lubentes fateamur, *conſtructionem* oppoſitam longe eſſe communiorem. Hac inductus ratione, inquam, doctus aliquis *Ariſtarchus* Hebræus ſibi tantum potuit ſumere, ut in paucis quibusdam *textibus* voculæ לו τὴν לא ſubſtituerit ad *marginem ſui Codicis*, quam animadvertit non abſurdum, ſuo judicio, in iis ſenſum producere. quæ *marginalis lectio* deinceps, ut fit, irrepſit in *textum*, ab aliis deinde nova rurſus κρίσει interpoſita emendanda.

Quarta, fieri potuiſſe, ut in quibuſdam textibus altera vocularum exciderit.

Locus 2 Sam. XVI. 18.

XVII. *Quarto* & *ultimo* loco obſervem, forte fieri potuiſſe, ut in quibusdam textibus *altera vocularum* לא aut לו / ſibi junctarum, exciderit, ſive *incuria Librariorum*, ſive quod *ſignificationem* alterius alteri, ſuperſtitione quadam, voluerint includere. Sic, exempli cauſſa, in *poſteriore Libro Samuelis* cap. XVI. 18. verba *Huſchai* ad *Abſalomum* hæc referuntur: *Non: ſed quem eligit Dominus, & hic populus, & omnes Iſraëlitæ,* לא אהיה IPSI (NON) *ero*, & *cum ipſo manebo.* Finge ſcriptum fuiſſe: לא לו אהיה *an non ipſius ero?* Oratio enim *Huſchai* continuatur per *interrogationem in verſu ſequente: Et ſecundo, cui ſervirem,* הלא לפני בנו *nonne filio ejus?* Fatendum tamen eſt, *lectionem Maſorethicam* לו heic eſſe planam & ſimplicem; & quod quis eam *mutaverit* in לא / id hoc loco commode poſſe arceſſi à ſuperſtitione *ſcribæ*, qui intendit monſtrare, quanta *ambiguitas* ineſſet in *verbis Huſchai*. Alter textus, in quo id locum habere poſſe opinabar, eſt famoſus ille in *Secundo Libro Regum* cap. VIII. 10. prolixe ſatis à nobis tractatus. Si cogites in eo olim ſcriptum fuiſſe, אמר לו לא היה תחיה / tum omnis prorſus ſublata fuerit difficultas. Altera vero vocularum ejusdem ſoni facile utique potuit exci-

 dere,

dere, vel *incuria librariorum*, vel *ſuperſtitione Criticorum*, qui unum eundemque ſonum repeti in lectione noluerunt, ſed majus acumen, majoremque elegantiam in eo conſtituerunt, quod *unus ſonus* duplicem ſignificationem haberet, vel etiam, ſecundum ea quæ ſupra diſputavimus, *duplicem*, utrumque textui non male convenientem, ſenſum daret.

Quo tempore variæ hæ lectiones ortæ?

XVIII. Quo autem tempore *variæ hæ lectiones* ortæ & à *Maſorethis* notatæ ſint, difficile eſt determinatu. Sunt quidem pleræque antiquæ, neque omnes tamen unius ætatis, quippe quod videtur liquere ex collatione *Interpretationum Græcæ*, *Chaldææ*, & in quibusdam etiam, *Latinæ*. Favent enim LXX *Interpretes* & *Paraphraſtes* Chaldæus in plurimis & maxime notabilibus textibus *lectioni Maſorethar um*: in paucioribus, iiſque minus notabilibus ex *Jobo*, *Proverbiis*, *&c.* ſequuntur *lectionem textualem*. Inde vero liceret colligere, veteres illos *Interpretes* vel Codices habuiſſe Biblicos, jam tum *variis* hiſce *lectionibus* onuſtos, vel textum Scripturæ Sanctæ in ſuis Codicibus ſic legiſſe, ut eum nunc legendum eſſe monent *Maſorethæ*. Poſterius mihi maxime placet: (ſaltem quod ad LXX Interpretes attinet:) quia *varias illas lectiones*, in quibus LXX Interpretes & *Chaldæus Paraphraſta* conſentiunt *Maſorethis*, fere omnes originem ſuam debere exiſtimo *ſuperſtitioni* aut κρίσει. Utraque autem maxime viguit apud Judæos poſt concinnatam verſionem τῶν ό. De *Chaldæa* enim *Paraphraſi*, quæ varia & incerti temporis eſt, non licet tanta cum fiducia loqui. Quod vero ad eas *variantes lectiones* hujus generis attinet, quæ in Libris minus tritis, *Proverbiis*, *Jobo*, *&c.* inveniuntur, eas potiſſimum adſcribo incuriæ *Librariorum* & nulli certæ ætati aſſigno. quæ jam *lectiones variæ*, ſic ortæ, digeſtæ ſunt, & Codicibus Sacris aut ſchedis memorialibus commiſſæ ab ipſis illis Maſorethis, qui vel ſua ſuperſtitione iis dederunt primam originem, vel qui eas in variis Codicibus S. Scripturæ, à ſe diligenter collatis, vere deprehenderunt. quod opus eſt incertæ, & non unius ætatis.

Judicium de earum antiquitate & diverſa origine & cauſis.

C A-

Caput XX.

Quid intelligendum ſit per τὰ ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, *à* Paulo *Apoſtolo* audita *in* Paradiſo (2 *Cor.* XII. 4.) *cum aliqua cura indagatur. Rejicitur autem interpretatio, quæ ponit*, VERBA, *à* Paulo audita, INEFFABILIA fuiſſe, *& ab ipſo* non potuiſſe enunciari. *Imo adſtruitur*, Paulum *in* cœlis *audiviſſe* verba, *non* ineffabilia *quidem*, *ſed* non dicta *hactenus*, *&* nulli homini enarranda; *laudato paſſim* Camerone, *hujus expoſitionis Patrono, & illuſtrata variis exemplis vera ſignificatione Græcæ vocis* ἄῤῥητος. *Porro tentatur, an per conjecturam ſtatui poſſit*, cujus generis verba *veritateſque à* Paulo *in* Cœlo ſupremo audita *ſint*.

OCcupavit quidem aliqua eorum, quę ad expoſitionem τῶν ἀῤῥήτων ῥημάτων INDICTORUM VERBORUM, à *Paulo* in *Paradiſo auditorum*, proferre ſtatutum eſt, Doctiſſimus Camero. Tantum tamen abeſt, ut ipſius induſtria noſtrum conatum ſuppreſſerit, ut potius eum promoverit. Agedum itaque, rem tentemus. Verba *Pauli* de *ſe* in *Paradiſum* tranſlato, 2 Cor. XII. 4. ſic habent: Καὶ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Locus 2 Cor. XII. 4. de ῥήμασι ἀῤῥήτοις illuſtrandus ſumitur.

II. Vocabulum ῥῆμα in Scriptis Novi Teſtamenti vel *verbum* ſolet notare, vel *rem*: utroque hoc ſignificatu reſpondens hebræo דבר/ quod ſumi ſolet tam pro *re*, quam pro *verbo*. Exempla dabit Vorſtius [a]. Sed non poteſt eſſe dubium, uter horum ſignificatuum hic debeat obtinere. Paulus enim ait, ſe *audiviſſe* quædam ῥήματα. Atqui vero clarum eſt, τὸ *audire* referendum eſſe ad *verba*, non ad *res*. ut recte jam monitum à Calvino. Vox ῥῆμα quotuplice veniat ſignificatione?

III. *Verba* autem illa, quę Paulus in Paradiſo audivit, dicuntur ἄῤῥητα. quę vox videtur *triplicem* poſſe admittere ſignifica- Significatio vocis ἀῤῥήτος.

a Phil. Sac. Lib. 1. Cap. 11. p. 27, 28.

ficationem. Τὸ ἄῤῥητον vulgo dicitur notare. 1. *Id* quod *dictum* hactenus *non eſt*. 2. *Id* quod *dicendum non eſt*. 3. *Id* quod *dici* aut *explicari nequit*. Camero tamen, qui Linguæ Græcæ ſcientia egregie fuit ſubactus, negavit, hanc vocem ultimo illo ſignificatu unquam uſurpari. Audiamus ipſum: *Certe ἄῤῥητον*, ait, *Lingua Græca duo tantum ſignificat, quantum nobis obſervare licuit, vel id, quod non dicitur, vel id, quod non licet dicere. At ut ἄῤῥητον dicatur, quod nulla Lingua exprimi ullo modo poteſt, ægre impetrari poteſt ab iis, quorum aures græco idiomati aſſuetæ ſunt.*

Cameronis de ea ſententia.

Hoc tamen, quod Camero negat, paſſim ſupponitur à Viris doctiſſimis, qui τὸ ἄῤῥητον vertunt per *ineffabile*. Sic Valla, Vatablus, Beza, Belgæ. Hæc ſunt Bezæ: Ineffabilia. ἄῤῥητα, *id eſt, quæ fando explicari à quoquam homine non poſſunt: uti vocat* ἀῤῥήτους ἰδιότητας *Aphrodiſeus, proprietates, quas vocant, occultas, & quarum ratio non perſpici & multo minus explicari poſſit.* quod quoque exemplum pro hac ſignificatione hujus vocis probanda productum video à Stephano & Conſtantino. Verum ἰδιότητες *qualitates* quædam dici poſſunt ἄῤῥητοι *arcanæ* ſive *occultæ*, non quod *explicari non poſſint*, ſed quod *explicatæ hactenus non ſint*. Nolumus tamen, ut noſtra hæc diſputatio hæreat in vocibus. Sit res ita; notet τὸ ἄῤῥητον *id, quod fando exprimi non poteſt.* Quæritur, an hic ſignificatus vocis huic quadret loco? Quadrare putarunt Doctorum Interpretum bene multi. Videamus, an ſatis ſolide & recte.

Aliorum, illi oppoſita.

IV. 1. Si per τὰ ἄῤῥητα ῥήματα intelligenda eſſent *verba ineffabilia*, tum videretur Paulus ſibi contradicere. Paulus enim teſtatur, ſe *audiviſſe* illa ῥήματα, quæ vocat ἄῤῥητα. Id vero, quod Paulus *audivit*, utique *enunciatum* & fando expreſſum eſt. Quod autem vere dictum eſt & Paulus effatum *audivit*, quomodo id vocari poteſt ἄῤῥητον *ineffabile*? 2. Si hæc *verba* prorſus hoc ſenſu eſſent *ineffabilia*: cur Paulus addit, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, *quæ homini non licet eloqui?* Ἄῤῥητον enim ſi ſignificet id, quod *nemo effari poteſt*: tum ſane Paulus vel non neceſſe habuiſſet addere, quod hæc verba non *liceat* proferre, (quod enim non poſſumus facere, id fruſtra proponitur ut vetitum:) vel ſaltem prorſus minueret & extenuaret emphaſin dictionis prioris. Minus enim eſt, *mihi non licere aliquid agere*, quam *me non poſſe*.

An ἄῤῥητον hic loci recte vertatur per *ineffabile*? Rationes in contrarium.

Sane

Sane Cl. Coccejus, has difficultates binas conſiderans, eo venit, ut ſtatuerit, *verba*, quę Paulus *audivit*, non abſolute vocari *ἄῤῥητα ineffabilia*, ſed tantum ſic dici ratione *ejus*, qui illa verba *audivit*. quod ita in ſequentibus explicat, ut rationem non habeamus magnopere ab ipſo diſſentiendi.

Id ipſum preſſius urgetur & excutitur.

V. Urgeamus hæc paulo preſſius & demonſtremus, in hac interpretatione non ſpernendam eſſe difficultatem. Quod *ῥήματα verba* aliqua dicantur *ἄῤῥητα ineffabilia:* id accipi poteſt vel ratione *vocum* aut *dictionum* enunciandarum, vel ratione *rerum*, illis *vocibus*, *dictionibus*, aut *ſententiis*, explicitarum. *Vox* aliqua dici poteſt *ineffabilis*, quando ea eſt *vocalium* & *conſonantium* in ea diſpoſitio, ut motus, illi efferendæ conveniens, ore fingi non poſſit: quo ſenſu Plinius [a] VERBA quædam vocavit *ineffabilia*. *Hoc* quidem ſenſu *ῥήματα*, à Paulo *audita*, non poſſunt dici fuiſſe *ineffabilia*, quia Paulus ea audivit *effata*, ut nunc dictum eſt. Supereſt igitur, ut hæc *ῥήματα* vocentur *ἄῤῥητα ineffabilia*, ratione *rerum*, illis *contentarum*. Res ſcilicet, *Paulo* declaratæ, adeo forte fuerunt *ſublimes*, ut mente humana non ſatis diſtincte capi atque *comprehendi*, ac proinde ore humano, ne Apoſtoli quidem Pauli, ſatis *explicari* poſſint. Sic vellent Interpretes plurimi hujus loci ſenſum expoſitum. Et fuit etiam, ubi huc propendebam, collata cum hac dictione Paulina loquutione Maimonidis in Tractatu de *Fundamentis Legis*. Diſſeruerat Maimonides de ſumma Dei ſimplicitate; quibus ſubjicit [b]: ודבר זה אין כח בפה לאמרו ולא באזן לשמעו ולא בלב האדם להכירו על בריו *Hæc autem* RES (VERBUM) *non poteſt* ORE PROFERRI, *nec auribus uſurpari*, *aut* MENTE HOMINIS PERSPICUE COMPREHENDI. Phraſis; דבר אין כח בפה לאמרו videri poſſet una eademque eſſe quæ *ῥήματος ἀῤῥήτου*, in illo loco, quem tractamus. Sic *ῥήματα ἄῤῥητα* eſſent *ῥήματα* verba *περὶ τοῦ ἀῤῥήτου τοῦ Θεοῦ de eo* dicta, quod nobis *in Deo incomprehenſibile* & ineffabile eſt, ut fere mentem ſuam de hac re extulit Clemens Alexandrinus.

An non ſic dici potuerint verba, reſpectu ſublimitatis rerum, iis comprehenſarum? Maimonidis locus.

Incommoda hujus interpretationis.

VI. Laborat tamen hæc explicatio ſuis incommodis. *α*. Si res, Paulo *revelatæ*, ab ipſo non fuerint ſatis clare perceptæ & comprehenſæ, neque etiam percipi poſſint ab ipſo & ab aliis:

a Hiſt. Nat. Lib. XXVIII. Cap. II. b Lib. de Fund. Legis. Cap. II. §. XIV.

tum fruſtra videtur addere; ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι· *qua homini non licitum eſt effari.* Quando enim ait, *licitum* non eſſe ea λαλεῖν *loqui* vel explicare: omnino videtur ſupponere, ea *poſſe* explicari. Quippe *licitum* & *illicitum* proprie de iis dicuntur, quę *in noſtra* ſunt *poteſtate*. β. Si is obtineat ſenſus horum verborum: non ſatis conſtat, quodnam illud privilegium Pauli fuerit in hac *revelatione*, quę ipſi obtigit, rapto in cœlos, præ cæteris credentibus. quod tamen maximum fuiſſe, quis dubitet? An hæc erit prærogativa Pauli, quod vel *Chriſtum* vel *Angelos* audiverit differentes de *rebus*, quas omnino aſſequutus non eſt, neque ullus aſſequi poteſt mortalis? Verum & nobis in his terris ejuſmodi revelatæ veritates ſunt, quarum omnem modum & rationem non comprehendimus animo noſtro. Nihil igitur admodum Paulo obtigit in cœlo, quo præ nobis *gloriari* poterit. γ. Ponamus etiam, Paulum in cœlis audiviſſe *ſermones* de *rebus*, quas plene ipſi non fuit datum comprehendere: non poſſumus tamen concipere, Paulum earum rerum *plane nihil* fuiſſe aſſequutum. Non eſt dubium, nec poteſt eſſe, quin Deus, Paulo veritates quaſdam revelaturus, eas *clare* ſatis & perſpicue propoſuerit. Id enim ſi noluiſſet agere, cur Paulum hac ſingulari gratia donaſſet? Non licet etiam de eo dubitare, quin Paulus ad minimum de eo, quod ipſi *clare* dictum eſt, *aliquid* mente ſua comprehenderit. Quod ſi quoque velimus ſupponere, Paulo revelatas eſſe veritates, quas in *omni* ſuo *modo* non potuit comprehendere *ſua ratione*: ſcivit tamen Paulus & ſcire potuit τὸ ὅτι illius revelationis. *Scivit* quodnam illius revelationis fuerit ὑποκείμενον, & quid de eo prædicatum ſit. Id vero ſi Paulus intellexerit, ut nullum apud nos dubium: non potuit id abſolute vocare ῥήματα ἄῤῥητα *verba ineffabilia*. Novit enim, quid ſibi dictum ſit, & potuit utique id, quod ipſi dictum eſt, rurſus enarrare aliis. Qui apud me diſſerit de æternitate, de omnipræſentia, de neceſſitate exiſtentiæ Dei: loquitur de veritatibus, quas plene non aſſequor. Quod tamen *mihi* de veritatibus illis *clare* dicitur, etſi non penitus aſſequor, *recitare* poſſum aliis. Quare, etiamſi ſupponamus, de altiſſimis eſſentiæ Divinæ arcanis cum Paulo actum eſſe in cœlis: potuit tamen Paulus Eccleſiis declarare, quę *materia* in cœleſti illa Schola pertractata ſit; de ea *quid* ſit expli-

Paulus aliquid percepit de rebus, ſibi in cœlo revelatis.

explicatum; *quis* explicationis *modus*, quis *ordo* fuerit; quid illius expoſitionis comprehenderit. Certe quicquid etiam de quacunque re apud me *dictum* eſt, illius eſt indolis, ut à me *repeti poſſit dicendo*, ac proinde non videtur incommode hoc ſenſu vocari poſſe *ineffabile*, ſive *indicibile*. δ. Paulum in cœlo inſignes didiciſſe veritates, eaſque ſatis bene aſſequutum eſſe, omnino videtur liquere ex ℣ſ. 7. ubi loquitur περὶ τῆς ὑπερβολῆς τῶν ἀποκαλύψεων, de EXCELLENTIA REVELATIONUM, ſibi factarum. Paulus non tantum ait ſibi obtigiſſe ἀποκάλυψιν *revelationem*, ſed ἀποκαλύψεις *revelationes*. Quales vero? An rerum non perceptarum? Certe vocabulum ἀποκάλυψις proprie notat claram veritatis declarationem & explicationem. Prophetis quidem olim quædam aliquando ſunt revelata, quę eo tempore non ſatis intellexerunt. Talia tamen erant, quæ Deus aliquando intellecta volebat. Deus enim, ut nihil agit, ſic nihil revelat, fruſtra. Fruſtra autem revelaret, ſi id, quod revelat, ab hominibus non intelligeretur. Fruſtra igitur revelaſſet quædam Prophetis præcedentium temporum, ſi ea ab Eccleſia ſequentium temporum noluiſſet intellecta. Hæc applicemus ad præſens quæſitum. Si Paulo quid revelatum eſt, quod non aſſequutus eſt: non apparet illius revelationis aliquis eſſe fructus. Revelatio enim Paulo non eſt facta, ut eam ſcripto exponeret, ab Eccleſia ſequentis ævi intelligendam. Sed ſolius Pauli gratia facta eſt, ut is inde fructum aliquem perciperet. Quis vero fructus, ſi in genere tantum intellexit Paulus, in cœlo habitos eſſe ſermones de profundis arcanis, quę non comprehendit? Præterquam quod Revelationes Propheticæ longe alterius fuerint generis, quam inſtitutiones, quę alicui ſingulari beneficio à Deo obtingunt. Propheta aliquis poteſt à Spiritu rapi ad enuncianda dicta quę non intelligit, ſuſtinetque in ejuſmodi caſu vicem inſtrumenti: ſed quos Deus tractat ut diſcipulos à ſe inſtituendos, iis oportet veritatem pro ipſorum captu eum in modum proponat, ut eam mente ſua complecti poſſint. Loquitur præterea de *excellentia harum revelationum*, & de *ſurculo*, *carni ſuæ infixo*, ne ea *ſuperbiret*. Si Paulus hoc ſuo raptu in cœlos non didiciſſet explanatius certas quaſdam veritates, quæ aliis de grege credentibus & Doctoribus haud æque cognitæ ſunt: minor illi cauſa ſuper-

Idemque adſtruitur ex verſ. 7.

Aliæ rationes variæ pro eadem hypotheſi.

 biæ

biæ, & materia tentationis. Raptus enim in cœlum, etſi in ſe magnum beneficium erat, longe tamen minoris eſt æſtimandus, ſi abſque eo conſideretur, quod Paulo, ut ſingulari cuidam Chriſti Domini amico, ibi arcana quædam Regni cœlorum, cum aliis hactenus nec communicata nec communicanda in his terris, revelata ſint. ε. Si Paulus dicere voluiſſet, ſe in cœlo *audiviſſe* ſermones de quibuſdam eſſentiæ Divinæ proprietatibus & arcanis, quę illius erant generis, ut ab ipſo *plene* non potuerint percipi & ediſſeri: non videtur id expreſſurus eſſe per ῥήματα ἄῤῥητα *ineffabilia verba*. Ea enim phraſis non videtur ſatis proprie hic adhiberi. *Verba* ſcilicet *ineffabilia* ſunt verba de rebus, quę comprehendi non poſſunt, & propterea etiam non poſſunt exprimi ſermone. Cur non potius dixiſſet, ſe in cœlis audiviſſe ἀκατάληπτα ſive ἀνέφικτα? De *affectu*, virtute, *facto*, aut quacunque alia re, quę tam ampla nobis in conceptu obverſatur, ut vix poſſimus formare verba, illius conceptionem æquantia, aliquando dici poteſt, eam eſſe ἄῤῥητον. Sic Poëtæ loquuti ſunt de *infando dolore*, *infando amore*, *infando facinore*, *infanda pœna*; verum aliud mihi & durius longe videtur, ῥῆμα *verbum* vocare *infandum*, ſive *ineffabile*. Vere id non æque convenit dicere περὶ τȣ̃ ῥήματος de *verbo*: utique non de dogmatis & *ſententiis Doctrinæ*, quę clare ac diſtincte tradi & exponi poſſunt. quantum quidem nobis videtur.

Vox ipſa ἄῤῥητος non favet huic ſententiæ.

VII. Cæterum, ut *verba*, à Paulo *audita*, non admodum commode vocantur *ineffabilia*, ſi ratio habeatur *rerum dictarum*: ſic mihi videtur, eam deſcriptionem non ſatis recte applicari ad *modum dicendi*, quo hæc verba effata ſunt. Scilicet dubitari poſſet, an Paulus *verba*, quę in cœlis audiverat, ideo *proferri poſſe* neget, quod ea gravitas & majeſtas fuerit dicentis; ea amplitudo, efficacia, elegantia, & denique id pondus dictorum; tum etiam quod ipſe, qui hæc verba audivit, tanto fuerit circumfuſus fulgore, ut ſi eorum verborum aliqua referre velit, oratio ipſius continuo deficeret, & infra majeſtatem & amplitudinem illorum dictorum longe ſubſideret. Hanc vero interpretationem ſuam Doctiſſimi Viri cum priore ſolent commiſcere, & ex utraque conflare unam. Sed ea mihi iiſdem fere videtur eſſe preſſa difficultatibus, quibus ſuperior. 1. Ubi Deus, aut

An itaque *verba* illa à Paulo *audita*, forte non queant dici *ineffabilia* cum reſpectu ad *modum* quo prolata ſunt?

Quod ipſum tamen non admittitur

aut Filius Dei, qui eſt ad dextram Patris ſui in cœlis, cum homine loquitur, nullum quidem dubium eſt, quin ipſius in dicendo majeſtas & vis ſit longe maxima; verum non ideo *verba*, à Deo dicta, videntur vocari poſſe *ineffabilia*. Oratio enim Dei loquentis, etſi ſe commendet ſingulari majeſtate, gravitate, amplitudine, efficacia, & elegantia, ſemper eſt clara & diſtincta, ac proinde hoc reſpectu non admodum commode dicitur ἄῤῥητος *ineffabilis*. Quanta cum majeſtate apparuit Deus Iſraëlitis in monte Sinai, quanta iis loquutus eſt gravitate? Nec tamen ideo nefas fuit verba illa ſcripto commendare poſteritati. Quanta cum gloria Deus ſe ipſum Jeſaiæ revelavit & Ezechieli? quam gravia & pura apud ipſos fudit verba? Nec tamen illa hoc ſenſu fuerunt ἄῤῥητα. Deus enim, etſi cum ſumma Majeſtate loquatur, ſemper loquitur clare, hoc eſt, ita loquitur, ut ab iis, quibuſcum loquitur, intelligi poſſit; qui licet Deum in omni *modo dicendi* imitari non poſſint, *dictis* tamen Dei repetendis non ideo ſunt impares. 2. Qui ea, quæ à Deo clare dicta eſſe percepit, ſimplici narratione refert, non eſt concipiendus *verba Dei* referre abſque *ſuis modis*. Majeſtatem quidem Dei loquentis, fateor, aliis non exhibet. Omne tamen verbum Dei, cuicunque & quocunque dictum tempore; cuicunque & quocunque tempore aliis bona fide expoſitum & relatum, ſemper habet κριτήρια *verbi Dei*. Deus ait apud *Jeremiam* [a], *verbum* ſuum eſſe בר *frumentum*, hoc eſt, in eo eſſe, quod mentem ſatiet; *eſſe* inſtar *ignis*, arcana mentis deſideria explorantis & judicantis, & *mallei contundentis petras*, duriſſima etiam corde flectentis. Omni Dei *verbo*, modo id fideliter repetatur, ineſt ſuum pondus, gravitas, efficacia, per quæ conſcientia hominis convincitur, id non eſſe *fœnum*, hoc eſt, non eſſe verbum hominis, ſed *vere eſſe verbum Dei*. *Verbum Dei* igitur non poteſt referri abſque *hoc* ſuo *modo*, ſi modo fide exponatur. Quare etiamſi illud verbum repetatur ab homine, eo tamen nihil perit de illius pretio. Nec multas heic neceſſe habeo conquirere rationes, quibus illud comprobem. Habemus enim hodie τὸν προφητικὸν λόγον *verbum Propheticum*, à Deo dictum Vatibus priorum temporum. Habemus Chriſti dicta apud Evangeliſtas, & præ-

quoque ob ſimiles rationes.

Nulla verba Dei referri poſſunt abſque ſuis modis.

Verbum Propheticum dici non poteſt *ineffabile*.

a Cap. xxiii. 28, 29.

præſertim apud Joannem. Illorum pretium eo non eſt imminutum, quod tam Prophetæ quam Evangeliſtæ illa nobis repetierint & declaraverint ſcripto. Non poſſum vero ſatis clare perſpicere differentiam, quæ ſit inter verba, Paulo dicta, & quæ dicta ſunt Prophetis; niſi quod Paulus verba Dei vel Chriſti in aliis audiverit circumſtantiis. Nec video igitur, quomodo verba, à Paulo audita, magis vocari queant *ineffabilia*, quam illa, quæ Prophetis dicta ſunt & Apoſtolis, ſi tantum ratio habeatur *modi dicendi*.

Ἄῤῥητος aliâ ſignificatione notat *non dictus*. Locus Xenophontis.

VIII. Reſtat igitur, ῥήματα ἄῤῥητα eſſe *verba*, vel *non dicta hactenus*, vel *non dicenda*. Utroque enim hoc ſignificatu receptum eſt vocabulum ἄῤῥητος. Pro priore exemplum inſigne dabo ex Xenophonte [a], qui in hiſtoria Cyri ſui in hunc modum: Ἐπειδὴ δὲ καὶ τοῦτο παντάπασιν ἄῤῥητον ἐφαίνετο, τέλος δή με ἐπήρου, ὅ τι ποτὲ διδάσκων στρατηγίαν φαίη με διδάσκειν· *De quo cum prorſus ab illo* (qui Cyrum docuerat, vel ſaltem ſe docuiſſe profitebatur:) NIHIL DICTUM ESSE *conſtaret*, *denique me interrogabas*, (Cambyſes Cyrum, quippe cui, cum exercitu profecturo contra Aſſyrios una cum Cyaxare, in memoriam revocat præcepta artis Imperatoriæ, ante data:) *quid tandem docendo diſciplinam Imperatoriam ſe mihi tradidiſſe diceret?* Clarus hic eſt locus, in quo τὸ ἄῤῥητον notat id, quod hactenus dictum non eſt. Pari ſenſu τὸ ἄῤῥητον

Aliorumque Scriptorum Vett.

accipitur ab Homero. Teſtimonium mihi à Stephano ſuggeſtum ex *Odyſſ.* Lib. XIV. non admodum procul à fine; Καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον· *Et aliquod verbum emiſit, quod melius* NON SIT DICTUM. *Vinum Ulyſſes* ea virtute eſſe prædicat, ut facile hominem impellat ad talia dicendum, quæ hactenus non dixit, & quæ præſtet tacere. Apud Heſiodum pariter mox in initio ἄῤῥητος pro *obſcuro*, non adeo frequenter *nominato* & *nominando*, ſive *ignobili* homine, ſumitur: Ῥητοί τ' ἄῤῥητοί τε, Διὸς μεγάλοιο ἕκητι· *Nobiles & ignobiles*, *magni Jovis voluntate* ſunt.

Dionyſii Halicarnaſſenſis locus.

Dionyſius Halicarnaſſenſis quoque vocem alibi hac ſignificatione accipit, ſi ſtandum ſit verſione Sylburgii [b]. Verſatur ille in hiſtoria Deorum Trojanorum, tradens, *Chryſen*, *Pallantis Filiam*, *quum Dardano nuberet*, attuliſſe *Dotem ſacra Magnorum*

Deo-

a Inſtit. Cyri Lib. 1. p. m. 40. b Op. & Dier. verſ. 4. c Hiſt. Rom. Lib. 1. p. 55.

Deorum, quorum myſteria didicerat: Dardanum vero *iis in Samothracia Templum extruxiſſe,* ἀῤῥήτους τοῖς ἄλλοις ποιοῦντα τὰς ἰδίας αὐτῶν ὀνομασίας, καὶ τὰς τελετὰς αὐτοῖς, τὰς καὶ εἰς τόδε χρόνου γινομένας ὑπὸ Σαμοθρᾴκων ἐπιτελεῖν· NEMINI COMMUNICATO EORUM NOMINE PROPRIO, *rituſque illis inſtituiſſe, quibus & hodie mos eſt initiari in Samothracia.* Sic habet Interpres. Forte tamen vox ἀῤῥήτους eam quoque hic poſſet retinere ſignificationem, qua ſumitur pro eo quod *non licet vulgare*, quod *infandum*, & propalandum non eſt, ut adeo ſenſus ſit, Dardanum *nomina illa celanda* Deorum feciſſe ἀῤῥήτους illis, qui his ſacris non erant initiati.

Et alter, qui illuſtratus.

Clarius forte demonſtrari poſſet is hujus vocis uſus ex alio quodam loco Dionyſii[a], declarantis originem Feſti Conſualium, à Romulo inſtituti, in quo præter alia ſacra fiebant in *Ara quadam ſubterranea*, quam Dionyſius conjicit poſitam eſſe δαίμονι ἀῤῥήτῳ ἐπὶ βουλευμάτων κρυφίων ἡγεμόνι καὶ φύλακι, *genio cuidam, cujus nomen proferri nefas ſit, occultorum conſiliorum duci & cuſtodi.* Sic habet Interpres. Nos potius: Cujus *nomen cognitum* ſive *dictum non eſt*, ac proin indicari non poteſt. Δαίμων ἄῤῥητος eſt θεὸς ἄγνωστος[b]. quę phraſis eſt in Actis.

Significat etiam *id quod dicere non licet*, eſtque notatio vulgata.

Alio vero illo ſignificatu, quo τὸ ἄῤῥητον ſumitur pro *eo, quod dicere non licet*, hoc vocabulum ſatis receptum eſt. Exempla in Lexicis abunde proſtant. Nimirum qui de *Deo* olim & *Divinæ Naturæ arcanis* agebant, ſive Sacerdotes ſive Philoſophi, magnæ curæ habuerunt aperta & perſpicua veritatis expoſitione omnibus promiſcue non declarare, quæ de Dis & ſpiritualibus rebus ſentiebant, ſed apud vulgum de ſummo Deo ejuſque natura diſſerendo adhibere *ſimilitudines* & *exempla*; de reliquis quidem Dis *fabulas:* ſolis autem veri ſtudioſis, & *initiatis*, ſub religioſa ſilentii fide arcanam illam Doctrinam committere.

Gentilium mos de Deo & Divinis obſcure diſſerendi.

Exiſtimabant enim, ut Macrobius de his diſſerens, ait[c], *inimicam eſſe naturæ apertam nudamque expoſitionem ſui.*

Myſteria nefanda in ſacris Gentilium.

Illa autem Theologiæ Naturalis aut Myſticæ Dogmata aliis ſecreto commiſſa, dicebantur paſſim μυστήρια ἄῤῥητα & ἀπόῤῥητα, *celanda, arcana*, aliiſque NON VULGANDA, cujuſmodi erant *Matris Deum, Hecatæ, Bacchi, Mithræ, Orphei*, & in Ægypto *Iſidis*; inprimis tamen celeberrima illa *Eleuſinia, Cereris* & *Proſerpinæ.* quæ alibi

a Antiq. Rom. Lib. II. p. 100. b Act. XVII. 23. c In Somn. Scipion. Lib. I. Cap. II.

alibi recenſentur à Caſaubono [a]. Nihil vere in Vetere Hiſtoria vulgatius. De Ægyptiis Sacerdotibus exerte Diodorus [b]: *De ſepultura autem Deorum iſtorum* (Oſiridis & Iſidis:) *diſſentiunt plerique*, διὰ τὸ τοὺς ἱερεῖς ἐν ἀπορρήτοις παρειληφότας τὴν περὶ τούτων ἀκρίβειαν, μὴ βούλεσθαι τ' ἀληθὲς ἐκφέρειν εἰς τοὺς πολλοὺς ὡς ἂν καὶ κινδύνων ἐπικειμένων τοῖς τ' ἀπόρρητα περὶ τῶν θεῶν μηνύουσιν εἰς τοὺς ὄχλους· *quod Sacerdotes exacta horum cognitione ſecreto imbuti, ob pericula, quæ* ARCANA DEORUM *divulgantibus impendent, verum eliminare foras nolunt.* Philoſophis idem in more fuiſſe poſitum cum aliunde, tum ex Ariſtophane liquet [c]. Strepſiades ſenex introducitur Scholæ Socraticæ fores tam graviter impetere calcibus, ut diſcipulus Socratis conqueratur, eo pulſu ſibi excidiſſe cogitationem aliquam, jam pene mente conceptam. Roganti vero ſeni, *quodnam illud eſſet rei*, reſpondet diſcipulus:

Etiam in Scholis Philoſophorum.

> Ἀλλ' οὐ θέμις πλὴν τοῖς μαθηταῖσι λέγειν.
>
> *Non licet hoc, niſi ſolis diſcipulis proloqui.*

Senex iterum:

> Λέγε νῦν ἐμοὶ θαρρῶν· ἐγὼ γὰρ οὑτοσὶ
> Ἥκω μαθητὴς εἰς τὸ φροντιστήριον.
>
> *Loquere audacter: nam & ego in hunc literarium*
> *Advenio ludum, diſcipulus ut jam ſiem.*

Ad quæ diſcipulus:

> Λέξω· νομίσαι δὲ ταῦτα χρὴ μυστήρια.
>
> *Dicam: ſed oportet hæc pro* MYSTERIIS *habere.*

Imprimis Eleuſinia ſacra ἄρρητα.

Inprimis tamen, ut dixi, Cereris & Proſerpinæ, famoſiſſima illa, ſic dicebantur, de quibus Diodorus agens [d], ait: περὶ ὧν οὐ θέμις ἱστορεῖν κατὰ μέρος. De iis capienda hæc Heſychii [e]: Σεμνὰ τῆς σῆς παρθένου μυστήρια. σοφοκλῆς τὰ ἄρρητα καὶ ἀνεξήγητα μυστήρια· *Veneranda tuæ virginis myſteria. Sophocles; Arcana, quæ enarrare & explicare fas non eſt.* Per παρθένον haud dubie intelligenda κόρη *Proſerpina* eſt, quę ἄρρητος dicta eſt, ceu Heſychius diſerte docet. Horum vulgatorum & profanatorum manifeſtus habitus eſt Alcibiades, ut eſt apud Plutarchum [f]. Juſtinus [g]: *Interim con-*

Heſychii locus.

Alcibiadis crimen.

a Ad Annal. Baron. Exercit. XVI. b Biblioth. Lib. I. p. 16. c Nub. Act. I. Scen. II. d Biblioth Lib. V. p. 224. e In voce σεμνά. f In Alcibiad. p. 101. 200. g Lib. V.

concitor & dux ejus Alcibiades abſens Athenis inſimulatur, MYSTERIA *Cereris initiorum ſacra*, NULLO MAGIS QUAM SILENTIO SOLENNIA, *enuntiaviſſe*. Μυστήριον vero recte dicitur ἄῤῥητον, quia μυστήριον ex interpretatione Auctorum Græcorum idem omnino notat, quod ἄῤῥητον. Suidas: Μυστήρια. τελεταί· μυστήρια ἐκλήθησαν παρὰ τὸ τοὺς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι. μύειν δέ ἐστι τὸ κλείειν· *Myſteria. Arcana ſacra. Initia. Dicta autem ſunt myſteria, quod eorum auditores claudant os & nulli hæc enuncient.* μύειν *enim eſt claudere*. Certe illud, quod *fas non eſt alteri enunciare* & declarare, dicebatur ἄῤῥητον, ſive, quod uſitatiſſimum Græcis vocabulum eſt, ἀπόῤῥητον. Uſus haud dubie eadem voce Græca eſt Joſephus[a], ubi retundit impudentem calumniam Apionis, quę ferebat, Antiochum Regem, Templi penetralia luſtrantem, ibi reperiſſe Græcum hominem, ex more recepto ibidem alendum ſaginandumque, ut tandem morti tradatur, inſtar victimæ Deo devotæ. Interpres Latinus ibi habet INEFFABILIA. Græca enim deſunt. Verba Joſephi: *Poſtremum conſulentem* (Græcum, in Templo ſaginandum:) *à miniſtris ad ſe accedentibus audiviſſe legem* INEFFABILEM. Per *legem ineffabilem* intelligas νόμον ἄῤῥητον, *legem arcanam*, quę non erat eliminanda foras. Joſephus ad calumniam reſpondens ſic pergit: *Etenim nihil amplius, neque* MYSTERIORUM *aliquorum* INEFFABILIUM *agitur, neque intus ulla epulatio adminiſtratur.* Iterum: *Hominis ergo Græci comprehenſionem finxit, pabulum* INEFFABILE, *& ciborum opulentiſſimam claritatem. Myſteria ineffabilia* utique ſunt ἄῤῥητα ἱερὰ, ſacra arcana Religionis cum nullo communicanda. Latini SILENDA dixerunt. Livius de Sacris Bacchi[b]: *Pacem* (*Hiſpalæ Fecenia* verba ſunt *Æbutium* adoleſcentem edocentis de *Sacris Bacchi*:) *veniamque precata Deorumque Dearumque, ſi coacta, caritate ejus*, SILENDA ENUNCIASSET. Rurſus eadem *Fecenia*[c]: *Magnum ſibi metum Deorum, quorum* OCCULTA INITIA *enunciaret*. Pari omnino loquendi modo *ſenior* ille *Vates Vejens* apud Livium[d]: ait, TACENDO *forſitan, quæ Dii immortales* VULGARI *velint, haud minus quam* CELANDA EFFANDO, *nefas contrahi*.

Μυστήριον Græcis idem valet.

Deſcribitur ex Suida.

Locus Joſephi.

Latini *ſilenda*, eodem uſurpant ſenſu.

Loca Livii.

IX. Utro autem horum ſignificatuum vocem ἀῤῥήτως in hoc loco

Quæritur uter horum

a Contra Apionem Lib. II. b Lib. XXXIX. Cap. X. c Cap. XIII. d Lib. V. Cap. XV.

ſignificatum hic adhibendus ſit?

loco accipere debeamus, non auſim magna cum fiducia determinare. Non dubito, quin de iis, quæ Paulus in cœlo audivit, *verbis* utrumque vere prædicari poſſit, tam *ea verba hactenus non eſſe dicta*, quam *ea non eſſe* communicanda cum *aliis*. Qui poſteriorem heic amplectuntur ſignificatum, dicere poſſunt, Paulum per verba ſequentia, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι *quæ non licet ulli eloqui*, clarius explicare, quid per τὰ ῥήματα ἄῤῥητα intelligi velit. Ἄῤῥητον enim in poſteriore ſignificatu id proprie eſt, ὃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλεῖν *quod nemini enunciare fas eſt*. Neque eſt hæc loci interpretatio longe quæſita: niſi quod ſecundum hanc interpretationem nihil novi diceret Apoſtolus per verba, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Videtur tamen illis novum quoddam horum *Verborum* attributum deſcribi. Sic plane orationis Paulinæ ſuadere videtur ſimplicitas. Quod ſi ita habeat: præſtiterit utique τὰ ἄῤῥητα ῥήματα interpretari de *Verbis non dictis* hactenus, quod nimirum *revelationem* continerent de rebus, quæ hactenus Eccleſiæ non obtigerat. Forte huc animum convertit *Vulgatus* Interpres, quando ἄῤῥητα ῥήματα reddidit latine per *verba arcana*. De Syro ſaltem res manifeſta eſt, cujus hæc eſt verſio; ושמע דלא מתמללן *Et audivit ſermones*, hactenus NON DICTOS, ſive *qui non dicuntur*. Duplex itaque eſt horum VERBORUM *Attributum*: Alterum, illa hactenus NON fuiſſe DICTA; alterum apud ALIOS illa NON ESSE VULGANDA. Prius innuit, ubi ea vocat ἄῤῥητα NON FATA. Poſterius ubi mox addit: ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι QUÆ LICITUM NON EST HOMINI LOQUI.

Prior videtur orationi Paulinæ convenientior; ut ῥήματα ἄῤῥητα ſint *verba non dicta* hactenus.

Quid ſignificet quod additur; *non licere ea homini enunciare.*

An intelligendum de *potentia*, an de *jure* & *poteſtate*?

X. Plurimi Interpretes illud *non licitum* non modo retulerunt ad *poteſtatem* & *jus*, ſed & ad *potentiam* hæc audita enuntiandi; ac ſi Paulus dicere voluiſſet, talia ſe in cœlis audiviſſe, *quæ ne animo quidem ſatis complecti poterat*, *nedum ut ea verbis poſſet explicare.* Sic Beza. *Non licet* igitur ſecundum hanc interpretationem nihil aliud eſt, quam; *non poteſt.* Statuitur autem Paulus, aut quivis alius homo *non poſſe* ea *loqui*, quæ *audiverat in cœlis*; quia revelata illa, ſecundum illos, captum mentis longe ſuperabant, ac proinde oratione humana explicari non poterant. Sed hoc interpretamentum jam refellimus, ubi verſabamur in explicanda voce ἄῤῥητος. Abſque ratione aſſeritur, poſſe quem de ulla qualicunque re apud me diſſerere, Lingua mihi nota, cum

Poſterius eligitur.

eum in modum, ut ego *audita* qualicunque modo non poſſim repetere & aliis exponere. Poterat dicere Paulus & explicare, de quo argumento habita fuiſſet in Cœlis oratio; qua dictionis elegantia & majeſtate; quid ipſe & quantum ea de re percepiſſet. Non potuit itaque illa oratio hoc ſenſu dici *ineffabilis*. Accedit hæc obſervatio Cameronis. *Etſi* licet, ait, *lingua Latina, & ἔξεστι Græca, non modo poteſtatem, quam vocant, & jus, ſed etiam potentiam, quam dicunt, ſignificat, tamen hoc infrequentius quam illud hac formula ſignificatur. Deinde, quod magnopere obſervandum eſt, in Libris Novi Teſtamenti* licet *ſemper poteſtatem ſignificat*, non licet *negationem poteſtatis. Itaque non niſi gravi de cauſſa à recepta hujus particulæ ſignificatione diſcedendum eſt.* Sane recollegi exempla locorum N. T. in quibus vocabula ἔξεστι & ἐξὸν reperiuntur, & compertum habeo, Cameronem vera dixiſſe. Quæ ratio igitur mutandi ſignificatus hujus dictionis *non licet* in hoc loco, qui in cæteris omnibus receptus eſt?

Cameronus verba.

XI. Senſus igitur hic potius ſubſit huic orationi: Paulum *audiviſſe verba*, quæ *poſſet* quidem, ſed QUÆ *ipſi* NON LICEBAT EVULGARE. Verum neque ſic ſublata omnis difficultas eſt. Cur enim Paulus ſcribit, *quæ non licet* ἀνθρώπῳ HOMINI *eloqui*? Utique nullus hominum præter *Paulum* illa *verba* audiverat. Quare igitur non potius dicit, *quæ non licet* αὐτῷ ILLI (homini ſc. cui illam revelationem obtigiſſe ait. quippe de ſe figurate loquitur *perſona tertia*:) *eloqui*? Cl. Coccejus putat, hoc ſingulari conſilio à Paulo eſſe adjectum, ut indicaret *præcellentiam* illius, *qui hæc verba loquutus eſt. Qui hæc verba loquutus eſt, non fuit homo*, ait. Pergit: *Ex* Joh. III. 34. *intelligimus, eſſe quædam* verba Dei, *quæ* qui ex terra eſt, *loqui non poteſt, quia non eſt ei fas niſi* ex terra loqui. ibid ℣ſ. 31. *Evidens igitur eſt, Apoſtoli verba eſſe ad hoc apta, ut innuant præcellentiam ejus, qui ad ipſum loquutus eſt, nempe quod fuerit non homo, intellige merus, ſed major homine.* Credo, eum, qui Paulo loquutus eſt, fuiſſe homine majorem. Percipio probe, illum *potuiſſe verba* quædam *loqui*, quæ Paulus certo ſenſu non potuit loqui. Sed non æque aſſequor, ſecundum hanc explicationem Paulo obtigiſſe ſingularem quandam prærogativam in cœleſti hac revelatione præ multis aliis hominibus. Iſraëlitæ, qui Deum audiverunt loquentem de monte Sinai, dicentem-

Quid ſibi hic velit vox, ἀνθρώπῳ?

Cl. Cocceji meditatio.

Quæ non admittitur.

que;

que; *Ego ſum Jehova Deus tuus, qui te eduxi ex Ægypto:* hoc ſenſu audiverunt verba, quæ *homini* fas non eſt enunciare. Apoſtoli & diſcipuli omnes, qui Chriſtum audiverunt dicentem; *Ego ſum via, veritas, & vita:* dici poſſunt *verba audiviſſe*, quæ *homini* non licet eloqui. De quovis etiam alio homine, Deum audiente loquentem in verbo Prophetico, idem prædicari poteſt. Sic Paulus etiam potuit Chriſtum de ſe multa audiviſſe prædicantem, quæ *hoc* quidem *ſenſu* ipſi non erat *licitum* enuntiare. Sed obſervandum eſt. 1. In eo non potuiſſe conſiſtere ſingulare privilegium hujus revelationis, quæ Paulo obtigit, quod Paulus Chriſtum audiviſſet prædicantem *verba*, quæ nemo niſi *verus Deus* fari poterat: quia omne verbum Dei & Chriſti *de ſe* tale eſt, ut mihi id repetere non liceat, eo modo, quo Deus id *de ſe* dixit. 2. Quod Deus *de ſe* dicit, non *perſona prima*, aut de rebus aliis; id, ſi peculiari interdicto vetitum non ſit, omnino mihi *licere* repetere & aliis enarrare, licet Deus me ſit longe præcellentior. 3. Id etiam, quod Deus de ſe dicit *perſona prima*, nec non quod Chriſtus de ſe eadem forma loquendi prædicat, mihi non eſſe *illicitum* de *Deo* & Chriſto repetere *Perſona tertia*, ac proinde non videri id commode vocari poſſe ῥῆμα, ὃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, *verbum, quod homini non licet loqui.* Chriſtus dicit, *ſe eſſe veritatem.* Mihi licet dicere, *Chriſtum eſſe veritatem*; vel me audiviſſe Chriſtum dicentem; *Ego ſum veritas.* Quod vero ad loca, ex Joanne notata, attinet, ex iis conſtat. 1. Chriſtum, quia *ex cælis* erat, infinito plura, clariora, & certiora ſcire & loqui poſſe de Deo, quam nos mortales. 2. Chriſto, ut Filio Dei & ſummo Prophetæ, quædam verba reſervata fuiſſe *dicenda*, quæ hactenus *dicta non erant.* 3. Chriſtum ea verba, & quæ ipſi dicenda reſervata erant, dixiſſe. Veruntamen ſi hoc ſenſu capiendum ſit, quod Paulus dicit, ſe *audiviſſe verba*, quæ *homini* non eſt licitum eloqui: tum ſane Paulus non fuit donatus majori prærogativa, quam illi omnes, qui Chriſtum in carne ea audiverunt verba prædicantem, quæ ipſi, ut Meſſiæ, erant reſervata. Quod quantumvis magnum ſit beneficium, non explet tamen emphaſin hujus textus, in quo Paulus aliquam ſuam prærogativam memorat, quam ſibi prorſus peculiarem habuit.

Plures alii quam Paulus, *audiverunt verba* quæ homini de ſe efferre nefas, in *perſona prima.*

Nec tamen illud propterea *ineffabile.*

Locus Joh. III. 34. exponitur.

XII.

XII. Forte igitur præſtet verba Pauli; *quæ non licet homini loqui*, ſic explicare; *quæ verba nec mihi, nec ulli alii homini, ſi is ſimili à Chriſto donatus ſit gratia, licet evulgare.* Adeo ut Paulus non ſupponat quidem, ullum alium hominem veritates, ipſi revelatas, ſcire, ſed ὑποθετικῶς tantum innuat, ejus generis eas eſſe veritates, ut prorſus nefas ſit eas propalare. mihi quidem, vult dicere Paulus, illicitum eſt hæc revelata evulgare; ſi quis vero alius homo ſimili gratia à Chriſto exceptus eſſet aut exciperetur, & huic ſane non magis id agere licitum fuerit quam mihi. Camero ſic concepit: *Nulli, quantumvis magna præditus ſit authoritate, ne Apoſtolo quidem, qualis ego ſum, quæ ſunt ejuſmodi, licet revelare.*

Verba Apoſtoli notant dicta non vulganda aliis.

XIII. Imo alia etiam eaque commoda ratione hanc difficultatem datur ſuperare. Vocabulum ἀνθρώπῳ, quod in his verbis vertendis & explicandis communiter refertur ad præcedens vocabulum ἐξὸν, referri poteſt ad τὸ λαλῆσαι. Verba hæc communiter ſic diſtinguntur; ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ, λαλῆσαι; *quæ non licet homini, eloqui*; ſed commode ſic accipi & diſcerni poſſunt; ἃ οὐκ ἐξὸν, ἀνθρώπῳ λαλῆσαι, *quæ non licet, homini eloqui*, ſive explicare. hoc eſt, hebræa phraſi, *quæ non licet, ulli eloqui*. Vocabulum ἄνθρωπος enim ad exemplum hebræi איש hoc ſenſu uſurpari in Scriptis N. T. ne tyrones quidem fugit. Vocem λαλεῖν vero accipi ſenſu *declarandi*, *exponendi*, *diſſerendi*, &, ubi hac ſignificatione uſurpatur, conſtrui cum perſona *cui*, & re, *quæ* declaratur, exemplum ſit in ſermone Chriſti apud Joannem[a]: *Nunc autem quæritis me occidere, hominem*, ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Θεοῦ· *qui veritatem vobis declaravi, quam audivi à Deo.* Et alibi[b]: Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν· *hæc vobis loquutus ſum*, ſive *declaravi*. Senſus igitur verborum Pauli clarus eſt, & ab omni omnino difficultate liber, ſi orationem Pauli in hunc modum interpretemur: Paulus *audivit verba*, hactenus *non dicta*, quæ ipſi *licitum non fuit ulli mortali revelare*. Camero poſterioris etiam hujus interpretationis mentionem aliquam facit, ſed *levem*, nec *multum intereſſe* putat, utrum dativus *homini* connectatur cum verbo *licet*, an vero cum verbo *loqui*. Sed ego omnino puto, differentiam illam conſtructionis ad genuinum ſenſum

Poteſt etiam vox ἄνθρωπος conſtrui cum τῷ λαλεῖν.

Exempla ſimilia.

 horum

a Joh. VIII. 40. b Joh. XVI. 1. Confer Heb. 11. 3.

horum verborum eſſe obſervandam. Poſterior enim hæc noſtra ἐξήγησις omnes prorſus difficultates excludit, & fluit quam facillime.

Sententia liberatur à difficultate, cui ſubjecta videtur.

XIV. Sed quid? ais, an Paulo *arcana* quædam Regni cœlorum revelata ſunt, quæ aliis revelata non ſunt credentibus: imo quæ ipſe aliis revelare non debuit? Utique hæc nova & paradoxa videtur aſſertio. Itane vero, Chriſtiane Lector, abſonum tibi videtur, Paulo, qui *plus* laboris impendit Chriſti Jeſu gloriæ illuſtrandæ ejuſque Regno promovendo, & qui pro eo promovendo plura pericula ſubiit atque diſcrimina, quam inter mortales, imo & inter Apoſtolos ullus: ſingulari quadam Chriſti Domini gratia datum eſſe *plus* ſcire & intelligere de quibuſdam ſive rerum futurarum eventibus ſive Religionis noſtræ obſcurioribus perceptu dogmatis, quam tibi, mihi, aut cæteris Dei miniſtris datur? Certe ea in re nihil eſt quod me offendat.

Bezæ verba.

Non ignoro tamen Bezam ab ea ſententia alienum fuiſſe. *Vulg. & Eraſm.* ait, vertunt ἄῤῥητα per Arcana. i. ἀπόῤῥητα, *velut iſta explicare quidem potuerit, ſed prohibitus fuerit ea enuntiare. Quaſi vero in Religione Chriſtiana ſint Eleuſinia quædam ſacra, & non potius omnia evulgari juſſerit Dominus, & quidem iis præcipue, quos mundus pro indoctis & imperitis habet: atque adeo populari ſermone, qui ab omnibus tum ſummis, tum infimis, Viris, pueris, mulierculis, intelligi poſſit: ita tamen, ut ad diſcentium captum omnia accommodentur.* Claudit diſputationem: *Itaque interpretationem illam non poſſum probare, niſi hoc addas, iſta non fuiſſe ejuſmodi, ut ad fidelium ſalutem eſſent explicatu neceſſaria.*

Ad ea ἐπίκρισις.

Poſtrema placent; præmiſſa haud æque. In his enim videbatur Beza omnem prorſus ejuſmodi revelationem rejicere, quæ non mox cum omnibus ſit communicanda; in illis vero ejuſmodi aliquam *revelationem* dari poſſe admittit, ſi modo ea non contineat, quæ ad Credentium ſalutem explicatu ſunt neceſſaria.

Quomodo reſtringenda ſententia?

Manus damus Bezæ. Nemo enim eorum, qui defendunt, ſingularem aliquam Paulo obtigiſſe revelationem rerum, non evulgandarum, unquam ut opinor ſtatuit, fuiſſe eam revelationem rerum, quæ fidelibus explicatu neceſſariæ ſunt ad ſalutem. Quis enim eo dementiæ veniret, ut doceret, Paulo nefas fuiſſe res ad ſalutem ſcitu neceſſarias credentibus enuntiare? Concedit itaque Beza, non

abſur-

abſurdum eſſe, ut ſtatuatur, potuiſſe *Paulo* res quaſdam à Chriſto eſſe explicatas, quas ipſi licitum non erat cum ullo communicare, ſi modo illæ non ſint fidelibus explicatu neceſſariæ ad ſalutem. Non eſt igitur neceſſe, ut pluribus contra Bezam diſputemus. Certe Calvinus, qui ob gravitatem judicii & morum ex verbis Scripturæ nihil unquam fere ſtuduit elicere, niſi quod in eorum *litera*, ut ajunt, clare perſpexit jacere, nec ullas facile admiſit expoſitiones Scripturæ, quæ videri poſſent parum deviare à communi ſenſu & ſimpliciſſimis noſtræ ſcientiæ principiis, heic manifeſte pro nobis diſputat. Sic ille: *Verum excipiet quiſpiam, ſupervacuum igitur & inutile fuiſſe, quod Paulus audierit: quorſum enim audiebat, quod eſſet perpetuo ſilentio premendum? Reſpondeo, id factum fuiſſe Pauli ipſius cauſſa. nam quem manebant tam ardua difficultates, & quæ frangendis mille pectoribus eſſent pares, eum oportuit ſingulari modo confirmari, ne uſquam ſederet, ſed perſtaret invictus. Reputemus pauliſper, quot adverſarios habuerit ejus doctrina, & quales: deinde, quam variis maculis impetita fuerit: non mirabimur amplius, cur* PLUS AUDIERIT, QUAM EFFARI LICERET. Egregie mihi videtur diſputare Calvinus. An nos, qui Paulo nolumus eſſe ſimiles laboribus & periculis, ſimilia tamen à Domino noſtro volumus referre Gratiæ atque honoris præmia? An nos, qui noſtræ vitio ſocordiæ & pigritiæ ad majorem ſcientiæ ſpiritualis gradum non pervenimus, eorum quoque revelationem nobis audemus arrogare, quæ ſciuntur ſupra id, quod in Verbo Dei ſcriptum eſt? Ne ſimus adeo vani mente. Vanum enim eſt affectare revelationem *verborum*, quæ *dicta non ſunt* hactenus, ſi τὰ ῥητὰ ea quæ *dicta* ſunt, non intelligas quidem, aut ad ea intelligenda animum ſerio applicare nolis. Calvini conſenſus.

XV. Hypotheſis autem qua hæc interpretatio nititur, ab omnibus, ut ſpero, facile admittetur. Nemo enim dicet, Eccleſiam Dei ſub Nova OEconomia nihil amplius habere quod diſcere poſſit per novam revelationem. Sunt enim quædam, quę, ſalva & integra fide atque religione noſtra, ignoramus: quod nimirum non conveniat huic ſtatui Eccleſiæ ea ſcire, quę Deus alii ſtatui ac OEconomiæ reſervavit. Quiſque enim Eccleſiæ ſtatus ſuis eſt circumſcriptus characteribus, quos Deus, ſapien- Hypotheſis ſententiæ certa.

Eccleſia ſecundum varias *OEconomias*, *tempora*, & *Status* creſcere debuit *cognitione* myſteriorum fidei.

ſapientiſſimus OEconomiarum auctor, confundi noluit. Sub Novo Teſtamento *audiri* debebant & *audita* fuerunt *verba*, quę ἄρρητα *non dicta* fuerunt ſub Teſtamento Veteri. Id exerte in Scriptis N. T. traditur [a]. *Amen enim dico vobis*, ait Dominus Apoſtolis, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι *multos Prophetas & juſtos deſideraſſe videre, quæ vos videtis & non viderunt*, καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε καὶ οὐκ ἤκουσαν *& audire, quæ vos auditis, &* NON AUDIERUNT. Meſſiæ erat *loqui*, & quidem הביע *ænigmata ab antiquo*, hoc eſt, quæ ab omnibus ſæculis pro *ænigmatis* ſunt habita [b]. Non minus diſerte Paulus [c]: *Loquimur ſapientiam Dei* ἐν μυστηρίῳ *arcanam*, τὴν ἀποκεκρυμμένην *occultam illam, quam præfinivit Deus ad gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit. ſi enim cognoviſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt: Quæ oculus non vidit*, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε *&* AURIS NON AUDIVIT, *& in animum hominis non aſcenderunt, quæ Deus præparavit iis, qui ipſum diligunt.* Locus deſumptus eſt ex Jeſ. LXIV. 3. qui ad tempora Novi Teſtamenti pertinet. *Magnus* ille *Propheta* Chriſtus debebat loqui τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ *verba Dei*, quæ nemini hactenus *loqui erat datum* [d]. Cæterum ut Deus iis, qui ſub Vetere agebant OEconomia, ἄρρητα quædam *verba* reſervaverat *audienda* ſub Teſtamento Novo: ſic iis, qui ſub Novo vivunt Teſtamento (quæ ſapientiſſima Dei diſpenſatio eſt:) ἄρρητα quædam *verba*

Prærogativa Eccleſiæ N. T.

Reſtat tamen aliquid audiendum in cœlo.

reſervavit audienda in *Paradiſo*. *Ibi* enim *viæ Dei* omnes clarius diſertiuſque in ſapientiſſimo ordine ſuo nobis declarabuntur: adeo ut præſens noſtra in his terris conditio ejus reſpectu dicatur πίστις *fides*, cum futura nobis repræſentetur per εἶδος *aſpectum* [e]. Quid ſi de *arcanis* his *cæleſtibus*, quorum Deus implicitam voluit pro ſua diſpenſatione in his terris eſſe cognitionem, aliquid prælibaverit & prægustaverit Paulus? Sub promiſſione Abraham *vidit diem Domini & lætatus eſt*, teſte Domino apud Joannem [f]. Dic ſodes, quid Abraham viderit? *Moſes* ſub Lege vidit *poſteriora Dei tranſeuntis* [g]. Explica, quid viderit Moſes? Non dubito, quin utraque viſio fuerit ejus, quod videndum erat ſub N. T. Si Abraham aliquid *videre* potuit *ſub promiſſione*, quod cæte-

a Matth. XIII. 17. b Pſ. LXXVIII. 2. Matth. XIII. 25. c 1 Cor. II. 7. d Joh. III. 34. e 2 Cor. V. 7. 1 Cor. XIII. 9, 10, 11, 12. 1 Joh. III. 2. f Joh. VIII. 56. g Exod. XXVIII. 23.

cæteris Patriarchis videre conceſſum non eſt: Si aliquid videre potuit Moſes ſub *Lege*, quod viſum & intellectum à gregariis Iſraëlitis non eſt: cur Paulus *ſub Evangelio* non potuit aliquid *audire*, quod cum cæteris credentibus communicandum non erat? Teneamus igitur, noluiſſe Deum, ut gratia, uni ejus ſingulari amico præſtita, totam turbaret œconomiam Eccleſiæ.

Potuerunt quæ Paulo in cœlis revelata ſunt, ad ipſum peculiarem habuiſſe χάριν.

XVI. Sed præter hæc, in quibus judico nos merito poſſe acquieſcere, fieri poteſt, ut ea, quæ Paulus in cœlis audivit, non enarranda aliis, ſcitu utilia fuerint *Paulo*, non vero *Eccleſiæ* Quid ita, ais? Quod Paulo ſcitu utile fuerit, idem mihi non fuerit? Puto ſane me non loqui ἀῤῥητα. Quæ & cujus generis *arcana* putas Paulo in cœlis eſſe declarata? Hæres forte, & me accuſas temeritatis, quod, quæ diſputo Paulum aliis declarare non debuiſſe arcana, in ea mihi non caveam inquirere. Verum non quæro, quid Paulo revelatum ſit. Id enim nemo abſque revelatione ſcire poteſt. Exiſtimo tamen, liberum eſſe per modeſtas conjectationes indagare, *cujus generis arcanorum* hæc revelatio fuerit? Omnia Paulo revelata eſſe, quæ ignorabat, non facile poteſt credi. Paulus enim ita debuit tractari in cœlis, ut ſuę conditionis in terris non prorſus obliviſceretur, neque illi penitus redderetur diſſimilis. Quid igitur eorum, quæ Paulo revelari potuerunt, excipies? Grotius, expediti Vir & ſagacis ingenii, hanc ſuam de eo ſententiam dixit: *Sicut Moſes intellexerat omnem illam diſpenſationem, qua Deus populum Iſraëliticum tuebatur ac regebat, ſic Paulus illam, per quam Chriſtus Eccleſiam ſuam gubernat: unde factum eſt, ut ad danda conſilia aptior fuerit ipſo Petro, qui primas in Eccleſia obtinebat. Sed hæc, quæ intellexerat, vetitus fuit enunciare.* Verba Grotii mihi apparent obſcuriora. Quin Moſes plura ſciverit quam ſcripſit, non dubito. De *diſpenſatione* tamen, qua Deus populum Judaicum tuitus eſt & rexit, mihi videtur ſatis eſſe ſcriptum à Moſe. Quid enim Deus à populo factum vellet non tantum, ſed & quid populo Judaico variis temporibus caſibusque eveniret, & quas Judæa Reſpublica ſubiret mutationes: clare quidem ſatis à Moſe enarratum eſt, ſi rationem habeas ætatis, qua ſcripſit, & populi, cui ſcripta ſua commiſit. Imo ex eo ipſo, quod Moſes *diſpenſationem, qua Deus populum Iſraëliticum tuitus eſt & rexit*, in ſcriptis

Grotii de iis ſententia.

Quæ ſubjicitur examini.

Moſis & Pauli comparatio.

Hhhhh ſuis

ſideria noſtra fruituros eſſe; *ipſi futuros eſſe ſimiles, eumque cognituros, ſicuti eſt*, ut Joannes in ipſo hoc loco diſſerit. Paulus inſuper declarat[a], *Deum* in illo ſtatu *futurum eſſe omnia in omnibus, & ipſum Filium Patri eſſe ſubjiciendum*; vitæ hujus *animalis* operationes tum eſſe ceſſaturas, ſanctoſque in Gloriæ ſtatum translatos, Angelis *futuros eſſe ſimiles*[b], & *corpora eorum induenda eſſe gloria, immortalitate, & incorruptibilitate*[c]. Quin etiam, *creaturam* omnem tum liberatum iri à *vanitate*[d], cujus nunc ſubeſt *imperio*. Satis igitur nobis de illo ſtatu revelatum eſt ad fidem & ſpem noſtram ſtabiliendam muniendamque adverſus omnes tentationes Diaboli, mundi, & carnis. Tametſi vero hæc de eo ſtatu ſint dicta & revelata, eaque dicta & revelata noverit Joannes: is tamen dicit, *nondum eſſe revelatum*, QUID FUTURI SIMUS, & dixit veriſſime. De ordine enim & œconomia illius ſtatus, ſicut etiam de ordine aliarum rerum omnium, quem Deus pro ſumma ſua ſapientia inſtituet, nihil quicquam intelligimus diſtincte. minus adhuc, quæ nobis in illis *gaudiis Domini* futura ſit *ſors*. Suam enim cuique credenti in illa gloria futuram eſſe ſortem, diſpenſationi Divinæ gratiæ hujus vitæ adæquatam: non juſtitia tantum Dei exigit, ſed & in Scripturis exerte perſcriptum eſt[e]. Quid ſi igitur hæſitando proponamus, an forte placuerit Christo, Paulo, fidiſſimo ſervo ſuo, in cœlos rapto, exponere, non quæ hujus tantum, ſed vel maxime, quæ futuri illius temporis futura ſit diſpenſatio, quis ordo, & præſertim, quæ *ipſi* in illa beatitate obtingeret *ſors glorioſa*, & quam à Domino ſuo expectandam haberet pro tot laboribus & periculis, quot pro cauſſa ejus ſuſtinebat, *mercedem?* In hac ſententia nihil video abſoni. Satisfacit omnino emphaſi verborum, quæ Paulus in hac oratione ſua adhibet. Ejusmodi enim *revelatum* commode poteſt vocari *ἄῤῥητον*, quia, ut Joannes clare ait, *manifeſtatum hactenus non eſt*. Hoc *non licebat Paulo ulli mortali enarrare*. Primo enim Deus pro ſapientia ſua ob varias rationes conſultum duxit univerſæ Eccleſiæ œconomiam illius temporis & ſtatus occultare. Utile igitur non fuit, ut Paulus id Eccleſiæ revelaret. Dein, revelatio hæc magis ad *Paulum* attinuit, quam ad

Quæ de hoc ſtatu in genere revelata ſint?

Quid non ſit, & qua parte cognitio noſtra hic laboret?

Quid hic Paulo potuerit eſſe revelatum?

Quod applicatur ad præſens ſubjectum.

a 1 Cor. xv. 28. b Luc. xx. 35, 36. c 1 Cor. xv. 43, 44. d Rom. VIII. 20, 21. e Rom. 11. 6. 2 Cor. IX. 6.

ſuis adeo liquido expoſuerit, cenſeri debet Moſes fuiſſe θεράπων πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ· *fidus ſervus in tota Domo Dei*[a]. Paulum Apoſtolum inſtar Moſis ſciviſſe *diſpenſationem, per quam Chriſtus Eccleſiam ſuam* ſub Novo Teſtamento *gubernat*, facile conceſſerim. Veruntamen non arbitror, hanc ſcientiam Paulo concreditam eſſe, ceu arcanum quoddam, quod evulgandum non erat. Ubique enim per Epiſtolas ſuas explicat *illam diſpenſationem*, qua Chriſtus Eccleſiam Novi Fœderis *gubernat*: & ſi de voluntate Chriſti hac parte clarius fuerit edoctus, quam cæteri Apoſtoli & ipſe Petrus, (quod Grotius ſentit, & nos nunc non diſputamus:) utique lucidius etiam quam cæteri Apoſtoli eam Eccleſiæ in Scriptis ſuis declaravit. Saltem non video hujus generis revelata vocari poſſe ῥήματα ἄῤῥητα *verba non dicta, quæ nemini fas eſt vulgare*. Præter quæ notandum, ſcientiam *diſpenſationis, qua* Chriſtus *Eccleſiam gubernat*, ejus non eſſe generis, ut cum univerſa Eccleſia communicari non debeat, quippe cujus revelatio univerſæ Eccleſiæ magnæ potuiſſet eſſe utilitati.

An ſublimia Fidei dogmata Paulo clarius expoſita?

XVII. Ubi igitur figemus pedem? An Chriſtus Paulo ea potius *Regni cœlorum arcana* declaravit, quæ ad Divinam Eſſentiam, ejusque Perſonarum tam in ſubſiſtendo quam in operando œconomiam, pertinent? An Filius Dei ipſum ſuasque proprietates potius ad animum Pauli clarius retexit, quam ulli alii mortalium? Poſſem de eo in hanc & illam partem multas volvere rationes; ſed non committam ut id nunc à me fiat, ne vel modeſtiæ vel veritatis limites forte incautus transgrediar. Multa de iis arcanis in verbo Dei ſunt revelata; multa etiam dicta & ſcripta ab ipſo Paulo: licet non dubitem, quin eorum clarior nos maneat revelatio in cœlis. Aliud mihi ſedet, quod paucis comprehendam.

Rectius hic cogitamus de ſtatu & OEconomia futuræ gloriæ.

XVIII. Scriptura clare & exerte docet, eſſe aliquid, quod Eccleſiæ, quæ in terris agit, revelatum hactenus non eſt. Quid id ſit, Joannes explicat in *priore* ejus *Epiſtola*[b]: Οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα· NONDUM REVELATUM EST, ait, QUID FUTURI SIMUS. Hoc certo ſcimus, manere Credentes in Chriſtum *vitam æternam, gaudia æterna, ſatietatem amœnitatum*. Scimus, nos in eo ſtatu Deo arctiſſime uniendos eſſe; ipſo ſecundum vota & deſideria

a Heb. III. 5. b 1 Cap. III. 2.

ſideria noſtra fruituros eſſe; *ipſi futuros eſſe ſimiles*, *eumque cognituros*, *ſicuti eſt*, ut Joannes in ipſo hoc loco diſſerit. Paulus inſuper declarat[a], *Deum* in illo ſtatu *futurum eſſe omnia in omnibus*, *& ipſum Filium Patri eſſe ſubjiciendum*; vitæ hujus *animalis* operationes tum eſſe ceſſaturas, ſanctosque in Gloriæ ſtatum translatos, Angelis *futuros eſſe ſimiles*[b], & *corpora eorum induenda eſſe gloria*, *immortalitate*, *& incorruptibilitate*[c]. Quin etiam, *creaturam* omnem tum liberatum iri à *vanitate*[d], cujus nunc ſubeſt *imperio*. Satis igitur nobis de illo ſtatu revelatum eſt ad fidem & ſpem noſtram ſtabiliendam muniendamque adverſus omnes tentationes Diaboli, mundi, & carnis. Tametſi vero hæc de eo ſtatu ſint dicta & revelata, eaque dicta & revelata noverit Joannes: is tamen dicit, *nondum eſſe revelatum*, QUID FUTURI SIMUS, & dixit veriſſime. De ordine enim & œconomia illius ſtatus, ſicut etiam de ordine aliarum rerum omnium, quem Deus pro ſumma ſua ſapientia inſtituet, nihil quicquam intelligimus diſtincte. minus adhuc, quæ nobis in illis *gaudiis Domini* futura ſit *ſors*. Suam enim cuique credenti in illa gloria futuram eſſe ſortem, diſpenſationi Divinæ gratiæ hujus vitæ adæquatam: non juſtitia tantum Dei exigit, ſed & in Scripturis exerte perſcriptum eſt[e]. Quid ſi igitur hæſitando proponamus, an forte placuerit Chriſto, Paulo, fidiſſimo ſervo ſuo, in cœlos rapto, exponere, non quæ hujus tantum, ſed vel maxime, quæ futuri illius temporis futura ſit diſpenſatio, quis ordo, & præſertim, quæ *ipſi* in illa beatitate obtingeret *ſors glorioſa*, & quam à Domino ſuo expectandam haberet pro tot laboribus & periculis, quot pro cauſſa ejus ſuſtinebat, *mercedem*? In hac ſententia nihil video abſoni. Satisfacit omnino emphaſi verborum, quæ Paulus in hac oratione ſua adhibet. Ejusmodi enim *revelatum* commode poteſt vocari ἄῤῥητον, quia, ut Joannes clare ait, *manifeſtatum hactenus non eſt*. Hoc *non licebat Paulo ulli mortali enarrare*. Primo enim Deus pro ſapientia ſua ob varias rationes conſultum duxit univerſæ Eccleſiæ œconomiam illius temporis & ſtatus occultare. Utile igitur non fuit, ut Paulus id Eccleſiæ revelaret. Dein, revelatio hæc magis ad *Paulum* attinuit, quam ad

Quæ de hoc ſtatu in genere revelata ſint?

Quid non ſit, & qua parte cognitio noſtra hic laboret?

Quid hic Paulo potuerit eſſe revelatum?

Quod applicatur ad præſens ſubjectum.

a 1 Cor. xv. 28. b Luc. xx. 35, 36. c 1 Cor. xv. 43, 44. d Rom. VIII. 20, 21. e Rom. 11. 6. 2 Cor. ix. 6.

Quod utile non erat cum aliis vulgari.

Eccleſiam. Qua enim ſorte Paulus beandus ſit in futura vita, magis expediit Paulo ſcire, quam Eccleſiæ. Nihil etiam revelari potuit Paulo, quod illi in omni calamitate fortius adferre poterat ſolamen; quod eum magis poterit incitare ad labores; magis animare ad ferendas afflictiones, ſubeunda pericula, negligendos contemptus, opprobria, dolores & moleſtias hujus vitæ, quam hoc ipſum. Quibus addere liceat, Paulum tanta cum efficacia & confidentia paſſim de mercede, quæ in cœlis ipſum cæteroſque manebat fideles, loqui ſolere, ut fere inde colligeris, de illo arcano ipſi plus revelatum fuiſſe quam aliis.

Narratio hæc Paulina rapta eſt in invidiam à Gentibus.

Argumentum ex *Dialogo* Luciani, *Philopatris.*

XIX. Cæterum ut hic Raptus Pauli in Cœlos magnam toti Eccleſiæ Credentium adfert conſolationem, ejuſque ſpem fulcit: ſic ſudes fuit in oculis Gentilium. Conſtat id ſatis ex Dialogo *Luciani*, ſive cujuſcunque alterius Sycophantæ, qui *Philopatris* inſcribitur, quippe quo plus ſemel ad hunc *raptum Pauli in cœlos*, & arcana, ibi percepta, alluditur, eaque ſimul falſe irridentur. Sic loquitur in eo *Triephon*, qui per luſum ſuſtinet perſonam Chriſtiani *Regeniti:* Καὶ γὰρ πρώην κἀγὼ ταῦτα ἐπεπόνθειν, ὥσπερ σύ, ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας, καὶ τὰ κάλλιστα ἐκμεμαθηκώς, δι' ὕδατος ἡμᾶς ἀνεκαίνισε· *Ego enim haud ita pridem pariter affectus fui, ac tu; quando autem me Galilæus ille convenit, recalvaſter, naſo aquilino,* QUI IN TERTIUM USQUE COELUM PER AEREM INGRESSUS EST, *quaque optima & pulcherrima ſunt, inde didicit, per aquam nos renovavit, &c.*

Summa ſcommatis, quod ibi occurrit.

Rurſus ad illum *Critias*, poſtquam Triephon Chriſtianorum ſententiam de Creatione & Providentia expoſuiſſet, eique Critias objeciſſet antiquam illam opinionem de *Parcis. Quamobrem, Triephon, ob hac nihil amplius addere de Parcis volueris,* εἰ καὶ τέως πεδάρσιος ἐγεγόνεις, μετὰ τοῦ διδασκάλου, καὶ τὰ ἀπόῤῥητα ἐμυήθης; *etiamſi fortaſſis* IN SUBLIME SUBLATUS FUERIS *una cum præceptore & arcanis iſtis initiatus.* Deinceps iterum Critias ſic loqui introducitur contra Chriſtianos: Οὐ γὰρ αἰθεροβατοῦντες ταῦτα ἀκηκόατε· *Non enim per æthera gradientes iſta audiviſtis.* Sed ſit hoc veræ apud nos & ſolidæ argumentum conſolationis, quod Gentilium impii profane riſerunt. *Nos* enim, quotquot credimus in Chriſtum, & ipſi *in Paulo adiimus paradiſum, & cum ipſo novimus, ibi nos*

audi-

audituros alia verba. Nam illorum (Apoſtolorum :) ὄψις & ἀκοὴ *eſt noſtra* ὄψις & ἀκοὴ, *qui maximis argumentis novimus, illos vidiſſe & audiviſſe, quæ narrantur vidiſſe & audiviſſe*; ſic pie Cl. Coccejus. Imo vero in his tuto ſpem noſtram reponimus. Neque adeo neceſſe habemus alias ejus generis Revelationes vel fingere, vel fictis facile, ſi narrentur, fidem habere. Sunt enim homines, & fuerunt olim, magno numero adeo inepti & væcordes in Eccleſia Chriſtiana, ut Religionis cauſſam, aut ſuam aliorumque exiſtimationem, ſuis commentis per fraudem & dolum promovere ſtuduerint. Utique finxit aliquis ſub nomine Hieronymi in Epiſtola ad *Celantiam*, ſe *raptum ultra tertium cælum, & plus vidiſſe, quam unquam vidit Paulus.* quem Eraſmus merito tanquam *rabulam* & *impoſtorem* perſtringit. Hujuſmodi mendacia difficile eſt ullo colore aut fuco excuſare. Huc tamen feror, ut illam fabulam credam originem duxiſſe ex eo, quod ipſe Hieronymus ſibi eveniſſe narrat in Epiſtola ad *Euſtochium*[a]. Verba ipſius, Monachis præcedentium ſæculorum commendatiora, quam noſtri ævi ſtudioſis, hæc ſunt: *Cum ante annos plurimos domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod his difficilius eſt, conſuetudine lautioris cibi, propter cælorum me regna caſtraſſem, & Hieroſolyma militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ ſummo ſtudio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miſer ego lecturus Tullium jejunabam. Poſt noctium crebras vigilias, poſt lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, Plautum ſumebam in manus. Si quando in memet reverſus, prophetas legere cœpiſſem, ſermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam eſſe vitium, ſed ſolis. Dum ita me antiquus ſerpens illuderet, in media ferme quadrageſima medullis infuſa febris, corpus invaſit exhauſtum & ſine ulla requie (quod dictu quoque incredibile ſit :) ſic infelicia membra depaſta ſunt, ut oſſibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto frigeſcente jam corpore, in ſolo tantum repente pectuſculo palpitabat, cum ſubito raptus in ſpiritu, ad tribunal judicis pertrahor: ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille qui*

Hieronymi de quodam caſu ſuo narratio ſingularis.

 præ-

a De *Cuſtodia Virginitatis*, p. m. 52.

præſidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus. Ubi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me juſſerat:) conſcientiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autem cœpi, & ejulans dicere: Miſerere mei domine, miſerere mei. Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua provoluti qui aſtiterant, precabantur, ut veniam tribueret adoleſcentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret: exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo, vellem etiam majora promittere: dejerare cœpi: & nomen ejus obteſtans, dicere: Domine, ſi unquam habuero codices ſeculares: ſi legero, te negavi. In hæc ſacramenti verba dimiſſus, revertor ad ſuperos: & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lachrymarum imbre perfuſos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui: teſtis judicium triſte, quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæſtionem, liventes habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto dehinc ſtudio divina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram. Prudens & Dei timens cultor literarum eo cum judicio hanc hiſtoriam leget, ut Ciceronem quidem ſibi negligendum non putet, nec tamen lectionis Tullianæ delicias cum amœnitatibus Divini Verbi comparare ſuſtineat.

Caput XXI.

Probabili ratiocinatione evincitur, Eccleſiam Corinthiacam *olim ſub nominibus* Pauli, Apollo, Cephæ, & Christi, *non* figurate *ſed* vere *diſtractam fuiſſe in partes. Porro quæ fuerit cujuſque harum ſectarum* materia, *quæ* cauſſæ, *quæ fomenta, inveſtigatur. Potiſſimum vero huc transfertur, quod de ſecta* Philoſophorum διαλεκτικῶν, *qui hebræis ſimili nomine* מדברים *cogniti ſunt, alibi traditur.*

Eccleſiam *Corinthiacam* ſciſſam eſſe in factiones, ipſo *Paulo* vivente, ex his verbis Apoſtoli conſtat, quæ ſunt in *priore* ad Corinthios Epiſtola[a]: *Declaratum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, à domeſticis Chloes, eſſe lites inter vos. Hoc autem ait, quemque veſtrum dicere:* Ἐγὼ μὲν εἰμι Παύλου· ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ· ἐγὼ δὲ, Κηφᾶ· ἐγὼ δὲ, Χριστοῦ· *Ego quidem ſum* Pauli, *ego autem* Apollo; *ego vero* Cephæ; *ego vero* Christi. Harum *factionum* quæ fuerint ὑποθέσεις, volupe eſt inveſtigare. Quod tamen operis fruſtra omnino aggrederer, ſi certum non eſſet, ejuſmodi *factiones* ſub ipſis illis nominibus *Pauli*, *Apollo*, & *Cephæ* olim *vere* in Eccleſia Corinthiaca extitiſſe. Nimirum vulgata eſt, præſtantium quoque hujus Epiſtolæ Interpretum, ſententia, *vere* tales contentiones in Eccleſia Corinthiaca nullas unquam extitiſſe, ut hic dixerit, ſe *Pauli* eſſe, alius, *Cephæ*, *Chriſti* alius, ſed Apoſtolum nomine *ſuo*, *Apollo*, *Cephæ*, & *Chriſti*, figurate tantum & tropice *uſum* vel *abuſum* fuiſſe ad ſignificandum, non haſce, ſed ſimiles contentiones locum in illa Eccleſia habere, ut hic ſe ab illo, alius ſe ab alio doctore denominaret; quorum tamen *Doctorum* nomina ipſa vitandæ invidiæ cauſſa noluerit exprimere, ſuum atque illa *Cephæ* & *Apollo* illis ſubſtituendo. quam ſuam hypotheſin vulgo adſtruunt ex cap. IV. 6. Ταῦτα δὲ ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλῶ δι' ὑμᾶς· *Hæc autem fratres* FIGURA *quadam* TRANSTULI IN ME ET APOLLO *propter vos.* Theophy-

Eccleſia Corinthiaca olim ſciſſa in partes & factiones, locus Pauli, 1 Cor. 1. 11, 12.

An veræ ſub nominibus *Pauli, Cephæ, Apollo*, extiterint factiones in illa Eccleſia; num potius *Nomina* hic metaphorice adhibeantur?

a Cap. 1. 11, 12.

phylactus: Οὐκ ἔλεγον δὲ οὕτω ἐκεῖνοι· ἀλλ' αὐτὸς οὕτω σχηματίζει τὸν λόγον, ἵνα δείξῃ ὅτι εἰ τὸ λέγειν μὲν αὐτοὺς Παύλου καὶ Κηφᾶ ὑπεύθυνον, πολλῷ μᾶλλον τὸ ἑτέρων· *Iſti autem non ita dicebant, ſed ille ſermonem ſuum ita effingit, ut oſtendat, quod ſi dicere ſe Pauli & Cephæ diſcipulos, culpa non vacet, multo magis, ſi aliorum.* Id ipſe, ut ſolet, ex Chryſoſtomo. Beza aperte: *Hæc nomina de induſtria fuiſſe ab Apoſtolo ſubdita in verorum locum, ex ipſomet conſtat infra 4. 6. nempe ut veris nominibus parceret, quod id expedire judicaret.* Diodati: *Paulus ſuum aliorumque Apoſtolorum nomina exempli tantum cauſſa huc adfert*[a]. *Principes enim harum factionum erant ipſi Paſtores Corinthii.* Rationes, cur diſſentiamus, hæ ſunt.

Quæ hypotheſis variis rationibus convellitur.

II. 1. Si vere ejuſmodi contentiones ſub *ipſis his nominibus* in Corinthiaca Eccleſia nullæ extiterint: neſcio, cur inter nomina *ficta* illud *Chriſti* ab Apoſtolo memoretur. Ea ſane noſtri Aſſertoris dignitas eſt, ut ipſius *nomen* non niſi reverenter admodum à nobis debeat haberi, neque adeo facile inducimur, ut credamus, illud inter alia *Cephæ*, *Pauli*, & *Apollo*, ab Apoſtolo fuiſſe *fictum* ad ſpeciem contentionis Eccleſiæ Corinthiacæ exprimendam. Et forte eadem hæc difficultas movit Chryſoſtomum, hujus ſententiæ Patronum, ut voces; ἐγὼ δὲ Χριστοῦ, à cæteris avulſerit, & *Pauli* eſſe, non Corinthiorum, aſſeruerit. quod tamen orationi Paulinæ conveniens non eſt. 2. Dictum eſto reverenter, argumentum Apoſtoli, quod profert & urget ỹſ. 14, 15, 16, 17. ad mores hoſce Corinthiis diſſuadendos, non admodum ſtringere, ſi crimen hoc in ipſo *Pauli* nomine à Corinthiis commiſſum non fuerit. Apoſtolus male illos agere ait, quod ſe ab *hoc* vel *illo doctore* denominent, cum in *Chriſti nomen* unice *baptizati ſint.* Quin *ego*, inquit, εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, ὅτι οὐδένα ὑμῶν ἐβάπτισα· *gratias habeo Deo, quod veſtrum neminem baptizaverim,* ἵνα μή τις εἴπῃ ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα· *ne quis dicat, me* IN MEUM NOMEN *baptizaſſe.* Ex qua oratione Apoſtoli ita inferendum eſt: *Male igitur inſtituitis Corinthii, quod vos* A ME *denominetis* & *me ſectæ cujuſdam auctorem conſtituatis.* quod tamen ad rem non faceret; ſi vere in illa Eccleſia nulli extitiſſent homines, qui Pauli nomen converterint in nomen titulare *ſectæ* alicujus. 3. Quæ Paulus de diſſidiis Eccleſiæ Corinthiacæ *ſuis verbis* dixerat,

a 1 Cor. IV. 6.

rat, In *Capite* III. 4, 5, 6. eum in modum repetit, ut ipſorum quoque Corinthiorum ea dicta ſint, non figurata ſane, ſed propria: Ὅταν γὰρ λέγῃ τις, Ἐγὼ μέν εἰμι Παύλου; ἕτερος δὲ ἐγὼ δὲ Ἀπολλὼ, οὐχὶ σαρκικοί ἐστε· *Quando autem* DICIT QUIS; *Ego ſum Pauli, alter vero, Ego ſum Apollo, nonne carnales eſtis?* Indicat mea opinione, eſſe revera in Eccleſia Corinthiaca, qui hoc dicebant. Dein *comm.* 5, 6. oſtendit, quid *ipſe*, quid *Apollos* egerit inter Corinthios. Quorſum vero hoc referebat, ſi nec ipſius nomine, nec nomine *Apollo*, ulla extarent inter eos diſſidia? Cur operoſe oſtendit *comm.* 8, 9, 10. *ſe* & *Apollo* idem opus agere, ejuſdem domini miniſtros eſſe, idem inter Corinthios Evangelium prædicaſſe, idem coluiſſe arvum, ſi hoc argumento nolit demonſtrare, Corinthios magna ipſum afficere injuria, quod ipſum ab Apollo, ipſi conjunctiſſimo, ſepararent? Neque aliud vult συλλογὴ *Capitis tertii: Omnia veſtra ſunt; Paulus, & Apollos, & Cephas: vos autem Chriſti.* 4. Imo vero illuſtris Grotius oſtendit, Clementem, Romanum Epiſcopum, in ſua ad *Corinthios* Epiſtola, quę inter prima monumenta venerandæ antiquitatis Eccleſiaſticæ nobis conſervata eſt, horum *diſſidiorum* ita meminiſſe, ut omnino ſupponat, factiones Corinthiacæ Eccleſiæ ab ipſis Perſonis *Pauli*, *Cephæ*, & *Apollo* nomina ſua traxiſſe. 5. Quod ſi inſuper evinci poſſit, alias hujus Epiſtolæ partes, earumque nexum & concentum, paſſim ſupponere, fuiſſe in *Corinthiaca* Eccleſia ejuſmodi factiones, quę *Pauli*, *Petri*, & *Apollo* nomina ſuſceperunt; magni id haud dubie in hac diſputatione fuerit momenti. id vero forte nobis non difficile fuerit probatu.

Cap. III. 4, 5. ſeqq. huic hypotheſi contrariatur.

III. Nec morabitur nos difficultas, quam Patroni adverſæ ſententiæ movent ex Cap. IV. 6. Ταῦτα δὲ ἀδελφοὶ, μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν καὶ Ἀπολλώ· *Hæc autem* FIGURA QUADAM TRANSTULI *in me & Apollo*; quaſi Apoſtolus iis verbis dicere vellet, ſe contentionum Corinthiacarum ſpecies ſub *ſuo* & *Apollo* nominibus propoſuiſſe. Hoc enim ſi voluiſſet, addere debuiſſet nomina *Cephæ* & *Chriſti*, quorum mentionem quoque in præcedentibus fecerat, & ſub quibus æque ſecundum communem opinionem repræſentata fuit hæc ſpecies ſchiſmatum Eccleſiæ Corinthiacæ, quam ſub nominibus *Pauli* & *Apollo*. Immo contextus ratio flagitat, ut hoc Apoſtoli dictum: ταῦτα μετεσχημάτισα· HÆC *tranſtuli*,

Objectio ex Cap. IV. 6. commode removetur.

Referenda illa verba ad orationem

immediate præcedentem.

li, de eo intelligatur, quod ab Apoſtolo in oratione antecedente memoratum erat. At in iis, quę ἀμέσως præcedunt, nullam is fecerat mentionem *diſſidiorum* Eccleſiæ, ſed diſſeruerat à *verſu uſque quinto capitis tertii* de ratione *miniſterii* Eccleſiaſtici ſub Novo Teſtamento. Oſtenderat, *Chriſtum* eſſe *Doctorem* & *Dominum*; *Eccleſiam* Templum; Miniſtros Evangelii omnes, nemine eorum excepto, eſſe ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων Θεοῦ; omnes, quemque pro dotibus ſibi à Deo conceſſis, omni ſtudio contendere debere, ut *arvum* Dei fideliter excolant, & *Templum Dei* exornent; judicium vero de cujuſque opere committendum eſſe Chriſto Jeſu, unico Eccleſiæ & Miniſtrorum ſuorum Judici; ac proinde male agere Corinthios, quod ſibi Judicium, quaſi pro tribunali ſententiam de excellentioribus Chriſti Miniſtris pronunciantium, partes vindicaverint. Et ne, inquit, vos putetis, *me* & *Apollo* hac communi conditione Miniſtrorum Evangelii eſſe exemptos; nos eſſe conſtitutos præ reliquis in majori dignitate; ego hæc omnia in *me & Apollo* volui *transferre*, ut intelligeretis, noſtram non eſſe aliam conditionem ac aliorum Miniſtrorum N. T. Deum *me miſiſſe ad plantandum*, & *Apollo ad irrigandum*, ut ambo excolamus *arvum* Dei *ſpirituale*; pariter rem ſe habere cum aliis omnibus Chriſti Miniſtris, licet diverſis dotibus inſtructis, tanquam qui nullius hominis ſed Chriſti ſolius Domini Judicio obnoxii ſint. Hæc mihi videtur planiſſima horum verborum eſſe ἐξήγησις. Grotius: *Quia hi veſtri Doctores* meo *etiam &* Apollo *nomine abutuntur*, *in noſtra perſona ipſis oſtendi*, *quam modeſte de ſe ac de aliis judicare debeant*; *quantamque curam gerere veſtri & pacis.*

Materia & hypotheſes *factionum Corinthiacarum* inveſtigantur.

IV. Hoc poſito fundamento, placet inquirere, quænam fuerint harum *ſectarum* ὑποθέσεις; quę materia hanc concitaverit & foverit flammam. De eo vero vix ullus eſt Interpretum, à me conſultorum, qui tantum ad guſtum meum ſcripſit, quantum ille pius, & doctus, & ingenuus ſenſuum Divini verbi rurſpator Ligtfootus. Hæc illius ſunt in *Horis Hebraicis* in hanc Epiſtolam [a]: *Ad originem hujus Schiſmatis inveſtigandam recurri poteſt ad Bipartitionem hujus Eccleſiæ in* Judæos *converſos &* Gentiles, *quæ patet ex ejus hiſtoria*, Act. XVIII. *Gentilitia forte* Pauli *nomen efferebat*, *&* Apollo; *Judaica* Cephæ *&* Chriſti. *Utra-*

Ligtfootus laudatus. Ejus ſententia.

a Pag. 3.

que iterum bipartita. Quidam de parte Gentilitia Paulum, aut ſolum, aut certe præ omnibus aliis ſunt reveriti, ut Patrem, Apoſtolorum primum, qui inter eos introduxit Evangelium, utcunque plane, humili ſtylo, & non ſecundum ſapientiam ac artem humanam prædicantem. Quidam autem Apollo ei prætulerunt, ut doctorem profundiorem, elegantiorem, & magis comptum. Vide Act. XVIII. 24. Verum, noſtro judicio, vidit Ligtfootus. Operæ pretium erit ejus cogitationes pro virili noſtra illuſtrare.

Paulus & Apollo fuerunt Doctores *Corinthii.*

V. *Paulum Corinthi* docuiſſe veritates Evangelicas, conſtat ex Apoſtolorum Actis. *Athenis*, ait Lucas [a], *venit* CORINTHUM, *ubi permanſit annum & ſex menſes, docens inter illos Verbum illud Dei.* Conſtat præterea ex eodem illo *Actuum Apoſtolicorum* Libro [b], Corinthios poſt Paulum Doctorem habuiſſe *Apollo*, à *Priſcilla* & *Aquila* de myſteriis regni cœlorum, quę illi ex Pauli commercio diſtinctius perceperant, edoctum Epheſi. Sic Lucas exerte, poſtquam dixiſſet, propoſitum ipſi fuiſſe *ire in Achaiam: Factum autem eſt, ut cum* APOLLO *eſſet* CORINTHI. Primus igitur inter *Corinthios* prædicavit Evangelium *Paulus*, poſt Paulum *Apollos*, quantum ex hac hiſtoria conſtat. Ita enim Lucas [c]: συνεβάλετο πολὺ τοῖς πεπιστευκόσι διὰ τῆς χάριτος, *contulit plurimum* (Apollos) *iis, qui per gratiam crediderant*, tum ſcilicet, quando *Paulus* ſe detinebat *Corinthi.*

Eorum *modi* docendi *diverſi.*

Paulus *fundamentum* inculcavit.

Apollo illuſtravit.

VI. Cæterum, quod nunc ad rem facit notaſſe: *Paulus* & *Apollo* eandem quidem docebant veritatem, ſed *modo diverſo*. *Pauli* erat, & omnium *Apoſtolorum*, primum fidei Chriſtianæ fundamentum ſolide collocare & adſtruere. Inde Chriſtus ὁ θεμέλιος τῶν Ἀποστόλων καὶ προφητῶν, *fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum* [d], & *Fundamentis muri* novæ Hieroſolymæ *inſculpta erant nomina duodecim Apoſtolorum* [e]. Nimirum Apoſtolorum erat, primam veritatem de Chriſto, ejuſque morte, reſurrectione, aſcenſione in cœlos, & beneficiis per ipſum Eccleſiæ collatis, *fundare*, h. e. adſtruere, demonſtrare, & ſua tam traditione quam prudentia immobili collocare loco. Inprimis id Pauli fuit, Gentilium Apoſtoli. Gentes enim, quarum erudiendarum cura Paulo commiſſa erat, plane erant rudes & o-

a Cap. XVIII. 1. b Cap. XIX. 1. c Cap. XVIII. 27. d Epheſ. II. 30. e Apoc. XXI. 14.

mnium harum veritatum ignaræ. Pauli itaque erat, προλήψεις erroneas, quibus obſiti erant Gentilium animi, evellere, profunda Satanæ detegere, ratiocinia carnis falſi convincere, & ut ipſius verbis utar, λογισμοὺς καθαιρῶν; tum denique ipſam illam veritatem ſolide & invicte demonſtrare, ut ædificio carnalis ſapientiæ in animis ipſorum deſtructo novum exurgeret fidei Veritatum Evangelicarum, nullis unquam concutiendum procellis.

Modus inſtitutionis Paulinæ, illiuſque neceſſitas, & utilitas, clarius exponuntur.

VII. At, cum *Apoſtolus* rem haberet cum Gentibus, quarum ſapientiſſimi etiam Philoſophi animum habebant ad *ſpiritualia* hæc percipienda prorſus ineptum; quarum vulgus, non excuſſis unquam mentis & conſcientiæ ſuæ viribus, in tenebris omnis ignorantiæ penitus demerſum erat: facile intelligimus, earum conditionem poſtulaſſe modum docendi clarum, facilem, ſimplicem, abſque ambagibus ullis, & ulla circuitione, Oratoribus alias familiari. Et vero conſtat, hunc fuiſſe *docendi modum* Pauli. *Chriſtum* ille unice prædicavit, & veritates, quę ad *fundamentum hoc* primum & ſummum ſanctiſſimę noſtrę fidei pertinebant, ſolummodo inculcavit verbis *ſimplicibus* & *claris*, ad veri convincendam omnium hominum conſcientiam. Sic ipſe de ſe [a]: *Miſit me Chriſtus ad Evangelizandum, non in* SAPIENTIA VERBI, *ne inanis reddatur crux Chriſti.* Εὐαγγελίζεσθαι erat proprie *primum adferre nuncium* de *bonis* per Chriſtum allatis, & amplius adferendis: quod per eos fiebat, qui ab ipſo Chriſto ad homines *legati* erant. Verbum nuncii Evangelici eſt: ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ſive; מלך אלהיך *Regnat Deus tuus.* Hoc vero *Apoſtolorum* erat, qui ſpeciatim משמיע שלום מבשר טוב οἱ εὐαγγελιζόμενοι dicuntur apud Jeſaiam [b]. Quemadmodum autem qui bonum nuncium portat, operam debet dare, ut *clare*, diſtincte, ſimplicibus breviſſimiſque verbis mentem ſuam explicet, ne auditori ſuo gravis & moleſtus ſit: recte quidem inde colligit Apoſtolus, illud etiam ſui eſſe officii, qua *Evangeliſta*, ne *inanis redderetur crux Chriſti.* Hoc eſt, ne ſi facunde de illo argumento vellet diſſerere, illudque multo verborum circuitu ſuadere, ipſe ſuum Teſtimonium ſuſpectum, & auditoribus ſuis inutile redderet. Etenim fas eſt, ut veritas prima clare & diſtin-

Apoſtolorum erat εὐαγγελίζεσθαι abſque verborum ambagibus.

a Cap. I. 17. b Cap. LII. 7.

diſtinctè in omni arte proponatur, explicetur, & demonſtretur.

VIII. Alia etiam id evincunt, quibus Apoſtolus ſui muneris exercitionem circumſcribit. Eſt id ipſi κηρύσσειν Χριστὸν ἐσταυρωμένον PRÆDICARE *Chriſtum* CRUCIFIXUM. ℣ſ. 22. Sicuti κήρυκες voce clara, & ſimplice dicendi modo, abſque ambagibus ullis, quid faciendum vel futurum ſit prædicant: ita nihil prius potiuſque habuit Apoſtolus, quam ut homines ex ipſo *modo* dicendi ſimpliciſſimo ſimul & clariſſimo intelligerent, *Jeſum Chriſtum eſſe crucifixum* εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ, ejuſque *crucifixionis cauſſas, fructus, & conſequentia*, inde manantia ad omnes veri nominis Chriſtianos. Neque aliud ſibi vult φράσις, καταγγέλλειν τὸ μαρτύριον τοῦ Θεοῦ, Cap. II. I. Conſtat, *Apoſtolos* miſſos fuiſſe ſpeciatim ceu μάρτυρας *teſtes Chriſti*, ut ſc. *teſtimonium* ederent, quid ipſi de Chriſto vidiſſent, & audiviſſent; ſimul, quæ Pater de Filio ſuo fuiſſet teſtatus. Is vero qui *teſtimonium* dicit adſtringitur ad uſurpandum verba facilia intellectu & clara, eaque loquendum abſque omni fuco & ambiguitate. Idem requiritur in eo, qui teſtimonium alterius refert. quod ipſum quoque illud Apoſtolo noſtro eſt [a] ποτίζειν γάλα *Lac potandum dare.* Γάλα eſt *infantum* cibus, ἄδολος ſimplex, ſignificans primas illas veritates, quas *modo regeniti* ſcire, perpendere, & meditari debent ad ſuum incrementum ſpirituale. Sicuti vero quę lac potandum dat infanti nutrix, neglectis omnibus menſæ Legibus, ad ſæculum compoſitis, hoc tantum ſtudet, ut lac infanti commode præbeat, idque in uſum infantis pro ejus voto & captu rite convertatur: ita quoque, neglecto omni dicendi ornatu, hoc tantum agebat Apoſtolus, ut bene caperent Corinthii, quod iis de ſalute per Chriſtum obtinenda proponebat. Et quid aliud τὸ φυτεύειν *plantare:* quam vocem Paulus *eodem Capite* adhibet [b]. Eſt illud *primam* ῥίζαν τῆς πίστεως (עקר האמונה) *fidei radicem*, hoc eſt, prima Chriſtianæ religionis credenda, inſerere hominum mentibus. Eſt enim animus hominis terræ ſimilis ſecundum Chriſti doctrinam, in qua, ab omnibus lapidibus & zizaniis purgata, *plantatur Chriſtus.* In plantando autem operam dat agricola, ut planta tenera terræ bene cultæ recte inſeratur; cætera fere alia mi-

Illuſtratur idem ex voce κηρύσσειν.

Aliiſque phraſibus propriis & figuratis, quæ illorum inſtitutionem ſignificant.

a Cap. III. I. b Cap. III. 6.

minus curans. Sed quid clarius iis, quę ſequuntur [a]: κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι, ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα· *Fundamentum poſui*, hoc eſt, *fundamentales* veritates Evangelii inculcavi meis auditoribus; modo plano & ſimplici. In fundamento enim non tam curatur decus quam ſoliditas, & ea potiſſimum ex re colligitur prudentia Architecti.

Qui *docendi modus* maxime placuit ſimplicioribus inter Corinthios, qui purum amabant Evangelium.

IX. Dubitandum vero non eſt, quin & res ab Apoſtolo propoſitæ, & modus eas proponendi, bene placuerint *ſimplicioribus* inter Credentes Corinthios, qui vano ſapientiæ ſuæ faſtu non erant elati: Et illos quidem ipſos probabile eſt ſe à *Paulo* denominaſſe, utpote quibus *modus* inſtituendi *Paulinus* quam maxime placuit, & qui Paulum quoque primum audiverant Religionis Chriſtianæ Doctorem. Sed *Apollos* qui poſt *Paulum Epheſo* Corinthum appulit, ut *Corinthios* in veritate jam per fidem recepta confirmaret, non adeo urſit prima fidei fundamenta, ſed potius ea ex παραλληλίας omnium partium Divini Verbi illuſtravit; neque uſus videtur *modo inſtituendi ſimplici*, qualis ille erat Apoſtoli, ſed *oratorio* potius aut *dialectico*: aliis quoque ex diſciplinis ſecundum Leges apte ornateque dicendi ea ad veritatis Evangelicæ demonſtrationem advocans, quę non tantum ſimplicis & inculti ingenii hominibus, ſed Philoſophis quoque, cæteriſque humanæ ſapientiæ artificibus, veritates illas poſſent perſuadere. Hoc vocat Apoſtolus ποτίζειν *irrigare* [b], diſtincte ἀπὸ τοῦ φυτεύειν *plantare*. *Ego* PLANTAVI, ait, Ἀπολλὼς ἐπότισεν· *Apollos* IRRIGAVIT. Paulus jecerat in animis *Corinthiorum* primam de Chriſto veritatem; *Apollos* vero aliunde id attulit, quod ad primam illam veritatem illuſtrandam quam plurimum fecit. Paulus *collocaverat fundamentum*, Apollos *fundamento ſuperadificaverat*, ſecundum id quod Apoſtolus *eodem loco* [c]: ἄλλος ἐποικοδομεῖ· *Alius autem* SUPERÆDIFICAT. *Superædificare fundamento* hoc in loco eſt ea adferre ad veritatem Evangelicam illuſtrandam, quę hominis Chriſtiani eruditionem & ſapientiam promovere apta nata ſunt. Fidem facit iis, quę diximus, Lucas in Actis. Deſcribit enim eum hominem elegantiſſimi, ſed fervidioris ingenii, qui egregie & ornate dicendi facultate, vique perſuadendi inſigni, erat inſtructus. Verba Lucæ [d]: *Judæus autem*

Apollos diverſum adhibuit *docendi modum*, oratorium vel dialecticum.

Qui illuſtratur ex Paulo & Luca.

a Verſ. 10. b Cap. III. 6. c Verſ. 10. d Cap. XVIII. 24.

autem quis, *nomine Apollos*, *gente Alexandrinus*, *vir* ELOQUENS (mox de eo agendi copia erit:) *potens in ſcripturis:* Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου. ἡ ὁδὸς τοῦ κυρίου eſt *Theologia*, דרך יהוה / inprimis vero ea pars ſcientiæ rerum Divinarum, quę *Chriſtum Dominum* ſpectat, cujus primis fundamentis erat imbutus, ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα τοῦ Ἰωάννου· *ſciens modo baptiſmum Joannis.* βάπτισμα Ἰωάννου[a] eſt doctrina Joannis, quam ipſe baptiſmo ſuo obſignavit. Docuit vero Joannes, *appropinquare Regnum cœlorum*, *monens ut crederent in venturum.* h. e. Chriſtum. Intellexerat igitur *Apollos* hoc *Joannis* præconium[b]; forte etiam levi fama, *veniſſe Chriſtum*, mortuum illum eſſe, & reſurrexiſſe, licet *Teſtes* nullos offendiſſet, quibus ſe tuto potuit committere. Cum enim illa palam inter Judæos ſua in terra acta fuerint & vulgata omnibus: non potuerunt ſane hunc Philoſophum, primis myſteriis jam initiatum, latere, qui ζέων ἦν τῷ πνεύματι *fervidus ſpiritu erat*, & omni animi contentione Joannis doctrinam, τὸ βάπτισμα τῆς μετανοίας, urgebat. Nactus vero *Aquilam & Priſcillam*, qui Paulo familiariter uſi in convictu optime profecerant in cognitione veritatis, doctores, *multum* per inſignes animi ſui dotes *profuit credentibus:* Εὐτόνως γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις διακατηλέγχετο δημοσίᾳ, *Magna enim contentione* (Sic Beza: Vulg: *vehementer.* Convenit *Syrus:* חקיפאית δυνατῶς, ἰσχυρῶς. ut Heſychius, vel *generoſe.* Belg: **met grooten ernſt.** Notat vocabulum, & *potenter* dixiſſe hunc hominem & *ornate*, ut Oratorem decet, cujus proprium eſt εὐτόνως agere:) *Judæos publice convincebat*, (forte etiam *diſputando.* Syrus habet, ורו) *demonſtrans per Scripturas*, *Jeſum eſſe Chriſtum.* quę omnia ſuadent adhibuiſſe hunc hominem *docendi* modum, à Paulino *diverſum.*

Verba Lucæ de Apollo, Act. XVIII. 24. expoſita.

Βάπτισμα Ἰωάννου.

Unde ſcientiam ſuam hauſerit?

X. Placuit autem *Apollos* inſigni hac dicendi peritia *Philoſophis & Oratoribus* bene multis, qui *Corinthi* verſabantur, Paulinæ orationis & demonſtrationis ſimplicitatem contemnentibus. Huc mea ſententia facit, quod eſt in *Epiſtola* Pauli ad eos *poſteriore:* *Nam* EPISTOLÆ *quidem*[c] (ſcire licet, Apoſtolum ante hanc duas miſiſſe ad Corinthios Epiſtolas, quarum prior, † uti dudum

Ejus docendi Modus placuit Oratoriæ & Philoſophiæ ſtudioſis.

a Matth. XXI. 25. b Act. XIX. 4. c Cap. X. 10.

† Demonſtrarunt id facile ex 1 Cor. v. 9. Videantur Grotius, Caveus, aliique Commentatores illius loci Fruditi, & in κριτικοῖς ſacra exercitati.

Patr. Apoſt. in vita Pauli.

Quibus Paulus minus ſatisfaciebat.

dudum Viri docti demonſtrarunt, periit:) *inquiunt graves ſunt: ſed præſentia corporis infirma eſt, & SERMO EST NIHILI. Epiſtolas* quidem Pauli laudabant, ſed dicendi facultate ajebant illum non admodum valere. haud dubie abſque jure & ratione. Huc etiam alluſerat, ubi dixerat [a], ſe κατὰ πρόσωπον μὲν ταπεινὸς ἐν ὑμῖν εἶναι· *coram quidem ſubmiſſum inter eos eſſe*, & [b] ἰδιώτην τῷ λόγῳ *idiotam dictione.* Quin omnia, quæ diſſerit *Paulus* in *Epiſtola poſteriore* à *Cap.* IX. uſque ad finem, faciunt ad ſuperbiam eorum hominum (qui ipſi ψευδαπόστολοι [c], ἐργάται δόλιοι, μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ, dicuntur:) deprimendam. neque enim, quando *tertiam* hanc *Epiſtolam* ſcribebat Apoſtolus, lites illæ adhucdum ſopitæ erant, ut conſtat ex ℣ſ. 20. Cap. XII. *Nam metuo*, ait, *ne cum venero, non quales velim, inveniam vos, & ego inveniar vobis, qualem nolitis.* μήπως ἔρεις, ζῆλοι, ἐριθεῖαι, καταλαλιαὶ, ψιθυρισμοὶ, φυσιώσεις, ἀκαταστασίαι. Sed & nullos alios quam *hos* reſpicere putem in 1 *Cor.* IV. 3, 4, 5. qui *ipſum* & *opus* ipſius *dijudicabant*; qui *inflati* erant, ℣ſ. 6. *jactabundi*, ſuiſque dotibus exultantes, imo ſe ipſos ab aliis διακρίνοντες.

Inter Corinthios plures erant *inflati* & *arrogantes*.

Species horum Philoſophorum deſcribitur ex Libro Coſri, qui ibi *loquentes*, Dialectici, dicuntur.

XI. Sed quinam hi ſpeciatim *Philoſophi* & *Oratores*, qui *Paulum*, tanquam dicendi arte non exercitatum, tantopere contemnebant? In elegantiſſimo Libro *Coſri*, ſimul apud Maimonidem in *More Nevochim*, quorundam Philoſophorum ſectam offendi, qui מדברים LOQUENTES dicuntur, ſuamque originem proculdubio debent διαλεκτικοῖς Veteribus. Hanc ſi dixerim ſequutum eſſe *Apollo*, & alios quoſdam Doctores Corinthios, illum præferentes magiſtrum, quos Paulus in Epiſtola ſua carpit: forte non admodum erravero. Ita inquit Rex *Coſri* in Libro illius nominis eleganti [d]: השמיעני בדרך כללים מקוצרים מן הדעות אשר נתבררו אצל חכמי שרשי האמונה והם הנקראים אצל הקראים בעלי חכמת הדברים *Explica mihi, quæſo, generalia quædam fundamenta de ſententiis, quæ habent Sapientes fundamentorum fidei, qui à Caraïs vocantur Periti* SAPIENTIÆ VERBORUM. Reſpondet *Socius*: אין כח תועלת זולת החדוד בדברים והעזר על מה שנאמר הוי זהיר במה שתשיב את אפיקורוס כי החכם התמים כמו הנביאים על הדמיון מעט הוא שיוכל להועיל אדם בדרך תלמוד ולא ישיב על חולק הדרך הדבור ובעל הדבור יראה עליו הוד חכמה עם שישיב לו השומע יתרון על התמים ההוא ההכיר אשר חכמתו אמונות לא ישיבהו מהם משיב *In his nulla eſt*

a Cap. X. 1. b Cap. XI. 6. c Cap. IX. 13. c Part. V. §. XV. p. 359.

eſt utilitas præter acumen VERBORUM *& adjumenti ad id, quod dicitur: Eſto monitus, ut diſcas Legem, ut reſpondere queas Epicureo. Parum enim eſt quod Sapiens perfectus, uti ſimilitudinis cauſſa Prophetæ, poſſit proficere alicui per modum inſtitutionis, ſiquidem non reſpondet diſſentienti per modum* λόγȣ (logice.) *Sed* ἀνὴρ λόγιος (Logicus) REPORTATURUS SIBI EST PALMAM SAPIENTIÆ, ITA UT AUDITOR IPSUM LONGE SIT SUBLATURUS SUPER SAPIENTEM ILLUM PERFECTUM ET PIUM, CUJUS SAPIENTIA CONSTAT FUNDAMENTIS, A QUIBUS NULLUS ILLUM DISPUTATOR POTERIT DIMOVERE. Plura ſequuntur, ſed exſcribere omnia non placet. Putabat autem R. Samuel Aben Tybbon in Expoſitione difficiliorum vocum Libri *More Nevochim*, מדברים *eſſe nomen certæ cujuſdam ſectæ Philoſophorum ſciolorum, qui de rebus ſtatuunt non ſecundum intellectum, neque ſecundum earum naturam, ſed ſecundum imaginationem & phantaſiam ſuam, & confundunt homines multitudine verborum, & orationibus ſpecioſis, quæ nullam habent veritatem, atque inde eorum artem vocari* חכמת הדברים *Sapientiam verborum, quaſi dicas, eam non eſſe intellectualem, ſeu, cum intellectu congruentem.* Et habet etiam alibi aliqua Maimonides[a], quę illi ſententiæ videri poſſent favere. Sed melius de illis R. Jehuda Muſcatus in ſuo Commentario in hunc locum *Coſri*, quando adſtruxit, Sophiſtas illos nomen hoc מדברים accepiſſe ab *arte ratiocinandi* egregia & ſubtili, qua ſe in Orationibus & demonſtrationibus ſuis commendabant. & liquet ſane ex ſpeciminibus rationalium collectionum, quę extant apud Maimonidem & in Libro Coſri, illos ingenii acumine vere excelluiſſe.

R. Aben Tybbon de iis judicium.

Rectius Muſcati.

XII. Floruit hæc Philoſophia ſequioribus ſæculis Chriſtianiſmi in Oriente apud Judæos & Arabes, ut iidem Auctores teſtantur. Verum cum omnis Philoſophia & Oratoria recentior, quę apud Judæos exculta eſt, originem ſuam trahat à Philoſophia Græca: dubitandum non eſt quin ipſi quoque hi Philoſophi ad Veteres Græcos ejuſdem nominis referendi ſint. Sint igitur οἱ מדברים apud Judæos iidem qui διαλεκτικοὶ apud Græcos. Nomina διαλεκτικὸς & מדבר inter ſe conveniunt ſignificatione. Laërtius autem *Dialecticos* Veteres ſic fere deſcribit, ut Philoſophi מדברים circumſcribuntur in Libro *Coſri*. Sic eſt apud illum

Antiquitas illius ſectæ.

Laërtii de iis teſtimonium.

Kkkkk in

a *More Nevochim* Part. 1. Cap. LXXIV.

in *Proœmio*[a], occupatum recenſendis variis denominationibus & generibus Philoſophorum: Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ φύσιν πραγματείας, φυσικοί. οἱ δὲ, ἀπὸ τῆς περὶ τὰ ἤθη σχολῆς, ἠθικοί. διαλεκτικοὶ δὲ, ὅσοι περὶ τὴν τῶν λόγων τερθρείαν κατέτριβον. *Atque alii, quod de natura rerum ſcripſere, Phyſici; alii, quia circa mores ſe occuparunt, Ethici;* Dialectici *vero*, (ſic dicti à *differendo*:) *qui* verborum ac rationum acumine pugnant: ſive qui ſe *acumine verborum exercent.* Utique quod apud *Laërtium* eſt τερθρεία τῶν λόγων, id apud Auctorem *Coſri* eſt חדוד בדברים *acumen verborum.* Ortum illorum apud eundem Laërtium invenire eſt in *Euclide Magarenſi*[b], quem inter Philoſophos inſignes ipſe etiam Plato Præceptorem habuit: Καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ (Laërtii verba ſunt:) Μεγαρικοὶ προσηγορεύοντο, εἶτ' ἐριστικοί, ὕστερον δὲ διαλεκτικοί, οὓς οὕτως ὠνόμασε πρῶτος Διονύσιος ὁ Καρχηδόνιος, διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι. *Ab eo Megarici denominati ſunt, qui poſtea* ἐριστικοί, *poſtremo* Dialectici *dicti ſunt. Quos ita primus Dionyſius Carthaginenſis idcirco appellavit, quod interrogando ac reſpondendo ſermones libroſque componerent.* Quin idem Laërtius tradit, *Stoicos* Philoſophos in *Dialectica*, hoc eſt, in cognitione & digeſtione *verborum* maximam ſapientiæ humanæ partem conſtituere[c]: Καὶ τοιοῦτοι μὲν ἐν τοῖς λογικοῖς οἱ Στωϊκοί, ἵνα μάλιστα κρατύνωσι διαλεκτικὸν ἀεὶ εἶναι τὸν σοφόν. πάντα γὰρ τὰ πράγματα διὰ τ' ἐν λόγοις θεωρίας ὁρᾶσθαι. *At hujuſmodi ſunt in Logicis Stoici, ut maxime aſſerant,* dialecticum *ſolum eſſe ſapientem. Omnes enim res per eam,* quæ in verbis est, *ſpeculationem cerni.* Atqui nos nulli dubitamus, quin ad hujuſmodi ſectam aliquam Philoſophorum pertinuerit Apollos, quando ea ad animum revocamus, quę de eo ſcripſit Lucas: ſive conferantur cum iis, quæ Laërtius tradit, ſive cum iis, quæ occurrunt in *Libro Coſri.* Deſcribitur Apollos à Luca tanquam Ἀλεξανδρεὺς γένει, *Genere Alexandrinus. Alexandriam* vero eo tempore præſtantiſſimos Judæorum aluiſſe *Philoſophos* ex Joſepho, Euſebio, aliiſque, exemplis bene multis, conſtat. Amplius traditur fuiſſe ἀνὴρ λόγιος *Vir* loquens, ſive *eloquens.* Si verum vis, nonne τὸ λόγιος eſt ipſiſſimum מדבר loquens? quod nomen huic ſectæ, vel forte eximiis omnibus Philoſophis, tributum. Opus eſt vero ipſius, εὐτόνως διακατελέγχειν & ἐπιδεικνύειν: quod horum

Ortus illorum ex ipſo demonſtratur.

Stoici idem ſectati inſtitutum.

Refertur id ad Apollo.

Verba & phraſes Lucæ & Pauli cum iis Auctoris *Coſri* comparantur.

a Pag. 12. b Pag. 158. c Pag. 487.

horum etiam *Philoſophorum*. Et videntur huc quoque pertinere variæ phraſes, quibus Apoſtolus in Secta Corinthiorum illorum Oratorum & Philoſophorum depingenda utitur. Quid eſt apud Apoſtolum [a] σοφία λόγου quam ipſiſſimum illud חכמת הדברים quod hiſce Philoſophis adſcribitur? Eſt enim חכמת הדברים vel חכמת הדבור σοφία λόγου. Dicuntur σοφοὶ [b], quod in Libro Coſri חכמים & ars eorum חכמה quod Apoſtolo σοφία. Verba præterea Apoſtoli [c]: Καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας, mirifice conveniunt hebræis in Coſri: בעל הדבור יראה עליו הוד חכמה *In Dialectico conſpicua eſt excellentia ſapientiæ.* דבור eſt λόγος, חכמה σοφία, הוד חכמה eſt ὑπεροχὴ λόγου. Sed quid clarius eo, quod Apoſtolus vſ. 6. Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις? Comparat enim Auctor *Coſri* תמים τὸν τέλειον PERFECTUM cum hiſce λογικοῖς. Dictionum & ratiociniorum formulæ aut notiones, quibus hi Philoſophi utebantur, vocantur ab Apoſtolo ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοι, ab Auctore *Coſri* דברים λόγοι. Conſtat enim omnis eorum *ſapientia* in דבור שכלי בחכמה ודעת *In ſermone intellectuali in ſapientia & cognitione.* Eodem quoque referendum quod Apoſtolus in ſequente contextu [d]: Ἐλεύσομαι δὲ ταχέως πρὸς ὑμᾶς, καὶ γνώσομαι οὐ τὸν λόγον (דבור) τῶν πεφυσιωμένων ἀλλὰ τὴν δύναμιν. Οὐ γὰρ ἐν λόγῳ (בדברים) ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. Diſputat enim ibi Apoſtolus contra eos, qui hac ſua *ſapientia* abutebantur. quod facili negotio fieri poſſe, docet idem Auctor Coſri: ואפשר שתפסיד חכמת הדברים הרבה מאמונות האמת *Fieri etiam poteſt, ut* SAPIENTIA ILLA VERBORUM *multa credenda vera corrumpat & perdat*, & quæ ſequuntur; quod uberius exequitur Maimonides [e].

XIII. His vero *Philoſophis*, inſigni rerum divinarum & humanarum ſcientia imbutis, eaque ſuperbientibus & glorianti- His Philoſophis placuit Apollo. bus, *Apollo*, ejuſdem ſectæ Philoſophus & Orator, & eminentiſſimis dotibus inter ſui generis homines excellens, placuit. Quod tamen recte accipiendum. Neque enim hinc colligere licet, vel Apollo ipſum Paulum contempſiſſe, & ſectæ à Paulo diverſæ Auctorem extitiſſe; vel eundem hunc Apollo ſapientia λογικῇ fuiſſe abuſum in Eccleſia Corinthiaca. Neutrum debet exiſtimari factum. *Apollos* enim Theologiam ſuam didicerat à

Kkkkk 2 Pauli

a Cap. I. 17. b Verſ. 20. c Cap. II. 1. d Cap. IV. 19. e Conſ. 2 Cor. X. 4, 5.

Pauli hoſpitibus, *Priſcilla* & *Aquila:* immo & ab iis *Corinthiis*, qui Evangelium a Paulo prædicatum audiverant, *Corinthum* fuit invitatus, ſi vetuſtiſſimo Codici Bezæ credimus, in quo hæc, commentarii inſtar, habentur: Ἐν δὲ τῇ Ἐφέσῳ ἐπιδημοῦντές τινες Κορίνθιοι καὶ ἀκούσαντες αὐτοῦ παρεκάλουν διελθεῖν σὺν αὐτοῖς εἰς τὴν πατρίδα αὐτῶν. Συγκατανεύσαντος δὲ αὐτοῦ οἱ Ἐφέσιοι ἔγραψαν τοῖς ἐν Κορίνθῳ μαθηταῖς, ὅπως ἀποδέξωνται τὸν ἄνδρα, ὃς ἐπιδημήσας εἰς τὴν Ἀχαΐαν συνεβάλετο, & quæ ſequuntur. Schiſma hoc utroque invito apud Corinthios natum, fuitque vitii hujus culpa apud auditores eorum carnales, non apud ipſos, ſanctiſſimos Viros, qui invidiæ & diſſenſionum cauſſas procul habebant: ut Paulus ipſo *Capite tertio* prioris Epiſtolæ non obſcure innuit.

Qui alii in Eccleſia Corinthica ſe dixerint *Cephitas?*

XIV. Ita ſatis explicatum, quinam *Pauli*, quinam *Apollo* partes ſequerentur. Sed quinam, obſecro, CEPHITHÆ? Quinam τοῦ Χριστοῦ? Quod ad prius: Conſtat, Petrum habitum eſſe in Eccleſia primi temporis *Patronum Judæorum*, & alieniorem à *Gentibus*, ad communionem bonorum Gratiæ cum Judæis æqua ſorte vocandis. Cujus rei fama ubi manavit ad Eccleſias, accidit ut Judæi zelotæ ſuæ Religionis & prærogativarum ſe à Petro denominaverint ejuſque partes amplexi & ſequuti ſint, à Paulianis & Gentibus ſe ſeparantes. Pertinent huc, quę habentur *Capitibus* VIII. & IX. hujus Epiſtolæ. Qui vero CHRISTI ſe dicebant eſſe *Corinthii*, omnium mea ſententia fuerunt ſimpliciſſimi, qui ſatis diſtincte de *Chriſto* non edocti eum cum Doctorum ejuſmodi ſectis confuderunt. Sed horum pars longe videtur fuiſſe minima. Etiam *Cephitæ* minores numero *Paulianis* & *Apolliſtis*. Ita ſentio, & cum Ligfooto noſtro autumo, *Paulianos* & *Apolliſtas* τοῖς τοῦ Κηφᾶ καὶ τοῦ Χριστοῦ fuiſſe oppoſitos, & forte diverſis etiam in *Synagogis* ſacra ſua peregiſſe *Corinthi*.

CA-

CAPUT XXII.

Quid ſibi velit Phraſis Scripturæ Novi Teſtamenti, BAPTIZARI IN NOMEN *alicujus; nec non*, Baptizari IN Perſonam, Statum *vitæ*, *aut* Beneficium, *quæritur; tentata illius explicatione ex ſimili loquutione, Hebræis Auctoribus uſurpata, ubi de* Proſelytorum *vel* Servorum Baptiſmo *loquuntur*.

QUid ſit βαπτίζεσθαι εἰς ὄνομά τινος BAPTIZARI IN ALICUJUS NOMEN ut v. g. *Baptizari* IN NOMEN *Patris*, *Filii*, *&* *Sp. S. Baptizari in nomen Chriſti*, nec non *Baptizari* IN NOMEN *Pauli:* non probe percepiſſe *Syrum* & *Latinum* Interpretes, videtur patere ex eorum *Verſionibus*. Ita ille [a]: או בשמה רפולוס עמדתון *Aut* IN NOMINE *Pauli Baptizati eſtis*? Sicut quoque apud *Matthæum* [b]: ואעמדו אנון בשם אבא וברא ורוחא רקודשא *Et Baptizate illos* IN NOMINE *Patris*, *Filii & Spiritus S. Hic* eodem plane modo: IN NOMINE *Pauli:* IN NOMINE *Patris Filii & Sp. S.* Conſtat nimirum, illos τὸ εἰς ὄνομα accepiſſe, ac ſi ſcriptum fuiſſet ἐν ὀνόματι: quod, ſi calculum bene inſtitui, non reperitur, niſi in Actis Apoſtolorum Cap. x. 18. προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου· *Et præcepit eos baptizari* IN NOMINE *Domini*. Syrus habet: בשמה רמרן ישוע משיחא *In Nomine Domini Jeſu Chriſti*. Beza nihilominus: *In nomen Domini*. quemadmodum τὸ εἰς ὄνομα conſtanter converterat, & recte, uti ex ſequentibus patebit. Hoc vero in loco cum *Lucas* ſcriptum reliquerit ἐν ὀνόματι, ego quoque illud vertere malim per *in nomine*, quam *in nomen*, ut non minor in verſione appareat differentia, quam eſt in modo loquendi. Belgis illa differentia, quæ in ſignificatione notabilis eſt, exprimitur, per; **in den naam**/ & **in de name**. Alterum valet, *ad id baptizari* ut quis *nomen* illius Perſonæ, in cujus *nomen* baptizari dicitur, colat, prædicet, celebretque tanquam nomen ſui Domini, Patroni, & Redemptoris, cujus laudi

Syrus Int. non recte percepit vim phraſios, *Baptizari in nomen*.

Quæ aliud ſonat, ac *Baptizari in nomine*.

Locus Act. x. 18. expoſitus.

Prior phraſis quid ſignificet?

a 1 Cor. i. 14. b Cap. XXVIII. 19.

laudi celebrandæ conſecratus ſit; Alterum, alicujus juſſu & auctoritate Baptiſmi ſacramentum accipere, & per id Religioni Chriſtianæ initiari. Cum autem non ſemel deprehenderimus Doctiſſimos Viros, ubi de Baptiſmo agunt, & eam in rem verba Domini apud Matthæum adducunt, hic hærere, & genuinam vim τοῦ βαπτίζειν conſtructi cum vocula εἰς non obſervare: operæ pretium fuerit illam interpretationum differentiam in lucem protrahere.

Vocabulum βαπτίζειν conſtructum cum εἰς.

II. Vocabulum βαπτίζειν conſtruitur cum εἰς in verbis Domini ultimis apud Matthæum [a], quibus Dominus jubet initiandos Chriſtianæ Religioni *baptizari* εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Sed quia forte quis dubitare poſſet, an non τὸ εἰς hic commode accipiatur pro ἐν: alia in medium proferenda ſunt loca hujus generis, quibus τὸ βαπτίζειν & βαπτίζεσθαι occurrit cum particula εἰς, & in quibus tamen ea particula non poteſt accipi pro ἐν, ſed ſignificatum ſibi proprium omnino debet retinere. ut ex. gr. Matth. III. 11. Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν· *Ego quidem vos baptizo aqua* AD *reſipiſcentiam.* Syrus recte: לתיבותא Marc. I. 4. Κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· *Prædicans Baptiſmum reſipiſcentiæ* AD *remiſſionem peccatorum.* Clarum eſt, τὸ εἰς μετάνοιαν & εἰς ἄφεσιν heic non poſſe accipi pro ἐν μετανοίᾳ & ἐν ἀφέσει. Similiter in Actis Apoſt. Cap. XIX. 3. *Dixit vero iis,* εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε· Οἱ δὲ εἶπον, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα. IN QUID *igitur baptizati eſtis? Illi vero dixerunt:* IN JOANNIS BAPTISMA. Belgæ: **Waar in zijt gy gedoopt:** Proprie: **Waar toe zijt gy gedoopt.** Simile eſt quod apud *Paulum* legitur in Epiſtola ad *Romanos* [b]: Ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν· *Quotquot baptizati ſumus* IN CHRISTUM JESUM, *baptizati ſumus* IN IPSIUS MORTEM. Βαπτίζεσθαι εἰς Χριστὸν hoc ponitur loco pro βαπτίζεσθαι εἰς τὸ ὄνομα Χριστοῦ: prout in Epiſtola ad *Galatas* [c]: Ὅσοι γὰρ εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε· *Quotquot enim* IN CHRITUM *Baptizati eſtis.* Et eadem hac ad Corinthios Epiſtola [d]: Καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο· *Et omnes* IN MOSEN *baptizati ſunt.*

Alia exempla illius conſtructionis.

Uſus ſingularis voculæ εἰς in illis locis.

III. Liquet hiſce ex locis, vocabulum βαπτίζεσθαι conſtantiſſime conſtrui cum particula εἰς, & iis quidem in caſibus, quibus particula εἰς pro ἐν accipi non poteſt. quod tamen quandoque

a Cap. XXVIII. 19. b Cap. VI. 3. c Cap. III. 27. d Cap. X 2.

quealiis in locis fieri, non negamus. ut v. gr. apud Matthæum[a]: εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. pro ἐν ᾧ εὐδόκησε. Et in Actis[b]; εἰς χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας, pro ἐν χολῇ &c. Sed ſunt illa loca, ſi communiorem uſum hujus voculæ reſpicias, rariora: hic vero obtinere non poſſe illam interpretationem, quis non, ipſa illa dicta, à nobis modo notata inſpiciens, illico videat? Illa enim nullum commodum fundunt ſenſum, ſi τὸ εἰς per ἐν exponatur. Quid enim, obſecro, notabit: *Baptizari in reſipiſcentia? In remiſſione peccatorum? In baptiſmate Joannis? In Chriſto? In morte Chriſti? In Moſe?* Quæ tamen omnia optumum dant ſenſum, ſi vocula εἰς ſuo ſignificatu gaudeat, uti decet, hoc eſt, per *ad* vertatur.

Etſi εἰς in aliis caſibus ſubinde valeat ἐν.

IV. Ita quidem nunc evictum, voculam εἰς conſtructam cum τῷ βαπτίζειν vel βάπτισμα exponendam per *ad*. Nondum tamen conſtat, quid ea ῥῆσις notet, βαπτίζεσθαι εἴς τι vel τινα, *Baptizari in aliquam rem* aut *perſonam*: in quod nunc eſt inquirendum majori cum ſtudio. Videntur vero, quando probe attendimus, ipſiſſima illa loca, quæ modo recenſita ſunt, veram hujus dictionis ſignificationem ſatis prodere. Quando enim dicitur *baptizari* aliquis *in*, vel, *ad remiſſionem peccatorum*; *in*, vel, *ad reſipiſcentiam*; quid aliud id poſſit ſignificare, quam baptizari aliquem hoc fine & ſcopo, ut *remiſſionem peccatorem* conſequatur, & reſipiſcentiam ſuam publice profiteatur, & indubiis argumentis demonſtret: tum etiam, ut ab aliis pro vero credente, qui beneficii *remiſſionis peccatorum* compos evaſerit & veræ reſipiſcentiæ ſtudere velit, habeatur & agnoſcatur. Quid diſcipuli aliud indicant, qui *ſe baptizatos* dicunt *in Baptiſma Joannis*, quam ſe ad hoc baptizatos eſſe, ut ea, quæ Joannes dixit & docuit, vera profiteantur; hac fiducia, ſe participes evaſuros promiſſionis, quam faciebat Joannes omnibus ſuis diſcipulis, *Meſſiæ* venturi. Quid Paulus, quando credentes prædicat *baptizatos in Chriſti mortem*, quam ad hoc ipſos *baptizatos eſſe*, ut mortem Chriſti ejuſque reſurrectionem ex morte, & ſuam communionem cum *morte* & *reſurrectione* Chriſti, profiterentur? Quid quando eos ait, *baptizatos eſſe in Chriſtum*, quam ad hoc

Inquiritur, quam poteſtatem ſignificationis habeat vocula εἰς in talibus caſibus?

Quod ex ipſis illis locis definiri poteſt.

a Cap. XII. 18. b Act. VIII. 23. Confer Glaſſ. Phil. Sacr. Lib. III. Tract. VI.

hoc ipſos aqua tinctos eſſe, ut profiteantur verum Meſſiam, Patribus promiſſum, nunc manifeſtatum in carne, ſimul omnes illius virtutes, geſta, mortem, reſurrectionem; hac fide, quod communionem habeant cum illo Meſſia, & bonorum ab illo adductorum ſint participes? Quid quando Iſraëlitas *baptizatos* teſtatur *in Moſen*, quam ad hoc eos quaſi aqua merſos eſſe, ut Moſen profiterentur ſervum Dei fidelem, eique ut ſuo Imperatori, à Deo ad ſuam ſalutem ſuſcitato, conſtanter ſumma cum fiducia quibuſvis in caſibus, adverſiſſimis etiam, adhærerent?

Locus 1 Cor. x.,1. in quo mentio *baptiſmi in Moſen*, diligentius excutitur.

V. Ita videmus vim phraſεως omnibus in locis eandem, mutatis modo perſonis & rebus, quibus ea applicatur: quod certiſſimum documentum eſt, nos in illius expoſitione minime falſos eſſe. Non erit tamen inutile, ultimum locum, in quo ſe maxime fatigarunt Interpretes, diligentius excutere, quia is univerſo huic negotio inſignem fœnerabitur lucem. Apoſtolus igitur ait, *Iſraëlitas Baptizatos eſſe* εἰς τὸν Μωσῆν IN MOSEN. Quid hoc? Anxie equidem id inter eruditos Viros diſputatum eſt. Plurimi eorum deprædicarunt diligentiam *Interpretis Syri*, qui τὸ εἰς Μωσῆν tranſtulit per ביד משה *Per manum Moſis*: miniſterio Moſis, qui nimirum Iſraëlitarum baptiſmi miniſter fuit, miniſtris Novi Teſtamenti, quibus baptizandi cura demandata eſt, reſpondens. Imo memini eſſe inter Doctos, qui, quando Linguæ Verſioniſque Syriacæ utilitatem neceſſitatemque commendaturi ſunt, hoc utantur exemplo, quaſi Interpres Syrus ſua verſione & difficultatem maximam heic loci ſuſtuliſſet, & ſimul genuinam ſententiam hujus dicti in medium produxiſſet. Obſervavi inſuper, Eruditum Virum, Joannem Vorſtium [a], *In Commentario ſuo de Hebraiſmis N.T.* hoc ſolo ex loco in particula εἰς quærere voluiſſe ſingularem Hebraiſmum, quo acciperetur pro διά. Εἰς τὸν Μωσῆν, ait, *dictum eſt pro* διὰ Μωσέως *Per Moſem. Atque id Hebræorum imitatione, apud quos præfixum* ב *non tantum idem, quod Græcum* εἰς, *ſed & quod* διὰ *ſignificat.* Miror equidem, cum viderit luculentum Cameronis commentarium, qui locum hunc recte tractavit. Sed ſane, quiſquis ille ſit, qui hunc locum ita interpretatur, cum nos à vero illius ſenſu putamus aberrare

Joh. Vorſtii ſententia.

a Part. 1. Cap. VII.

Vocula εἰς non poteſt verti per διά.

errare. Nullus eſt locus quod ſciam, in univerſo Codice Novi Fœderis, in quo vocula εἰς *inſtrumentalem cauſſam* ſignificat, qualem huic vocabulo ſignificatum hoc loco affingunt Interpretes. Vorſtius præter hoc teſtimonium aliud nullum produxit. Glaſſius ad *Canonem* V[a], diverſas notiones particularum *ad locum* explicans, hac de ſignificatione ne verbum quidem dixit: in *Appendice* vero *Can.* XIX. præter hunc locum τὸ εἰς pro *per* capi notavit in Evangelio *Matth.* cap. v. 35. ubi: εἰς Ἱεροσόλυμα. Sed ſignificatus ibi diverſiſſimus eſt. Quod enim ibi Latini ſua lingua exprimunt per *per*, hoc Belgæ per by/ quod æque per *ad*, quam per *per* vertitur. Si igitur τὸ εἰς nunquam notet *cauſſam inſtrumentalem*: quid cauſſæ eſt eam ſignificationem hoc loco illi abſque neceſſitate affingere? Si contra τὸ εἰς cum verbo βαπτίζεσθαι admodum familiariter & frequenter conſtruatur, & in ea conſtructione ſemper notet *ad*: quę me movebit ratio ordinariam illam & familiarem conſtructionem hoc in loco negligendi; magis cum ſenſum det fœcundum, quem alia expoſitio tenuem dat & minime emphaticum?

Locus explicandus ex Exod. XIV. 31.

Quid ibi *credere in Moſen?*

VI. Ego vero certum habeo, Interpretes multos in expoſitione hujus dicti à vero deflexiſſe, quod non ſatis diligenter attenderint ad phraſin Scripturæ. Repetenda autem illa eſt ex *Exodi Cap.* XIV. 31. ubi ſcribitur, Iſraëlitas tranſgreſſos mare rubrum, Pharaonis iræ per miraculum inſigne ſubductos, *credidiſſe in Jehova &* IN MOSE *ſervo ejus.* (ויאמנו ביהוה ובמשה עבדו) hoc eſt, certiſſime fuiſſe perſuaſos *Deum* caſtris ſuis adeſſe, & *Moſen* fidelem eſſe ſervum Dei, quem is miſerit ad gentis Iſraëliticæ ſalutem; præterea fiduciam ſuam poſuiſſe in *Deo*, & in *Moſe* ut *Miniſtro* Dei, quem Deus non eſſet derelicturus in quibuſcunque rebus adverſis. Eam enim omnem vim habet τὸ האמין conſtructum cum ב. Id vero repetitur Exod. XIX 9. Cæterum quia Deus hac de cauſſa Iſraëlitas per *rubrum mare* duxerat, ut *in Moſe fiduciam ponerent*: Paulus ait, illos *in Moſen fuiſſe baptizatos*, hoc eſt, ad id fuiſſe baptizatos, ut Moſen profiterentur fidelem Dei miniſtrum, eique deinceps in quibuſcunque calamitatibus adhærerent, & eum pro legitimo Imperatore & Soſpitatore ſibi divinitus excitato agnoſcerent, hoc eſt, ad id baptiza-

a Phil. Sacr. Lib. III. Tract. VI.

ptizatos eſſe, *ut in Moſe crederent. Baptiſmus* enim ſequitur *fidem:* adeo ut in illum baptizemur, in quem credimus. Sis vide Cameronem in *Myrothecio*, & Coccejum, in *Summa Doctrinæ de Fœdere* [a].

Uſus vocis εἰς conſtructæ cum βαπτίζεσθαι illuſtratus ex phraſi Hebræa טבל לשם.

VII. Forte autem hic uſus voculæ εἰς cum τῷ βαπτίζεσθαι illuſtrari etiam poſſit ex non diſſimili loquendi modo, qui Talmudicis de *Servorum* & *Proſelytorum Baptiſmo* agentibus, receptus eſt. Conſtruunt illi vocem טבל cum לשם: quod hic tantundem valere debet ac εἰς, AD. Maimonides ex Veteribus de *Servorum Baptiſmo* [b]: כשם שמלין ומטבילין את הגרים כך מלין ומטבילין את העבדים הנלקחים מן הגוים לשם עבדות הלוקח עבד מן הגוי וקדם העבד וטבל לשם בן חורין קנה עצמו והוא שיאמר בעת טבילה הריני טובל בפניכם לשם גירות ואם טבל בפני רבו אינו צריך לפרש אלא כיון שטבל נשתחרר לפיכך צריך רבו לתקפו במים עד שיעלה והוא תחת שעבודו ומודיעו בפני הדינים שלשם עבדות יש מטבילו *Sicut circumcidunt & baptizant proſelytos, ita etiam circumcidunt &* BAPTIZANT SERVOS, *aſſumptos à gentilibus* לשם AD SERVITUTEM. *Si quis accepit ſervum à gentili, & is ſervus Dominum ſuum antevertat, & baptizetur* NOMINE INGENUI, *hoc ipſo ſui ſit juris. Fiet autem illud, ſi tempore baptiſmi dixerit: Ecce ego baptizor coram vobis* AD PROSELYTISMUM. *Sed ſi baptizetur præſente Domino, non opus eſt, ut hoc declaret, ſed eo ipſo, quo baptizatur, liber fit. Idcirco neceſſe eſt, ut herus eum manu teneat in aqua, uſque quo aſcenderit, ut in ſuo ſit mancipio; ſimul etiam dicet ipſi coram judicibus, ſe eum baptizari curare* AD SERVITUTEM.

Maimonidis locus de *Baptiſmo ſervorum.*

Alia ejuſdem, ſimilis argumenti.

Sic pariter alibi de eodem argumento [c]: ישראל שתקף בנו קטן או מצא תינוק גוי והטבילו לשם גר הרי זה גר לשם עבד הרי זה עבד לשם בן חורין הרי זה בן חורין *Si Iſraëlita ceperit Gentilem minorem, aut invenerit infantem gentilem, & baptizari eum curaverit* NOMINE PROSELYTI, *proſelytus eſt;* NOMINE SERVI, *ſervus eſt;* NOMINE INGENUI, *ingenuus eſt.* Et mox iterum [d]: עבד שנשבה אם נתיאש ממנו רבו ראשון כל הפודה אותו לשם עבד ישתעבד בו והרי הוא שלו ואם פודהו לשם בן חורין הרי זה בן חורין *Servum, in captivitatem abductum, de quo Dominus ejus primus deſperavit, qui redemerit* NOMINE SERVI, *is eum eo ipſo ſibi in ſervitutem vindicat; ſi vero eum redemerit* NOMINE INGENUI, *ingenuus* ſive *liber habetur.* Similiter

a §. 426. b Hilchoth איסורי ביאה Cap. XIII. §. XI. c Hilch. עבדים Cap. VIII. §. ult. d §. X.

ter Tractatu de *Donis Pauperum* [a]: עבר שנשבה חואיל וטבל לשם עברות וקבל עליו מצות פורין אותו כישראל שנשבה *Servum captum, poſtquam baptizatus eſt* AD SERVITUTEM, *& in ſe recepit præcepta, redimunt inſtar Iſraëlitæ in Captivitatem abducti.*

VIII. Duplicem hic patet eſſe uſum voculæ conſtructæ לשם. Jungitur enim notioni *ſervitutis* tam in *abſtracto*, quod ajunt, quam in *concreto*, h. e. tam ipſi ſervitutis ſtatui & conditioni, quam homini ab hoc ſtatu vel conditione vitæ denominato. Quid ſibi velit utroque in caſu, tum ex contextu Maimonidis, tum aliunde, ſatis clarum eſt. *Baptizari* לשם עברות vel לשם עבר / eſt *baptizari tanquam ſervum*, hoc fine & ſcopo, ut quis deinde pro *Servo* habeatur, & ipſe ſe *ſervum* profiteatur, & tanquam talem ſe gerat & ab aliis ut talem ſe patiatur tractari. *Baptizari* לשם חרות vel כן חורין / eſt *baptizari* tanquam *liberæ conditionis hominem*, hujus rei cauſſa & hunc in finem ac ſcopum, ut baptizatus dehinc libertatem profiteri & præ ſe ferre queat, & pro homine libero ab aliis habeatur, & tanquam talis tractetur. Quæ etſi ita ſint: videtur tamen vocula לשם pro varia conſtructione variam hic admittere debere interpretationem. Quando conſtruitur cum *abſtractis Servitutis* & *Libertatis*, optime vertitur per *ad*, notatque *finem propter quem* quis baptizatur, aut *ſtatum ad quem* quis per baptiſmum mittitur; ſed ſi conſtruatur cum *concretis Liberi* aut *Servi*, notat proprie *titulum* aut *qualitatem*, qua baptizandus conſiderari debeat. quæ cauſſa quod Doctiſſimi Viri hanc voculam, ſive ῥῆσιν, varie acceperint. Seldenus in hoc argumento [b]: *Domino*, ait, *heic cavendum erat, ne ſervus major in præſentia ejus baptiſmo ſuſceptus profiteretur Trium-Viris*, שטיבל בפניהם לשם בן חורין או לשם גירות *Se baptizari coram illis* NOMINE, *ſeu* IN NOMEN *Ingenui liberive, aut nomine Juris Proſelyti*, id eſt, *ut libertatem ſeu integrum Proſelyti Juſti jus ſibi nanciſceretur, atque ita ex aquis libere aſcenderet.* Viden' לשם hic ex ſententia Seldeni notare *finem* vel ſcopum, *ad quem* quid fit, ſive *cauſſam propter quam*? Verum non minus clare Cl. Altingius [c], dictiones לגירות לשם בן חורין / לשם עברות / vertit; AD SERVITUTEM; IN TESTIMONIUM *ſervitutis*; AD *ſtatum ingenuorum ſibi* CONFIRMANDUM;

Phraſis hæc Maimonidis & Talmudicorum declaratur.

Seldeni & Altingii judicia de hac phraſi.

a Cap. VIII. §. XIV. b *Jur. Naturæ & Gent.* Lib. II. Cap. III. *Diſſert. Phil.* VII. de *Proſelytis.*

Et Prideauxii.

AD *Proſelytiſmum.* Prideauxius, in Verſione Tractatus *Iſſure Biah*, eaſdem has phraſes latine dare ſolet [a], IN NOMINE *ſervitutis retentæ*, *in nomine liberti*, *in nomine Proſelytiſmi.* Ubi vero eſt in explicanda phraſi, לשם עברות / *in nomine ſervitutis retentæ*, non multum variat à noſtra, vel potius à communi expoſitione. *Id eſt*, ait [b], *in nomine ſervi, ita ut poſt Proſelytiſmum ſervus maneret illius, cujus antea fuerat. Servus enim cum Proſelytus factus eſſet, niſi in ipſo actu baptiſmi libertate donandus eſſet, diſertis verbis baptizabatur* לשם עברות IN NOMINE SERVITUTIS RETENTÆ. *Sic enim Domino cautum erat, ne per Proſelytiſmum ſervus illius liber fieret, atque ideo cum ſervus baptizatus eſſet, Dominus eum ſuperne inclinans in aquis cohibebat, nec aſcendere ſinebat, uſque dum verbis aut Domini ſive ipſius diſertis Baptiſmum ejus nomine ſervitutis retentæ fieri pronunciaretur. Niſi enim hoc cautum eſſet, quicunque in Proſelytiſmum Juſtitiæ admiſſus fuerat, ſimul etiam pleno libertatis Jure donabatur.* Prideauxii igitur illud; *in nomine ſervitutis retentæ*; tantundem valebit atque; *hoc nomine*, hoc titulo, *ut ſervus ſit maneatque.* Bene habet: *Baptizari* לשם *in nomen ſervitutis*, *ad ſervitutem*, *propter ſervitutem*, notat *baptizari* ad id, ut baptizatus ille *ſervus Judæus* poſſit eſſe; pro eo ab aliis agnoſci; hunc titulum profiteri; neque ille modo, ſed & ipſius herus. Tradidit enim Maimonides in eodem illo *Tractatu* [c], qui de *Vetito Congreſſu* agit, *ſervum* ab hebræo à Gentilibus emptum, qui per duodecim menſes monitus *circumciſionem* aut *baptiſmum* noluit admittere, ſi nihil de eo ante emptionem pactum fuerit, debuiſſe rurſus vendi gentilibus, neque *ſervitutem Hebræorum* profiteri, aut inter Hebræos ſervos numerari poſſe. *Baptizari* vero לשם בן חורין εἰς ὄνομα ἐλευθέρου notat, ad hoc aqua tingi, ut quis poſthac ἐλεύθερος ſit; pro tali ab omnibus agnoſcatur; ſuam ἐλευθέρωσιν quovis modo per omnem vitam profiteatur; omnibus denique juribus & privilegiis τῶν בני חורין ἐλευθέρων utatur, fruatur. Similiter טבל לשם גירות *baptizari* IN NOMEN *Proſelytiſmi*, baptizari *ad Proſelytiſmum*, quid aliud ſignificet, quam *baptizari* in eum finem, ut quis *Proſelytus* ſit; pro eo habeatur; agnoſcatur ab aliis, & prærogativis גרים *Proſelytorum* fruatur. Et quidem quod ad

Jus Hebræorum de Servis, qui baptiſmum nolebant admittere.

a §. XLVIII. XLIX. Cap. XIII. & XIV. b Not. ad §. XIV Cap. VIII. Maimon. de *Donis Pauperum.* c Cap. XIV.

ad illam attinet interpretationem, qua לשׁם/ conſtructum cum *concretis*, notat *titulum* vel *qualitatem*: ſumitur quoque τὸ εἰς ὄνομα manifeſte hac ſignificatione in verbis Chriſti apud Matthæum[a]: *Qui recipit Prophetam* εἰς ὄνομα Προφήτου IN NOMEN PROPHETÆ, (hebraice: לשׁם: h e. hoc titulo, & hujus rei cauſſa, quia *Propheta* eſt:) *mercedem Propheta reportabit.* Τὸ εἰς ὄνομα hic tantundem valet ac לשׁם Hebræorum.

Græca phraſis Matth. x. 41. cum Hebræa לשׁם collocata.

IX. Cæterum cum hoc loquendi modo, quo quis *baptizari* dicitur *in rem* aut *ſtatum*, conſtructa phraſi cum vocula לשׁם/ ut ſit in modo notatis; טבל לשׁם עברות׳ לשׁם גירות *Baptizari* AD *ſervitutem*, AD *Proſelytiſmum*, *&c.* comparari cenſeo poſſe illas phraſes Scriptorum Sacrorum, quibus mentio eſt *Baptiſmi in beneficium*, *in rem*, aut *in ſtatum*; cujuſmodi ſunt: βαπτίζεσθαι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς μετάνοιαν, εἰς θάνατον Χριστοῦ *baptizari* ad *Remiſſionem peccatorum*, ad *Reſipiſcentiam*, ad, ſive *in mortem Chriſti.* Quid enim eſt *baptizari* AD (לשׁם) *Remiſſionem peccatorum*, quam ad id *baptizari*, ut *baptiſmo*, ceu ſigno quodam, conſtet, impetraſſe quem hoc *beneficium remiſſionis peccatorum?* ipſum traductum ex *ſtatu iræ* in *ſtatum* gratiæ? Porro, *baptizari* AD *reſipiſcentiam*, quid eſt, quam *baptizari* IN TESTIMONIUM *reſipiſcentiæ:* ut *batiſmo*, ceu ſigno, conſtet, quem vere *reſipuiſſe*, & ex *ſtatu peccati* tranſiiſſe in *ſtatum reſipiſcentiæ*, atque in *eo ſtatu* ipſum perſeveraturum? Pariter in *mortem Chriſti baptizari*, haud dubie eſt baptizari *eo fine* & ſcopo, ut quis ſuam cum *morte Chriſti* communionem profiteatur; ut baptiſmo, ceu ſigno conſtet, *eum ſtatum vitæ*, in quo eſt profeſſio communionis mortis Chriſti, quem amplexum eſſe & in eo permanſurum. Hæc, ut mihi quidem videtur, facilia ſunt cogitatu: & omnino in his locutionibus eadem obtinet ſignificatio voculæ εἰς quæ eſt לשׁם apud Hebræos.

Loca Scripturæ de baptiſmo in *rem* vel *ſtatum* ex hac phraſi expoſita.

X. Quin tentemus, an non ulterius poſſimus progredi. Scriptura non tantum nos dicit *baptizari* in *beneficium* aut *ſtatum*, ſed & in *perſonam*; dicit, inquam, Chriſtianos *baptizatos eſſe* εἰς Χριστὸν IN *Chriſtum*; quemadmodum *Paulus* ait, *Iſraëlitas* olim eſſe *baptizatos* IN *Moſen.* Quid ſit, *in Moſen baptizatum* eſſe, jam ante dictum. Quid ſit, *in Chriſtum baptizatum* eſſe, id pariter non eſt

Tentatur etiam ex hac phraſi expoſitio locorum de *baptiſmo in perſonam.*

a Cap. x. 41.

eſt obſcurum. Eſt enim dubio procul *ad id* baptizari, ut quis ſuam cum Chriſto profiteatur communionem; ut quis eo baptiſmo, ceu *ſigno* & *teſtimonio*, palam faciat, *ſe in Chriſtum credidiſſe.* Verum id dubium eſt, an phraſis, qua quis dicitur *baptizari in Perſonam*, quid commune habeat cum hebræa phraſi; מטבל לשם *baptizari in nomen*, ſive *ad* aliquid? Videtur autem id quoque non incommode ſtatui poſſe. Quid enim eſt, *baptizari* לשם עברות *in nomen ſervitutis*, quam ad id baptizari, ut quis *ſervitutis compos* ſit, & (liceat ſic loqui:) ſuam quaſi cum ſervitute communionem profiteatur; hoc eſt, *ut quis ſervus ſit.* Sic, *in Chriſtum baptizari*, eſt ad id baptizari, ut quis ſuam cum Chriſto communionem profiteatur, & in talem vitæ ſtatum tranſeat, qualis eum decet, qui vere in Chriſtum credit & per fidem illi unitus eſt; quin ut quis per baptiſmum Chriſtum quaſi induat & in eum totus quaſi tranſeat. prorſus ita ut in *Proſelyti*, *Liberi*, aut *Servi ſtatum* tranſit, qui לשם AD *Servitutem*, AD *Libertatem*, *&* AD *Proſelytiſmum baptizari* dicitur. Eſt utique duarum harum phraſium, quoad ſignificandi poteſtatem, cognatio: & ſi Paulus hebraice exprimere voluiſſet, quod Græce ſcripſit βαπτίζεσθαι εἰς Μωσῆν, non putem aliam adhibiturum voculam quam לשם.

Comparatio inter Hebræam & Græcam phraſin inſtituitur.

An phraſis Matth. XXVIII. 19. hinc quoque explicanda?

XI. Nondum defuncti ſumus noſtra hac diſputatione. Quæri enim amplius poteſt, an phraſis, qua Dominus utitur in Evangelio Matthæi[a], βαπτίζειν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, pariter exponenda ſit ex dictione hebræa, qua מטבל conſtruitur cum לשם. Sunt certe Doctiſſimi Viri, qui hanc jam profeſſi ſunt ſententiam: quam ex ipſorum verbis propius cognoſcere è re noſtra fuerit. Verba Domini ſunt: *Docete omnes Gentes, eas baptizantes* εἰς τὸ ὄνομα IN NOMEN *Patris*, &c. ad quæ Grotius in hunc modum ſcribit: *Cum locutio hæc varias habeat ex Hebraiſmo ſignificationes, eam hic præferendam arbitror, quæ Baptiſmo maxime propria eſt. Eſt autem* baptizari in aliquem, *vel* in ejus nomen, *ſe ei auctorare atque devovere, &* DE EJUS NOMINE *appellari velle.* Quæ poſtquam pluribus illuſtraſſet, ſubjungit: *Maimonides de bello capta* מטבילה בשם גירות BAPTIZET *eam* IN NOMEN PROSELYTARUM, *id eſt, in eam Religionem quam profiten-*

Doctorum Virorum ſententiæ, & quidem Grotii.

tur

a Cap. XXVIII. 19.

tur Proſelytæ. Recte hic & optime Grotius, ubi phraſin hanc ſuis verbis nobis expoſitam dat: ſed quod ad eam illuſtrandam adfert ex Maimonide, multum ad rem non facit. *Baptizari* enim בשם גירות (Hebræi potius, לשם) non eſt proprie per *baptiſmum devoveri Religioni Proſelytorum*, ſed per *baptiſmum tranſire in ſtatum Proſelytorum*, & illi *vitæ ſtatui quaſi* per baptiſmum *initiari.* גירות in hoc caſu eſt *Proſelytiſmi Status*, *Prærogativa*, vel *Beneficium.* Differunt itaque hæ phraſes quod ad uſum & ſignificationem.

XII. Alius quidam Vir Eruditus, cui non eſt inviſum Grotii nomen [a], errorem Viri illius Illuſtris obſervans, quem *vim phraſews hic vidiſſe* ait, *ſed tanquam per nubila Lunam:* alio quodam modo inſtituit. Venia mihi ſit commentarii ipſius deſcribendi, ut tanto dein rectius de re tota, quæ non nullius momenti eſt, judicium formari poſſit. „Βαπτίζεσθαι εἰς ὄνομα eſt *ba-* „*ptizari ut eo nomine* appellemur. Judæi poterant vocari *diſcipu-* „*li Patris*, quia ſe ejus diſcipulos profitebantur. Apoſtoli, an- „tequam accepiſſent Spiritum S. cæterique diſcipuli Chriſti, „jure dicti eſſent *diſcipuli Patris & Filii:* ſed qui ab Apoſtolis „poſtea baptizati ſunt, ii fuerunt *diſcipuli Patris* in Vetere Te- „ſtamento voluntatem ſuam revelantis, *Filii* in Evangeliis lo- „quentis, & *Spiritus S.* per Apoſtolos præcepta Patris & Filii „clarius exponentis. Hebraice dixeris: נטבלו לשמם / hoc eſt, „tincti ſunt ut de nomine illorum vocentur. Hanc eſſe vim lo- „quutionis oſtendit Paulus 1 Cor. 1. 12. & ſeqq. ubi cum dice- „rent Corinthii: *Ego quidem ſum Pauli*, *ego autem Apollo*, *ego* „*vero Cephæ*, *ego autem Chriſti*; hoc eſt, ſe eorum diſcipulos vo- „citarent, & veluti magiſtrorum nominibus ſe ab aliis ſecerne- „rent; ait Paulus: *an* IN NOMEN *Pauli baptizati eſtis? Gratias* „*ago Deo meo*, *quod neminem veſtrum baptizaverim niſi Criſpum &* „*Gajum*, *ne quis dicat*, *quod* IN NOMEN MEUM *baptizati eſtis*, h. „e. ut diſcipuli mei vocemini, & *Pauliani* dicti, ab aliis eo vo- „cabulo diſtinguamini. Sic in Scriptis Rabbinorum, *baptiza-* „*ri* לשם עברות *in nomen ſervitutis*, eſt baptizari, ita ut vocetur „& ſit ſervus qui baptiſmum ſuſcepit. Contra *baptizari*, לשם „בן חורין או לשם גירות *in nomen Filii liberorum.* aut *in nomen Proſely-* *tiſmi*

Alterius, cujuſdam Viri Docti ſententia.

a Cler. Animadv. in Hammondi Annot. in h. l.

„*tiſmi*, eſt baptiſmum ſuſcipere ea Lege, ut baptizatus voce„tur liber aut Proſelytus[a]. Liceat de his ſententiam meam paucis dicere, modeſte & candide, veritatis inquirendæ cauſſa, procul omni vitilitigandi ſtudio.

In qua ſententia, α. Non admittitur, *baptizari in alicujus nomen* eſſe ad id baptizari ut *quis ab alio denominetur.*

XIII. Duo hic ſupponit Vir Cl. 1. Phraſin; *Baptizari in nomen*, valere, *ad id baptizari ut quis ab alio denominetur.* 2. Eundem eſſe uſum hujus phraſis apud Rabbinos. Sed utrumque exiſtimo merito in dubium vocari poſſe. Quod ad *prius*: Non nego, indirecte & per conſequentiam phraſin, *baptizari in nomen* alicujus, id etiam involvere, ut quis *ab eo denominetur*, in *cujus nomen baptizari* dicitur: ſed proprie & directe id ſignificare non putem. *Baptizari* IN NOMEN *Patris*, *Filii*, & *Spiritus S.* mihi eſt *baptizari* AD NOMINANDUM, h. e. prædicandum, & celebrandum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tanquam ſummum Auctorem noſtræ ſalutis: quod *officium* involvit conſequens *ſe denominandi* à Patre, Filio, & Spiritu S. *quatenus* quem prædicamus & celebramus ut ſalutis noſtræ Auctorem, & ejus etiam *nomine* tanquam *Servatoris* & *Redemptoris noſtri* nos *appellari* patimur: ut ex gr. qui *Dei* tanquam Redemptoris ſui nomen profitentur, dicuntur; גאולי יהוה *Redempti Domini*[b]: proprie tamen & *directe*, ut dixi, non videtur phraſis illa id ſignificare, quod Vir Cl. vult, quia id ſi eſſet, utique fieret ut baptizati *actu* à *Patre*, *Filio*, & *Spiritu S.* denominarentur. Sed id fieri non videmus in Verbo Dei. Nullibi enim ſimul dicuntur *Filii* aut *diſcipuli Patris*, *Filii*, & *Spiritus S.* & ſi ſeorſim dicantur *Filii Patris*, & *diſcipuli Chriſti*, nullibi, quod ſciam, appellantur *nomine Spiritus Sancti*, ejuſque dicuntur aut *Filii* aut *Diſcipuli*[c]: etſi interea non negem eos ita vocari poſſe, ſi rem ipſam conſideremus.

Eſt enim illud conſequens alterius antecedentis.

Quod ad *poſterius*: Phraſis טבל לשם non videtur Judaicæ diſciplinæ Scriptoribus unquam id ſignificare quod Vir Cl. monet. *Baptizari* enim לשם בן חורין non eſt proprie ad id *baptizari*, ut *quis à libero denominetur*, ſed proprie valet, *nomine* & titulo *liberi hominis baptizari*: ut in præcedentibus monuimus. Quod ſi illa phraſis amplius ſignificet, *ad id baptizari* ut quis poſthac *liber* ſit & *appelletur*, quod facile admittere velim: ne ſic tamen illa dictio

β Eundem plane eſſe uſum hujus phraſios apud Rabbinos.

a Seld. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. Cap. 3. b Jeſ. LXII. 12. c Joh. XVI. 13.

dictio commode conferri poterit cum locutione Domini apud Matthæum. Etenim qui baptizantur *in nomen Proſelyti*, *Liberi*, *Servi*, ad id baptizantur ut ipſi *Proſelyti*, *Liberi*, *& Servi ſint* atque *appellentur*: ſed qui *baptizantur in nomen Patris*, *Filii*, *& Spiritus S.* non *baptizantur ad id* ut ipſi *ſint*, & *appellentur*, *Pater*, *Filius*, & *Sp. S.* Ambiguitas eſt in phraſi; *nomine alicujus appellari*, qua Vir Cl. hic utitur. Poteſt enim quis dici, *alterius nomine appellari*, qui ſe ab alio qualicunque ratione denominat: quomodo ſecundum Eruditi Viri ſententiam phraſis accipienda eſt in verbis Domini apud Matthæum; vel, *poteſt quis dici alterius nomine appellari*, qui ipſe ſibi vindicat illud nomen quo appellari dicitur: quę interpretatio locum habere poteſt in phraſi hebræa; *baptizari nomine Servi* aut *Proſelyti*. Quæ tamen non parum differunt. Qui enim *baptizabatur in nomen Servi*, à nullo alio Servo utique *denominabatur*, ſed ipſum *Servi* nomen per baptiſmum ſuſcipiebat.

Diſcrimen, hic obſervandum.

XIV. Quid igitur tandem de phraſi illa, & genuina illius ſignificatione, dicendum? Varia mihi in mentem venerunt. 1. An non phraſis; *Baptizari* IN NOMEN *Patris*, *Filii*, *& Spiritus S.* idem forte valeat quod *baptizari in Patrem*, *Filium*, *& Spiritum S.* Vidimus enim, vocabulum לשם in hebræa conſtructione Græcis efferri per εἰς, cum proprie valeat; εἰς ὄνομα: & præterea, Scriptores S. confundere illas dictiones, *Baptizari* IN *Chriſtum* & IN NOMEN *Chriſti*. Nec eſſet tum ſpernenda hujus dictionis ſignificatio. *Baptizari in Patrem*, *Filium*, & *Sp. S.* eſſet hoc ſenſu per *baptiſmum* tranſire in arctiſſimam *Patris*, *Filii*, *& Sp. S. communionem*. 2. *Baptizari* לשם εἰς ὄνομα *Patris*, *Filii*, *& Sp. S.* ſignificare poteſt, *Baptizari* CAUSSA *Patris*, *Filii*, *& Spiritus S.* h. e. AD GLORIAM *Patris*, *Filii*, *& Sp. S.* Familiare eſt vocabulum לשם ea ſignificatione apud Scriptores Judæos. In *Pirke Avoth* eodem *Capite* bis occurrit hac notatione[a]. Sententia Rabban Gamalielis eſt: כל העמלים עם הצבור יהיו עמלים עמהם לשם שמים *Quicunque occupati ſunt negotiis Reipublicæ*, *oportet ut id agant Dei cauſſa*, h. e propter Dei Gloriam. Alia etiam R. Joſe[b]: כל מעשיך יהיו לשם שמים *Omnia opera tua fiant* IN NOMEN COELI. quod Paulus ad Corinthios[c]: Πάντα εἰς δόξαν Θεοῦ ποιεῖτε. & occur-

Aliæ meditationes de uſu phraſios apud Matthæum.

Vocula לשם Rabbinis ſæpe ſignificat *cauſſam* propter quam quid fit.

 rit

a Cap. 11. §. 11. b §. 11. c 1 Cor. x. 31.

Exempla hujus uſus in Scriptura.

rit jam ille uſus hujus notionis in Sacris. Sic Gibeonitæ ad Joſuam [a]: *Ex terra admodum longinqua venerunt ſervi tui*, לשם יהוה אלהיך PROPTER *Dominum Deum tuum: audivimus enim famam ejus.* Dicere volunt, Divini Numinis Gloriam & excellentiam eos moviſſe, ut iter illud ſuſceperint. Pariter de Regina Schebæ in *Priore Libro Regum* [b]: *Et ad Reginam Schebæ perveniebat fama Salomonis*, לשם יהוה. Verto: *In decus & honorem Jehovæ.* quod Belgice exprimendum: **Ter eeren van Jehova.** Noſtri habent minus commode: **Aengaende den name des Heeren.**

Pauli phraſis, Col. III. 15.

Paulus in Epiſtola ad *Coloſſenſes* [c] effert; ἐν ὀνόματι. *Quacunque feceritis*, ait, *ſermone & opere*, πάντα ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ. h. e. ad Gloriam & honorem Domini Jeſu. Hebraice dixiſſet: לשם אדנינו ישוע. *Baptizari* itaque *in nomen Patris, Filii*, & *Spiritus S.* hoc ſenſu valeret: baptizari *in honorem & gloriam Patris, Filii, & Sp. S.* ſive *trium harum Perſonarum honori & Gloriæ per baptiſmum conſecrari.*

Vera vis & emphaſis phraſis in illo loco expoſita.

XIV. Nec tamen potui à me impetrare ut hic ſubſiſterem. Plus mihi videtur huic phraſi ſubeſſe, & τὸ εἰς ὄνομα efficaciſſimam hic admittere debere interpretationem. Prorſus igitur ita ſentio, *baptizari* IN NOMEN *Patris, Filii, & Spiritus S.* eſſe ad id *baptizari*, ut *nominemus*, h. e. publice profiteamur, prædicemus, celebremus *nomen Patris, Filii, & Spiritus S.* tanquam Domini, Patroni, & Aſſertoris noſtri, cui infinitis beneficiis obſtricti ſimus. Facilis hæc eſt & commodiſſima expoſitio, nec alienus hic phraſeως uſus à Sacris Literis.

Collata phraſis Jer. III. 17.

Sic nimirum ſumitur לשם in hoc loco Jeremiæ [d]: *Illo tempore vocabunt Hieroſolymam thronum Jehovæ, & confluent eo omnes Gentes* לשם יהוה *ad* NOMEN JEHOVÆ, *Hieroſolymam.* h. e. ad Jehovam profitendum, prædicandum, ejuſque virtutes, beneficia, & Gloriam publica voce celebrandum, tanquam veri Dei, Domini, & Patroni Populi ſui. Hoc ſenſu dicimur *baptizari in nomen Chriſti* [e], & Paulus abſurdum ponit, *in nomen ejus baptizari.*

Collectio ex ſuperioribus de varia conſtructione vocis βαπτίζεσθαι, cum εἰς.

XVI. Tres hactenus habuimus variationes in voce *baptizari* cum aliis rebus diverſimode conſtructa. 1. Dicitur quis *baptizari* IN *ſtatum* aut *beneficium.* ut, IN *Remiſſionem Peccatorum*, IN *mortem*

a Joſ. IX. 9. b 1 Reg. X. 1. c Col. III. 15. d Cap. III. 17.
d l. c.

tem Chriſti, *&c.* 2. *Baptizari* quis dicitur ſtylo Scriptorum Sacrorum in *Perſonam*; ut IN *Chriſtum*, IN *Moſen*. 3. *Baptizari* quis prædicatur IN NOMEN alicujus; ut, IN NOMEN *Patris*, *Filii*, & *Sp. S.* Accedit 4. uſus hujus vocis, ubi conſtruitur cum ἐν ὀνόματι *in nomine*, ſive potius *nomine Patris*, *Filii*, *&* *Spiritus S.* ut in Actis [a]; ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. Admittit autem hic rurſus interpretationem, à præcedentibus diſtinctam. *Baptizari* IN NOMINE, ſive potius, NOMINE JESU, eſt baptizari juſſu, imperio, & auctoritate Chriſti, *baptiſmo* ab ipſo mandato atque inſtituto. quomodo τὸ בשם ſumitur, Pſ. CXVIII. 26. *Benedictus ſit*, *qui venit* בשם יהוה IN NOMINE *Domini*. h. e. mandato, juſſu, & auctoritate Domini. Pariter in oratione Domini apud Joannem [b]: *Ego veni* ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Πατρός IN NOMINE *Patris mei*, *&* *non accipitis me*: *ſi alius venerit* IN NOMINE SUO *proprio*, *illum recipietis*. Chriſtus *venit in mundum* ad juſſum, & imperium Patris. Hæc facilia.

Quid valeat cum ἐν ὀνόματι?

CAPUT XXIII.

Inquiritur in verum ſenſum obſcuri, ut videtur, & difficilis loci Gen. XXXIII. 20. *in quo* altare, *à Jacobo erectum*, inſignitum *fertur* titulo; אל אלהי ישראל Dei, Dei Iſraëlis. *Inter cætera expendendum datur, an abſurdum ſit ſtatuere*, ipſum hoc altare *vere dictum eſſe* Deum Iſraëlis; *ſic tamen*, *ut præter hanc expoſitionem alia adducatur*, *& illuſtretur*, *quæ minoribus incommodis preſſa & cavillationi minus obnoxia eſt.*

NEgari non poteſt, locum qui occurrit Gen. XXXIII. 20. ut is prima apparet ſpecie, aliqua gravatum eſſe difficultate. Durum enim videtur, *altare* à Jacobo appellatum fuiſſe *Deum Iſraëlis*. Id ſane adeo preſſit Interpretes, ut eorum plurimi eum fugerint hujus textus ſenſum, quem verba, ſimpliciſſime & propriiſſime accepta, ſuggerunt. Hebræa ſunt:

Oſtenditur difficultas in loco Gen. XXXIII. 20. ubi *altare* videtur appellatum eſſe *Deus*.

 ישראל

a Act. x. 18. b Joh. v. 43.

ויצב שם מזבח ויקרא לו אל אלהי ישראל Lxx : Καὶ ἔστησεν ἐκεῖ θυσιαστήριον καὶ ἐπεκαλέσατο τὸν Θεὸν Ἰσραήλ. Onkelos: ופלח עלוהי קדם אל אלהא דישראל *Et coluit ſuper eo Deum, Deum Iſraëlis.* Vulgatus. *Et invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël.* Verſio τῶν ό commodam efficit ſententiam, ſed alienam à textu hebræo, ut nunc legitur. Illi enim vel non legerunt, vel, quia nodo ſolvendo impares erant, reſecuerunt, aut neglexerunt voculam לו. Quippe ea omnino reſpuit ejuſmodi interpretationem. Chaldæus, majore cum religione hunc textum tractans, retinuit quidem voculam לו/ ſed eam accepit pro hebræa עליה / ſive *apud* ſive *ſuper illud.* Neque inficiari auſim, literam ל/ etſi raro, ſimili ſignificatu aliquando in Scriptura Sancta venire. Cape exemplum ex Gen. XLIX. 13. זבולן לחוף ימים ישכן *Zebulon ad litus maris habitabit.* ל hic idem valet quod *apud* & *juxta.* Certum tamen eſt, τὸ לו/ in circumſtantia verborum noſtri textus poſitum, atque ἀμέσως junctum voci קרא præcedenti, non admittere hanc notationem, ſed, ut alias conſtanter, ſic etiam heic ſignificare debere *rem* ipſam ſive *perſonam* certo nomine aut titulo inſiniendam. Niſi res nota eſſet apud eos, qui hebrææ Linguæ præcepta guſtarunt, id probandum ſuſciperem. Sed non putem, ullum nunc ſupereſſe paulo meliorem Interpretem, qui eorum verſionem facile ſit ſequuturus.

Verſiones antiquæ expenduntur, & ad eas animadverſa.

Belgarum Intt. verſio.

II. Belgæ Interpretes, doctrina pollentes & judicio, idem obſervantes ſed diſſimulantes incommodum, aliam quæſiverunt viam interpretationis hujus loci. Nimirum ex verbis אל אלהי ישראל integram effecerunt ſententiam, eaque tranſtulerunt: **De Godt Iſraels (is) Godt.** *Deus Iſraëlis eſt Deus.* Sed ſane ſic non videtur in hoc Symbolo magna eſſe ἔμφασις. ἓν καὶ ταυτὸν *unum & idem* (ut eorum ſonat verſio:) prædicatur de uno eodemque ὑποκειμένῳ *ſubjecto.* Potuiſſent autem illi Interpretes, ſi ipſis placuiſſet, hanc ipſam interpretandi rationem ſequuti majorem huic ſymbolo addere δύναμιν, ſi illud ſic vertiſſent: *Deus Iſraëlis* (eſt) *Deus fortis.* **De Godt Iſraels** (is) **de ſterckе Godt.** Sed videntur illi, licet nihil ejuſmodi in *Annotationibus ſuis* indicarint, reſpexiſſe ad efficaciam loquutionis, quæ eſt 1 Reg. XVIII. 21. ubi *Elias* ſic fertur dixiſſe ad populum, אם יהוה אלהים *Si Jehova Deus eſt, ſequimini ipſum, &c.* Hoc

Quæ emendari poteſt.

eſt,

eſt; ſi *Jehova* ἀληθῶς *vere Deus* ſit. Sic, inquam, hæc ſententia; *Deus Iſraëlis* eſt *Deus*, id poſſet ſignificare; *Deus Iſraëlis* vere eſt *Deus*. Sed ſi ea vera fuit mens Jacobi, cur non dixit? אלהי ישראל הוא אל; quemadmodum dicitur 1 Reg. XVIII. 39. יהוה הוא האלהים. Sic enim mentem ſuam clarius expreſſiſſet. Non ignoro quidem, copulam הוא in variis caſibus ἐκλείπειν: ſed, ſi hoc voluiſſet dicere Jacob, quod ipſi dictum imputant Cl. Interpretes, major illius neceſſitas heic fuiſſet, quam alibi, quia tum *ſubjectum* à *prædicato* maxime debuiſſet diſtingui. Verum neque illud bene percipio, cur Præſtantiſſimi Interpretes in hujus ſymboli verſione *ſubjectum* cum *prædicato* voluerint commutare, cum ſecundum hanc ὑπόθεσιν verba per modum integræ cujuſdam ſententiæ accepta, eo ordine, quo ſita ſunt in textu, transfuſa, non minus concinnum ſenſum ferant ac is eſt tranſpoſitionis Belgicæ. Hunc nimirum: *Deus fortis* eſt *Deus Iſraëlis*. **De ſtercke Godt is de Godt van Iſrael.** Mihi ſaltem videtur in hac oratione; *Deus fortis* eſt *Deus Iſraëlis*, tantum, imo plus eſſe ἐνεργείας, quam in illa: *Deus Iſraëlis* eſt *Deus*.

Alia illius incommoda.

III. Tametſi vero mihi nec magnæ admodum nec multæ ſuppetant rationes, quibus eos turbem, queis poſteriorem hanc interpretationem accipere placet: putem tamen, ſi alia qualiſcunque dari poſſit hujus ſententiæ verſio, in qua voces אל & אלהים ſimul conſiderantur concurrere ad unum idemque *ſubjectum* ſignificandum, eam eſſe præferendam. Simplicitas orationis id ſuadet. Verba enim proprie accepta ſic omnino ſonant: *Et vocavit altare; Deum, Deum Iſraël.* Accedunt hæc duo, quę procul omni dubitatione hic merentur expendi. 1. Quod duæ hæ voces אלהים & אל alibi etiam in Libro Scripturæ Sanctæ occurrant, ut iis junctis unum idemque ſubjectum, quod *verus Deus* eſt, deſcribatur. Sic Num. XVI. 22. De *Moſe* & *Aarone* dicitur; *Et ceciderunt in facies ſuas, & dixerunt*, אל אלהי הרוחות כל־ בשר Deus fortis, Deus *Spirituum omnis carnis*. Pariter Gen. XLVI. 3. Deus ſic fertur alloquutus fuiſſe *Jacobum*; אנכי האל אלהי אביך *Ego ſum ille* Deus, Deus *Patris tui*. Patet utique, has loquutiones prorſus eſſe ſimiles huic noſtræ, in quibus tamen bina vocabula junctim adhibentur ad deſcriptionem unius ſubjecti. 2. Locus eſt huic noſtro prorſus conveniens in omni

Rationes aliæ, quæ ſuadere poſſent, ſimplicem loci ſententiam, de ara nomine *Dei* appellata.

Nomina אל & אלהים ſæpe immediate conjunguntur.

Locus Gen. xxxv. 7. cum hoc collatus. ſua περιςάσει Gen. xxxv. 7. in quo refertur, eundem hunc noſtrum Jacobum aliud aliquod altare Deo erexiſſe *Bethele*, & illi ſive illius regionis loco dediſſe nomen אל ביתאל Deus Bethelis. Sic habet textus: *Et ædificavit ibi altare*, ויקרא למקום אל בית־אל *& vocavit illum locum*; Deus Bethelis. Quid huic loco faciendum?

Quo modo varii Int. illum locum acceperint? Sane Interpretes Belgæ, qui nomina ejuſmodi titularia frequenter admodum vertere ſolent in textu, id quidem in hoc caſu non fecerunt, ſed ipſas voces hebræas in ſua verſione retinuerunt. **Ende hy noemde die plaetſe**; El Beth El. Ad marginem tamen notarunt ſymbolum *El-Bethel* ſic eſſe vertendum: *Deus eſt Bethele.* **Godt is te Bethel.** Juvat intelligere, quo pacto cæteri Interpretes ſe heic expedierint. *Samaritana* Verſio retinet ipſum illud, אל בית אל in textu, ut *Belgica.* Lxx vel non legerunt vel reſciderunt prius illud אל/ quod eſt in Codicibus hebræis, quando nulla difficultate reliqua, ſic verterunt textum: Καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου, Βαιθήλ· *Et vocavit nomen loci, Bethel.* Cum his faciunt *Syrus*, & *Vulgata.* Onkelos univerſum ſymbolum hebræum in ſua paraphraſi pariter reſervavit, ut Belgæ: וקרא אתרא אל בית־אל *Et vocavit locum illum*; *El Beth El.* Arabs vero à cæteris omnibus diſſentit: *Et invocavit in loco illo, Domo Il* (Bethel) *Omnipotentem.*

Ad eas ἐπίκρισις. IV. Non arbitror hanc interpretationum varietatem ad aliam cauſſam eſſe referendam, quam quod Interpretes animis fluctuaverint, incerti, quorſum ſe converterent. Durum videbatur dictu, *Locum vocatum eſſe*; *Deum Bethelis.* Et ſic tamen ſonant hebræa. Maluerunt igitur vel nullum huic *titulo* ſenſum dare, vel talem, qui non tam cum textu quam quidem cum ſuis perceptionibus conveniret. Quod vero Belgæ ad marginem voces; אל בית אל transferant; *Deus eſt Bethele:* quis id, quod dictum ſit ſalva reverentia, quam ipſis debemus maximam, accipiat? Utique enim tum dicendum fuiſſet אל בבית־אל Nimis manifeſta eſt duorum horum locorum conſonantia, ſi quid video, quam ut alteruter eorum, vel uterque, in alium torqueatur ſenſum, quam quem verba, ut ſimpliciſſime ſecundum Canones Linguæ Hebrææ accipiuntur, dant. Fecit etiam hæc ipſa conſonantia & evidens conformitas utriuſque textus, ut lubens deſeruerim cogitationem aliquam, in quam aliquando, ſolutione

tione dubii prioris textus laborans, incideram, antequam poſteriorem hunc cum eo diligenter contuliſſem. Nempe putaveram, fieri poſſe, ut in Codicibus hebræis vocula לא/ quę nunc punctatur cum ֵ, punctanda ſit per ֶ, quando ſignificat, *ad:* Adeo ut voces אל־אלהי ישראל ſignificatu ſuo idem valerent, quod latinæ; *Ad Deum Iſraëlis*, & Belgicæ. Aen de Godt van Iſrael. Totum vero locum ſic vertebam: *Et vocavit altare*, hoc eſt, *hunc fecit altari titulum*; Deo Israelis. Comparabam autem cum eo locum, qui eſt in Apoſtolorum Actis, Cap. xvii. 23. ubi narratur, *Paulum* Athenis inveniſſe *aram*, cui titulus *inſcriptus* erat: Ἀγνώστῳ Θεῷ· Deo ignoto. Et ſane Veteres ſolitos fuiſſe *aris* ſuos dare *titulos*, eaſque certis *Dis* ac *Deabus* conſecrare, res eſt notiſſima. Heinſius quædam illius exhibet exempla. Quæ ſi non ſufficiant, adde teſtimonium Solini Polyhiſtoris de ſpectata illa ara montis *Olympi*[a]: *Ara eſt in cacumine*, Jovi dicata, *cujus altaribus ſi qua de extis inferuntur, nec difflantur ventoſis ſpiritibus, nec humentibus pluviis diluuntur: ſed volvente anno cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi reperiuntur: & omnibus tempeſtatibus à corruptelis aurarum vindicatur, quicquid ibi ſemel Deo eſt conſecratum.* Valet autem particula אל/ ſive litera ל/ quæ dubio procul orta eſt ex אל/ & eandem prorſus cum illa habet ſignificationis vim, tantundem ac *dativum* conſecrationis aut inſcriptionis apud Latinos & Græcos. Neh. 11. 8. אגרת אל אסף שומר הפרדס *Epiſtola* ad *Aſaphum, cuſtodem horti.* Jeſ. xxxix. 1. *Rex Babel miſit* כפרים ומנחה אל חזקיהו *epiſtolam & munus* ad *Hiskiam.* Lxx. Ἐζεκίᾳ. Sed manifeſtius exemplum hujus notationis eſt 2 Reg. vi. 11. *Et turbatum eſt cor Regis Syriæ ob hanc rem, vocavitque ſervos ſuos & dixit iis; Nonne indicabitis mihi,* מי משלנו אל־מלך ישראל *quis eorum, qui à noſtris ſtant partibus, ſit* ad *Regem Iſraëlis?* hoc eſt, Regi Iſraëlis ſit devotus, eique ſummo ſtudio addictus. Litera ל autem, quę hic omnino ſignificationis poteſtate convenit cum particula אל/ familiarius etiam hoc ſignificatu ſumitur. Sic ſupra dictum erat, Gen. xvi. 14. *Hagarem*, puteum, ipſi ab Angelo monſtratum, vocaſſe, באר לחי ראי *puteum viventis, videntis me*; hoc eſt, ſacrum devotumque Deo viventi, qui me vidit. Pari ſenſu ſumenda ἐπιγραφὴ Pſalmi

LXXII.

Meditatio ad priorem locum ſepoſita, ob hujus ἀναλογίαν.

Ara olim Dis ſolebant dicari.

Solini locus.

ל & אל־ ejuſdem ſignificationis.

a Cap. ix.

Poteſtas literæ ל in לשלמה Pſ. LXXII. I.

LXXII. I. לשלמה *Salomoni*. Ex fine Pſalmi ſatis liquet, illum eſſe compoſitum non à *Salomone* ipſo, ſed à *Davide*, adeo ut illud לשלמה non ſit vertendum per *Salomonis*, ſed *Salomoni*, vel *de Salomone*. Prius autem nobis apparet ſimpliciſſimum. Adde

Et Jeſ. XLIV. 5.

inſignem locum alium ex Jeſ. XLIV. 5. *Hic dicet*; ליהוה אני JEHOVÆ *ego ſum*. וזה יכתב ידו ליהוה *Et hic ſcribet manu ſua*; JEHOVÆ. Hoc eſt; ad Jehovam pertineo; Jehovæ ſum ſacer; Illius miniſterio ſum devotus. Quod vero particula אל/ ſive potius litera ל nomini, ſive *titulo ipſi exprimendo* אלהי ישראל/ præponeretur; id non exiſtimabam magnam habere difficultatem, quia advertebam, idem in aliis caſibus, huic non omnino diſſimilibus, accidere. ut ex. gr. in loco *Jeſaiæ*, Cap. VIII. I, 2. *Et*

Loca Jeſ. VIII. I, 2.

dixit Jehova ad me; *Accipe tibi volumen magnum & ſcribe ſuper eo ſtylo humano*; τῷ למהר שלל חש בז *Approperat ſpolium*, *& feſtinat præda*. Scilicet videbatur mihi ל hic pariter *dedicationem* ſive *conſecrationem* denotare. Sic enim didiceram à doctiſſimo De Dieu. ל *Dativus mihi eſt*, inquit, *& indicat perſonam*, *cui volumen inſcribi ac* DEDICARI *volebat*, *nempe ei*, *qui vocaretur* מהר שלל/ חש בז *qui Filius erat Jeſaiæ*, *de quo mox* ℣ſ. 3. In eundem ordinem cenſebam redigendam ſimilem ῥῆσιν, quę apud Ezechie-

Et Ezech. XXXVII. 16.

lem occurrit cap. XXXVII. 16. *Et tu Fili*, *hominis*, *ſume tibi lignum unum*, וכתב עליו ליהודה *& ſcribe ſuper eo*; JEHUDÆ, ולבני ישראל חבריו *& Filiis Iſraëlis*, *ſociis ejus*; *& ſume tibi lignum alterum*, וכתב אליו ליוסף *& ſcribe ſuper eo*; JOSEPHO. Belgæ habent: **Voor Juda. Voor Joſeph.** Putabam vero, ut jam dixi, loquutionem hanc; כתב עליו ליהודה *ſcribe ſuper eo*; *Jehudæ*, non multum differre ab illa; ויקרא לו אל אלהי ישראל/ *& vocavit altare*, ſive prædicavit de altari; *Deo Iſraëlis*.

Suſpiciones, adverſus illam meditationem motæ.

V. Etſi vero mens mea in hiſce ſuis luſibus libera non fuerit juſtis quibuſdam ſuſpicionibus quæ in contrarium vergebant: tum quod conſtans lectio Sacri textus non temere ſit ſolicitanda, ne quidem in punctis vocalibus, quamvis id peccatum levius eſſe arbitrer; tum, quod ſimile exemplum uſus & conſtructionis vocis קרא cum litera ל/ præfixa rebus aut perſonis certo titulo deſignandis, non occurriſſet hactenus, non quærenti etiam illud magna cum ſolicitudine: receſſi tamen, ut modo à me ſignificatum eſt, ab hac cogitatione animo lubente, poſt-

quam

quam poſteriorem hunc textum Gen. xxxv. 8. diligenter expendi, quippe in quo ſimile dubium obveniebat, quod tamen ſimili modo ſolvi non poterat. Dein etiam, quod attinet ad uſum *literæ* ל in duplici illo loco Jeſ. VIII. 1. & Ezech. XXXVII. 16. facile manus dedi Cl. Coccejo, qui *eam* arguit eſſe *ſpecificativam*, & ſolummodo deſignare rem aut perſonam diſtinctius exprimendam; adeo ut ultimus locus *Ezechielis*, quem Belgæ reddiderunt; **Schrijft daer op; Voor Juda / en Voor Joſeph** / reddi debeat; **Schrijft daer op; Juda en Joſeph.** Textum Jeſaiæ iidem recte tranſpoſuerunt: ut cuique conſtare poterit de illa conſtructione conſulenti Glaſſium [a]. Alius igitur quærendus eſt modus loca, quæ produximus, exponendi, quem an invenire poſſimus, licebit experiri.

Et gravior ratio, quæ eam deſerere jubet.

VI. 1. An dici non poteſt, *ipſum altare* à Jacobo vere vocatum fuiſſe, *Deum fortem*, *Deum Iſraëlis*, quatenus ara illa fuit *μνημόσυνον monumentum*, ſive *memoriale Dei Iſraëlis*? Quæro illud, non ſtatuo, nec hactenus ſtatuere velim, quia alia reſtat explicationis ratio ſatis commoda & nulla difficultate onuſta. Cur tamen id quæram, habeo cauſas, videamus, num ſatis in rem idoneas. Nimirum conſtat abunde, apud Hebræos invaluiſſe conſuetudinem, *ſigna* & *ὑπομνήματα rerum* ipſis rerum deſignatarum nominibus exprimere. Tralatitium eſt, *circumciſionem*, quæ erat אות הברית *ſignum fœderis*, appellari ברית *Fœdus*, Gen. XVII. 13. Simile exemplum eſt in legibus *Nazirai*. Is prohibetur ſe polluere *mortui cauſſa* [b], כי נזר אלהיו על ראשו *quia* SEPARATIO DEI *ſuper capite ejus erat.* נזר *ſeparatio* eſt memoriale, ſignum, monumentum Naſiræiſmi. Alia loca ex eodem petere licet Glaſſio [c], quem modo laudabamus. Eſt enim id genus loquutionis in hebræa lingua admodum frequens: & hoc potiſſimum fundamento defendimus figuratam expoſitionem phraſεως [d]; *Hoc eſt corpus meum.* An vero pariter *ara*, vel *ſtatua*, quæ erigitur ut *μνημόσυνον* Dei, vocari non poteſt *Deus*?

Diſputatur, an ipſa *Ara* appellari non potuerit *Deus* Iſraëlis, quod ejus eſſet *μνημόσυνον*.

Mos Hebræorum, *ſigna* appellandi à *rebus* quas ſignificabant.

VII. Accedunt alia quæ huic ſententiæ videri poſſent favere, & quidem, 1. Moris aliquando fuiſſe apud Veteres ad conſervandas *perſonarum* memorias monumenta quædam erigere,

Pariter ut *monumenta memorialia* à nominibus Perſonarum appellata ſunt.

 eaque

a Gram. Sacr. Lib. IV. Tract. II. Obſerv. VI. Not. III. b Num. VI. 7. c Rhet. Sacr. Tract. I. Cap. III. §. V. d Matth. XXVI. 26.

eaque *earum* inſignire *nominibus*. Factum id prodit Moſes à Kaino [a]: *Et cognovit Kain uxorem ſuam & concepit & peperit* CHANOCHUM; *& conſtruxit urbem*, ויקרא שם העיר בשם בנו חנוך *& vocavit nomen illius urbis ſecundum nomen Filii ſui* CHANOCH. Urbem *Kain* voluit eſſe *μνημόσυνον Filii ſui*, ac proinde eam ſignavit ipſiſſimo Filii ſui nomine.

Exempla illius conſuetudinis.

Non abſimile exemplum habemus in Abſalomo, de quo hiſtoria Sacra [b]: *Abſalom autem ſumpſit ſtatuitque ſibi in vita ſua* את מצבת *τὴν ςήλην ſtatuam illam, quæ eſt in valle Regis. Dixit enim, nulla mihi proles eſt maſcula, per quam memoria nominis mei conſervetur:* ויקרא למצבת על שמו *& vocavit ſtatuam illam de* NOMINE SUO, *& vocata eſt*, יד אבשלום LOCUS ABSALOMI. LXX. Χεὶρ Ἀβισζαλώμ. Belgæ. **Abſaloms hand**.

Quid יד in loco 2 Sam. XVIII. 18.

Vocabulum יד *manus* heic loci (ceu jam à Doctiſſimis Viris animadverſum eſt:) notat *ſpatium* ſive *locum*, certæ perſonæ proprium, ejuſque quaſi *nomini* jure hæreditariæ diviſionis vel ſucceſſionis alligatum, in *quo* proinde *loco* converſabatur *memoria* hujus vel illius nominis. Sic utique ſe res habebat in prima diviſione terræ Canaan. Quæque *familia* ex Iſraële accipiebat יד *ſpatium*, ſive *fundum*. Ille *fundus* יד *ſpatium* referebatur ad שם *nomen Patris* illius familiæ, & illi *nomini* ſemper manebat alligatus: quo alluditur Jeſ. LVI. 5.

Locus Jeſ. LVI. 5.

Pariter *Abſalom*, maſcula deſtitutus prole, per quam ipſius conſervaretur *nomen*, erexit *ςήλην*, cui, ceu fundo cuidam ſuo hæreditario, *nomen* ſuum annexit. Haud alio fere ſpectat, quod David de impiis dicit in Pſalmo XLIX. 12.

Pſ. XLIX. 12.

Intima eorum cogitatio eſt, domus ſuas in ſæculum futuras eſſe; habitacula eorum in quamque generationem; קראו בשמותם עלי ארמורת Sic verto: *Vocant de nomine ſuo ſuperiora*, ſive *excellentia loca terrarum*. Dubio procul dicere vult David, impios ad memoriam nominum ſuorum in ſeram uſque poſteritatem propagandam ſibi celebria quædam ædificia extruere, eaque nominum ſuorum monumenta conſtituere.

Mos apud Gentiles receptiſſimi uſus.

Et ſane quod Veteres etiam Gentiles jam à longis temporibus ſoliti fuerint nomina *perſonarum* imponere rebus, urbibus, theatris, templis, atque temporibus, quę in frequenti ſunt ſermonis uſurpatione apud homines: hoc utique ex hiſtoriis notiſſimum eſt. Livius [c]: *Oppidum condunt. Æneas* NOMINE UXO-

a Gen. IV. 17. b 2 Sam. XVIII. 18. c Lib. I. Cap. I.

uxoris *Lavinium vocat.* Suetonius [a]: *Annum à D. Julio ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit; in cujus ordinatione* SEXTILEM MENSEM E SUO COGNOMINE NUNCUPAVIT. Et alio loco de Tiberio [b]: *Quod tamen beneficium tanti æſtimavit, ut montem Cœlium, appellatione mutata, vocari* AUGUSTUM *juſſerit.* Apud Joſephum perplura extant documenta, ex quibus liquet, receptum fuiſſe Herodi ejuſque poſteris his artibus Cæſari, Auguſto, Agrippæ, & Tiberio, blandiri ad ſummum Gentis Judaicæ opprobium, & indignationem bonorum [c]. En itaque unum tantum ex ipſo exemplum de tribus illis celeberrimis turribus Hieroſolymæ, *Hippico, Phaſaelo,* & *Mariamne* [d]: Τρισὶ τοῖς ἡδίστοις προσώποις, ἀφ᾽ ὧν ὀνόμασε τοὺς πύργους· ἀδελφῷ καὶ φίλῳ καὶ γυναικὶ τὴν μνήμην ἀνέθηκε· *Perſonis tribus cariſſimis, de quarum nominibus turres denominavit, fratri, amico, & conjugi, memoriam dedicavit.* De *Hadriano* Ælius Spartianus [e]: *Fecit & sui* NOMINIS PONTEM. Poſtea vero: *Et cum titulos in operibus amaret, multas Civitates* Adrianopoles *appellavit, ut ipſam* Carthaginem *&* Athenarum *partem. Aquarum etiam ductus infinitos hoc nomine nuncupavit.* E re noſtra eſt notare, quod Caſaubonus obſervat, harum urbium aliquas dictas eſſe non *Adrianopoleis*, ſed *Adrianas.* Sic ille: *Occurrunt etiam inter legendum veteres aliquot Civitates vocatæ* Ἀδριαναὶ *vel* Ἀδριανοὶ, *quarum nonnullæ cauſam appellationis aliam habent; quædam ſine dubio* HADRIANI, *vel* HADRIANÆ, *quaſi* Hadrionopoles *dictæ: nam ita erat moris hujuſmodi nomina dimidiata efferre.* Sic Antinous *pro* Antinoopolis: *ut apud Chryſoſtomum in ſecundam ad Corinthios;* καὶ ἡ πόλις Ἀντίνοος λέγεται). Imo vero, ut exemplis, modo jam productis, conſtat, *ipſa nomina* Auctorum, ſive Perſonarum illuſtrium, operibus eorum ſunt impoſita. Sic Ptolemæus Lagi nepos, foſſam ab ipſo ductam ex Nili oſtio in Mare Arabicum, Ptolemæum vocavit, urbemque ad ejus extremum condidit *Arſinoën*: quod ſororis ipſius nomen fuit. Verba Diodori [f]: Ὁ δὲ διὰ τῆς διώρυχος ταύτης ῥέων ποταμὸς, ὀνομάζεται μὲν ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος Πτολεμαῖος, ἐπὶ δὲ τῆς ἐκβολῆς πόλιν ἔχει τὴν προσαγορευομένην Ἀρσινόην·

Exempla varia ex Scriptoribus exteris prolata.

Impoſita autem operibus ipſa Perſonarum nomina.

Exempla Hadriani & Ptolemæi.

Nnnnn 2 Simi-

a In Auguſto Cap. xxxi. b In Tiberio Cap. xlviii. c Vide de eo Joſephum Bell. Jud. Lib. i. Cap. xvi. d Bell. Jud. vi. Cap. vi. e Cap. xix. Cap. xx. f Hiſt. Lib. i. p. 21.

Simile exemplum eſt apud eundem hunc Diodorum [a], narrantem, Rhodios, difficili bello expeditos, gratiam relaturos Ptolemæo Lagi, hujus Philadelphi Patri, cujus favore in illo bello uſi erant, *lucum* illi *in Urbe conſecraſſe*, οἰκοδομήσαντες παρ' ἑκάστην πλευρὰν σταδιαίαν, ἣν προσηγόρευσαν Πτολεμαῖον· *extructa ad unumquodque latus porticu ad ſtadii longitudinem*, *quam* Ptolemæum *appellarunt*. & quod Plutarchus ſcribit [b], Tiſſaphernem, Perſarum nomine Aſiæ inferiori Præfectum, tantopere captum fuiſſe cultu & elegantia *Alcibiadis*, ut *hortos*, *quos præter cæteros habebat amœniſſimos*, *in quibus prætoria erant & receſſus*, *regio exquiſitoque exculti ſplendore*, καλεῖν δὲ Ἀλκιβιάδην *vocari voluerit* Alcibiadem; idque nomen deinceps quoque iis adhæſiſſe.

In ſacris & conſuetudine Populi Dei, ſymbola à Deo denominata.

VII. 2. In ſacris literis extant exempla, in quibus *ſymbola* Dei aut Præſentiæ divinæ ab ipſo Deo videntur denominari. In *Arca* id factum agnoſcit Petrus Martyr [c]. *Tanta fuit dignitas & majeſtas Arcæ Fœderis*, ait, *ut appellaretur* Deus Tzebaoth. *Neque hoc aut rarum cuiquam, aut novum videri debet. Sacramenta enim gerunt nomina earum rerum, quas ſignificant.* Sed huic loco alia qualicunque ratione alibi à nobis ſatisfactum videtur. Buxtorfius [d], qui hæc Martyris verba notavit, illuſtres conſiderans prædicationes, quę in Sacris de Arca extant, tandem diſcutit quæſitum, an *Nomen* יהוה Arcæ *in Sacris literis tribuatur*? Ex locis S. Scripturæ, quę huic quæſitioni anſam dederunt, unus eſt in Exodo [e], quo *Moſes Aharoni* dixiſſe fertur; *Accipe urnulam, & reple illam Omer Manna, ac repone illam* לפני יהוה coram Domino, h. e. *coram Arca Domini*, *ut hebræi*, ait, *& noſtri explicant, & ſenſus flagitat. Præcedenti enim verſu pro eo dicitur*, לפני העדות *coram teſtimonio*. Speciem huic loco aliquam ineſſe, nemo negare poteſt. Nos tamen vere putamus, contra id, quod Petrus Martyr ſentit, *Arcæ* nunquam, ne quidem κατὰ σύμβολον, nomen *Jehovæ* dari. Hic autem locus quo pacto explicandus ſit, mox indicabimus. Sed alius eſt locus qui nos moratur, apud Jeremiam [f]. Mentio ibi eſt de Hieroſolyma, ſive vera ſive typica, his verbis: *Illis diebus ſervabitur Juda & Hieroſolyma habitabit ſecure*, וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו *Et hoc eſt nomen*, *quo*

An id factum fuerit in *Arca*?

Et Hieroſolyma, Jer. xxxiii.16.

a Hiſt. Lib. xx. p. 785. b In Alcibiad. p. 204. c Ad 2 Sam. vi.2. d Hiſt. Arcæ Fœd. Cap. i. e Exod. xvi.33. f Cap. xxxiii.16.

quo denominabitur: Jehova Justitia nostra. *Hieroſolyma* dicitur vocanda; *Jehova Juſtitia noſtra.* Utique non caret hic locus omni difficultate, quę alios Interpretes minime fugit; quorum aliqui nodum hic potius voluerunt ſecare quam ſolvere. Belgæ: **Ende deſe is / die haer roepen ſal; DE HEERE ONSE GERECHTIGHEJT.** Imitati ſunt Junium & Tremellium. *Is autem, qui vocabit eam,* erit *Jehova juſtitia noſtra.* Cl. Coccejus quodammodo ſaltem hanc eorum verſionem approbavit: etſi illi mox ſubjunxerit aliam: *Et hoc, quod vocabitur: Jehova juſtitia noſtra.* Quę in Commentario ſuo ſic explicat: *Et hoc nomine vocabitur Hieroſolyma; Jehova (eſt) juſtitia noſtra.* Recte quidem, ſi quid judico. Verba enim, וזה אשר יקרא לה *Et hoc, quo illa nominabitur,* ſic omnino ſunt accipienda ex vi phraſεως: וזה שם אשר יקרא לה / *Et hoc eſt nomen, quo illa vocabitur.* Monet tamen Kimchi, Patrem ſuum Joſephum, dubio procul eadem difficultate preſſum, eam jam ſequutum fuiſſe interpretationis rationem, quę poſtea Belgis maxime placuit: ואדוני אבי ז״ל פי׳ וזה אשר יקרא לה הקב״ה שהוא יהוה צדקנו *Dominus Parens meus ſic interpretatur hunc locum; Et is, qui vocabit eam, eſt Sanctus atque benedictus Deus, qui eſt Jehova Juſtitia noſtra.* Kimchius autem ipſe, videns non ſatisfieri per hanc expoſitionem genio Linguæ, & emphaſi hujus loci, σύμβολον יהוה צדקנו accepit pro ipſo nomine Hieroſolymæ. In Fragmentis Druſii pariter eſt: Καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ὄνομα, ὃ καλέσουσιν αὐτῇ: Κύριος δίκαιος ἡμῶν. Diodati: *Et nomen, quo appellabitur, erit; Jehova eſt Juſtitia noſtra.* Atque in hanc ſententiam utroque eo pede.

Sententiæ doctorum Intt. de hoc loco.

IX. Verum etſi ad primam ſpeciem inter ſe videantur convenire hæ loquutiones; *Vocavit altare:* Deum, *Deum Iſraëlis,* & *Hieroſolyma nominabitur;* Jehova Justitia nostra: poteſt tamen facile inter eas aliqua notari differentia. Nam in poſteriore hac denominatione *ſolum* vocabulum *Deus* aut *Jehova* non ingreditur prædicationem nominis Hieroſolymæ, (ceu fit in exemplo priore:) ſed illi additur *epitheton* aliquod, quod cum prima voce יהוה ſententiam poteſt abſolvere, vel ſaltem qualicunque modo lenit denominationis ἔμφασιν. Multo enim gravius hoc ſonaret; *Hieroſolyma vocabitur; Jehova,* vel *Deus Iſraëlis,* quam illud; *Hieroſolyma vocabitur; Jehova Juſtitia noſtra.*

Eſt tamen differentia inter hæc loca, & eum, qui hic tractatur.

Nomina illa integram continent propoſitionem.

 In

In poſteriore enim hac prædicatione emphaſis dictionis non tam cadit in nomen *Jehova*, quam in integram ſententiam, quod *Jehova* ſit *Juſtitia noſtra*. Adeo ut in eo, quod *Hieroſolyma vocetur*; *Jehova Juſtitia noſtra*, major difficultas non ſit, quam quod ſingulares perſonæ apud Hebræos vocatæ ſint; יהויקים / יוחנן / יהונדב / יהונתן / יהושע / יהוכל / quę nomina συμβολικὰ, ut notum eſt, compoſita ſunt ex voce יהוה juncta cum epitheto aliquo, Deo convenienti; quale eſt, quod *munificus*, *liberalis*, *gratioſus*, *fortis*, *potens*, *ſervator ſit*. Sic Moſes *altare*, à ſe erectum, vocavit, יהוה נסי *Jehova eſt vexillum meum* [a]. Gideon quoque *aram*, vero Numini à ſe conſecratam [b], יהוה שלום *Jehova pax*. Sententia hæc poſterior non eſt plena, ut ex *commate antecedente* conſtat. Ibi relatum eſt, יהוה *Jehovam* dixiſſe *Gideoni*; שלום לך *pax tibi*. Hinc *ara* vocata eſt à Gideone, *Jehova pax*; hoc eſt, *Jehova* dixit; *pax* tibi. Sic nomen Hieroſolymæ apud *Ezechielem* vocatur; יהוה שמה *Jehova ibi*. Senſus autem verborum; *Hieroſolyma vocabitur* [c]; *Jehova Juſtitia noſtra*, eſt, vere de Hieroſolyma eo tempore prædicandum eſſe, quod *Jehova* illius atque piorum Iſraëlitarum *Juſtitia ſit*. Id enim omne, quod de aliqua re *vere prædicari* poteſt, Hebræi ſoliti ſunt rei alicujus *nomen* vocare. Quamvis etiam mihi abſurdum non videatur dictu, huic orationi; *Hieroſolyma vocabitur*; *Jehova Juſtitia noſtra*; ineſſe metonymiam *continentis* pro *contento*. Nomen enim; *Jehova juſtitia noſtra*, eſt nomen *Meſſiæ*, ut liquet ex Jer. XXIII. 6. Hieroſolyma igitur non poteſt recipere hoc nomen, niſi propter *Meſſiam* eo tempore Hieroſolymis manifeſtandum. Quando itaque *Hieroſolyma* dicitur *vocanda*, *Jehova Juſtitia noſtra*: id non invita ratione ſic declarari poteſt, Hieroſolymis eo tempore futuram illuſtrem aliquam Perſonam, *nomine hoc* appellandam & vim hujus nominis Hieroſolymæ civibus demonſtraturam.

Loca quæ huc pertinent, diſtinctius expoſita.

Quo ſenſu & modo Hieroſolyma appellari poſſit, *Jehova Juſtitia noſtra?*

Sententia Aben Melechi in *Michlal Jophi*.

X. Si quis vero putet, (quam Martyris eſſe opinionem diximus:) in hoc ſimilibuſque exemplis aliis à nobis productis, probabilem eſſe rationem, quę ſuadeat, *ipſam* hanc *aram* à Jacobo vocatam eſſe, *Deum Iſraëlis*, ut eſſet *μνημόσυνον Dei Iſraëlis*: is ſuo poteſt abundare ſenſu. Poterit autem is juvari auctoritate

a Exod. XVII. 15. b Jud. VI. 24. c Cap. XLVIII. 35.

ritate Salomonis Aben-Melech, in *Michlal Jophi*, qui hæc loca inter ſe comparat, tam ad hunc noſtrum textum, quam ad Jer. xxiii. 6. Sic ſcribit ad priorem: ק״א למזבח כן לזכרון לאשר הצילהו האל בדרך וישלח לו מלאך ושנה שמו ישראל ר״ל ששרה עם אל לפיכך קרא שם המזבח כן וכן קרא משה למזבח אשר בנה ה׳ נסי לזכרון הנס שעשה להם ה׳ Sic *vocavit* ALTARE, *ut eſſet memoriale illius, quod Deus ipſum ſalvum præſtitiſſet in via, ipſique miſiſſet Angelum, & mutatum ipſi dediſſet nomen Iſraëlis, quippe quod ſe fortiter apud Deum geſſiſſet, ideo inquam,* HOC ALTARI NOMEN IMPOSUIT. *Atque eodem exemplo Moſes altare, à ſe conſtructum, vocavit;* JEHOVA VEXILLUM MEUM, *in memoriam miraculi, à Deo præſtiti in ipſorum ſalutem.* Ego tamen, quamvis ea noluerim reticere, quæ huic opinioni aliquam conciliare poſſunt ſimilitudinem veri: non potui in iis penitus acquieſcere. In humanis quidem fateor, id aliquando frequentatum eſt uſu, ut rebus impreſſa ſint nomina *perſonarum*, quarum memoriæ conſervandæ erant conſecratæ: ſed Divinum nomen videtur ſanctius haberi debuiſſe. Hoc enim ſi in caſu recto rebus applicatum eſſet aliis, non eſt dubium, quin illud ſuperſtitioni fovendæ augendæque plurimum facere potuiſſet. Saltem nulla admodum magna neceſſitas eſt ſic ſtatuendi, quoniam alia commodior ſupereſt horum locorum explicandorum ratio, quæ nullam difficultatem à tergo relinquit.

Ratio, quare in eam non catur.

XI. 11. Statuamus igitur, in hac loquutione; *Et vocavit altare; Deum, Deum Iſraëlis,* eſſe *ellipſin prioris ſubſtantivi conſtructi,* apud hebræos valde frequentem; plenam vero ſententiam ſic eſſe concipiendam: *Et vocavit illud altare;* Altare *Dei fortis, Dei Iſraëlis.* Belg. **Ende hy noemde den ſelven.** De Altaer **van de ſtercke Godt/ de Godt van Iſrael.** Copioſa ejuſmodi ellipſis exempla ſunt apud Glaſſium [a]. Sic פסח *Paſcha* dicitur pro זבח הפסח *ſacrificio Paſchatis.* המועד *ſolennitas* pro זבחי המועד *ſacrificiis ſolennitatis* [b]. מלכות *Regnum* pro בגדי המלכות *veſtibus Regni* [c]. עורים *cæci* pro עיני עורים *oculis cæcorum* [d]. Alia bene multa, quę apud ipſum reperies, mitto. Ego ſaltem iis nunc addam locum ex Pſ. xxix. 3. קול יהוה על המים אל הכבוד הרעים יהוה על מים רבים *Vox*

Commodius hic ſtatui poteſt, *ellipſis prioris ſubſtantivi conſtructi.*

Locus Pſ. xxix. 3. expoſitus.

a Gram. Sacr. Lib. iii. Tract. i. de Nom. Can. xxxix. Exod. xii. vii. 12, 13. b 2 Par. xxx. 20. c Eſth. v. i. d Pſ. cxlvi. 8.

Vox Jehova eſt ſuper aquas. Deus Gloria intonat. Jehova *ſuper aquas multas.* Tu verte; Jehovæ *eſt ſuper aquas multas.* Subintellige autem rurſus vocabulum קול *vox*, quod *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* eſt repetendum: adeo ut ſententia; יהוה על מים רבים ſic ſit complenda: קול יהוה על מים רבים *Vox Jehova eſt ſuper aquas multas.* Atque hoc eodem modo dubio procul eſt explicandus locus, ante notatus ex Exod. xvi. 33. ubi dicitur; *Accipe urnulam manna, & pone eam* לפני יהוה coram Domino. Utique enim in hac oratione eſt ellipſis ſubſtantivi prioris ארון/ quod in hoc textu, ut notum & vulgare, ſubauditur; quare ſic vertendus textus, ac ſi ſcriptum eſſet, לפני ארון יהוה coram Arca *Domini.* Parilis vero ellipſis obſervanda in præcedenti *verſu*, ubi dictum erat, לפני העדות *coram teſtimonio*, hoc eſt, ארון העדות *Arca teſtimonii.* Sic eadem *arca* vocatur עז יהוה *Robur Domini* [a], pro ארון עז יהוה *Arca roboris Domini*, quæ phraſis eſt Pſ. cxxxii. 8. fere ut צבאות *exercitus* ſæpius in Scriptura capitur pro אלהי צבאות *Deo exercituum*, per eandem ellipſin. Statuamus igitur de loco quem nunc tractamus, Moſen indicaturum nomen, *altari* à Jacobo impoſitum, vocabulum *altare*, ut notum & vulgare, noluiſſe repetere, ſed lectori *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* repetendum reliquiſſe, & hoc tantum dicere voluiſſe, *aram* hanc non eſſe vocatam *Deum Iſraëlis*, ſed aram Dei fortis, *Dei Iſraëlis.* Eundem prorſus ſenſum judicamus eſſe loci *παραλλήλου*, cap. xxxv. 7. Ibi enim pariter vocabulum מזבח repetendum cenſemus. Præterquam vero quod hic ſenſus ſit facilis & nullo prorſus gravatus incommodo: clarum eſt, hanc prædicationem maxime eſſe genuinam, naturalem, & populis aliis frequentiſſimam. Ubi enim antea referebamus ex Caſaubono, Adrianum quaſdam *urbes* vocaſſe *Adrianas*: ſimul obſervabamus, eas per compendium ſic eſſe dictas. Plenam loquutionem eſſe, *Trajanopolis*, *Adrianopolis*, *Antinopolis.* Eodem referre potes, quod Latini (ſed & Græci:) ſimilem ellipſin habuerint frequentiſſimam, ubi de *Ædibus* Sacris, ſive *Templis*, loquuti ſunt. Sic ad *Dianæ*, ad *Veſtæ*, ad *Jovis Statoris*, ad *Caſtoris*, dictum invenies Terentio, Horatio, Livio, pro ad *Ædem Dianæ*, *&c.* Exempla videbis in *Minerva* Sanctii [b], & doctis in eam animadverſionibus Eruditiſſimi

Et Exod. xvi. 8.

Ellipſis frequentiſſimi uſus hic facile admitti poteſt.

Locus Gen. xxxv. 7. eodem modo expoſitus.

Idem obtinet in analogis, Græcis & Latinis.

a Par. xvi. 11. b Lib. iv. p. 401.

tiſſimi Viri, Jacobi Perizonii. Alia ſi deſideres, invenies apud Livium [a]: *Et in linteis libris ad Monetæ inventa.* Alio loco [b]: *Semitamque ſaxo quadrato à Capena porta ad Martis ſtraverunt.* Item: *Pateraque aurea ad Cereris poſita.* Sic pariter intelliges *altare Jacobi* dictum eſſe; Dei fortis; Dei Israelis, ſc. Aram.

Caput XXIV.

Implicita verba, quibus modus inſtitutionis Cœleſtis *traditur;* Pſ. xix. 4. אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם *diſcutiuntur, eorumque genuinus inveſtigatur ſenſus; addita cenſura interpretationum variantium.*

Merentur verba excellentiſſimi Cantici, Pſ. xix. 4. אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם de quorum ſenſu varium eſt Doctorum Virorum judicium, tam noſtras quam aliorum curas novas. Expendemus igitur primo aliorum verſiones, ut in eas incidemus, & dein noſtram de vera eorum interpretatione proferemus ſententiam. Verba Pſ. xix. 4.

II. Jun. & Trem. *Non* eſt *ſermo, neque verba* eis, *& ſine* his *intelligitur vox eorum.* Hæc interpretatio placuit Grotio, niſi quod pro *&*, habeat, *at.* Nobis vero, abſit arrogantia, prorſus diſplicet, ſi ulla. Leve videtur, ſed non exigui tamen momenti eſt, quod in hanc verſionem intruſa ſit copula, *&*, ſive adverſativa, *at*, ac ſi in textu extaret, in quo tamen non extat. Etenim in editione Tremelliana hæc vocula nullo ſigno diſcernitur ab iis, quę in textu hebræo *vere* reperiuntur, quod tamen alias in hac verſione à Viris illis Doctis curate obſervari ſolet. Permagni autem intereſt, an copula ejuſmodi hic adſit in textu, an abſit. Lege ſententiam abſque copula, & notabile mox videbis diſcrimen: *Non* eſt *ſermo, neque verba* eis; *abſque* his *auditur vox eorum.* Vides, inquam, orationi omnem ademptam eſſe elegantiam & vim, quæ tamen non omnis abeſt, quando adeſt *copula*, quippe in quam tota quaſi orationis vis incumbit. *Non* eſt *ſermo neque verba* eis, at, ſive, Et *abſque* his audi- Variæ interpretiones Doctorum Virorum. Et quidem Jun. & Trem.

Ooooo

a Lib. iv. Cap. vii. b Lib. x. Cap. xxiii. Vide etiam Lib. xxi. Cap. lxii. & Lib. xxiii. Cap. xxxii.

auditur *vox eorum*. Quaſi dicere voluiſſet Auctor Cantici, licet nullus à cœlis exaudiatur ſermo, nulla ab iis percipiantur verba: *tamen* vox cœlorum tranſit ad animos eorum, qui cœleſtia conſiderate contemplantur.

Alia incommoda Verſionis Tremellianæ.

III. Adverte præterea, hanc verſionem farciri duobus *pronominibus relativis*, quorum in Hebræo textu nullum eſt veſtigium. In hebræo Codice eſt: *Non ſermo, neque verba*. Tremellius: *Non eſt ſermo, neque verba* IIS. In Hebræo eſt: *Non*, ſive *abſque* (ſi ita placet:) *auditur vox eorum*. In Tremelliano: *Et abſque* HIS *auditur vox eorum*. Alterutrum vero pronomen, ſi hoc dicere voluiſſet David, quod Tremellius putat, tam hic loci fuiſſet neceſſarium, ut nihil magis. Percurri ſpecimina ellipſium *Pronominum Relativorum*, quę Glaſſius obſervavit [a], ſed nullum mihi licuit offendere aliud, quod cum hoc noſtro conferri poſſit. Tolle, obſecro, hæc *pronomina relativa*, quæ in textu non ſunt; tolle etiam *copulam*, ET, & videbis, quanta ſit interpretationis Latinæ ab hebræis verbis diſcrepantia: *Non ſermo, & non verba; ſive auditur vox illorum*. Sed ſane hoc illud vitium eſt hujus verſionis, à Præſtantiſſimis Viris dudum obſervatum, quod ſacrum textum farciat continuis additamentis *pronominum*, copularum, & aliorum etiam verborum, quę nullam orationi elegantiam & efficaciam addunt. quod præter alios non neglexit monere Auctor Eruditus Criticæ Vet. Teſt. Simonius [b].

Sententia hujus Verſionis ſe ipſa evertit.

IV. Præter hæc exiſtimo, hanc interpretationem in ſe ipſam manifeſto incurrere, & contrarium illius dicere, quod David dicere voluit. Senſus ſententiæ ſecundum Junium & Tremellium eſt: *Vocem cœlorum audiri* ABSQUE SERMONE & ABSQUE VERBIS. Sed, quæſo, quo pacto *vox* audiri poteſt abſque *ſermone* & *abſque verbis*? *Vox* enim eſt pronunciatio, ſive elatio *ſermonis* & *verborum*. Dein etiam, David prorſus contrarium dixerat in *verſu antecedenti*: יום ליום יביע אמר *Dies ad diem eructat dictum*. Nec non in *verſu ſequente*: בקצה תבל מליהם *In extremum orbis* egrediuntur *verba eorum*. Si in *præcedenti* & *ſequenti verſibus* David cœlis ſignate attribuat *verba* & *ſententias*: cur ea cœlis negaret in hoc *verſu*? Immo totum Davidis inſtitutum, univerſa illius oratio eo

a Gram. Lib. III. Tract. II. Can. XXII. §. 2. & Can. XXIII. b Lib. II. Cap. XXI.

eo tendit, ut doceat, *Cælos loqui*. Hinc enim eſt, quod Pſalmum ſic ordiatur: *Cæli* מספרים ENARRANT *Gloriam Dei*. Ubi *narratio* eſt, ibi ſunt *dicta* & *verba*. Alia inſuper in hac interpretatione difficultas eſt, quæ non facile animadvertitur niſi ab iis, qui quodammodo verſati ſunt in diſcernendis ſignificatibus vocum hebræarum. Notio אמר in Verſione Tremelliana capitur pro quolibet *dicto*, quod *ore* profertur: ſic ut ſenſus verborum, אין אמר / ſecundum illos Interpretes hic ſit; *Cæli* os non habent, neque *ore ſuo quicquam proferunt*. Sed bene obſervandum eſt, אמר apud hebræos notare qualemcunque *ſententiam*, non adeo magna habita ratione, an ea ore pronuncietur, nec ne. Belgæ magis dicerent: **Een ſpreuke** / quam, **ſprake**. Aben-Ezra: אומר הם הדבורים שיש להם טעם שלם *Vocabulum* אומר *ſignificat prolata, quæ integram continent ſententiam*. Cl. Coccejus quoque in Lexico ſuo אמר vertit per Græcum ἔπος, & Belgicum; **ſpreuke**/ confirmatque illam vocis ſignificationem exemplis. Verte jam, ſi placet, hunc textum, hujus notationis memor; *Nulla* eſt *ſententia*, & *nulla* ſunt *verba*, & *abſque* his *auditur vox eorum*: & advertes, ni fallor, magnam incongruitatem in oratione. Quid enim hoc eſt? *Vox cælorum auditur abſque ſententia*. **De ſtemme der hemelen wordt gehoort ſonder ſpreuke en ſonder redenen.** Utique hæc oratio non videtur eſſe conveniens elegantiæ hujus Pſalmi, & inſtituto, quod Auctor in eo componendo ſibi propoſuit. Cedat itaque hæc interpretatio locum meliori.

Significatio genuina vocis אמר.

V. Reverendi plurimum Belgæ Interpretes ſic conceperunt ſenſum verborum: **Geene ſprake; nog geene woorden ſijnder / daer hare ſtemme niet en worde gehoort.** *Nullus eſt ſermo, & nulla verba, ubi vox eorum non audiatur*. Explicet mentem hujus interpretationis Vatablus, qui in eandem ipſe conceſſit: *Nulli ſunt populi, quantumvis differant linguis, quos non doceat communis cælorum ſermo, & præconium, quod creatori ſuo reddunt: nec quicquam præter ſocordiam obſtat, quo minus alieniſſimi quique quaſi ex ore unius doctoris proficiant*. Habet ſane hæc ἐξήγησις multam, qua ſe commendet, ſpeciem. Eſt enim hæc ſententia ampla, auguſta, Poëta ſacro digna, &, quod plus eſt, cæteris orationis partibus conformis. In verſione tamen ipſa incommoda inveniet non levia, qui ad textum hebræum animum diligen-

Belgarum Intt. verſio.

Expoſita verbis Vatabli.

Illius incommoda.

tius applicaverit. 1. In Hebræo textu non extat adverbium loci, שם IBI, quod ad integritatem hujus ſententiæ, quemadmodum ea ab his Interpretibus concipitur, neceſſario pertinet. Si negativam particulam בלי transponere velis per *abſque*, cujuſmodi ſignificationem concedo in eam cadere poſſe; tum hebræus textus hanc tantum dabit ſententiam: *Non eſt ſermo, & non ſunt verba, abſque auditur vox eorum*; hoc eſt, *abſque quo audiatur vox eorum.* **Daer en is geen ſpꝛake / en daer en zijn geen woorden / ſonder dat haer ſtemme gehoort wort.** Integra tamen ſententia apud hos Interpretes ſic ſonat: *Abſque vox eorum* IBI *audiatur.* Sive, UBI *vox eorum non auditur.* 2. Si vero hæc difficultas ſuperari poſſit: ſupereſt alia majoris momenti, quod vocabula אמר & דברים in hac verſione capiantur pro *Linguis* & *loquelis* hominum. Neſcio an id unquam fiat in univerſa Scriptura. Saltem ſcio, id fieri non poſſe quoad vocem אמר / niſi cum *καταχρήσει* manifeſta genuinæ illius ſignificationis. Nimirum, ut jam monitum eſt, vox אמר notat *integram ſententiam:* ut, ſi quis dicas; *Ruben vivit. Deus eſt potens, &c.* Conſtat enim אמר / ut recte Cl. Coccejus in Lexico, ex pluribus מלין *verbis*, in unam compactis orationem, quæ ſenſum abſolvit. דבר autem ſignificat λόγον *ſermonem*, qui ex duabus vel pluribus אמרים *ſententiis* compoſitus eſt. Ut ſi quis dicat: *Si Deus eſt omnipotens, valebit ad corpora noſtra olim reſuſcitanda.* Hic eſt λόγος, ſive *ratiocinatio*, quod Belgæ dicunt; **Een reden.** Strictius laxiuſque ſæpe numero vocem דבר capi, non ignoro. Certum tamen eſt, hanc eſſe genuinam ejus notationem. Unde quiſque videt quam incommode אמר *ſententia* & דברים λόγοι pro *Linguis* & *Dialectis* ſumantur. Si enim poſterius vocabulum ejuſmodi ſignificationem admittere poſſet, in aliis poſitum circumſtantiis; in hac ſane non poteſt, ubi junctum eſt cum voce אמר. Hebræi Scriptores utuntur notionibus לשון vel etiam שפה hoc ſignificatu. Cape exemplum ex Jeſ. XXVIII. 2. Experiamur jam, an, ſi verba hæc duo אמר & דברים in genuino ſuo ſenſu ſumantur, ſatisfaciant menti horum Interpretum: *Nulla eſt ſententia, & nulli ſunt λόγοι, ubi vox cœlorum non audiatur.* **Daer is geen ſpꝛeuke / en daer zijn geen redenen / daer haer ſtemme niet gehoort wort.** Quis nexus? *Vox cœlorum auditur, ubi ſunt ſententiæ & λόγοι hominum.*

דברי & אמר non poſſunt capi pro *loquelis* ſive *Linguis* hominum.

Genuina ſignificatio harum vocum.

Uti-

[illegible] ue certum eſt, verſionem, ſic inſtitutam, prorſus ablu-[illegible] mente horum Interpretum; & vim omnem & elegan-[illegible] æ in ea apparebat, ſic penitus perire. Favit tamen, [illegible] tina Lingua inſtituto Interpretum, qui hanc ample-[illegible] onem. Latinorum enim *ſermo*, quo expreſſerunt [illegible] tam capitur pro *oratione* ſive λόγῳ, quam pro [illegible] iceronem, Suetonium &c. habes; *Sermo Græ-*[illegible] *rmanicus, &c.* Sed hebræorum אמר non ma-[illegible] nc ſignificatuum varietatem, quam Græcorum [illegible] tinorum; *dictum.*

[illegible] ranſeamus igitur ad aliam quandam horum verborum [illegible] ationem, quæ verſatiſſimos in Lingua hebræa Auctores [illegible] et. Coccejus ſic inſtituit: *Non eſt dictum; non ſunt ſermones;* [illegible] *on auditur vox eorum.* Cujus interpretationis hunc dat elegantem commentarium: *Si* dictum *eſſet, cum dicto deſineret inſtitutio. Jam quod narrat cœlum, ſemper dicit, & pariter. Si* ſermones *eſſent, & à rationibus cauſiſque deductæ ſententiæ: obſcuritas ineſſet. Si audiretur* vox illorum: *obtunderet nos. Cœlum & plene & ſemper & clare & ſuaviter docet.* Ludovicus de Dieu etiam inter alias hanc maxime probat, ceu liquet ex ipſius *Animadverſionibus* in Vetus Teſt. *Verti poteſt*, ait, *ni fallor. Sine ſermone, & ſine verbis, non audita voce eorum.* Probat dein paucis, voculam אין per *ſine* exponi poſſe. Contulerat jam ante Cloppenburgius cum L. de Dieu de hac verſione textus, quam Cloppenburgius recte dixit à Vatablo carpi, & tamen à Diodato laudari. Scrupulus Cloppenburgii erat, an particulæ אין & בלי non poſtularent *variationem ſenſus.* quam difficultatem feliciter reſolvit Cl. de Dieu, adjiciens, *planiorem* fore Diodati verſionem, ſi ſequens verſus inciperet à *Vau*, quod valeret; *Attamen.* Quare in conſiderationem amici ſui mittit, an non totus locus ſic tranſponi poſſit: *Abſque ſermone, abſque verbis, abſque audita voce eorum; in omnem terram exivit linea eorum, &c.* In ea autem ſententia D. de Dieu perſeveravit, ut ex *Animadverſionibus* conſtat [a]. Diodatus: *Non habent Linguam, aut verba, & ſonus eorum non auditur.*

Coccejí interpretatio.

Paraphraſis facta ejus verbis.

L. de Dieu ſententia.

Cloppenburgii animadverſio.

VII. Vatablus improbat hanc interpretationem, nulla ad-

Vatabli judicium de hac verſione.

 dita

a. Cloppenburg. Oper. Tom. 1. p. 321.

dita ratione. *Quidam*, ait, *non ſatis recte vertunt*; &c. Liceat igitur nobis eadem libertate, qua hactenus uſi ſumus, rationes noſtras in contrarium exponere. Damus, hebræa verba pati poſſe eam verſionem, quam Viri Doctiſſimi De Dieu & Coccejus probant: ſed obſervari volumus, ſenſum, quem hæc verſio edit, quantum nobis videtur, manifeſto incurrere in intentionem Auctoris, qui hunc Pſalmum compoſuit.

Incurrit in ſcopum Poëtæ ſacri, qui vult docere, *Cœlos loqui.*

Intentio Auctoris eſt docere, *Cælos loqui.* Huc omnia collimant. In *verſu primo* dicit: *Cæli* מספרים NARRANT *Gloriam Dei. Opus manuum ejus* מגיד CORAM EDISSERIT *expanſum.* Pergit: *Dies ad diem* יביע אמר ABUNDANTER & copioſe (inſtar Oratoris) PROFERT SENTENTIAS; *Et nox ad noctem* יחוה דעת ANNUNCIAT *ſcientiam.* Hæc antecedunt textum noſtrum: ſequuntur autem quæ ſunt ejuſdem generis; *In totam terram* יצא קום *exit linea eorum*, ſive, quemadmodum *Paulus* vertit [a], ὁ φθόγγος αὐτῶν SONUS EORUM, *& in extremum orbis terrarum* מליהם VERBA EORUM.

Quod pluribus oſtenditur.

Quid? In antecedentibus & conſequentibus hujus textus adſcribetur cœlis *narrare*, *annunciare*, *ediſſerere*, *ſententias proferre inſtar oratoris*; attribuentur illis *ſonus* & *verba*; & illa omnia rurſus *cælo* negabuntur in hoc *verſu noſtro*, qui in hac oratione medius eſt! Non videtur; imo potius videtur, Davidem his verbis, ut ſolet in Pſalmis ſuis, præcedentem ſuam orationem voluiſſe exaggerare & confirmare. Quomodo, quæſo, poſtquam in ſuperiore *commate* dixiſſet; *Cælum eructat ſententias*; in hoc *verſu* dicet; אין אמר *Cæli ſunt abſque ſententiis?* Excipies, Davidem debuiſſe lectorem ſuum monere, quod de proprie dicta *narratione* & inſtitutione *cælorum* non loqueretur, ſed potius de metaphorica.

Reſpondetur ad exceptionem, quæ hic moveri queat.

Reſpondeo, 1. Id minime fuiſſe neceſſarium, quia inter mortales nemo, cui ſenſuum ſuorum uſus conſtat, ignorat, cœlos *proprie* non loqui. Quis enim unquam cœlos inſtar oratoris ſententias fundere intellexit, vel auribus ſuis percepit? 2. Exiſtimem, totam elegantiam facillimæ hujus metaphoræ perire, ſi concipiamus, Davidem illius explicationem non reliquiſſe lectori.

Alia difficultas mota ex ipſo textu.

Dein, quomodo hæc ſibi conveniunt? *Non auditur vox eorum. Sonus eorum exit in univerſam terram.* Quomodo, inquam, hæc ſecum conſentiunt? Supponimus enim, Paulum, ut ſane fecit,

a Rom. x. 18.

fecit, vocem קו recte vertiſſe per *ſonum*. Si *ſonus cœlorum exit in univerſam terram*, quo pacto negatur *cœlis vox* in iis, quæ ἀμέσως hæc verba tangunt?

Quomodo Cl. Coccejus hac difficultates expedire nitatur?

VIII. Non potuit hæc difficultas fugere dexterrimos Interpretes. conati igitur ſunt illam quocunque modo tollere. Cl. Coccejus rem ita concipit, acſi David oppoſitionem inſtitueret inter *inſtitutionem*, quæ *voce* fit, & quæ *ſcriptura*; negando cœlis inſtitutionem, quæ *voce* fit, eamque iis concedendo, quæ *ſcriptura*. Sic ſcribit in Lexico ad vocem אמר: *Non eſt dictum, & non ſunt ſermones. Narrant cœli; non voce, non dictis, non ſermonibus, ſed quaſi ſcriptura, quæ ab omnibus legi & cognoſci poteſt, qui literas, quæ ubique extant, velint in verba colligere.* Verba igitur, textum noſtrum ſubſequentia; בכל הארץ יצא קום *In totam terram egreditur linea eorum*, ſecundum Cl. Coccejum ſignificabunt, *ſcripturam* ſive *literas cœlorum* ab omnibus, qui in orbe terrarum ſunt, hominibus legi poſſe. Illuſtrat vero in Commentario ſuo explicationem verbis Aben-Ezræ, qui vere hunc locum ſic interpretatus eſt. Pars Commentarii ejus ſic habet: קום כמו קו לקו והטעם כי מכתבם יקרא בכל מקום Kav *hic eodem modo ſumitur, ut apud* Jeſaiam [a], קו לקו *litera ad literam. Senſus autem eſt, Scripturam illorum legi omni loco.* Belgæ in fine ſuarum Annotationum ejuſdem quoque Verſionis mentionem faciunt. Tu tamen obſerva, 1. Ex tota prima parte Pſalmi, atque iis maxime, quę præcedunt & ſequuntur eum, quem tractamus, locum, palam liquere, Poëtam loqui de inſtitutione, quæ fit per *vocem*, non de ea, quæ per *ſcripturam*. *Enarrare*, *ſententias fundere*, *coram annunciare*, ſunt Oratoris & Præceptoris, qui diſcipulos *ore* inſtruit & *voce*, non ſcripto. Quæ cum adſcripta ſint cœlis in præcedentibus, quomodo intelligam, Davidem *oralem inſtitutionem*, quam tot efficacibus adſtruxerat dictis, cœlis rurſus negare, & transferre ad eam, quę hauritur ex lectione ſcripturæ? Hæc mihi non videntur ſibi ullo modo conſtare. Quin patet ex hoc ipſo ℣ſ. 5. Poëtam adhuc perſeverare in priore metaphora, quia, poſtquam dixiſſet, *in totam terram egredi* קו *inſtitutionem Cœlorum*, mox ſubjungit; *In orbem habitabilem* מליהם VERBA EORUM. Sed 2. Verſio LXX Interpretum, à Paulo appro-

A. Ezræ ſententia.

Refellitur expoſitio.

Poëta loquitur de *inſtitutione orali*.

a Jeſ. Cap. XXVIII. 10.

Verſio Lxx Intt. ſupponit inſtitutionem oralem.

approbata, huic expoſitioni aperte obſtat. In ea enim verba; בכל הארץ יצא קום redduntur. Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν *In totam terram egreditur* SONUS EORUM. Si קו ſit *ſonus* in hoc loco, quomodo verti poteſt per *ſcripturam?* *Scriptura* enim & *ſonus* ſibi invicem opponuntur. Conati quidem ſunt huic difficultati quodammodo ſatisfacere Cl. Interpretes, quando obſervarunt, Græcorum φθόγγος aliquando etiam *elementum* notare. Sed ea ſane obſervatio non eſt magni ponderis: quare adducta à Cl. Coccejo, mox deſeritur. *Tamen*, inquit, *ne quid diſſimulem*, φθόγγος *eſt*, *quicquid ſonatur.* Si φθόγγος literam notat, utique maxime reſpicit *vocalem*, quia ea litera *ſonum* facit in pronunciatione. Alias nihil certius quam φθόγγος ſignificare *ſonum*, cumque clarum & ſonorum. Nulla igitur exceptio ſupereſt, niſi ut dicatur, Lxx Interpretes vocem קו non recte vertiſſe per *ſonum*, ſed eam vertere debuiſſe per *ſcripturam.* Verum non eſt neceſſe, ut hoc dubio ſolvendo laborem, quia Cl. Interpretes, quibuſcum nunc diſputo, hanc exceptionem non producunt. Concedunt enim, τοὺς ό hunc textum recte vertiſſe, licet propterea hypotheſin ſuam non derelinquant. Si quis tamen hoc mihi dubium movere velit, nihil proficiet. Præterquam enim, quod Paulus verſionem τῶν ό approbaverit & adſtruxerit: commodum accidit, Cl. Virum, Eduwardum Pococke, docuiſſe, quod ante eum nemo docuerat alius, quantum quidem nobis conſtat: vocem קו/ relatam ad radicem *Arabicam* קוי/ omnino ſignificare *ſonum*, eumque maxime *ſonorum & clarum.* Notat enim קוקא/ nomen quadriliterum ex קוא vel קוי ortum, *clamare*, *vociferari* (verba ſunt Pocockii in *Porta Moſis*[a]:) *teſte* Al Firuzabadio *in* Oceano ſuo, *ut ſit non quovis modo*, *ſed* μετὰ βοῆς φθέγγεσθαι *fortiter & alta voce clamare.* Secundum hanc vero notationem noſtrum קו ſignificabit *ſonum clarum*, & admodum *ſonorum.* Quo ſi reſpexerint Lxx Interpretes: utique ſummam in hoc textu vertendo adhibuerunt prudentiam. Alias fieri potuit, ut ex contextu univerſo hujus Pſalmi collegerint, non poſſe eſſe aliam ſignificationem vocis קו in hoc loco, præter eam, quam expreſſerunt. Quod enim Cl. Cappellus prætexit, eos legiſſe קולם/ id fidem non meretur. Docti Viri obſervarunt, & fidem

Vox φθόγγος ejuſque ſignificatio.

Pocockii obſervatio de voce קו, & illius vera notatione.

a Cap. IV. p. 48.

fidem facile faciet Kircheri Lexicon, Lxx vocem קול nunquam reddere per φθόγγος. Quare veriſimile non eſt, ſi legiſſent, קולם / eos verſuros fuiſſe eam vocem per φθόγγος. Potuiſſent enim dicere: ἡ φωνὴ αὐτῶν. Suadet igitur ratio, ſtatuamus, Græcos Interpretes vel Arabicam radicem קא in hac verſione reſpexiſſe, vel hunc ſignificatum vocis eruiſſe ex antecedente & conſequente orationis nexu.

IX. Addam 3. mihi non videri, voculam קו in Hebræa Lingua unquam capi pro *litera*, ſive *elemento*, aut מכתב *ſcriptura*, quę *literis* conſtat. Allegatur locus ex Jeſ. XXVIII. 10. ubi dicitur, קו לקו *linea ad lineam*. Quid ibi קו *linea*? An *ductus literarum*? Minime vero. Mentio enim ibi eſt, ut ξὺν Θεῷ commoda occaſione demonſtrabimus, de *traditionibus oralibus* Judæorum, quę illa ætate, qua Chriſtus inter homines verſabatur, ad magnum excreverant numerum. De iis dicitur: צו לצו קו לקו *Præceptum ad præceptum*; hoc eſt, præceptum unum alteri adjungitur; קו לקו *linea ad lineam*, hoc eſt, unus canon alteri adjungitur. Eſt enim קו hic κανὼν *regula*, quemadmodum ab Aquila optime vertitur. *Regula* vero eſt omne præceptum, omnis conſtitutio, ſecundum quam vitam moreſque noſtros inſtituere jubemur. Quare Belgæ hunc locum recte admodum reddiderunt: Regel op regel. Quid igitur? Certe ſi reſpicere vellemus hanc ſignificationem vocis קו / quam hebræa Lingua dat, & non radicem Arabicam, cujus mentionem Pocockius injecit: verba; בכל הארץ יצא קום vertenda eſſent: *Canon* ſive *inſtitutio illorum egreditur in totam terram*. Intelligimus autem *inſtitutionem oralem*. quę verſio convenientiſſima eſt ſcopo Pauli in Epiſtola ad Romanos. Hæ rationes ſunt, ob quas ſeponendam judicio hanc Cl. Interpretum verſionem, ſi alia dari poſſit melior, & textui convenientior.

Vox קו apud Hebræos non videtur ſignificare elementum ſive literam.

X. Quænam vero illa? Hæc, ni fallor: *Non eſt dictum, & non ſunt ſermones, quorum non auditur vox.* Belg. Het en is geen ſprake / het en zijn geen redenen / welcker ſtemme niet gehoort en wordt; Maer haer geluyd of onderwijſinge gaet uyt over den gantſchen aerdbodem. Explicem mentem meam paucis. *Propoſitio* primæ partis hujus Pſalmi continetur *verſu primo: Cæli enarrant Gloriam Dei, & opus manuum ipſius coram ediſſerit Expanſum.* In hac pro-

Alia verſio in medium producta.

Quæ eluddatur & ex argumento totius Odæ adſtruitur.

propoſitione Cœlum introducitur *loqui*, & enarrare *Dei Gloriam*, inſtar *Doctoris* ſive Præceptoris. Hæc vero inſtitutio Cœlorum, ut Præceptoris, commendatur in ſequentibus *triplici* potiſſimum *nomine*. 1. quod *copioſa*. 2. quod *excellens*, & 3. quod *clara* ſit & perſpicua.

Cœli Doctor copioſus, excellens, clarus.

De duobus prioribus loquitur David in ℣ſ. 2. *Dies ad diem* ABUNDE PROFERT *ſententias*, *& nox ad noctem* INDICAT *ſcientiam*.

De *facundia* ſive fœcunditate vox הביע

Vox הביע notat ſententias inſtar facundiſſimi Doctoris magna profundere copia, ſive quod Latini ajunt, *flumine*, quaſi ex ſcaturigine, nunquam exhaurienda. Adeſt igitur inſtitutioni Cœlorum magna *copia*; adeſt Doctori Cœlo magna facundia. Sed & adeſt *copia* rerum *præſtantium*. Docet enim אמר *ſententias*, & דעת *ſcientiam*. De *claritate* loquitur in ℣ſ. 3. & 4. Etſi enim Cœlum copioſus Doctor eſſet: dubitari tamen poſſet, an eſſet *voce clarus*.

Sententia præſens explicat *claritatem inſtitutionis*.

Pergit itaque: *Non eſt ſententia, & non ſunt verba, vox eorum non auditur*, hoc eſt, *quorum vox non auditur*. Imo vero *exit ſonus eorum in totam terram, & verba eorum in orbem, qui habitatur, univerſum*. Ne vero crimineris, inquit David, Cœlos quidem optimi & copioſiſſimi Doctoris munere fungi; dubium tamen eſſe, an ſatis *clara* & *perſpicua* ſit Cœli *inſtitutio*, eaque ab omnibus intelligi, atque audiri poſſit: imo vero, ait, eſt clara, eſt intellectu & auditu facilis, & hac etiam parte nihil eſt, quod quis in inſtitutione Cœlorum carpere poſſit. Vox Cœlorum, ut Doctoris, ab omnibus audiri, eorumque dicta & ſententiæ ab omnibus poſſunt intelligi. Convenit hic ſenſus toti contextui; & non dubitabit opinor, qui hebræa legit, quin oratio hebræa hanc verſionem facillime & commodiſſime ferat. Ellipſis quidem ſtatuitur particulæ אשר/ ſed adeo familiaris in Hebræa Lingua, ut exempla nulla enotare ſimilia neceſſe ſit. *Relativum* enim *pronomen* nullum agnoſcimus in textu, niſi quod eſt affixum notioni קול/ *vox*.

An *vox*, aptetur ſententiis & dictis?

Hoc tantum forte alicui ſuboriri poſſet dubium, an *ſententiis & verbis* aſſignari poſſit *vox*? Et vero poteſt ſecundum indolem Linguæ Hebrææ. Notentur exempla, Deut. IV. 12. קול דברים אתם שומעים VOCEM VERBORUM *vos audiebatis*. 1 Sam. XV. 1. שמע לקול דברי יהוה *Audi* VOCI VERBORUM *Jehovæ*. Phraſis eſt eadem, ut quiſque videt.

Conſenſus aliorum Interpr.

XI. Ubi vero hæc mihi in mentem veniebap verborum expoſi-

poſitio: non poteram dubitare, quin ea, etſi in iis, quos terebam, Interpretibus non obvia, aliorum meditationibus jam eſſet occupata: adeo mihi videbatur facilis & reliquis partibus hujus Cantici congrua. Nec falſus ſum opinione. Chaldæus enim ſimile quid videtur voluiſſe innuere his verbis: לית מימר דתורעמתא ולית מלי דשנושא דלא משתמע קלהון *Non eſt verbum murmurationis, & non ſunt ſermones tumultus, quo non audiatur vox eorum.* Si bene capio illius mentem, dicere voluit, non loqui Cœlos *confuſe*, quemadmodum fit in *murmure* & *tumultu*, ſed *clare* & *diſtincte.* quod idem nos volumus, licet ab ipſo diſſidentes in explicatione vocum דברים & אמר. Audiamus etiam Interpretem Syrum: לית מאמרא אפלא מלא דלא משתמע קלהון בכלה ארעא נפקת סברתהון *Non eſt ſermo, & non ſunt verba, quorum non auditur vox.* Nam *in totam terram exivit annunciatio eorum.* Arabs, ut in Polyglottis verſus eſt: *Non ſermone, neque verbis, quorum non audiantur voces. Imo exierunt voces eorum in univerſam terram.* Quid aliud dicere voluerunt οἱ LXX. quorum tamen verſio ob nimiam hebraiſmi affectationem obſcurior eſt? Οὐκ εἰσὶ λαλιαὶ, οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐχὶ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν. Vulgata eam ad verbum ſic expreſſit: *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Sed cur non ſimpliciter ſcripſerunt? ὧν οὐχὶ ἀκούονται αἱ φωναί· *Quorum non audiuntur voces.* Non negligendus quoque nobis erat Symmachus, ut in *Fragmentis* Druſii legitur. Ita ille: Οὐ ῥήσεις, οὐ λόγοι, ὧν οὐκ ἀκούονται φωναί· *Non verbis, non ſermonibus, quorum non audiuntur voces.* Pergit Symmachus: Ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν· Sed *in totam terram egreditur ſonus eorum.* Id plane volebamus.

Paraphtaſtæ Chaldæi.

Int. Syri, aliorumque.

XII. Antequam finem imponam huic diſſertationi: obſervari velim in loco, quem tractavi, rhythmum, ſecundum quem credere fas eſt hæc verba olim lecta & cantillata fuiſſe.

Ὁμοιοτέλευτον in ſententiis hujus loci.

אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם
בכל הארץ יצא קום
ובקצה תבל מליהם
לשמש שם אהל בהם.

CAPUT XXV.

Græca phraſis , ἐν βάρει εἶναι, I Theſ. II. 6. *explicatur & illuſtratur.*

Verba Pauli, 1 Theſ. II. 6.

VErba Pauli in *priore* Epiſtola ejus ad *Theſſalonicenſes* cap. II. 6. hæc leguntur, digna, quę cum cura expendantur: Οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν, οὔτε ἀπ' ἄλλων· *Non quærentes ex hominibus* GLORIAM, *neque à Vobis*, *neque ab aliis.* δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, ὡς Χριστοῦ Ἀπόστολοι. Beza: *Quum poſſemus* vobis ONERI ESSE, *ut Apoſtoli Chriſti.* Belgæ: **Hoewel wy u tot laſt konden ſijn/ als Chriſti Apoſtelen.** Bene quidem & non incommode, ut videtur, ſi verborum ſententiam ἁπλῶς *abſolute* in ſe ſpectes; ſed ſi nexum orationis, minus feliciter cum eo videtur poſſe conciliari. Nimirum in *oratione antecedente* id agit Apoſtolus, ut ſe liberet à crimine, ſive præjudicio κενοδοξίας & *ſeveritatis*. Ita ſe geſſiſſe ait inter Theſſalonicenſes, ut *honorem*, qui ſibi debebatur officii cauſſa, ſtudioſe non affectaverit, & *auctoritate ſua*, quam ex munere maximam oſtentare poterat, non ſit abuſus. *Non quæſivi*, ait, *gloriam ex hominibus*, *neque à Vobis*, *neque ab aliis.* quibus mox ſubjungit quæ tractanda ſuſcepimus verba: δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι ὡς Χριστοῦ Ἀπόστολοι. Quæ ita ſi exponantur, ut fit à Beza & Belgis, quinam orationis Apoſtolicæ nexus erit? Nonne enim poteſt quis gloriam exiſtimationemque maximam quoque ſectari ab hominibus quibuſdam, licet iiſdem oneroſus non ſit, vel moleſtus? Sed nec ſequentia apte videntur cohærere. Ita ſe habet *comma ſeptimum:* Ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν· *Sed fuimus* PLACIDI *in medio veſtrum.* Gloriam, exiſtimationem, gravitatemque quærere Apoſtolicam, & placidum mitemque eſſe, ſibi quam maxime opponuntur; *placidum* vero & *oneroſum eſſe* non opponuntur. Fieri enim poteſt, ut placidus quis ſit & mitis, qui ſimul ſit oneri. Oppoſitas vero haſce orationis ſententias eſſe, vel particula ἀλλὰ docere poterit. Neque juvat illius verſionis Patronos, quod *quinto in commate* Paulus τῆς πλεονεξίας *Avaritiæ* faciat mentionem, quo vitio hic pariter ſe ſtudet purgare. Id enim remotius eſt; & Pau-

Verſiones illius loci receptæ.

Non recte cohærent cum contextu orationis.

tam antecedente, quam conſequente.

Baſis veræ interpretationis orationis Pauli.

Paulus poſtea aliam rem egerat. Conſideremus propius ipſa Apoſtoli verba: *Neque enim unquam* SERMONE ASSENTATORIO *uſi ſumus, ſicut noſtis, nec* AVARITIÆ CAUSSA *quicquam prætexuimus; Deus teſtis eſt.* Apoſtolus hoc in *commate duplicem* proponit *ſententiam*, quam in ſequentibus probandam illuſtrandamque ſibi ſumit. Quæ certe ſcribendi ratio optima eſt & elegans. Notarunt enim eam laudaruntque Viri eruditi cum in aliis Scriptoribus, tum præſertim in Suetonio, quod novarum rerum narrationem exorſurus, eas in ipſo narrationis exordio *ſummatim* una complectatur ſententia, eamque dein per partes eodem ordine narrationis obſervato declaret. Primo igitur dicit Apoſtolus, *ſe nunquam uſum* SERMONE ASSENTATORIO; dein, *ſe nihil quicquam* AVARITIÆ CAUSSA *prætexuiſſe*. Prius probat in *commate ſexto*, & *ſeptimo*, quia gloriam *nullam ab hominibus quæſivit*, δυνάμενος ἐν βάρει εἶναι, ſed *placidus* fuit. Poſterius adſtruit *commatis octavo* & *nono*, quod *nemini* FUERIT ONERI, *ſed noctu & interdiu adſiduus in labore*. Agit igitur Apoſtolus hic de rebus diſtinctis. Poſteriora pertinent ad τὴν πλεονεξίαν; Priora ad *auctoritatem* gravitatemque Apoſtolicam, & κενοδοξίαν.

An τὸ ἐν βάρει εἶναι, idem quod ἐπιβαρῆσαι?

II. Non nego tamen in mentem alicui venire poſſe, an non τὸ ἐν βάρει εἶναι ℣ſ. 6. idem ſit in oratione Apoſtoli quod ἐπιβαρῆσαι ℣ſ. 9. *Subſtantivum* enim cum præfixo ב apud Hebræos reſpondet *Adjectivo*, ut Glaſſius poſt alios multis docuit[a], & probatum dedit. Sed obſervari hic velim, *Subſtantiva* eum in modum conſtructa paſſim habere ſignificationem *formæ paſſivæ* non *activæ*: ut ex gr. 1 Par. XXVI. 14. יועץ בשכל *Conſiliarius in intellectu*. h. e. Intelligentia præditus. Pſ. LI. 8. *Docuiſti me ſapientiam* בסתם *in occulto*. h. e. abſconditam. Joan. IX. 34. Ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος· *In peccatis totus tu natus es*, hoc eſt, ſceleratus. Quæ exempla ſi ſequeremur, τὸ ἐν βάρει εἶναι non poſſet ſignificare *gravare*, vel *oneri eſſe*, ſed *oneratum* vel *onuſtum eſſe*: uti ἐν τιμῇ εἶναι, *honoratum eſſe*. Prius enim ſignificatione gaudet *activa*, poſterius *paſſiva*, quod hic diligenter ad animum revocandum eſt. Quod ſi vero τὸ ἐν βάρει εἶναι poſteriorem hunc adſciſceret ſignificatum, uti deberet: tum nihil in hoc loco ſupereſſet elegantiæ. Quin imo ſi Paulus *ſubſtantivum cum particula conſtructum* hic voluiſ-

Subſtantiva cum præfixo ב, pro adjectivis ſumpta, paſſim *paſſive* exponuntur.

Incommodum aliud.

a Glaſſius Lib. III. Tract. I. Can. IX.

quo hæc interpretatio premitur.

luiſſet uſurpare ſignificatione *activa:* adhibuiſſet hic particulam εἰς, non ἐν, & non dixiſſet, ἐν βάρει εἶναι, ſed εἰς vel ὡς βάρος εἶναι: plane uti dicimus לכבוד ולתפארת *Gloriæ* & *honori eſſe.* uti in ſimilibus obtinet: Rom. XV. 2. Ἕκαστος γὰρ ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν· AD *ædificationem.* 2 Cor. I. 20. Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν· *Deo* AD GLORIAM *per nos.* Philipp. I. 11, 12. Πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης τῶν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεοῦ· AD *Gloriam & honorem Dei.* Accedit, quod, ſi ea *Belgarum* interpretatio valeret, addita eſſe debuiſſet vocula ὑμῖν, quæ hic pariter deficit: ita ut mirum ſit, Belgas Interpretes voculam hanc abſque † ullo indicio abſentiæ in contextu, quod in ſua cæteroquin Verſione *mutatis literarum formis* præſtare ſolent, textui immiſcuiſſe, quæ tamen vere in Græco textu non extat.

Eraſmi judicium de his verbis, qui βάρος vertit per *gravitatem Apoſtolicam.*

III. His vero incommodis cum laboret hæc Verſio: mirari liceret, cur illam ex Vulgata ſuſceperint Beza, & Belgæ, *niſi* Beza hic, quod alias ſæpe agit, ab Eraſmo voluiſſet diſſentire, & Belgæ illius auctoritati nimium detuliſſent. Ego tamen hic probo judicium Eraſmi, qui à Vulgata interpretatione recedens, τὸ βάρος hoc in loco interpretatus eſt per *Gravitatem Apoſtolicam.* cujus expoſitionis, quam Eraſmus ad Ambroſium refert, Beza & Belgæ quoque meminerunt in ſuis Annotationibus. Et profecto nulli dubitamus, quin Apoſtoli mentem ipſe ſit aſſecutus, ſi *Gravitatis* vocabulum aliquanto latius ſumpſeris, uti vulgo ſolet, pro ſeveritate, cum exiſtimatione, gloria, honore, auctoritateque conjuncta: ita ut ſententia Apoſtoli huc recidat, ſe cum cæteris ſuis commilitonibus, nec gloriam ab hominibus quæſiviſſe, nec ſevere cum Theſſalonicenſibus egiſſe, licet ut Legati Chriſti honorem & exiſtimationem maximam ob dignitatem

† Sic fere ſcripſeram: ſed monuit me Vir quidam Doctiſſimus, in ſinceris Amicis à me cultus & colendus, *contrarium* ejus quod hic ſcripſi *exhibere omnes Editiones Belgicas, quæ ipſi fuerunt ad manus, quippe quæ vocabulum* u non immiſceant textui abſque *variatione literarum, ſed conſtanter habeant :* **Hoewel wy (u) tot laſt konden zijn.** & verum eſt, quod Vir Rev. monet: nec tamen ego hic in culpa. Habui enim, hæc ſcribens, ante oculos Editionem Verſionis Belgicæ primam & præſtantiſſimam *Ravenſteynianam*, Anni hujus ſeculi XXXVII. in qua nullum *variæ formæ literarum*, aut *uncinulorum*, hic indicium eſt.

tatem muneris ſui potuiſſent exigere, & gravitatem, ſeveritatemque præ ſe ferre majorem. Quæ certe expoſitio orationi Paulinæ optime convenit, ut quiſque ex totius συναφεία contextus, modo à nobis in compendium redacti, facile intelligit. Solum id reſtat, ut videamus, an φράσις Græca, ἐν βάρει εἶναι, eam ſignificationem admittere poſſit.

IV. Quod Græca phraſis, ἐν βάρει εἶναι, commodiſſime verti poſſit, *in honore* & *exiſtimatione eſſe:* hac ratione facile conficiam, ut 1. Demonſtrem, vocabulum βάρος hanc ſignificationem commode admittere. 2. Ipſam phraſin, ἐν βάρει εἶναι, cum aliis illius generis comparatam, nos ſponte ſua ad hanc interpretationem veluti ducere. Et quidem quod ad *prim:* ipſam Græcam vocem βάρος, quę proprie *pondus gravitatemque* notat, commode ſignificare *honorem*, facile liquebit ex voce hebræa כבוד. Vocabulum כבוד apud *Hebræos* idem prorſus ſignificat, quod apud *Græcos* βάρος, hoc eſt, PONDUS, *gravitatemque.* Verum uſu obtinuit, ut Hebræi per illud expreſſerint omnem rei alicujus præſtantiam, & eminentiam, qua fit, ut illa quaſi *præponderet* alteri, quæ cum ea comparatur, & majorem ei conciliet *gravitatem.* Virtutes cum in Deo ſint eminentiſſimæ: maxima in ἐμφάσει ipſi כבוד *Gravitas* adſcribitur, quia per illas omnibus rebus aliis *præſtantior* & *gravior* eſt in judicio conſcientiæ. Aliæ res extra Deum quanto plus cenſentur habere *realitatis*; & creaturæ inprimis intelligentes, quanto plus virtutis, poteſtatis, & *auctoritatis*, tanto plus habere putantur *ponderis* & *gravitatis.* Lxx eam vocem paſſim vertunt per δόξαν *gloriam*, *honorem.* Per quam, flexam ad ſignificatum Vocis hebrææ כבוד/ Helleniſtæ intelligunt *præſtantiam* alicujus rei, vel *honorem*, qui alicui ob illam præſtantiam defertur. Deus certe cum habeat virtutes & perfectiones excellentiſſimas, quæ eum rebus omnibus *graviorem* faciunt: fas eſt, ut homines eas *agnoſcant*, Deumque tam fateantur eſſe excellentem, quam eſt. Quod ubi illi faciunt, tribuunt Deo *gloriam nominis* ipſius, כבוד שמו/ atque Deum dicuntur כבד *glorificare*, *honorare*, hoc eſt, Deum aliis rebus & perſonis fateri graviorem. Hæc nunc transferamus ad Apoſtolos. Spectandi illi à nobis ſunt habuiſſe *plures virtutes*, & *excellentiora* longe *animi* dona, per gratiam Dei ſingularem in eos collata, quam cæteri

Phraſis, ἐν βάρει εἶναι, notat *in honore* & *exiſtimatione eſſe.*

Vox כבוד Græcis eſt βάρος.

Quare כבוד *Gloria* Hebræis dicatur *gravitas*, pondus?

Δόξα quid Græcis? & βάρος?

Apoſtolorum *decus*, *præſtantia*, *excellentia*.

teri homines, & gregarii credentes. Accedebat ad ea ſumma dignitas muneris, qua fulgebant, quod eſſent Ἀπόστολοι LEGATI CHRISTI. quæ ſane ipſis *præſtantiam*, *dignitatem*, *auctoritatemque* maximam conciliarunt. *Præſtantia* vero & *dignitas* hæc quando ab aliis agnoſcebantur, producebant τιμὴν *honorem*. Atque duo hæc appoſite expreſſa fuerunt in vocabulo כבוד / &, quod illi reſpondet, βάρος. quod nunc pauciſſimis ex documentis comprobemus. Priori in ſignificatu accipitur Eſ. XL. 4. ונגלה כבוד יהוה *Et revelabitur* GLORIA, βάρος, *Jehova*. Hoc eſt: *Gravitas* Jehovæ; *perfectiones* & *virtutes* Divinæ. Rom. I. 23. *Mutarunt* τὴν δόξαν GLORIAM *incorruptibilis Dei in ſimilitudinem hominis corruptibilis*. Poſteriori vero ſignificatu pro *agnitione* illarum perfectionum, & illius agnitionis demonſtratione, quæ fit *actibus* & *geſtibus honoris* & reverentiæ, ſumitur vocabulum כבוד / Pſ. XXIX. I. הבו ליהוה כבוד *Date Deo* GLORIAM, hoc eſt, *honorem*. Agnoſcite Deum talem eſſe qualis eſt. Mal. I. 6. *Si Pater ego, ubi* כבודי *honor meus*. Neque hunc ſignificatum eſſe vocis δόξα Heſychius ignoravit, quando δόξαν reddidit per τιμὴν *honorem*. Quin & LXX Interpretes τὸ כבוד verterunt quandoque per τιμήν. ut Exod. XXVIII. 40. לכבוד expoſuerunt per εἰς τιμήν. Quod & imitati ſunt Scriptores Novi Fœderis, qui δόξαν & τιμὴν ſæpe pro una eademque re acceperunt. Matth. VI. 13. Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα. 2 Pet. I. 17. Λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν. Ap. IV. II. Ἄξιος εἶ Κύριε λαβεῖν τὴν δόξαν καὶ τὴν τιμήν. Cum vero כבוד utroque hoc gaudeat ſignificatu: uterque ille ſecundum ſtylum Scriptorum N. T. adſcribendus erit voci βάρος. quę τῷ כבוד plane reſpondet. Et ne in re liquida diutius hæreamus, quam par eſt: quid clarius in hanc rem verbis *Pauli* in *Poſteriore Epiſtola* ad *Corinthios* [a]: *Nam illico præteriens levitas afflictionis noſtræ* εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν *excellens admodum æternum* PONDUS GLORIÆ *efficit nobis*. Certe alludit Paulus hac loquutione ad hebræam vocem כבוד / quæ tam *Pondus* quam *gloriam* notat.

V. Verum non eſt quod hic ſuppetias petamus ex ſola hebræa voce כבוד? Utique jam obſervatum eſt à Salmaſio [b] aliiſque

Vox כבוד ſignificat *perfectiones* quæ in re ſunt, & earum æſtimationem.

Sumitur Græcis Hebraizantibus pro *honore*.

Utramque ſignificationem adſciſcit vox βάρος.

Vox Græca, & Latina, *Pondus*, *Gravitas*, etiam

a Cap. IV. 17. b Annot. ad Trebellii Pollionis Triginta Tyrannos, Cap. IV.

que Græcæ & Latinæ Linguæ eruditis Interpretibus, tam *Latinum* PONDUS, quam Græcum *βάρος* pro *gravitate*, ſive potius *honore*, imo &, quę ex nimia de ſe ſuiſque virtutibus opinione oritur, *arrogantia* ſumi. Pollio ſic ſcripſerat: *Polliani autem vita in multis obſcura eſt, ut ipſius Poſthumii, ſed privata virtute clari, non* NOBILITATIS PONDERE *vixerunt.* Ad quę Salmaſius: *Nobilitatis* PONDUS VOCAT τὸν τῆς εὐγενείας ὄγκον, τὸ βάρος, τὸν φόρτον. PONDUS *Latinis etiam pro* GRAVITATE: *ut Pondus mentis. Silius Lib.* VIII.

exteros eadem ſignificatione ſumuntur.

Salmaſii obſervatio.

Læta Viro gravitas, & mentis amabile PONDUS,
Et ſine triſtitia virtus.

Manilius Lib. V.

Non dabit in luſus mores. Facit ora ſevera,
Frontes ac vultus componit PONDERE *mentis.*

Subjicit dein Salmaſius: *Pondus* quoque ſumi pro *ſuperbia* & *arrogantia cum faſtidio quodam conjuncta*, additque: *Et ſic Græci βάρος quoque uſurpant.* Βάρος & ὑπερηφανίαν *junctim poſuit Dicæarchus in deſcriptione Græciæ de Thebanis:* Διὰ τὸ βάρος ἢ τὴν ὑπερηφανίαν τῶν κατοικούντων· *propter* PONDUS *& ſuperbiam incolarum.* Referamus hæc ad verba Apoſtoli. Potuiſſemus ait, ἐν βάρει εἶναι, hoc eſt, nos *graviter, ſevere,* & quaſi *arroganter* ac *ſuperbe*, gerere. Apoſtolos Chriſti nulla decebat *arrogantia*, & *ſuperbia.* Munus tamen Apoſtoli tantæ dignitatis eſt, ut, ſi Apoſtoli illius in omni caſu habere voluiſſent rationem, ſe ſic potuiſſent gerere, ut alii ipſos non facile carere dixiſſent vitio *ſuperbiæ* & *arrogantiæ.* Eodem ſenſu Diodorus Siculus [a] *inſolentiam* & *arrogantiam* Pauſaniæ, de quo agit, vocat ejus βαρύτητα. Nec diſtat ab his, quod Heſychius τὸ βάρος interpretetur per ὄνομα κύριον *auctoritatem*, vel *auctoritatis titulum.* Non cenſeo quoque hic negligendum eſſe, quod in hanc rem apud Aulum Gellium [b] occurrit. De LEVITATIS voce diſſerit Gellius, comprobatque, eam apud Veteres alia valuiſſe uſurpatione, qua apud Recentiores. *Levitatem*, ait, *plerumque nunc pro inconſtantia & mutabilitate dici audio, & nequitiam pro ſolertia aſtutiaque, ſed veterum hominum qui proprie atque integre loquuti ſunt, leves dixerunt, quos vulgo nunc viles & nullo honore dignos dicimus;* ET LEVITATEM

Refertur hæc interpretatio ad contextum Pauli.

Alia adducuntur loca Vett. quibus hæc ſignificatio confirmatur.

Qqqqq *appel-*

a Hiſt. Lib. XI. Pag. 265. b Lib. VII. Cap. XI.

appellaverunt proinde quaſi vilitatem. & poſtquam pariter de voce *nequam* diſſeruiſſet, ſic ſuam perſequitur orationem: *Qui exempla horum verborum requirit, ne in libris nimis remotis quærat; inveniet ea in M. Tullii ſecunda Antonianarum. nam quum genus quoddam ſordidiſſimum vitæ atque victus M. Antonii idem demonſtraturus eſſet, quod in caupona deliteſceret, quod ad veſperam perpotaret, quod ore involuto iter faceret, ne cognoſceretur; hæc & alia ejuſmodi, cum in eum dicturus eſſet, videte, inquit, hominis* LEVITATEM. Ciceronis verba, ab ipſo excerpta, non opus eſt iterato deſcribere. Quod ſi vero *levitas* commode ſumatur pro *vilitate:* tum utique βάρος *pondus* optime capitur pro *honore* & *gravitate.*

Παραλληλία locorum, in quibus eadem occurrit, vel ſimilis phraſiologia.

VI. Probatum nunc dedimus, τὸ βάρος id omne valere ſua ſignificatione, quod ante ad loci hujus expoſitionem requiri docuimus. Reſtat nunc porro paucis verbis notemus, integram φρασεολογίαν ſacris Scriptoribus haud eſſe inuſitatam. quod enim hic ἐν βάρει εἶναι, alibi iis dicitur εἶναι ἐν δόξῃ *in honore* & *gloria,* h. e. honoratum & glorioſum eſſe. Confer, ſi placet, loca ſequentia. Sic in *poſteriore* ad Corinthios [a]: *Si miniſterium mortis in literis fuerit* ἐν δόξῃ IN GLORIA, hoc eſt, glorioſum. Et mox: Εἰ γὰρ τὸ καταργούμενον διὰ δόξης, πολλῷ μᾶλλον τὸ μένον ἐν δόξῃ. Coloſ. III. 4. Ὑμεῖς σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ. Nonne eadem loquendi ratio eſt, ἐν δόξῃ εἶναι & ἐν βάρει εἶναι, cum utrumque per כבוד explicandum ſit? Addamus hiſce, Græcos, eodem fere dicendi modo, Viros, in *honore* & *dignitate* conſtitutos, vocare τοὺς ἐν τέλει.

Ἐν τέλει εἶναι, idem Græcis.

Obvium mihi eſt id monſtrare ex Joſepho; præterquam quod apud alios Scriptores Græcos copioſa ejuſdem loquutionis exempla extent. Sic eſt apud Joſephum in Hiſtoria Herodis Magni [b]: Πολλοὶ μὲν γὰρ αὐτῶν τῶν ἐν τέλει καθ' ἐκείνην συνεστιάθησαν τὴν ἑσπέραν *Multi enim* EORUM, QUI IN HONORE SUNT, *ea veſpera apud eum cœnaverant.* Alibi rurſus, *Cæſar* dicitur *Concilium congregaſſe* τῶν ἐν τέλει Ῥωμαίων HONORATORUM *Romanorum.* Suetonius [c]: *Grammatica olim Romæ ne in uſu quidem, nedum* IN HONORE ULLO ERAT.

Favet vox Syriaca יוקרא.

VII. Poſſent hæc abunde ſufficere interpretationi noſtræ robo-

a 2 Cor. III. 7. b B. J. Lib. I. Cap. XIII. Lib. II. Cap. I. c Illuſtr. Gram. Lib. I. Cap. I. Confer Dionyſ. Halicarnaſſ. Lib. VIII. p. 559.

roborandæ & illuſtrandæ, niſi aliud nobis ſponte ſuggereretur. Nimirum Syrus Interpres τὸ βάρος hoc in loco tranſtulit per יקרא. Quod vocabulum non modo *honorem* & *dignitatem*; ſed & *pondus gravitatemque* Chaldæis & Syris ſignificat. Prior hujus vocis ſignificatus omnibus patet, mediocriter in Hebræa dialecto exercitatis. Poſterior probandus eſt. En Pauli verba in Epiſtola ad *Galatas* Cap. VI, 2. Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε. Syrus convertit, וטעינו יוקרא דחדדא. Syriacum igitur יוקרא reſpondet Græco βάρος. Similiter ὄγκος *Pondus* convertit per יוקרן in Epiſtola ad *Hebræos* Cap. XII. I. Jam notum, receptam Hebræis eſſe loquendi rationem, qua *gravem*, *honoratumque* eſſe ſic exprimant, הוא ביקר *Ipſe eſt* IN HONORE, & *exiſtimatione*, hoc eſt, vir gravis. ut Pſ. XLIX. 21. אדם ביקר *Homo*, *qui* IN PRETIO & HONORE *eſt*. LXX tranſponunt per ἀξίαν καὶ τιμήν. Græce igitur diceres, ἐν τιμῇ ἐστι, & Syriacam ſi dialectum reſpiceres ἐν βάρει ἐστι, quod Hebraice הוא ביקר. Confer locum Paulinum in Epiſtola ad Coloſſenſes [a]: Ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. Ubi ἐν τιμῇ nihil eſt aliud, quam ביקר. Ex quibus non abſque ratione quis colligat, τὸ ביקרא Syriacum tranſlatum ab Apoſtolo per ἐν βάρει εἶναι, quia & יקרא βάρος ſignificat. Quæ phraſis Græca, ut alias ſæpe fit, flectenda ſuo in ſignificatu ſecundum Syriacam. Atque ſic tandem recte videmur confeciſſe, τὸ ἐν βάρει εἶναι ſignificare Apoſtolo in DIGNATIONE, *exiſtimatione*, *honore eſſe*, *gravemque* ab aliis haberi. Elegantiſſima enim eſt hæc *dignationis* vox, quippe quæ puriſſimis Scriptoribus Latinis familiaris eſt. Belgice ita vertimus: **Noch ſoeckende eere uyt menſchen / noch van u / noch van andere / hoewel wy in groot aenſien / eere / ende ontſagh konden zijn / als geſanten van Chriſtus. Maer wy zijn vriendelijck geweeſt in 't midden van u.** quam interpretationem quiſque facile videbit orationi & ſcopo Apoſtoli optime congruere.

Quæ & honorem & pondus ſignificat.

VIII. Diſtat itaque ab hac phraſi τὸ ἐπιβαρῆσαι, qua voce Apoſtolus utitur ℣ſ. 9. quæ id notat quod Latinis, *oneri eſſe*: cum qua comparari poteſt Maimonidis aliqua ῥῆσις Hebræa הטריח על הצבור. Verba Maimonidis [b]: וכל מי שצריך ליטול וציער עצמו ודחק את השעה והיה חיי צער כדי שלא יטריח על הצבור אינו מת מן הזקנה עד שלו

Vox ἐπιβαρῆσαι, qua Apoſtolus utitur verſ. 9. illuſtrata ex dictione Hebræa apud Maimonidem.

a Cap. II. 23. b Hilchoth Mattenoth Aniim. Cap. X. §. XIX.

שפרנס אחרים משלו Prideauxius: *Quicunque vero opus habet ut accipiat, quin potius affligit ſe ipſum, & tempora ſibi dura facit, & vitam degit miſeram, ut ſic* NE SIT ONERI ECCLESIÆ, *non morietur ex ſenectute, donec poſſit nutrire alios ex facultatibus ſuis.* Contrarium ejus eſt ἀβαρῆ εἶναι, 2 Cor. XI. 9. cum hac phraſi recte collatum à Grotio. Id vero quod Maimonides hic dicit; הטריח על הצבור *inſtar oneris ſe projicere in Eccleſiam* h. e. *Eccleſiæ oneri eſſe ſuſtentationis cauſſa*, in §. XVIII. vocat הצריך לבריות *opus habere* ſubſidio *à creaturis.* השליך עצמו על הבריות *ſe projicere ſuper Eccleſiam.*

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ιησȣ̃ Χριςȣ̃, τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν.

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 06226 3101

ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM CIRCUMSPICE

THE
DUFFIELD
LIBRARY

A 411410 DUPL

THE GIFT OF
THE TAPPAN PRESBY-
TERIAN ASSOCIATION